ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ANNUS II. - VOLUMEN II.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MDCCCCX

Annus II. - Vol. II. Die 20 Ianuarii 1910. Num. 1.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

EPISTOLAE

I.

AD V. E. UBERTUM ANTONIUM S. R. E. CARDINALEM FISCHER, ARCHIEPISCOPUM COLONIENSIUM, DE HABITO EUCHARISTICO CONVENTU.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem, — Quae de Coloniensi eucharistico conventu, nuper habito felicissime, sive a publica fama sive a Legati Nostri scriptis accepimus, ex tuis litteris plane confirmari accidit perquam iucundum. Pro quo christianae religionis triumpho fideique spectaculo splendidissimo, Deo primum immortales agendae sunt gratiae, qui, defervescente caritate multarum gentium, voluit ignem sui amoris in Germanorum urbe praenobili vehementer accendi; deinde gratulationes exhibendae Coloniensium populo, cuius dudum spectata pietas et in fide constantia romano digna nomine ac Pauli praeconio est: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Nec ad te minus, dilecte fili, voluntatis Nostrae significatio patet, cuius et egregiam in administranda dioecesi sollertiam iamdiu perspectam habemus, et quantum animi, studii, consilii in iuvando, fovendo coetu eucharistico collocaveris, admirati sumus. Tuae nunc diligentiae relinquitur tam bene inchoata perficere et in provinciae campo latissimo messem congregare in horrea Domini plurimam. Faxit benignissimus Deus ut vestrae congressionis celebritas fidelis populi memoria excidat nunquam, et, quae gens Romanae Ecclesiae filiam se profitetur coniunctissimam, a Iesu amore in Sacramento latentis et a paterno complexu Nostro, qui Eius gerimus vices in terris, nunquam divellatur. Quae ut omnia prospere et e sententia succedant, tibi, dilecte fili Noster, omnibus

qui congressioni adfuerunt, Coloniensi populo, civitati ac dioecesi universae apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII mensis Augusti anno MCMIX, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. X

II.

AD R. P. D. EDUARDUM PULCIANO, ARCHIEPISCOPUM IANUENSEM, DE NUPER HABITA SYNODO DIOECESANA.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Grate accepimus communes litteras, quibus tu et bene multi de Clero tuo paucis ante diebus, quum Synodum dioecesanam auspicaremini, vestrum in Nos obsequium studiumque declarastis: eo magis quod inde intelleximus, vos, hac formidolosa conditione temporum graviter, uti par est, commotos, idcirco maxime in unum convenisse, ut quae ad religionem istius populi defendendam, quaeque ad *depositum Fidei* inviolate custodiendum pertinerent, collatis inter vos consiliis statueretis. Optime autem in causa tanta caelestes apud Deum patronos adhibetis Carolum Borromaeum et Catharinam Fliscam, appetente iam ipsorum memoria saeculari. Aderit certe vobis Episcopus sanctissimus, cuius quidem pastoralis sollertia ac diligentia cum in omni genere, tum praecipue in tuenda integritate doctrinae catholicae fuit miraculo: nec vero vobis praesidium deerit foeminae incomparabilis, quae, cum insigne Liguriae decus exstiterit, profecto studere debet, ut populares sui laudem christianae professionis incorruptam retineant. Nos cum pietati vestrae paterna caritate respondemus, tum salutaribus vestris consiliis atque coeptis propitium Deum apprecamur. Cuius munerum auspicem tibi, Venerabilis Frater, et Clero populoque tuo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xi Decembris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

III.

AD R. P. D. MARIANUM EPISCOPUM OSCENSEM, IN SUO QUINQUAGESIMO AB INITO SACERDOTIO ANNIVERSARIO.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Placuit tibi, subeuntis sacerdotii tui natalis quinquagesimi nuncium, sane iucundissimum, ad Nos mittere: placet Nobis laetitiae tuae in partem venire, eamque societate Nostra pleniorem reddere ac suaviorem. Nec tamen amori tantum in te Nostro id tribuendum existimes. Tuae enim virtutes, tua Nos impellunt merita tam diuturno sacerdotio ac tam laudabiliter emenso episcopali munere, profecto neque pauca, neque obscura, sed egregiae nativitatis testata monumentis. Ea utique amori in te Nostro hanc a Nobis impetrant paternae benevolentiae significationem. Tu vero Nostras accipias gratulationes: accipias et omina quibus te caelestibus poscimus perpetuo cumulari muneribus, eorumque conciliatricem apostolicam accipias benedictionem, quam tibi, venerabilis Frater, clero ac populo, in quem pastorales tuae curae evigilant, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Decembris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X

IV.

AD RMUM. D. HENRICUM GARRIGUET, ANTISTITEM GENERALEM SOCIETATIS SULPICIANAE.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Redditae sunt Nobis tuae nuper litterae: in quibus quidem gratum fuit, quod tuam et Societatis, cui praesides, omnem in Nos observantiam declarabas; sed illud etiam gratius, quod addebas de vestra voluntate Nobis fidelissime obtemperandi, praesertim quod ad institutionem Cleri adolescentis attinet. Hanc enim adeo Nos habemus curae, ut nihil supra: quas propterea edidimus praescriptiones de recte ordinando studiorum cursu, de tuenda doctrina sana, de formandis ad solidam pietatem et ad reverentiam Ecclesiae docentis animis alumnorum, eas profecto Nos accurate religioseque servari in primis cupimus et optamus. Nimium quantum communis salutis interest, ut sacra iuventus ex instituto Doctorum Scholasticorum,

duce Thoma Aquinate, veterem Patrum sapientiam alte percipiat, quo ipso erroribus quibusvis novis immunis erit; eademque mature discat docilem se et obsequiosam et deditam praestare huic beati Petri Cathedrae, in qua Christus Dominus summum magisterium regimenque posuit Ecclesiae suae. Vos in hoc tanto munere, quando sic animatos videmus, sperare licet Nobis ac libet, cumulate vestris partibus satisfacturos, divina adiuvante gratia. Huius Nos. auspicem, et benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et omnibus vel magistris vel discipulis Societatis Sulpicianae apostolicam benedictionem grato cum animo impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Decembris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

V.

AD CAMILLUM BATAILLE ADVOCATUM, EQUITEM GREGORIANUM, SCRIBAM AB ACTIS CONVENTUUM CATHOLICORUM IN SEPTENTRIONALI GALLIA ET AD FRETUM GALLICUM.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Catholicos, in septentrionali Gallia et ad Fretum Gallicum incolentes, mirifice Iesu Christi Vicario esse deditos, cum saepe alias, tum nuper cognovimus ex eis litteris, quas, subnotatas nominibus omnium qui Insulas in unum convenerunt religiosae rei consultum, tu quidem, ut scriba ab actis huiusmodi conventuum, ad Nos perferendas curasti. Atque hae Nos litterae sic affecerunt prorsus, quemadmodum optavistis: non enim voluptatem solum Nobis, sed solatium etiam, nec ita exiguum, attulerunt. Nam, quod Nobis ob expleta feliciter quina episcopatus lustra amantissimis verbis gratulati estis, pergratum fuit: idque ab eximia in Nos pietate vestra erat expectandum. Quod autem promisistis, constanter vos prudenterque omnem daturos operam conciliandae inter catholicos Gallos concordiae, quo posthac meliore cum spe possitis pro Dei et Ecclesiae iuribus legitimum aggredi certamen, id enimvero ad consolandos Nos valuit, sollicitos, ut intelligitis, et anxios non tam propter violentiam improborum ad nocendum, quam propter dissensiones bonorum ad resistendum. Iamvero huius concordiae, quam efflagitare non desistimus, praeclarum quoddam specimen intueri licet, postquam vigilantium voce Episcoporum denuntiatum est, quanto in discrimine versetur sempiterna puerorum salus, quibus certarum doctrinarum virus in scholis publicis instillari solet. Passim, favente Deo, nostros videmus, commotos

atrocitate rei, coalescere inter se, Episcopis ducibus, ut hanc parvulorum stragem prohibeant: quam recte dixeris Herodiana crudeliorem, quum ille rex Iudaeae corpora ceciderit, isti animas perdant.

Ad suscipiendam dimicationem huiusmodi, in qua de vestra ipsorum sobole atque etiam de Gallia catholica decernitur, nihil est quod vos hortemur. Iam ipsi ad eam toto pectore incubuistis. Pergite igitur, ut facitis: simul vero ne virtute confidamus nostra, sed opem imploremus Dei omnipotentis, qui nobis aliquando de hostibus nominis sui dabit victoriam. Auspicem interea divinorum munerum, tibi, dilecte fili, et omnibus, qui tuis litteris suum adscripsere nomen, apostolicam benedictionem singulari cum caritate et benevolentia impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Decembris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

VI.

AD R. P. ROBERTUM RAZZOLI, EX ORDINE FRATRUM MINORUM CUSTODEM TERRAE SANCTAE, OB EDITUM " DIARIUM TERRAE SANCTAE „.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — *Diarium Terrae Sanctae*, haud ita pridem a te coeptum vulgari, eiusmodi est opus, quod magni ab optimo quoque fieri debet. Non modo enim in honorem vertit Franciscalis familiae tuae, cuius res istic et superiore et hac memoria praeclare gestas complectitur; sed etiam, afferendis, quae in tabulariis vestris asservantur, veteribus monumentis, iura catholici nominis in istos Sacratos Locos, eaque a maioribus fortissime asserta, illustrat. Huc accedit, quod amplam ibi materiam habent in promptu, quicumque vel pietatis vel doctrinae causa rebus Palaestinae student. Quare tibi gratulamur, dilecte fili, teque ut, quod instituisti, pergas hortamur: inde maxime sperantes fore, ut divinus Redemptor noster cognoscatur magis et ametur. Ipsius autem munerum auspicem, et paternae benevolentiae Nostrae testem, tibi et sodalibus tuis, operis huius adiutoribus, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Decembris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

VII.

AD ANTISTITAM ANNECIENSIS DOMUS A VISITATIONE, CETERASQUE RELIGIOSAS FOEMINAS EIUSDEM ORDINIS UNIVERSI, CUIUS PROXIME AGENT SAECULARIA SOLEMNIA.

Dilectae in Christo Filiae, salutem et apostolicam benedictionem. — Communis vobiscum laetitiae afferunt causam saecularia solemnia, quae proximo mense Iunio, tercentesimo anno exeunte ab instituto Visitationis Ordine, opitulante Deo, estis acturae. Nam et Nobis incrementa familiae vestrae considerantibus licet cum Cypriano admirari, quam largiter floreat « Ecclesiae matris gloriosa foecunditas »; et vobis, quasi medio in itinere emensum hucusque spatium respicientibus copia datur colligendi vires ad reliquum cursum et ad metam assequendam, idest finem vocationis vestrae. Qui sit autem is finis, haud magis a legiferis parentibus Francisco Salesio et Ioanna Francisca, quam usu ipso et religiosae disciplinae observantia didicistis. Ea nempe sancti doctoris fuit mens, ut filiae Deo formarentur, quibus inesset « spiritus gratiae et precum »; quae Ipsum in spiritu et veritate adorarent; quae animi demissione suique despicientia Eius gloriae amplificandae studerent; quae, quasi columbae in tacito nido delitescentes, terrenis omnibus abdicatis, et in caelestium rerum contemplatione defixae, sese Deo exhiberent hostias viventes. Est haec vobis a sancto episcopo Genevensi et veneranda eius alumna constituta lex, cuius quamdiu apud vos vigebit auctoritas, tamdiu poterit societas vestra salva consistere. Qua in re etsi minime dubitamus quin quod genus aetatis degendae sibi vestrum quaeque constituit, in eo velit constantissime permanere; nihilominus, quia magnus novitatis auctor est dies, haud inopportunum ducimus in memoriam redigere, quanti sodales religiosos intersit, instituti sui disciplinam sartam tectamque servare. Quid enim esse putemus praescriptas monachis regulas, nisi evangelicae perfectionis documenta, Ecclesia duce, in usum deducta? Quocirca praeclare gloriosus ille Decessor Noster affirmavit, se, si quem invenisset coenobitam suae professionis retinentissimum, non dubitare vel vivum ad Beatorum Caelitum honores evehere. Nec enim christiana perfectio in rebus miris et extraordinariis patrandis, sed in communium officiorum tuitione consistit, et in virtute nostra dimetienda Deus, ut habet S. Gregorius, « non respicit quantum, sed ex quanto ». Nec est cur alia vota profitentium videatur vobis vita praestantior. Nam « divisiones gratiarum sunt; idem autem spiritus». Atque item: «in

domo Patris mei mansiones multae sunt ». Quo fit ut aliae Martham sectentur, aliae Mariam. Vos, quae optimam partem elegistis, hanc retinete, neve a sancto proposito dimoveri patiamini per speciem procurandae alienae salutis, perperam reputantes, in qua versamur tempestate, non vitam contemplationi deditam, sed actuosam desiderari. Primum enim, quemadmodum Christi praecepta, ita etiam consilia, sunt omnium temporum; et qui haec aliquando inopportuna censeat, is quodammodo videtur dare manus victas perpetuis obtrectatoribus claustralis, uti vocant, otii. Quin etiam, quo nequior est aetas, eo maior urget necessitas iram divinam assiduis precibus plenâque sui deditione placandi. An vero meliores illuxerunt Salesio dies, qui ab inimicis catholici nominis conquisitus ad necem et asperrima quaeque perpessus, de illo tamen instituti genere cogitavit, quod vos profitemini? Intelligebat enim vir sanctissimus, nulla re magis et propitium haberi Deum et iuvari proximos, quam sacrificio laudis diuturno et exemplo vitae intemeratae. Ipsa denique Viri sanctitas a quo leges accepistis, « sapientia, discretione, suavitate mirabiles », debet efficere, ut sibi quaeque dicta putet, quae Apostolus Timotheo: « Tu vero permane in iis quae didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris ». — Interim, ut studio, quo remur unamquamque vestrum teneri, veteris disciplinae retinendae stimulus aliquis adiiciatur, facultatem facimus edendi denuo scripta singula sancti Doctoris Francisci Salesii, prout ab ipsius calamo prodierunt. Promptae autem voluntatis vestrae praemium esse volumus plenissimam peccatorum indulgentiam ab omnibus ac singulis Instituti a Visitatione sodalibus statis conditionibus lucrandam eo die, quem unaquaeque eiusdem Ordinis familia celebrandis hisce solemnibus destinaverit. Caelestium denique munerum auspex et benevolentiae Nostrae testis accedat apostolica benedictio, quam omnibus et singulis vobis, dilectae in Christo Filiae, peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIII mensis Decembris anno MDCCCCIX, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. X

VIII.

AD TERTIARIOS FRANCISCALIS E FOEDERATIS SODALITIIS URBIS.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Delectavit Nos vestra nuper communis epistola: in qua primum, grate vos accepisse dicebatis Apostolicas Nostras Litteras, « *Septimo iam* », quibus tres Franciscales familias primi Ordinis pares inter se esse ediximus. Quarum statutis Litterarum uti omnes, quos attingunt, in perpetuum parere debent, ita non est dubium, quin vos, quod ad vos attinet, religiose obsecuturi sitis. Deinde vehementer placet quod cognovimus, dari a vobis operam, ut, quemadmodum iam quotquot estis Romae Tertiarii Franciscales ex variis sodalitatibus fraternum foedus rite fecistis, ita vobiscum cetera quae sunt per Italiam generis eiusdem sodalitia consocietis. Nihil enim societate istiusmodi ac foedere videtur opportunius. Quum sit exploratum vires coniunctas efficaciores esse quam singulas, cernere licet quam studiose catholici nominis hostes in unum conglobentur, ut nefaria certius proposita contingant. Ergo ad repugnandum istis congruenter, oportet omnes boni coeant, iique in primis, qui ex instituto Patriarchae Assisiensis, et ipsi christiane sapere ac vivere in exemplum, et christianam fidem moresque in populo fovere ac tueri debent. Quare agite, et optimum inceptum alacres persequimini, divino confisi auxilio. Cuius Nos auspicem vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem paterna cum caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Decembris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DE RELATIONIBUS DIOECESANA ET VISITATIONE SS. LIMINUM

I.

DECRETUM

SERVANDUM AB OMNIBUS LOCORUM ORDINARIIS
QUI S. CONGREGATIONI DE PROPAGANDA FIDE SUBIECTI NON SUNT.

A remotissima Ecclesiae aetate repetenda lex et consuetudo est, qua singuli Episcopi, statis temporibus, Urbem petant, ut sanctorum apostolorum Petri et Pauli limina venerentur, suaeque statum dioecesis exponant Apostolicae Sedi: cuius rei illustria monumenta veteres Ecclesiae annales suppeditant.

Eiusmodi autem facti ratio in ipsa Ecclesiae natura et constitutione nititur, atque a sacro Petri primatu necessario fluit, cui christiani gregis universi commissa custodia est, per divina illa praecipientis Domini verba: *pasce agnos, pasce oves.* In utroque autem munere, quum visitationis sacrorum Liminum, tum relationis de statu dioecesis, debitae Petro eiusque successori submissionis et reverentiae continetur officium.

Verum, quamvis unum et alterum huius legis caput tot antea saeculis viguerit, serius tamen hac de re certior invecta est disciplina. Est enim Xysto V tribuendum, quod is, Constitutione edita die 20 mensis decembris 1585, cui initium *Romanus Pontifex,* congrua ratione determinaverit, quibus temporibus et qua lege visitanda sacra Limina essent et reddenda ratio Summo Pontifici de pastoralis officii implemento a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis: quibus etiam prospexerunt encyclicae litterae sacrae Congregationis Concilii, datae die 16 mensis novembris 1673. Abbatibus autem *nullius dioecesis* cautum est per Constitutionem Benedicti XIV, datam die 23 mensis novembris 1740, quae incipit *Quod sancta.*

Haec obtinuit ad nostros usque dies disciplina. Verum, effectis hodie multo facilioribus ac tutioribus dioeceses inter et Sanctam Sedem commerciis, iam praesertim aevi conditionibus haud respondere visa sunt ea,

quae in memoratis Constitutionibus decreta fuerunt circa visitationes ad sacra Limina ac dioecesum relationes ad Apostolicam Sedem.

Re mature agitata in coetu Emorum Virorum Pontificio Iuri in unum corpus redigendo praepositorum, conclusa ab iisdem, SSmi D. N. Pii Papae X iussu, ad hanc S. Congregationem Consistorialem delata sunt, eidemque commissum iudicium, utrum et quomodo eius coetus consilia publici iuris fieri atque in usum deduci possent, etiam ante promulgandum ipsum Codicem.

Nunc vero, omnibus diligenter perpensis, iisque inhaerens quae a memorato coetu PP. Cardinalium deliberata sunt, S. Congregatio Consistorialis, de mandato SSmi Domini nostri, Eoque adprobante, decernit quae sequuntur:

CAN. I.

Abrogata lege temporum, quibus hactenus visitanda fuerunt sacra Limina et relatio Sanctae Sedi exhibenda de statu dioecesis, omnes locorum Ordinarii, quibus dioecesani regiminis onus incumbit, obligatione tenentur referendi singulis quinquenniis ad Summum Pontificem de statu sibi commissae dioecesis ad normam canonum infra positorum et novi *Ordinis* praesenti decreto adiecti.

CAN. **II.**

§ 1. Quinquennia sunt fixa et communia, incipientque a die 1 mensis ianuarii anno 1911.

§ 2. In primo quinquennii anno relationem exhibebunt Ordinarii Italiae, et insularum Corsicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae, aliarumque minorum adiacentium.

§ 3. In altero, Ordinarii Hispaniae, Lusitaniae, Galliae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae, cum insulis adiacentibus.

§ 4. In tertio, Ordinarii imperii Austro-Ungarici, Germanici, et reliquae Europae cum insulis adiacentibus.

§ 5. In quarto, Ordinarii totius Americae et insularum adiacentium.

§ 6. In quinto, Ordinarii Africae, Asiae, Australiae et insularum his orbis partibus adiacentium.

§ 7. Et ita per vices continuas singulis, quae sequentur, quinquenniis.

CAN. III.

§ 1. In prima cuiusque Ordinarii relationes ad singula quaesita, quae in adiecto *Ordine* continentur, distincte responderi debet.

§ 2. In relationibus quae sequentur sufficit ut Ordinarii ad quaesita in singulis articulis contenta dicant, utrum novi aliquid habeatur, necne.

Adiicient vero quomodo et quo fructu ad effectum perduxerint monita et mandata, quae S. Congregatio in sua responsione ad relationem significaverit.

§ 3. Relatio latina lingua est conficienda.

§ 4. Subsignanda autem erit, praeter quam. ab Ordinario, ab uno vel altero ex *convisitatoribus*, qui de statu dioecesis magis conscii sunt et de ea testificari possunt.

Ipsi vero circa ea quae ex relatione noverint, si publici iuris non sunt, gravi secreti lege adstringuntur.

CAN. IV.

§ 1. Omnibus et singulis pariter praecipitur ut, quo anno debent relationem exhibere, beatorum apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi ad Urbem accedant, et Romano Pontifici se sistant.

§ 2. Sed Ordinariis, qui extra Europam sunt, permittitur ut alternis quinquenniis, idest singulis decenniis, Urbem petant.

§ 3. Huic obligationi Ordinarius, vel ipse per se, vel per Coadiutorem aut Auxiliarem Episcopum, si quem habeat, satisfaciet; vel, iustis de causis a S. Sede probandis, per ideoneum sacerdotem qui in eadem dioecesi stabilem commorationem teneat.

CAN. V.

Si annus exhibendae relationi adsignatus, ex toto vel ex parte, inciderit in primum biennium ab inito dioecesis regimine, fas erit Ordinario ab exhibenda relatione, et a visitatione sacrorum Liminum peragenda pro ea vice, abstinere.

CAN. VI.

§ 1. Proximo anno 1910 Ordinarii, qui relationis et visitationis obligatione tenentur, ex benigna SSmi D. N. venia eximuntur.

§ 2. Annis autem 1911 et 1912 a relatione et visitatione abstinere licebit Ordinariis, de quibus in §§ *2 et 3 can. II,* qui anno 1909 iuxta veterem temporum periodum legi satisfecerunt.

Qui vero de statu suae dioecesis referent, hi ad normam novi *Ordinis* a S. Sede statuti huic muneri satisfaciant.

CAN. VII.

Denique cum sacrorum Liminum visitatio et relatio dioecesana ad Apostolicam Sedem non sint confundendae cum lege de visitatione pastorali dioecesis, idcirco vigere pergunt praescripta a Concilio Tridentino, sess. XXIV, cap. III *de reform.,* his verbis expressa: *Propriam*

diocesim (Episcopi) *per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium aut Visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant.*

SSmus autem D. N. Pius Papa X, his canonibus et adiecti *Ordinis* normis mature perpensis, iussit haec omnia promulgari et evulgari, mandavitque ut ab omnibus ad quos spectat integre serventur, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 31 mensis decembris anno 1909.

C. CARD. DE LAI, *S. G. Consistorialis Secretarius.*

L. X S.

S. Tecchi, *Adsessor.*

ORDO SERVANDUS

IN RELATIONE DE STATU ECCLESIARUM

NORMAE COMMUNES

Prooemium Relationis.

1. Significetur nomen et cognomen, aetas et patria Ordinarii; eius institutum religiosum, si ad aliquod ipse pertinet: quando dioecesis regimen susceperit: et si Episcopus est, quando fuerit consecratus.

2. Iudicium aliquod generale praebeatur de conditione religiosa et morali dioecesis, et utrum aliquis ab ultimo quinquennio religionis progressus vel regressus habitus sit.

CAP. I.

Generalia de statu materiali.

3. Indicetur paucis et perspicuis verbis,

a) origo dioecesis, eius titulus seu gradus hierarchicus cum privilegiis potioribus: sitne archiepiscopalis, quot et quas habeat suffraganeas sedes; si sit episcopalis, cui archiepiscopali suffragetur: si immediate subiecta, cui metropolitano debeat adhaerere pro synodo;

b) extensio dioecesis, ditio civilis, caeli temperatio, lingua;

c) locus residentiae Ordinarii cum indicationibus necessariis ut epistolae tuto mittantur;

d) summa incolarum et praecipua oppida: quot inter incolas sint catholici; et si varii adsint ritus, quot catholici in singulis; et si adsint acatholici, in quot et quales sectas dividantur;

e) numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum Seminarii;

f) utrum et quot *capitula* canonicorum, aliique sacerdotum coetus ad instar capitulorum sint in dioecesi;

g) quot sint paroeciae vel quasi paroeciae, cum numero fidelium in iis quae maximae vel minimae sunt; in quot vicariatus foraneos

aliasve circumscriptiones paroeciae dividantur; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis;

h) utrum et quaenam instituta religiosa virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sive sacerdotum sive laicorum;

i) utrum et quaenam instituta religiosa mulierum, cum numero domorum et religiosarum.

CAP. II.
De fide et de cultu divino.

4. Utrum divinus cultus libere in dioecesi exerceatur: sin minus, unde obstacula proveniant, a civilibus ne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel acatholicorum (si adsint), vel ab alia causa: quaenam ratio suppetat ad ea amovenda, vel sin minus imminuenda: et num adhibeatur.

5. Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis seu paroeciis fidelium necessitati sufficiat.

6. Utrum generatim ecclesiae et sacella publica satis instructa sint iis quae ad fabricam ac supellectilem pertinent; et quaenam generatim cura habeatur ut eadem munda sint et decenter ornata.

7. Utrum in singulis ecclesiis inventarium omnium bonorum et supellectilium habeatur, et quomodo custodiatur, ne morte rectoris aut alio quolibet eventu contingat ut aliquid subtrahatur aut disperdatur.

8. Utrum sint ecclesiae in quibus res vel supellectiles habeantur materia, arte, antiquitate pretiosae, praesertim codices vel libri, picturae, sculpturae, opera musiva arte vel antiquitate insignia; quomodo custodiantur; sintne haec recensita in inventariis, et an de iis speciale inventarium penes Curiam servetur.

Cautumne sit ne quid etiam tenue, sed ratione materiae, artis vel antiquitatis pretiosum, sine licentia S. Sedis et iudicio peritorum venumdetur.

9. Utrum singulis diebus, mane et vespere horis opportunioribus, ecclesiae pateant fidelibus.

Utrum debita vigilantia custodiantur ne sacrilegiis, profanationibus aliisve damnis obnoxiae sint.

10. Utrum, dum sacra peraguntur, ita omnibus fidelibus pateant, ut quilibet vel pauperrimus absque gravamine vel rubore libere ingredi, ibique adstare valeat.

11. Utrum aliquando ecclesiae vel sacella adhibeantur ad aliquem profanum usum, ad academicos coetus, musicos concentus, aliaque id genus.

12. Utrum in omnibus ecclesiis et sacellis in quibus SSma Eucharistia asservari debet vel potest, conditiones a iure requisitae ad conservationem SSmi Sacramenti accurate serventur: et an cura sit ut altare SSmi Sacramenti cultu, munditie et ornatu emineat.

13. Utrum poenitentiae tribunalia collocata sint in patenti ecclesiae loco, et cratibus instructa iuxta canonicas leges.

14. Quomodo custodiantur sacrae reliquiae in ecclesiis et sacellis. Utrum ibidem adsint reliquiae sigillo vel documento authenticitatis destitutae, vel plane suspectae. Et an idcirco in Visitatione Ordinarius aliquid decreverit.

Utrum, quod sciatur, penes privatas personas reliquiae insignes serventur; quo iure, et qua cum veneratione.

15. Utrum in cultu divino, sanctorum veneratione, administratione sacramentorum aliisque sacris functionibus liturgicae leges serventur.

Irrepserintne singulares consuetudines, et quaenam: num hae S. Sedis auctoritate aut vetustissimo usu rite approbatae dici queant, aut saltem toleratae: et si tales non sint, quid fiat ut prudenter deleantur.

Speciatim vero utrum lingua et cantus liturgicus iuxta S. Sedis decreta adhibeantur.

16. Utrum graves errores contra fidem serpant inter dioecesis fideles. Adsintne e clero qui eisdem infecti sint. Quaenam huius mali fuerit vel adhuc sit causa. Quid fiat ut eidem malo occurratur.

17. Utrum consilium *vigilantiae* et officium *censorum* ad haec praecavenda institutum sit: quibus personis constet: et an diligenter munera sua ipsae adimpleant, et quo fructu.

CAP. III.

De iis quae ad Ordinarium pertinent.

18. Quibus bonis et reditibus mensa Ordinarii polleat. An et quali aere alieno gravetur.

Quomodo administratio geratur: utrum independenter ab auctoritate civili, necne; an seorsim a ceteris dioecesis vel piorum operam bonis et proventibus, vel cumulate; qua methodo et per quas personas.

19. Utrum adsit domus Ordinario dioecesis propria, vel privatam ipse conducere cogatur. In utroque casu num aedes ita instructae sint, ut Ordinarii dignitati congruant, et luxum non redoleant.

20. Cum quibusnam personis Ordinarius habitet, et quaenam sit earum vitae ratio.

21. An, a quibus S. Sedis officiis, et quibusnam specialibus facultatibus et privilegiis ipse qua Ordinarius instructus sit.

22. Quomodo residentiae legi satisfaciat.

23. Quoties consuescat in cathedrali templo vel alibi sacris functionibus interesse aut pontificalia peragere.

24. Qua frequentia sacris concionibus et pastoralibus litteris clerum ac populum instruat. Et quatenus sit impeditus a praedicando, an per alios opportune suppleat.

25. Quot et quales adsint in dioecesi casus reservati: et quibus Ordinarius committat facultatem. ab eisdem absolvendi.

26. Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et utrum pro dioecesis conditione petitionibus fidelium satisfacere ipse per se valeat: et, si ipse non valeat, quomodo et per quos suppleat.

Utrum in huius sacramenti collatione canonicae regulae de aetate confirmandorum ac de patrinis serventur.

27. Utrum ipse per se vel per alium Episcopum sacras ordinationes contulerit.

Et in hoc peragendo, dum studuit dioecesim locupletare idoneorum sacerdotum copia, utrum sartum tectum servaverit Tridentini Concilii praescriptum non promovendi qui non essent necessarii vel utiles ecclesiae pro qua assumuntur.

28. Utrum ipse per se, vel per Vicarium generalem aut per alios viros a se deputatos totam dioecesim ita visitaverit ut singulis annis vel saltem bienniis de statu singularum paroeciarum certam notitiam habere potuerit.

An visitando paroecias, praeter ea quae pertinent ad divinum cultum, populi mores, religiosam puerorum et adolescentium institutionem, legatorum satisfactionem, aliaque; visitationem quam vocant personalem cleri peregerit, singulos audiendo, ut cognoscat quae sit eorum vitae ratio, qui spiritus precum, quod studium procurandae proximorum salutis, aliaque.

29. Utrum curaverit ut Conciliorum et S. Sedis leges et praeceptiones in dioecesi nota fierent et ab omnibus servarentur.

30. Utrum dioecesanam synodum congregaverit; et si nullam coegerit, an, quomodo et quanam potestate suppleverit.

31. Si sit metropolitanus, an provinciale concilium, aut saltem collationes seu *conferentias* episcopales habuerit, et quoties.

Exemplar eorum quae in *conferentiis* communi consilio conclusa sunt ad S. Sedem (si adhuc factum non fuerit) transmittat.

32. Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate: an episcopali»

dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam per servilitatem erga humanas potestates, vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati Ecclesiae aut dedecus statui ecclesiastico obvenerit.

CAP. IV.

De Curia dioecesana.

33. Utrum habeatur Vicarius generalis qui tum virtutis ac doctrinae opinione tum gradus doctoralis auctoritate polleat: et quot aliis ministris constet dioecesana Curia.

34. Utrum et quot adsint examinatores et iudices synodales aut pro-synodales.

35. Utrum adsit tribunal ecclesiasticum cum suis administris rite constitutum; aut saltem possit constitui, si necesse sit.

36. Utrum Curia dioecesana aedes proprias convenienter instructas habeat cum tabulario, in quo pars secreta documentorum tuto ac seorsim ab aliis documentis custodiatur. An archivum ipsum sit bene ordinatum.

37. Quaenam taxa in usu sit pro actis Curiae rependendis; an et quando approbata; et an conformis ceteris quae in provincia ecclesiastica aut regione vigent.

38. Utrum Ordinarius cognoscat querelas adesse ob Curiae taxas; et an in re praesertim matrimoniali concubinatus, aut alia mala accidisse sciat ob earum gravitatem seu ob rigorem exactionis earumdem. Quomodo taxarum proventus erogetur.

39. Utrum ex multis, aut ex aliis titulis speciales alii proventus Curiae sint; et quomodo erogentur.

CAP. V.

De clero generatim.

40. Referatur generatim quinam sint cleri mores, qui cultus, ac doctrina, quod studium aeternae salutis proximorum, quae pietas: quaenam erga suum Ordinarium Summumque Pontificem obedientia et reverentia: quaenam inter sacerdotes concordia, coniunctio, caritas.

41. Utrum vestis talaris adhiberi possit et reapse adhibeatur a clero: et in quolibet casu an clerus habitu proprio et decenti induatur, nec sint hac in re scandala vel dicteria.

42. Utrum sacerdotes in missae celebratione praeparationem et gratiarum actionem debite peragant: an serotinae visitationi SSmi Sacra-

menti assueti sint: qua frequentia ad poenitentiae sacramentum accedere soleant.

43. Utrum ad spirituales exercitationes statis temporibus omnes et singuli per vices conveniant, qua frequentia, et quibusnam in aedibus: an Ordinarius hac occasione salutaria monita sive in communi sive in particulari pro opportunitate clero praebere non omittat.

44. Utrum collationes seu conferentiae ecclesiasticae de quaestionibus moralibus, seu casibus conscientiae, itemque theologiae et liturgiae habeantur: qua frequentia, qua methodo, quo fructu.

45. Quae Ordinarii cura sit de iunioribus sacerdotibus, ut postquam sacerdotio initiati sunt studia non deserant, et pietate adhuc proficiant.

46. Pro emeritis sacerdotibus infirmis et pauperibus an domus aliqua habeatur in qua recipiantur et debita caritate sustententur: an saltem reditus speciales constituti sint quibus eisdem subveniatur.

47. Utrum adsint sacerdotes, qui quamvis viribus et iuvenili aetate polleant, otiosi tamen vivant, adeo ut inutiles vel etiam noxii dioecesi sint: quaenam huius rei sit causa, et an et quomodo huic malo occurri possit.

48. Utrum adsint de clero qui rebus politicis et factionibus civilibus immodice et indebite se immisceant, cum offensione aliorum et spiritualis ministerii detrimento: et quid factum sit, aut fieri possit ut intra iustos limites contineantur.

Et in dioecesibus ubi una vivunt catholici variorum rituum, aut diversae linguae, vel nationis, an idcirco adsint in clero contentiones et aemulationes: quid fiat ut exstinguantur, et spiritus Christi in omnibus inducatur.

49. Utrum, quod Deus avertat, aliquis habeatur sacerdos qui vitam minus honestam agat, aut agere publice videatur; vel cui imputetur aliquod aliud crimen post ultimam relationem dioecesanam patratum.

Nullane habeatur, quam Ordinarius sciat aut suspicetur in suo clero, violatio legis de observandis et vitandis in satisfactione missarum manualium.

Caveantne sacerdotes nedum a libris, sed etiam a diariis irreligiosis vel impiis legendis, nisi gravis et legitima causa intercedat.

50. Quid factum sit tum ad salutarem lapsorum correctionem, tum ad scandali (si adfuerit) reparationem.

Utrum et quoties suspensio *ex informata concientia* in quinquennio irrogari debuerit; quo fructu; et quaenam sit regula quae in hoc adhibetur.

51. Utrum generatim clerus sive ex eleemosynis missarum, sive ex aliis ministerii spiritualis proventibus, aut ex beneficiis ecclesiasticis habeat quo honeste vivere possit.

CAP. VI.

De capitulis.

52. Utrum adsit cathedrale canonicorum capitulum.; quot canonicis et dignitatibus constet; et an adsint theologi et poenitentiarii officia.

53. Quomodo canonicorum, officiorum et dignitatum provisio locum habeat; utrum libere iuxta commune ius, an alia aliqua speciali ratione.

54. Utrum et quali praebenda singuli fruantur: et an haec distincte administretur; an potius vigeat regimen communis *massae.* In quolibet casu an specialis alia communis *massa* habeatur pro distributionibus quotidianis, pro missa conventuali, pro expensis fabricae et cultus.

55. Utrum, et a quo tempore capitulum suas habeat constitutiones legitime approbatas, et an eas servet.

56. Quale sit chorale servitium tam pro recitatione divini officii quam pro missae conventualis celebratione; quotidianum ne iuxta commune ius, an potius intermissum: et quo indulto.

57. Utrum, et quot adsint canonici honorarii: an excedant numerum a sacris canonibus statutum.

58. Deficiente cathedrali capitulo, an habeatur consultorum collegium; quot personis constet; quibus aliis ministeriis iidem vacent; et an ita proximi sint civitati episcopali ut facile congregare possint.

59. Quanam canonici vel consultores existimatione gaudeant in dioecesi. Utrum ipsi concordes inter se et cum Ordinario sint; an potius aliquid Ordinarius habeat, quod eorum de agendi ratione doleat.

60. An Ordinarius eos rite convocet, ut in negotiis maioris momenti consilium vel consensum iuxta sacros canones requirat.

61. Utrum, sede vacante, capitulum libere procedere possit ad vicarii capitularis electionem; an potius, sede vacante, alia sit consuetudo providendi dioecesis regimini, quaenam sit, et quonam iure vigeat.

62. Si alia habeantur in dioecesi canonicorum capitula, dicatur quid de singulis obtineat quoad numerum, chorale servitium, praebendas et reditus capitulares, bonamque existimationem.

CAP. VII.

De parochiis, earumque rectoribus.

63. Utrum omnes paroeciae de suo proprio pastore sint provisae: an potius adsint quae ab aliquo viciniore parocho vel ab aliquo canonico ad tempus regantur: quam ob causam: et an idcirco incommoda notabilia aut mala sequantur.

64. Utrum provisio paroeciarum fiat per concursum: et quomodo concursus ipse celebretur.

65. Utrum adsint paroeciarum seu animarum rectores ad nutum amovibiles.

66. Utrum, quibusnam sub conditionibus, et quo iure adsint paroeciae Ordinibus seu Congregationibus religiosis addictae.

67. Utrum habeantur paroeciae in quibus cura animarum habitualis penes capitula aliasve personas existat.

68. Utrum adsint paroeciae obnoxiae iuri patronatus ecclesiastico,, vel laico, sive familiari, sive populari, sive regio: quaenam praxis vigeat in earum provisione: an et quaenam incommoda hac de re acciderint.

69. Utrum emolumenta, quae occasione administrationis sacramentorum, funerum, celebrationis missarum solemnium, attestationum, publicationum a parochis percipi solent, recognita sint ab Ordinario, vel diuturno usu probata.

Et an sive ob gravitatem parochialium taxarum, sive ob rigorem exactionis earumdem, inconvenentia aliqua et querelae, praesertim in re matrimoniali et in funeribus, deploranda sint.

70. Utrum et qua dote certa parochi eorumque ecclesiae generatim honestentur: an potius ex solis stolae incertis et fidelium oblationibus vivere debeant.

Si bonis immobilibus parochus eiusque ecclesia fruantur, quomodo administratio geratur, et quomodo caveatur pro conservatione patrimonii sacri alterutrius, vel utriusque.

In quolibet casu an parochi habeant quo honeste sustententur et quo expensis occurrant pro animarum cura et pro parochialibus functionibus necessariis.

71. Utrum parochi domum canonicam habeant; et an ibi cum parocho eius adiutores una vivant. Et si ita non sit, an et quod studium habeatur ut hoc regimen inducatur.

72. Utrum, qua lege et qua observantia caveatur, ne quolibet sub praetextu, etiam ratione servitii, iuniores mulieres (etiam consanguineae, si cum parocho adiutores simul vivant) parochiales domus inhabitent aut frequentent: et an cura sit ne in parochialibus aedibus familiae consanguineorum parochi cum filiis et nepotibus degant.

73. Utrum libri parochiales adsint in singulis paroeciis, et ibi iuxta canonicas praescriptiones adnotentur quae pertinent ad baptismum, matrimonium ac mortem fidelium.

Speciatim circa matrimonium, an novissima lex servetur qua iube-

tur de peracto matrimonio inscriptionem fieri in baptizatorum libro ad singulorum nomen.

An habeantur quoque libri confirmatorum et status animarum, itemque tabellae seu libri missarum fundatarum et manualium, iique diligenter redigantur ac serventur.

74 Utrum in singulis paroeciis tabularium aliquod adsit, illudque in duas partes, publicam et secretam, divisum, et utrumque naviter custoditum.

75. Utrum parochi aliique animarum curatores debitam residentiam servent.

76. Utrum diebus festis missam pro populo applicent, sacrasque functiones ad diei festi sanctificationem proprias cum zelo et fructu celebrent: potissimum vero an evangelium explicent, et catechesim tam pueris quam adultis tradant, qua methodo, quo fructu.

An adsint hisce in rebus negligentes.

77. Utrum in audiendis confessionibus, sacra Eucharistia distribuenda, infirmorum adsistentia semper praesto sint, nihilque inconveniens, vel nulla querela hac de re habeatur. *

78. Utrum, nisi gravis et legitima causa in aliquo speciali casu obstet, baptismum administrent et matrimonio adsistant in ecclesia, servatis solemnitatibus a Rituali Romano praescriptis.

79. Quomodo se gerant erga fideles qui, sectis secretis notorie addicti, vel alia quavis de causa extra Ecclesiae sinum viventes, sacramenta in extremis deposcunt; et erga eos qui extra Ecclesiae sinum defuncti, christiano more sepeliri a consanguineis velint.

80. Quaenam sit consuetudo in admittendis pueris ad primam communionem: et an sarta tecta servetur regula a Catechismo Concilii Tridentini tradita, ut pueri qui sui confessarii et parentum iudicio discretionis sunt capaces a sacra mensa non prohibeantur, nec diu arceantur.

81. Utrum parochi pro viribus curent fideles suos in fide roborare, ad sacramentorum frequentiam, praesertim ad S. Communionem etiam quotidianam excitare, et in christianae vitae more et puritate continere. Et ad hunc finem, praeter consueta sui officii munera,

a) an aliquoties in anno, diebus praesertim solemnioribus vel tempore adventus, quadrag sarium extraordinarium advocent;

b) an identidem post aliquam annorum periodum sacras missiones in sua paroecia haberi curent;

c) an pias devotiones ab Ecclesia probatas, ut expositionem SSmi Sacramenti, viam crucis, rosarium, mensem marianum, aliaque

similia in sua ecclesia celebrent, et fidelibus commendent: et quaenam magis in usu sint in dioecesi;

d) an studeant pueros, puellas et maioris aetatis fideles allicere ut ad pias uniones, patronatus, sodalitates vel consociationes catho¬licas se adscribant;

e) an prudenter instituant vel saltem foveant opera socialia, quae Ecclesiae catholicae spiritu aluntur.

CAP. VIII.

ART. I. - De Seminario dioecesano.

81 Paucis dicatur quae sit Seminarii fabrica, novane an vetus, quot alumnis continendis capax, an disciplinaribus et hygienicis regulis respondens, an a servitutibus libera, hortis et atriis ad recreationem instructa.

Si vero dioecesanum Seminarium non unicum sit, sed in *maius* et *minus,* vel in plura alia aedificia divisum, exponatur quae sit materialis singulorum conditio.

83. Quinam sint Seminarii vel Seminariorum reditus, an, et quali aere alieno graventur: quae pensio ab alumnis persolvatur: quomodo pauperibus subveniatur.

84. Dicatur quinam sit rector, qualis eius aetas, qualesque sint eius qualitates: quot alii eum in regimine adiuvent: et utrum hi, et quidem omnes, muneri commisso digne satisfaciant, et alumnos in disciplina et pietate instituant; an potius aliquid animadvertendum sit.

Si vero Seminarium a congregatione aliqua religiosa regatur, indicetur quaenam sit haec congregatio, quando, quibusnam conditionibus, et an ex S. Sedis venia curam pii instituti susceperit, et an praefatis conditionibus satisfaciat.

85. Utrum habeatur magister pietatis, vulgo *director spiritualis,* in Seminario degens et nullo alio officio implicatus; et an, praeter ipsum, sufficiens copia aliorum confessariorum detur.

86. Utrum adsint deputati pro disciplina et pro oeconomia a S. Concilio Tridentino praescripti: et an Ordinarius eorum consilium iuxta iuris praescripta requirat.

87. Utrum magistri in Seminario convivant, necne: et an quoad eorum idoneitatem, pietatem, agendi rationem (praesertim si Seminarium incolant) aliquid animadvertendum sit.

88. Quot sint actu Seminarii alumni: et an inter eos admittantur qui ad statum ecclesiasticum certe non aspirent.

An et quot externi alumni habeantur: qua de causa: et an fieri possit ut et ipsi quam primum Seminarium ingrediantur: interim quomodo vigilentur: an saltem cura sit ut ante sacram ordinationem per aliquod notabile tempus in Seminario degant.

An et quot alumni extra dioecesim instituantur, ubi et qua de causa.

Et vicissim an clerici alterius dioecesis in Seminarium dioecesanum recepti sint, quot, quarum dioecesum, et quibusnam de causis.

89. Si unum sit Seminarium, et simul convivere debeant aetate iuniores cum maioribus, an debitae cautelae adhibeantur, ut seorsim hi ab illis et cum disciplina suae cuiusque aetatis propria instituantur.

90. Quomodo pietas et disciplina excolatur in Seminario: quaenam sit sacramentorum frequentia: an, quoties in anno et quomodo spirituales exercitationes fiant.

91. Quot annis, qua lingua, qua methodo, quorum auctorum textibus theologiae et philosophiae studia absolvantur: quot et quaenam disciplinae hisce accessoriae tradantur.

Quot annis et qua methodo humaniora studia perficiantur: et in his praeter linguas latinam, graecam et propriae nationis an et quaenam aliae disciplinae tradantur.

An clerici in sacris caeremoniis et cantu liturgico instituantur.

9â. An prohibeantur alumni a lectione librorum ac diariorum, quae quamvis in se innoxia, eos tamen a studiis suis distrahere possunt.

93. Utrum Ordinarius saepe Seminarium invisat et alumnos pro viribus ipsemet audiat, ut cognoscat quo spiritu educentur, quaenam sit eorum pietas, quinam in studiis profectus.

94. Quae regulae serventur in promotione alumnorum ad ordines: quale scrutinium habeatur et quale examen, ut constet quinam pietate, scientia, vitae integritate aliisque requisitis sacra ordinatione digni et idonei censeantur: an spirituales exercitationes praemittantur: an interstitia serventur: quo titulo ordinentur.

95. Utrum ab ultimo quinquennio extraordinarium aliquid in Seminario acciderit sive bonum sive malum.

96. Utrum adsit rusticationis domus, et ibi alumni feriarum tempore adunentur. Ea si desit, an et quae spes sit ut comparetur, et ibi alumni saltem maxima ex parte temporis agant ferias.

Interim dum ad suos revertuntur, an parochi naviter de iis curam habeant, et Ordinarium certiorem reddant de eorumdem agendi ratione: quaenam hac de re normae praescriptae sint in dioecesi.

97. Utrum cura sit ut maioris spei clerici, sive~ante sive post susceptum sacrum presbyteratus ordinem, in aliqua pontificia studiorum univer-

sitate, sive Romae sive alibi, instituantur ut academicos gradus assequantur.

98. Si qui vero cum Ordinarii venia, vel eius mandato, publicas civiles studiorum universitates frequentant, an pro iis regulae a S. Sede statutae serventur, ut ipsi a perversione custodiantur, et a fide vel ab ecclesiasticae vitae institutis non deflectant.

99. Si clerici servitium militare obire cogantur, quae cautelae adhibeantur ut ii in stipendiis honestam vitam agant prout ecclesiasticos decet; et a stipendiis dimissi sine aliorum periculo utiliter ad Seminarium regredi et ad sacros ordines post debitam ac maturam probationem tute promoveri queant.

100. Utrum firma sit regula non admittendi in Seminarium reiectos vel dimissos ab aliis Seminariis vel ab institutis religiosis.

ART. II. - **De Seminario interdioecesano seu regionali.**

101. Si in dioecesi habeatur Seminarium quo alumni plurium dioecesum, vel totius alicuius r
huic Seminario praesideat, de eius statu fuse referat iuxta quaesita superius relata pro Seminario dioecesano.

Quod si huic Seminario ipse non praesit, indicet cuius immediatae directioni subsit, et exponat quid de eo fama ferat.

CAP. IX.

De institutis religiosis virorum.

102. Utrum vitam communem servent, vel habitent soli aut in domibus privatis cum saecularibus: quo habitu incedant: quo modo sustententur: quae sit eorum fama: utrum aliqui in maioribus ordinibus constituti adsint in dioecesi a suis Praepositis eiecti vel dimissi; et quaenam sit eorum agendi ratio.

103. Quibusnam muneribus obeundis se addicant in dioecesi: quo fructu, qua fama: an eorum hospitalia, orphanotrophia, scholae, etc. iuxta canonicas praescriptiones Ordinarii vigilantiae subsint.

Qui curam animarum in parochiis sibi addictis exercent, an in omnibus, quae ad istam curam spectant, ab Ordinario dependeant.

104. Si religiosi adsint quaestuantes, utrum opportuna S. Sedis decreta hac de re edita ab eis serventur, et an aliquid inconveniens in his acciderit.

105. Utrum aliquod habeat Episcopus cum regularibus offendiculum in exercitio iurisdictionis sive suae, sive sibi a iure delegatae.

106. Si congregatio aliqua dioecesana adsit, dicatur in quem finem fuerit instituta, an fini suo respondeat, et quo fructu. An in alias dioeceses se diffuderit, et quo vinculo domus extradioecesanae cum dioecesanis nectantur.

CAP. X.

De institutis religiosis mulierum.

107. Utrum generatim ita religiose vivant ut fidelium exemplo sint: an forte aliqui abusus irrepserint, praesertim post ultimam relationem, et quinam.

Utrum in monasteriis monialium, Praelatis regularibus subiectis, omnia prout de iure procedant, an aliter; et hoc in casu quomodo provisum fuerit.

108. Utrum circa clausuram serventur leges canonicae.

109. Utrum monasteriorum reditus fideliter administretur: an monialium dotes fuerint persolutae et investitae, et quomodo administrentur

An ipsae quoque moniales exemptae Ordinario rationem reddant de bonorum administratione iuxta canonicas leges.

110. Utrum pro confessione monialium constitutiones et decreta apostolica serventur.

111. Quae *vitae activae* addictae sunt, quibus operibus incumbant, quo spiritu, qua fidelium utilitate et Ecclesiae aedificatione.

112. Si adsint quae infirmis in privatorum domiciliis inserviant, aut rem domesticam in hospitalibus aliisque virorum domibus gerant, quomodo caveatur ne quid inconveniens accidat: an cautelae ipsae rite custodiantur; an aliquid hac in re deplorandum sit.

Si religiosae adsint quaestuantes, utrum opportuna S. Sedis decreta hac de re edita ab eis serventur, et an aliquid inconveniens in his acciderit.

113. Si instituta mere dioecesana habeantur, an haec cohaerenter ad canonicas leges regantur, in quem finem fundata sint, quo fructu vivant, an etiam extra dioecesim diffusa sint, et an variae domus ab invicem independentes sint, an non.

CAP. XI.

De populo generatim.

114. Quinam in universum sint populi mores, et an specialia vitia in eo invalescant, et quaenam.

115. Utrum dominicis et festis diebus fideles generatim abstineant ab operibus servilibus, missam audiant, et nos dies, prout christianos decet, sanctificent.

Si inter varia dioecesis loca differentiae notabiles adsint, hae notentur.

116. Eodem modo referatur quae sit observantia legum abstinentiae et ieiunii, et Paschalis praecepti.

117. Pariter indicetur quae sit frequentia ad sacramentalem confessionem et ad S. Communionem in variis dioecesis locis pro diverso personarum sexu, conditione, aetate.

118. Utrum parentes solliciti generatim sint, ut recens nati saltem intra hebdomadam baptismo abluantur: an sint qui nimium differant, aut forte negligant vel prohibeant baptismum ministrari.

119. Utrum matrimonia mere civilia sive concubinatus habeantur, et qua frequentia. An alii speciales vigeant abusus contra sanctitatem matrimonii.

120. Utrum usus matrimoniorum mixtorum, ubi sunt acatholici, invaluerit, qua frequentia, et an ex legitima venia. An conditio de universa prole in catholica religione educanda servetur. Quaenam catholicae fidei detrimenta ex his matrimoniis proveniant. An ab huiusmodi continendis nuptiis parochi studeant fideles avertere.

121. Utrum parentes generatim curent filios suos non solummodo in sinu familiae sed etiam extra, et maxime in scholis, christianis moribus instituere.

122. Utrum fideles qui graviter decumbunt generatim extrema sacramenta deposcant.

An, quo numero et quibusnam de causis funera civilia contingant.

123. Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium curent fideles ita agere, vel tales eligere, quo religioni et libertati Ecclesiae plene consulatur.

124. Utrum adsint in dioecesi sectae secretae, praesertim massonicae.

An socialismus aliaeque societates ab Ecclesia damnatae in dioecesi radicem fixerint et propagentur.

An *spiritismi* praxis habeatur.

Quid fiat ut fideles ab his omnibus avertantur, et quo profectu.

CAP. XII.

De iuventutis institutione et educatione.

125. Referatur in primis ac generatim quae sit ratio institutionis et educationis Aliorum in dioecesi iuxta usum legesque civiles.

Utrum contra sacrum Ecclesiae et parentum catholicorum ius opponantur christianae iuventutis educationi obstacula; et quid fiat ut haec amoveantur.

Utrum scholae distinctae iuxta sexum sint, an utrique sexui communes: quae mala inde sequantur: et quaenam remedia adhibeantur.

126. Si agatur de dioecesi in catholica natione constituta, dicatur utrum ibi scholae publicae primordiorum, vulgo *elementares*, bonae vel innoxiae generatim sint, et an ibidem per ecclesiasticos viros aut idoneos magistros christiana doctrina digne tradatur: an potius noxiae sint.

Et in hoc casu an scholae liberae habeantur: quomodo sustententur: a quot alumnis frequententur: an Ordinarii vigilantiae et inspectioni subsint.

127. Si agatur de dioecesi ubi catholici cum acatholicis commixti sint, an catholici scholas proprias primordiorum habeant, et quinam sit earum status.

Et si scholas proprias non habeant, et frequentare cogantur scholas publicas mixtas, an saltem catholica fides ibi non offendatur, et catholicis alumnis iusta libertas relinquatur ut in fide per ecclesiasticos viros vel idoneos magistros instituantur.

128. Quod si pueri et puellae scholas publicas primordiorum adire cogantur, quae noxiae sint, quid fiat ut iuventus a perversione et corruptione immunis fiat.

129. Utrum scholae mediae vel superiores quae in dioecesi habentur, vel ad quas dioecesani confluere solent, hostiles sint, vel non, catholicis veritatibus et doctrinis.

Et si sint hostiles, quid fiat ut adolescentes ab erroribus et vitiis praeserventur. An habeantur scholae mediae vel superiores catholicis propriae: et quinam sit earum status.

130. Utrum opera quae *post-scholaria* dicuntur, ut recreatoria, circuli, scholae catecheticae, oratoria serotina et festiva, ad sanam christianae iuventutis institutionem et praeservationem in dioecesi habeantur; quaenam, et quo fructu.

CAP. XIII.

De piis sodalitatibus aliisque religiosis consociationibus.

131. Utrum adsint piae sodalitates aliaeque religiosae consociationes rite institutae: quot et cuius nominis: an habeantur eae quae a S. Sede potissimum commendatae sunt, ceu illae a SSmo Sacramento, a Rosario, a christiana doctrina, aliaeque pro pueris et puellis in fide, pietate, morumque puritate excolendis.

132. Utrum erectae sint in ecclesiis paroecialibus et religiosorum, vel habeantur etiam quae in propriis et distinctis ecclesiis exsistant.

An in ecclesiis monialium sodalitates virorum adsint, et qua facultate.

133. Utrum ab auctoritate ecclesiastica iuxta canonicae legis praescripta dependeant: quem fructum afferant: an forte aliquod gignant incommodum.

134. Utrum adsint tertiarii in saeculo viventes, cuius ordinis, quo fructu: an saepe congregentur, et an sint exemplo fidelibus.

135. Utrum in aliqua pia sodalitate vel tertio ordine adsint, et in fratres seu sodales recipiantur, qui notorie addicti sint sectis ab Ecclesia damnatis, vel religioni adversi aut inhonestae vitae sint. Et quid fiat ut hoc malum avertatur.

CAP. XIV.

De piis legatis et eleemosynarum collectionibus.

136. Utrum habeantur in dioecesi pia legata missarum, aliorumve religiosorum onerum, et an de iisdem Curia dioecesana indicem habeat cum recensione onerum et indicatione redituum,

137. A quibus generatim administrentur, an fideliter et fructuose.

138. Utrum missis legatorum aliisque obligationibus intra praescriptum tempus regulariter satisfiat: et si hoc nequeat fieri, an reditus praesertim missarum fundatarum Ordinario tradantur: an adsint qui hac de re ad officium revocari mereantur, aut revocati iam sint, et quo fructu.

139. Utrum et quo fructu fiant in dioecesi piae collectiones eleemosynarum a S. Sede praescriptae vel commendatae pro communi Ecclesiae bono, ut, pro Fidei propagatione, pro sancta Infantia, pro redemptione captivorum, pro obolo S. Petri, pro Terra sancta.

140. Utrum fiant collectiones speciales pro ipsius dioecesis necessitatibus, ut, pro fidei conservatione, pro praeservatione ab erroribus et cleri pro sustentatione, si opus sit.

141. An et quaenam aliae collectiones eleemosynarum in dioecesi usuveniant.

Si religiosi vel religiosae quaeritantes habeantur, an tot sint numero ut nimium ^ravamen fidelibus afferri videatur.

CAP. XV.

De operibus piis et sodalibus.

142. Utrum hospitalia, orphanotrophia, brephotrophia aliaque similia caritatis instituta in dioecesi fundata sint; et an dependeant ab auctoritate ecclesiastica iuxta S. Concilii Tridentini praescripta. Et nisi dependeant, referatur an in iis quae a materna Ecclesiae protectione et directione subtracta sunt, catholici spirituali adsistentia frui saltem libere possint.

143. Utrum adsint in dioecesi opera illa quae *socialia* dicuntur quibus dum consulitur bono morali et religioso fidelium, prospicitur etiam eorum temporali utilitati vel necessitati, ut, asyli pro infantibus, patronatus pro iuvenibus utriusque sexus, circuli pro iuventute catholica, aut pro studiis peragendis, consociationes operariorum, agricolarum, mulierum in hunc vel alium pium finem vel mutuum subsidium, arcae nummariae, aliaque similia.

144. Utrum consociationes et opera haec socialia, et potissimum qui eis praesunt, debitam in omnibus Ordinario et Summo Pontifici reverentiam praestent, et in iis quae fidem, mores et iustitiae leges attingunt, S. Sedis directioni et moderationi omnino subsint.

145. Cura ne sit ut hisce consociationibus et operibus praeficiantur qui non nomine tenus, sed corde et opere catholici sint. Et an caveatur, quatenus opus sit, ut qui hisce consociationibus et operibus adscripti sunt, aut beneficia et subsidia ab iis nanciscuntur, a vitiis recedant, in fidei doctrina instituantur, et christianam vitam ducant.

146. Utrum caveatur ne in hisce catholicis consociationibus connumerentur sectis secretis adscripti, increduli, impii vel religioni adversi, qui consociationes ipsas vel earum opera a recto fidei et iustitiae tramite deducere possint.

CAP. XVI.

De editione et lectione librorum et diariorum.

147. Utrum in dioecesi edantur libri, ephemerides, illustrationes, diaria obscena vel impia, vel utcumque religioni noxia; a quibus, et quali cum diffusione et detrimento.

148. Utrum libri et diaria impia vel obscena aliarum civitatum dioecesim ingrediantur, ibique diffusa sint, et quaenam potissimum sint.

149. Utrum strenue a catholicis agatur et praesertim a parochis et a sacerdotibus, ut libri et diaria obscena vel impia a dioecesi removeantur, adhibita etiam, si fieri potest, civilis auctoritatis opera.

An cleri et maxime confessariorum cura sit ut libri et diaria obscena vel impia a catholicis familiis arceantur, et a fidelibus non legantur.

150. Utrum libris et diariis noxiis alia opponantur religiosa et honesta: quot sint, quomodo diffusa et quo fructu.

Datum Romae, die 31 mensis decembris anno 1909.

G. Card. DE LAI, *S. G. Consistorialis Secretarius.*

S. **TECCHI,** ***Adsessor.***

II.

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

Decreto S. Congr. Consistorialis eiecti sunt Episcopi:

8 ianuarii 1910. - Rmus D. Antonius Anastasius Rossi, Vicarius generalis, dioeces. Papiensis, ad sedem Archiepiscopalem Utinensem (Udine).

8 ianuarii 1910. - R. D. Carolus Liviero, Archipresbyter Agnen. dioeces. Patavinae, ad sedem Episcopalem Civitatis Castelli (Città di Castello).

8 ianuarii 1910. - R. D. Augustinus Laera, Canonicus-parochus ecclesiae cathedralis et pro vicarius generalis Aquaviven., ad sedem Episcopalem Oleastrensem (Ogliastra).

8 ianuarii 1910. - R. D. Iosephus Ioannes Rice, parochus S. Petri de Northbrige, dioeces. Campifontis (Spingfield), ad sedem Episcopalem Burlingtonensem (Burlington) in Statibus foederatis Americae.

Promoti sunt:

19 ianuarii 1910. - Illmus ac Rmus D. Nilus Mac Neil, Episcopus S. Georgii de Terra Nova, ad sedem Metropolitanam Vancouveriensem (Vancouver).

20 ianuarii 1910. - Illmus ac Rmus D. Leo Gauthey, Episcopus Nivernensis, ad sedem Metropolitanam Bisuntinam (Besancon).

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

I

DECLARATIO CIRCA STUDIA A RELIGIOSIS PERAGENDA.

Nonnulli Superiores Generales Ordinum et Institutorum huic Sacrae Congregationi Negotiis Sodalium Religiosorum praepositae humillime exposuerunt difficultates, quas parit immediata executio recentiorum Declarationum circa studia, d. d. 7 septembris 1909; sive quia alumni in propriis illorum Collegiis degentes, qui ad Novitiatum ingrediendum iam existimabantur sufficienter apti, in Collegiis ipsis, ad statum curriculum studiorum perficiendum adhuc permanere debent; sive quia ipsae novitiorum domus per aliquod tempus claudendae erunt, quum haud facile sit reperire alumnos ad tramitem Declarationum undequaque instructas.

Ideoque supplices preces dederunt, ut, quousque iuxta placita huius Sacrae Congregationi s res apprime ordinentur, praefatas Declarationes benigniori quadam ratione interpretari fas esset.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, cui haec omnia infrascriptus Cardinalis Praefectus retulit in Audientia diei 21 decembris 1909, rem mature perpendere dignatus est aequa lance cum expositis difficultatibus bona librando, quae ex immediata executione dictarum Declarationum Ordinibus et Institutis provenient, quae quidem bona non potest esse, quin cedant in utilitatem ipsius Ecclesiae Universae. Et sane, hisce praesertim difficillimis temporibus, aequali ac Sacerdotes saeculares debent scientia pollere Sacerdotes Regulares, quorum consilia Fideles non minori sane fiducia expetere constat; scientia veris vocationibus nedum adimat, potius confert stabilitatem; quod si nonnullos abuti contingat scientia, Ordinis vel Congregationis sumptibus acquisita, et ante ingressum in Novitiatum discedere, melius est illos abire, quos ex hoc ipso patet non habuisse propositi constantiam, imo nec amplectendae vitae religiosae animum vere sincerum; longe minor est Ordinibus et Institutis timenda iactura, si minus frequentati, vel prorsus vacuae per aliquod tempus novitiorum domus existant, quam si plenae Sodalibus non adaequate institutis; praestat selectus numerus alumnorum stabilium, quam magnus praetereuntium, integre summopere curandum, ut id quod numero erit inferius, spe reddatur uberius.

His igitur aliisque permotus argumentis, idem Sanctissimus Dominus Noster minoris faciens difficultates expositas, supplicibus precibus haud annuendum, idque omnibus Superioribus Generalibus Ordinum et Institutorum in normam et regulam significandum duxit.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis. Romae, die 71 decembris 1909.

Fr. I. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

L. © S.

D. L. Janssens 0. S. B., *Secretarius.*

II.

DUBIA CIRCA PROFESSIONEM RELIGIOSORUM.

Ab hac Sacra Congregatione, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, sequentium dubiorum solutio expostulata fuit, nimirum:

I. Quidam Religiosus, dimissus, ab una Domo Ordinis, de consensu Superioris Generalis, in alia Domo eiusdem Ordinis ad Novitiatum admissus fuit ante Decretum d. d. 7 septembris 1909, quod incipit « *Ecclesia Christi* », sed post eiusdem Decreti publicationem, professionem votorum simplicium emisit, non implorato Indulto Apostolico. Quaeritur, utrum valida sit professio, an vero sanatione indigeat.

IL Quidam Religiosus, dispensatus a votis emissis in alio Ordine, Congregatione, vel Instituto, ad Novitiatum in diverso Ordine admissus fuit ante publicationem supradicti Decreti. Quaeritur, utrum ad professionem votorum simplicium indigeat Indulto Apostolico, an vero absque Indulto valeat professionem emittere.

Et Sacra eadem Congregatio respondendum censuit, prouti respondet:

Ad I. *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 4 ianuarii 1910.

Fr. I. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

D. L. Janssens 0. S. B. *Secretarius.*

SECRETARIA STATUS

ORDO SERVANDUS

IN MODERATIONE ET ADMINISTRATIONE COMMENTARII OFFICIALIS.

Per dare al periodico *Acta Apostolicae Sedis* tutta quella regolarità e perfezione che richiede l'importanza dell'opera, dopo un anno di esperimento, si è trovato necessario fissare le seguenti norme, che, approvate dal S. Padre, per Sua disposizione si rendono di pubblica ragione col presente atto affinchè da ognuno, si spetta, siano messe in esecuzione ed osservate.

1. La redazione del periodico sarà composta di un direttore e di un vice-direttore, i quali dipenderanno dall' Emo Cardinale Segretario di Stato. Ad essi saranno dati in aiuto uno o due impiegati subalterni, secondo la necessità.

2. In conformità alla Costituzione *Promulgandi* del 29 settembre 1908, il periodico si stamperà nella tipografìa Vaticana: ed il direttore della medesima dovrà curare quanto riguarda le associazioni e la spedizione del periodico, dando, ogni mese, regolare resoconto all'amministrazione dei Beni della S. Sede, e compilando, ogni anno, un bilancio complessivo.

8. Quanti fanno parte della redazione ed amministrazione del periodico sono obbligati a conservare il segreto per tutto quello che venissero a conoscere nel disimpegno delle loro attribuzioni; e ciò fino a che non siano autorizzati alla pubblicazione e la pubblicazione stessa non sia stata eseguita. A tale effetto dovranno prestare il giuramento *de secreto servando* come tutti gli altri officiali della S. Sede.

4. Il bollettino avrà due parti, una *officiale* ed una *illustrativa* e completiva

Nella prima dovranno essere inseriti tutti gli atti, disposizioni, decreti ed istruzioni che emanano dalla S. Sede, e richieggono la promulgazione e pubblicazione per aver forza di legge, attenendosi strettamente alle disposizioni della citata Costituzione *Promulgandi* e del regolamento *speciale* della Curia Romana, cap. VI, n. 1. Nella seconda parte si riporteranno i decreti e le sentenze, che possono essere utili per conoscere la prassi di Curia, o dar norma di giurisprudenza cano-

nica ecc., i voti dei consultori, le informazioni e le notizie di promozioni o nomine ecc.

5. Ordinariamente il periodico dovrà essere pubblicato al principio ed alla metà ciascun mese; ed alla fine dell'anno dovrà dare l'indice progressivo ed alfabetico delle materie.

6. In ogni Segreteria delle SS. Congregazioni, dei Tribunali e degli Offici della S. Sede, sarà dai Superiori rispettivi fissato un impiegato coll'incarico speciale di raccogliere, e trasmettere alla redazione del periodico, gli atti e documenti che debbono o possono pubblicarsi.

7. Esso però non dovrà consegnare alcun atto o documento coll'autorizzazione di pubblicarlo, se non d'intesa e dipendentemente dai suoi Superiori.

8. Se per fare la detta consegna egli debba compiere uno *straordinario* lavoro di compilazione o di copiatura, il quale non sia compensato altrimenti, a giudizio dei suoi Superiori potrà ottenere un compenso dall'ammininistrazione del periodico. I Superiori fisseranno questo compenso secondo le norme stabilite dal regolamento della Curia Romana, e lo indicheranno all'amministrazione medesima.

9. Gli atti stampati potranno essere rimessi alla redazione come si trovano, salvo indicare alla redazione stessa, se e come debbano essere ridotti nella pubblicazione.

10. In ogni altro caso devono essere sottratti alla pubblicazione gli atti e documenti che per la loro natura devono rimanere segreti. Egualmente dovranno essere taciuti i nomi delle persone private, quante volte la pubblicazione dei medesimi nei documenti, sentenze, decreti ed altri atti della S. Sede non sia necessaria, e possa recare danno o disturbo alle persone medesime. E se si richiegga qualche indicazione, questa dovrà limitarsi alle sole iniziali, od essere surrogata in altro modo.

11. Di regola ordinaria non più tardi del 5 e del 50 di ogni mese dovranno da ciascun dicastero essere trasmessi alla redazione del periodico gli atti e documenti da pubblicarsi.

E parimenti nessun documento od atto potrà da qualsiasi officio consegnarsi ad altri periodici per la pubblicazione, se prima non sia avvenuta la promulgazione e pubblicazione negli *Acta Apostolicae Sedis.*

. 12. La redazione del bollettino dopo la composizione del manoscritto, prima di permetterne la stampa, dovrà passare le bozze al rispettivo dicastero per la revisione, se ciò sia richiesto dal dicastero medesimo.

Sarà compito dell' officiale incaricato dei rapporti col periodico di

far sì che questa revisione sia sollecitamente fatta, riferendone ai suoi Superiori.

13. Alla redazione ed amministrazione degli *Acta Apostolicae Sedis* viene anche affidata la compilazione, vendita e distribuzione del consueto annuario *La Gerarchia Cattolica,* che si pubblica dalla S. Sede.

14. La redazione del periodico e della *Gerarchia* avrà la sua sede fìssa ed ordinaria nel palazzo della Cancelleria Apostolica.

15. Il direttore del periodico e della *Gerarchia* per quanto riguarda la redazione, ed il direttore della tipografia Vaticana per quanto riguarda le associazioni e la distribuzione, fisseranno un breve regolamento interno per gli addetti ai rispettivi offici, l'orario, la divisione del lavoro, e simili, intendendosi fra loro, onde questi regolamenti siano concordi; e si accorderanno anche per quanto riguarda il giorno della pubblicazione dei fascicoli del periodico e della *Gerarchia,* per l'ordine da tenersi nella disposizione del testo, pei caratteri da usarsi e per il buon andamento delle pubblicazioni.

Dal Vaticano, li 5 gennaio 1910.

Per mandato speciale di Sua Santità.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

EPISTOLAE

I.

AD L. F. HEIDON, PRAESIDEM SOCIETATIS A S. VINCENTIO A PAULO APUD SYDNEY IN AUSTRALIA.

Dear Sir,

I have had great pleasure in presenting to the Holy Father the beautiful Address, so artistically designed and faultlessly executed, which you forwarded on behalf of the Society of St. Vincent of Paul in Australia and New Zealand.

His Holiness desires me to convey to you and, through you to the members of the Society, the expression of His sincere gratitude for, and deep appreciation of the sentiments of filial devotion towards His Person and of the loyal attachment to the Holy See therein so nobly expressed. He is highly sensible of the great mission entrusted to your Society, and of the vastness of the field opened out to your self-sacrificing labours. His Holiness while commending in the highest terms the unfailing zeal and untiring assiduity of the Society in the accomplishment

of its work of love, so fruitful in spiritual and temporal good in behalf of the Poor of Christ, most cordially invites the Brothers of St. Vincent of Paul to welcome the advice given by His Holiness in regard to frequent Communion. This practice the Holy Father most earnestly recommends to the members of St. Vincent of Paul Society, as the surest means of obtaining that special grace and spiritual help so needful to them in the fulfilment of their arduous duties, and of rendering their labours richer in merit for themselves, and more fruitful in lasting good to others.

His Holiness in conclusion graciously bestows His Apostolic Benediction on the Superior Council as well as on each of the members of the Society, on their families and on the poor to whom they minister.

Assuring you of my esteem

Rome, December 9-1909.

I am

Dear Sir.

L. j$j S. Yours very fathfully in Xt.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

II.

AD R. P. D. CARMELUM PUJIA, ARCHIEPISCOPUM SANCTAE SEVERINAE, OB PROXIME HABENDUM CATHECHISMI CONGRESSUM IN CALABRIA.

La notizia del futuro congresso catechistico in Calabria, è stata appresa dal Santo Padre con sensi di viva soddisfazione. L' Augusto Pontefice, che, con chiara visione dei bisogni e dei rimedi, fin dai primordi del Suo Pontificato, colla memoranda Enciclica *Acerbo nimis,* additò nello studio del catechismo cattolico il principio di quella cristiana restaurazione, della quale la tristezza dei tempi fa oggi più che mai sentire imperioso il bisogno, non poteva non compiacersi di così salutare iniziativa, che mentre onora grandemente l'episcopato calabrese, che ne è il promotore, fa sperare giorni migliori in cattolici profondamente consci della loro fede, e pieni di coraggiosa fermezza nel professarla.

Sua Santità, mentre fa voti che il congresso riesca fecondo dei migliori frutti, e risponda ampiamente alle aspettative, confida nell'illuminata operosità degli Arcivescovi e dei Vescovi della regione, sia per la utilità delle discussioni, sia per la praticità dei propositi, sia finalmente per la prontezza e costanza con cui questi saranno messi in esecuzione, e per la quale la medesima Santità Sua fa caldo appello allo

zelo dèi parroci e del clero tutto, ed alla vigilanza dei Vescovi stessi. La benedizione apostolica, che V. S. Illma e Rma implora sul congresso, su quanti vi prenderanno parte, sopra i lavori che ne formeranno l'oggetto, il Santo Padre l' accorda di cuore, e piena delle più elette grazie del cielo, e ben volentieri la estende ancora all' intiera Calabria, quanto duramente provata dalla sventura, altrettanto cara al paterno Suo animo.

Ed io, lieto di concorrere alla solennità del congresso col partecipare a V. S. questo tratto della sovrana benevolenza del Sommo Pontefice, mi valgo ben volentieri dell'occasione, per professarmi

della S. V. Illma e Rma

Roma, 13 décembre 1909.

affezionatissimo c. fr.

L. £g S. R. CARD. MERRY DEL VAL

III.

AD FERDINANDUM ZICHY COMITEM, IN LXXX AETATIS SUAE ANNO.

Monsieur le Comte,

Sa Sainteté le Pape Pie X, désirant vous donner un témoignage spécial de sa haute estime et de sa Paternelle bienveillance, à l'heureuse occasion du 80[me] anniversaire de votre naissance, a daigné vous conférer l'Ordre très insigne, rétabli par SS. Pie X Lui même, de la *Milice Borée,* dit de l'*Eperon d'Or.*

Je l'honneur de vous transmettre, ci-joint, le Bref pontifical, avec l'imprimé relatif, et, en unissant mes plus vives et sincères félicitations, je saisis avec plaisir cette occasion pour vous offrir, monsieur le Comte, l'expression de mes sentiments très distingués.

Rome, le 13 décembre 1909.

L. £g S. • R. CARD. MERRY DEL VAL.

IV.

AD R. P. D. IOACHIM ANON S. I., COLLEGII MANILENSIS MODERATOREM.

Rev. Pater,

Athenaenum Manilense et alumnorum frequentia et disciplinae integritate et in Apostolicam Sedem observantia iure merito perspicuum, quinquaginta iam annos emensum esse a quo primum conditimi est, Beatissimus Pater iucundo accepit animo, et gratulatur vehementer. Ante acta tam laudabiliter tempora non modo solatìi causam, sed et optima Pontifici Summo praebent auspicia, pro adolescentibus recte

instituendis. Haec porro auspicia Sanctitas Sua amplectitur libenter, ac libentissime eiusdem athenaei moderatori, praeceptoribus, atque alumnis fausta quaeque adprecatur et in Domino benedicit.

Hanc ergo nactus occasionem existimationem in te meam confirmo meque tibi profiteor

Romae, die 13 decembris 1909.

addictissimum

L. © S. R. CARD. MERRY DEL VAL.

V.

AD VIRUM EMINENTISSIMUM IOSEPHUM CALASANCTIUM CARD. VIVES Y TUTO, TERTIARIORUM FRANC1SCALIUM URBIS CONVENTIBUS PRAEPOSITUM.

Emo e Rmo Signor Mio Ossmo,

I Terziari di Roma delle quattro Famiglie Francescane, con lodevole iniziativa, guidati dai rispettivi Direttori, hanno stretta un'unione veramente fraterna, e serafica, anche nell'intento nobilissimo di promuoverla e propagarla, quanto sia possibile, fra tutti i Terziari d'Italia.

A rendere tale unione maggiormente salutare e benefica, è desiderio del Santo Padre che cooperi anche l'Eminenza Vostra, prestando valido aiuto ai Direttori ed assistendo quanto potrà, almeno in tutto il prossimo anno, alle adunanze che a tale scopo si terranno. E ciò perchè mediante lo zelo illuminato di Vostra Eminenza si apra ai comuni consigli più facile e spedita la via per il conseguimento dell' ottimo fine e si preparino gli animi ad un futuro Congresso, che riunendo ed armonizzando tutte le energie dei Terziari, salva sempre l'autonomia delle differenti congregazioni o fratellanze, contribuisca potentemente allo sviluppo del Terz'ordine e della sua benefica azione.

Nel partecipare pertanto all'Eminenza Vostra l'augusta volontà del Santo Padre, ho il piacere di trasmetterle qui unita una lettera che la medesima Santità Sua si è degnata d'inviare in detta occasione, e non dubito che il prezioso autografo, nel tempo istesso che giungerà gradito ai Terziari suddetti ed ai loro zelanti Direttori, renderà salda questa unione e ne moltiplicherà i frutti di vita cristiana.

E baciandole umilissimamente le mani, con sensi della più profonda venerazione passo a raffermarmi

Di Vostra Eminenza

Roma, 20 dicembre 1909.

Umilmo Devmo Servitore vero

R. CARD. MERRY DEL VAL.

VI.

AD REVM. AMATOREM BUENO DE BARROS,
DIRECTOREM INSTITUTI CUI NOMEN « MANTENEDORA DA INFANCIA ».

Rev. Signore,

Il devoto indirizzo, con cui i componenti la direzione dell' associazione « Mantenedora da Infancia » hanno partecipato al Santo Padre la inaugurazione dell' asilo, che, con ossequioso e gradito pensiero, si è voluto intitolare dall' augusto nome di Lui, è stato accolto da Sua Santità con viva compiacenza. La medesima Santità Sua fa i migliori voti per la prosperità e per l'incremento di questa istituzione, che, destinata a guidare nei primi passi della vita le bambine ad essa affidate, ha l'alto compito di prepararle a quella salutare missione che nella famiglia e nella società è riservata alla donna cattolica. E perchè questi Suoi desideri siano coronati da un felice avvenire, il Santo Padre benedice di cuore questa nuova opera di cristiana carità, quanti ne sono chiamati alla direzione e le bambine in essa raccolte; ed in pari tempo benedice ancora la prelodata associazione « Mantenedora da Infancia » e le molteplici pie associazioni da essa fondate.

Con sensi di particolare ossequio, mi professo della S. V. Rma
Roma, 26 dicembre 1909;

Affmo per servirla

L. £g S. R. CARD. MERRY DEL VAL.

VII.

AD R. P. D. ANGELUM DE SANTI S. I., PRAESIDEM GENERALEM CONSOCIATIONIS ITALICAE " A SANCTA CAECILIA „.

Rev. Padre,

Il Santo Padre ha appreso con sensi di viva compiacenza la notizia del felice congresso di musica sacra tenuto in Pisa, e degli ottimi propositi in esso formulati per promuovere in Italia, con impegno pari al bisogno, le salutari riforme pontificie su questa parte precipua della sacra liturgia. Sua Santità non dubita che allo zelo con tanta efficacia spiegato nel congresso suddetto per aprire alla nuova presidenza vasto campo di azione, terrà dietro non minore alacrità nel percorrere le vie tracciate dai comuni consigli e dalle direttive pontifìcie. L'arte sacra rivelerà allora nuove recondite bellezze, e queste nel tempo istesso che

guadagneranno l'animo dei più restii alla riforma, appianeranno ad essa, in Roma ed ovunque, qualsiasi speciosa difficoltà. Ed a questo fine benedice di cuore questi salutari propositi, benedice ancora la nuova presidenza, colla quale si congratula dell'assunto ufficio, e su questa e su quelli implora copiosi i celesti aiuti onde affrettare il compimento delle desiderate riforme, intese tutte a promuovere lo splendore del culto ed il decoro della casa di Dio.

Con sensi di particolare ossequio, mi professo della S. P. Rma

Roma, 26 décembre 1909.

Affmo nel Signore

L. £g S. R. CARD. MERRY DEL VAL.

VIII.

AD ALBERTUM DE MUN, COMITEM, DE OPERE GUI TITULUS « ŒUVRE DES CERCLES CATHOLIQUES D'OUVRIERS ».

Le Saint Père a été très touché des hommages et des vœux que vous Lui avez exprimés au nom du comité de 1'« Œuvre des Cercles catholiques d'Ouvriers ». Heureux d'applaudir aux louables initiatives, suscitées en ces derniers temps par lés nécessités de l'heure présente, le Souverain Pontife ne perd pas de vue les organisations plus anciennes, qui ont eu le mérite d'ouvrir la voie et de grouper les bonnes volontés en s'appuyant sur le principes de l'Evangile et sur la discipline de l'Eglise. Tel fut le caractère de votre œuvre, et c'est là le secret de sa féconde vitalité, comme aussi des services éminents qu'elle a rendus à la religion et à la société.

Mais le Saint Père n'oublie pas non plus, que le succès des œuvres dépend en très grande partie de la valeur et du dévouement persévérant de ceux qui les dirigent. C'est pourquoi en vous accordant de tout cœur la Bénédiction que vous demandez pour 1' « Œuvre des Cercles catholiques d'Ouvriers », Sa Sainteté vous envoie, avec ses meilleurs vœux, une Bénédiction toute spéciale pour. vous et vos zélés coopérateurs;

Veuillez agréer, Monsieur le Comte, avec mes remerciments personnels pour la lettre que vous m'avez adressée, l'assurance de mes sentiments dévoués en Notre Seigneur.

Rome, le 31 décembre 1909.

L. £8 S. R. CARD. MERRY DEL VAL.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI SACRAMENTI

AVVISO DI CONCORSO

Nella Sacra Congregazione per la Disciplina dei Sacramenti è aperto il concorso ad un posto di Ufficiale minore. Chiunque desiderasse prendervi parte, deve esibire la domanda ed i titoli necessari per l'ammissione nella Segreteria di detta Congregazione, non oltre il giorno 19 del prossimo febbraio.

Roma, il 19 gennaio 1910.

Philippe Giù stini, *Segretario.*

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Stamane, 18 gennaio 1910, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali, e col voto dei Rmi Prelati Officiali, e Consultori Teologi, si è tenuta la Congregazione dei Riti, preparatoria, per discutere il dubbio sopra l'eroismo delle virtù della Ven. Serva di Dio Margherita Bóurgeoys, fondatrice della Congregazione delle Suore di Nostra Signora.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Il Santo Padre, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnato di nominare:

Vescovo assistente al Soglio:

11 Dicembre 1909. — Mons. Corrado Busch, Vescovo di Spira.

Protonotari apostolici ad instar participantium:

10 Décembre 1909. — Il Rev. D. Filippo Nery Dias, già Canonico della Cattedrale di Rio Janeiro;

— Mons. Guglielmo Hohaus, Vicario foraneo arcivescovile di Praga.

Prelati domestici:

22 Novembre 1909. — Il Rev. D. Giorgio Göpfert, Professore di Teologia all' Università di Würzburg;

— Il Rev. D. Teodoro Diem, Prevosto del capitolo cattedrale di Würzburg.

6 Decembre 1909. — Il Rev. D. Domenico Pasi, Parroco di S. Margherita in diocesi di Faenza.

7 Decembre. — Il Rev. D. Antonio Mongiardo, Arciprete di S. Andrea del Ionio in diocesi di Squillace.

9 Decembre. — Il Rev. D. Egidio Bruno, Vicario generale di Susa.

10 Decembre. — Il Rev. D. Giuseppe Sigismondo Zimmern, Professore di Teologia a Spira.

13 Decembre. — Il Rev. D. Luigi Humbrecht, della diocesi di Besançon.

15 Decembre. — Il Rev. D. Pietro Hüls, Professore all' Università di Munster;

— Il Rev. D. Raffaele Leonetti, Provicario generale di Andria.

20 Decembre. — Mons. Edoardo Knobloch, Parroco nella diocesi di Praga.

8 Gennaio 1910. — Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato, si è degnata nominare il Rmo P. Pietro Bastien, dei Benedettini, Direttore del Bollettino officiale, *Acta Apostolicae Sedis.*

9 Gennaio 1910. — Il Rmo P. Ab. Magnanensi Placido, Procuratore Generale dei Cistercien si, ed il Rmo P. Munerati Dante, Pro-Procuratore Generale dei Salesiani, Consultori della S. Congregazione dei Religiosi.

18 Gennaio 1910. — Sua Santità, con biglietto della Segreteria, si è benignamente degnata nominare Arciprete della Patriarcale Arcibasilica Lateranense, il Signor Cardinale Pietro Respighi, Suo Vicario Generale.

ONORIFICENZE

Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnata conferire le seguenti onorificenze:

Milizia Aurata:

10 Décembre 1909. — Al Sig. Conte Ferdinando Zichy di Ungheria.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio magno, classe civile-'

20 Novembre 1909. — Al Sig. Conte Francesco Giuseppe de Czernin, della diocesi di Budweis.

11 Décembre 1909. — Al Sig. Edoardo Scheller, Consigliere della Luogotenenza di Praga.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro:

lo Décembre 1909. — Al Sig. Giovanni Battista Imsand, Maggiore-Sotto-Tenente della Guardia Svizzera Pontificia.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio magno, classe civile:

26 Novembre 1909. — Al Sig. Dott. Guido Pedrali della diocesi di Mantova.

7 Décembre 1909. — Al Sig. Andrea Felice Fossé d'Arcosse di Soissons.

13 Décembre. — Al Sig. Emilio Pantrel di Fougères, diocesi di Rennes.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio magno, classe militare:

14 Décembre 1909. — Al Sig. Carlo Bolzer, d'Austria-Ungheria.

Il Cavalierato dell' Ordine di S. Silvestro:

24 Novembre 1909. — Al Sig. Girolamo Osvaldini, Presidente del Consiglio delle Conferenze di S. Vincenzo de' Paoli nel Veneto.

25 Novembre. — Al Sig. Eugenio Geurts di Bruxelles.

3 Décembre 1909. — Al Sig. Dott. Vittorio Hrdliczka di Vienna.

MÀGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari:

9 Décembre 1909. — Il Rev. D. Bérauch Francesco, della diocesi di Budweis;

— 11 Rev. D. Steinbach Pietro, della medesima diocesi;

— Il Rev. D. Sponar Giacobbe, della medesima diocesi;

— Il Rev. D. Malek Antonio, della medesima diocesi;

— Il Rev. D. d'Almeida Balthasar Tommaso, della diocesi di Evora;

— il Rev. D. Hasenkamp Enrico, della diocesi di Munster;

— Il Rev. D. Marengo Francesco, della diocesi di Malta;

13 Décembre. — Il Rev. D. Di Somma di Colle Gennaro.

17 Décembre. — Il Rev. D. De Angelis Salvatore, Parroco di S. Pietro in Vaticano.

Camerieri d'onore in abito paonazzo:

9 Décembre 1909. — Il Rev. D. Bruno Brunone, della diocesi di Susa; — Il Rev. D. Ferreira Lopez Giovanni Pietro, della diocesi di Ponsò Alegre.

16 Décembre. — Il Rev. D. Cardazzo Antonio, della diocesi di Concordia — Il Rev. D. Comisso Pietro, della medesima diocesi.

NECROLOGIO

24 Novembre 1909. — Mons. Nicola Armentia, dei Minori, Vescovo di La Pace. (La Paz, Bolivia).

8 Gennaio 1910. — S. E. Rina il Sig. Card. Francesco di Paola Satolli, Vescovo di Frascati, Arciprete della Patriarcale Arcibasilica Lateranense, Prefetto della S. Congregazione degli Studi.

Annus II. - Vol. II. Die 15 Februarii 1910. Num. 2.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

EPISTOLAE

I.

VENERABILI FRATRI GULIELMO, ARCHIEPISCOPO BOSTONIENSI, OB LARGITATEM ERGA PONTIFICIUM INSTITUTUM BIBLICUM.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Pontificium institutum biblicum, quod vix exortum ab omnibus maxime probari accepimus, utpote divinarum rerum scientiae provehendae perutile, tua modo auctum largitate, maiora laetamur posse ecclesiae portendere. Pietate in Nos tua nihil uberius: tuae vere pecuniae nulla prestantior usura. *Cogitare* etenim *de sapientia sensus est consummatus:* et *qui* illam diligit, *diligit vitam.* Vitam porro dilexisti te praebendo adiutorem operi quod, utpote Sacris Litteris explanandis destinatum, doctrinam natum est celebrare Illius qui solus *verba vitae aeternae habet.* Officium hoc tuum tuae in Nos observantiae perspectaeque liberalitati plurimum sane addit, idemque grato complectimur animo, Deum enixe adprecantes ut te caelestium gratiarum vice, ea qua par est affluentia, rependat. Harum interea auspex et insimul testis praecipuae benevolentiae Nostrae apostolica sit Benedictio quam tibi, venerabilis frater, clero ac populo in quem pastorales tuae curae optime evigilant, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv Decembris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

II.

DILECTO FILIO NOSTRO ANTONIO IOSEPHO S. R. E. PRESB. CARD. GRUSCHA, ARCHIEPISCOPO VIENNENSI, DE INCREMENTO RELIGIONIS VINDOBONAE.

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Grate cognovimus ex tuis litteris, quae tu vota pro Nobis fecisti in Natale Domini, utique congruenter tuae in Nos pietati: Nosque, huic officio referentes ex animo vicem, omnia tibi a Deo bona precamur. Sed illud Nobis fuit gratissimum, quod per easdem litteras nunciasti, crescere in civitate Vindobonensi studium cultumque religionis iam coepisse: idque postquam Clementis Mariae Hofbauer, honoribus sanctorum per Nos aucti, implorari patrocinium vulgo coeperit. Profecto exsequi verbis non possumus, quantae Nobis consolationi hoc sit. Restât ut iste Clerus Sancti illius novensilis, ornamenti iam sui, virtutes maximeque apostolatus diligentiam imitari studeat; id quod vehementer cupimus, ut magnus ad consolationem Nostram cumulus accedat. Divinorum autem munerum auspicem, tibi, dilecte Fili Noster, et Clero populoque tuo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, 'die x Ianuarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

III.

VENERABILI FRATRI IACOBO, ARCHIEPISCOPO BONONIENSI, ARCHICANCELLARIO COLLEGII THEOLOGORUM, OB VOTA SUMMO PONTIFICI OBLATA.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Gratias tibi, Veneralis Frater, et doctoribus decurialibus Collegii istius agimus ob significationem, quam in Natale Iesu Domini dedistis, vestri in Nos animi: qui quidem etsi iam erat Nobis cognitus, eum tamen recognoscere ex vestra epistola, iucundum fuit. In hac enim non solum pietatem amavimus vestram, vel grate commemorantium divina beneficia, quae anno vertente accepissemus, vel bene Nobis precantium in annum proximum; sed etiam et praesertim amavimus propositum studiumque vestrum religiose semper obtemperandi iis Nostris praescriptionibus, quae ad instituendos rite sancteque Clericos pertinent. Profecto,

cum res agatur, de qua maxime laboramus, sic persuadeatis vobis volumus, nullum esse genus, in quo vestra officii diligentia magis probari Nobis possit. Nos autem, vicissim omnia vobis optantes divinae benignitatis munera, horum auspicem vobis, primumque tibi, Venerabilis Frater, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Ianuarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

IV.

VENERABILI FRATRI VINCENTIO, EPISCOPO FANENSI,
DE SEMINARIO THEOLOGICO TOTIUS PICENI SUPERIORIS.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Libentissime legimus tuas litteras, in quibus primum gratias Nobis diligenter agis, quod Seminarium Theologicum totius Piceni superioris in ista urbe, honoris tui sede, constituimus. Nam videmus ad curam huius Instituti sic animatum te accessisse, quemadmodum oportet: scribis enim te operam omnem navaturum alumnis, ut probe instructi évadant cum a sana doctrina, tum vero a solida pietate; nec unquam passurum ut alterutro in genere pestifera *Modernistarum* contagia sentiant. Itaque dubitare non potes, quin, uti rogas, precari velimus, ut tibi hac in causa benigni!s Deus adsit. Quae autem pro Nobis pie facis vota, his reddimus ex animo vicem; atque auspicem caelestium munerum, tibi, Venerabilis Frater, et Clero populoque tuo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Ianuarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

V.

DILECTIS FILIIS ALOISIO SALVATORELLI ARCHIPRESBYTERO ET CANONICIS
ECCLESIAE PERUSINAE, OB LIBENTER EXCEPTUM DELEGATUM APOSTOLICUM.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Venerabilem Fratrem, quem istuc ad dioecesim procurandam misimus Delegatum Apostolicum, primo statim congressu et alloquio vestros et omnium de

Clero animos sibi conciliasse, quod scribitis, non demiramur: novimus enim comitatem humanitatemque egregii viri. Sed tamen id Nos accipimus nempe perlibenter. Illud multo libentius, quod additis, summam vos observantiam reverentiamque ei praestituros, utpote qui gerat personam Nostrani; eique ita dicto audientes futuros, ut ipsius non solum imperata facere, sed etiam optatis obsequi velitis. Itaque, facilitate ac studio vestro exploratae prudentiae industriaeque nominis suffragante, confidere posse videmur, cursum muneris eius et expeditum et fructuosum fore. Quod autem incolumitatem prosperitatemque Nobis ominamini, ac praesertim earum aegritudinum, quas contumacia tot Aliorum Nobis parit, levationem a Deo exposcitis, vestram Nos pietatem grate amplectimur. Sane hoc summum est votorum Nostrorum, ut quotquot de sacro ordine sunt, mente et animo cum Vicario Iesu Christi perfecte consentiant. Huic vos voto semper pro virili parte cumulate satisfacturos, quemadmodum promittitis, pro certo habemus. Reliquum est, ut pro vestro fratrum amore detis operam, ut nemo in Clero istius dioecesis iam reperiatur, quin eidem, ut oportet, satisfaciat. Auspicem interea divinorum, quae vobis optamus, munerum, ac testem paternae benevolentiae Nostrae, vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Ianuarii MCMX, Pontificatus, Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

VI.

VENERABILI FRATRI MARIANO ANTONIO, ARCHIEPISCOPO BONAERENSI, DE ACCEPTA PETRIANA STIPE.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Et Petrianam tuae Archidioecesis stipem, et tuam accepimus epistolam; quae quidem declarabat, quam volentibus animis Bonaërenses illud in Nos pietatis suae munus, te auctore, contulissent. Itaque non tantum pro subsidii opportunitate, sed etiam pro suavitate officii vestri gratias vobis agimus. Tu autem scias iucundissimum Nobis fuisse, quod extremum erat in tua epistola, catholicos istos vere hoc se nomine dignos praestare; quamquam ipsa eorum in Apostolicam hanc Sedem caritas id satis Nobis indicat. Talem igitur laudem ut, tua praesertim opera, conservent atque augeant, vehementer cupimus: proptereaque,

divinae auspicem gratiae, tibi, Venerabilis Frater, et Clero populoque tuo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxiv Ianuarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

VII.

VERERABILI FRATRI PAULO, EPISCOPO BRUNENSI,
DE NUPER HABITA SYNODO DIOECESANA.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Gratias primum tibi agimus ob fausta vota quae proximis litteris significasti te facere, Nostra causa; tibique pariter omnia bene evenire, optamus. Tunc gratulamur, quod Synodum dioecesanam feliciter habueris, quemadmodum acta Nobis testantur, quae misisti. Eamdem isti dioecesi fructuosam fore confidimus; recteque tu in hanc rem statuisti, ut alumni sacrorum e Seminario maiori Synodi praescriptiones mature addiscant. Quod autem addidisti de magno populi ad sacram Synaxim concursu, qui factus est mense Novembri in gratiam Nostri, rem tu narrasti Nobis gratissimum; quamque, non exigua ex parte, diligentiae tuae debere videmus. Auspicem itaque caelestium, quae precamur, munerum, tibi, Venerabilis Frater, et Clero populoque tuo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxiv Ianuarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo

PIUS PP. X.

VIII.

DILECTO FILIO H. OSTER CONSOCIATIONIS " A SANCTA IESU INFANTIA " MODERATORI PER GERMANIAM, OB COLLECTAM STIPEM IN FAVOREM OPERIS " A SANCTA IESU INFANTIA ".

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Ex annalibus consociationis *a Sancta Infantia Iesu* libenter comperimus, pueros catholicos e Germania', anno superiore, adeo largiter opitulatos esse pio Operi, ut totius pecuniae, quae ubique gentium ex collationibus catholicorum redacta est, ipsi partem fere dimidiam contulerint. Hoc certe est non modo puerorum benignitati, sed etiam diligentiae Operis cura-

torum, praesertimque tuae, tribuendum. Quare tibi, dilecte fili, et adiutoribus tuis, ceterisque consociationis istius moderatoribus valde gratulamur; ac vobis omnibus itemque pueris germanis, quotquot de ista consociatione sunt, auspicem divinorum munerum, et paternae Nostrae benevolentiae testem, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxiv Ianuarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

IX.

DILECTIS FILIIS P. CALON PRAESIDI CETERISQUE VIR1S E SUPREMO CONSILIO PIAE SOCIETATIS SANCTI VINCENTII A PAULO, DE PROGRESSU SOCIETATIS.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Annum proximo superiorem fuisse, divino munere, faustum ac prosperum Societati Vincentianae, perlibenter discimus ex eo rationum libro, quem vos, de more editum, Nobis obtulistis: ex quo quidem constat et ad numerum vestrorum coetuum in pluribus gentibus multas accessiones factas esse, et tantum collaticiae pecuniae erogatum esse in solatia egenorum, quantum numquam antea licuerit. Est sane quod vobis, dilecti filii, gratulemur: idque facimus ex animo. Nec vero vos hortamur, ut in opere tam Ecclesiae sanctae frugifero constanter perseveretis: neque enim hortatione indiget alacritas atque industria vestra, sed ope tantum divinae benignitatis. Hanc Nos, etiam ut pro collecta stipe quam misistis, referamus gratias, vobis imploramus; eiusque sit auspex apostolica benedictio, quam vobis, dilecti filii, et universae Societati Vincentianae peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxiv Ianuarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO S. OFFICII

INDULTUM PRO TERTIARIIS ET CONFRATRIBUS ORD. REDEMPTORUM B. M. V. DE MERCEDE.

Beatissime Pater,

Fr. Franciscus Gargallo, Vices-Procurator Generalis Ordinis Redemptorum B. M. V. de Mercede, ad S. V. pedes provolutus, humiliter petit ut concedere dignetur Indultum, quo Tertiarii et Confratres Ordinis legitime impediti quominus ecclesiam adeant accepturi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria diebus assignatis, qui in Dominicam non incidant, illam accipere valeant in Dominica sequenti; quod quidem etiam liceat, quoties solemnitas festi, cui Benedictio praefata adnexa est, in Dominicam sequentem transferri contingat.

Et Deus etc.

Die 9 Decembris 1909.

SSmus D. N. Pius Divina Providentia PP. X, in Audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Aloisius Can. Giambene, *Substitutus pro Indulgentiis.*

L. * S.

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I.

CIRCA COMPETENTIAM RELATE AD MATRIMONIA MIXTA.

S. Congr. S. Officii litteris diei 27 Martii 1909 a S. Congregatione Consistoriali formalem declarationem petiit circa competentiam relate ad matrimonia mixta. Itaque proposito dubio in terminis ab Adsessore S. Officii statutis hoc est: « quale sia la competenza dei S. Offizio in « fatto di matrimonii misti, sia tra battezzati e non battezzati, sia tra « cattolici ed acattolici, tanto dal lato pratico, ossia per la concessione « delle dispense, quanto dal lato teorico, ossia per la risoluzione dei « dubbi che possono sorgere su tale materia-, anche nei riguardi dei « recente decreto *Ne temere* », Emi Patres, perpensis consultorum votis et re mature considerata, respondendum censuerunt: « Competentiam S. Officii se extendere ad omnia quae sive directe sive indirecte, in iure aut in facto se referunt ad Privilegium Paulinum et ad praefatas dispensationes. Et ad mentem, quae est: supplicandum SSmum ut statuat ac decernat ut quaelibet quaestio circa praefata matrimonia deferatur Sacrae Congregationi S. Officii, salva huic Sacrae Congregationi potestate, si ita censeat et casus ferat, quaestionem ipsam remittendi ad aliud S. Sedis officium ».

SSmus, audita relatione infrascripti Cardinalis Secretarii, resolutionem ratam habuit et confirmavit, mandavitque ut in posterum quaelibet quaestio circa matrimonia mixta deferatur S. Congregationi S. Officii iuxta petita, sub lege tamen ut firma semper et in omnibus maneat dispositio decreti *Ne temere* in art. XI n. 2° et 3° statuta.

C. Card. DE LAI, *S. C. Consistorialis Secretarius.*

L. £8 S. Scipio Tecchi, *S. C. G. Adsessor.*

II

CIRCA RELATIONEM S. SEDI EXHIBENDAM AB ALUMNIS COLLEGII IOSEPHINI.

Proposito dubio, utrum veteres alumni Collegii Iosephini civitatis *Columbus* in America adhuc teneantur quolibet anno relationem S. Sedi exhibere, iuxta iuramentum ab iis emissum, SSmus Dnus Noster in

audientia concessa Emo Cardinali Secretario die 21 Ianuarii currentis anni 1910, attenta nova rerum conditione inducta a Const. *Sapienti Consilio,* benigne dignatus est alumnos memorati Collegii dispensare et eximere ab annua relatione peragenda.

Carolus Perosi, *S. G. G. Substitutus.*

III.

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

Decreto S. Congr. Consistorialis eiecti sunt Episcopi:

7 frebuarii 1910. - Rmus D. Ioannes Martinus Jañiz, dioec. Corduben. in America, ad sedem Ep

de Estero) in Repubblica Argentina.

7 februarii 1910. - Rmus D. Abel Bazàn, dioeces. Corduben. in America, ad sedem Episcopalem Paranensem (Paranà) in Repubblica Argentina.

7 februarii 1910. - Rmus D. Ioannes Gulielmus Shaw, ad sedem titularem Castabalensem (Castabala) et in coadiutorem Rmi Episcopi S. Antonii (S. Antonio, Texas) in Statibus foederatis Americae.

7 februarii 1910. - Rmus D. Dionisius 0' Donaghue, ad sedem Episcopalem Ludovicopolitanam (Louisville) in Statibus foederatis Americae.

<S *februarii 1910.* - Rmus D. Emmanuel Marteau, dioec. Parisien., ad sedem Episcopalem Meldensem (Meaux).

8 februarii 1910. - Rmus D. Ioannes Ieremias Lavoler, ad sedem titularem Ermopolitanam et in coadiutorem Rmi Episcopi S. Pauli de Minnesota (St. Paul, Minnesota) in Statibus foederatis Americae.

Confirmatus est:

7 februarii 1910. - Rmus D. Iosephus Schulte, dioec. Paderbornensis, ad sedem Episcopalem Paderbornensem (Paderborn.).

Translati sunt:

19 ianuarii 1910. - Illmus et Rmus D. Franciscus Nagl, Episcopus Tergestinus (Trieste), ad sedem titularem Tyrensem et in coadiutorem Emi Archiepiscopi Vindobonensis (Wien).

3 februarii 1910. - Illmus et Rmus D. Beda Cardinale, Episcopus Cornetanus (Corneto Tarquinia), ad sedem titularem Laodicensem et in coadiutorem Rmi Episcopi Perusini (Perugia).

S. CONGREGATIO CONCILII

BRACAREN. *(Braga)*.

INTERPRETATIONIS DECRETI " CUM RECENTER ".

Die 11 Decembris 1909.

Archiepiscopus Bracarensis nonnulla, iam a pluribus mensibus, S. C. dubia proposuit quoad interpretationem Decreti *Cum recenter* a Congr. S. R. et U. Inquisitionis lati die 5 Decembris 1894. Praestat autem ipsa praefati Antistitis verba referre:

« Ut expositio clarior evadat, sequentia praemittuntur. Praeter dies quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum ieiunio consecratarum et ferias sextas et sabbata adventus, nulli alii in Lusitania sunt dies ieiunii. Vigent etiam in hac regione duo apostolica indulta ad duodecennium concessa, quibus lex abstinentiae mitigatur. Primum generale, quo dispensatur abstinentiae lex in omnibus sabbatis per annum, exceptis sabbatis quadragesimae, quatuor temporum, adventus, vigiliae Pentecostes, aliisque sabbatis ieiunio adstrictis. Alterum indultum, quadragesimae nuncupatum, omnes vigilias per annum ab abstinentiae lege solvit, exceptis vigiliis Pentecostes, omnium Sanctorum, Nativitatis Domini et magnae alicuius festivitatis dioeceseos vel locorum, sub utroque praecepto servandae. Hoc tamen indultum iis tantum suffragatur, qui, Summario Bullae *Cruciatae* accepto, sibi etiam acquirunt Summarium indulti quadragesimae, stipe erogata in Seminariorum beneficium. Est et aliud indultum a Nuntiatura Apostolica in Lusitania singulis petentibus concedi solitum, quo ab abstinentiae lege dispensantur sabbatis adventus et quadragesimae, exceptis sabbatis quatuor temporum, sabbato sancto et vigiliis nonnullis. His positis quaeritur:

« I. Quinam sint dies in quibus Episcopis liceat vi decreti *Cum « recenter,* dispensare super lege ieiunii, cum facultas eodem decreto « contenta ad ferias sextas et sabbata tantum extendi videatur, et hi «ipsi dies in illo decreto excipiantur, si sint ieiunio consecrati?

« II. Cum praelaudatum Decretum sic de nundinis loquatur: " Eadem « anticipandi seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate « uti possunt *pro diebus,* quibus nundinae extraordinariae, magno item « populorum concursu habeantur „ nec dies nundinarum distinguat,

« quaeritur: Utrum liceat Episcopis occasione nundinarum, quae fiant « cum magno populi concursu anticipare vel dispensare ieiunium et « abstinentiam, vel saltem solam abstinentiam, ieiunii observantia retenta, « quacumque die hae nundinae habeantur, etiam in vigiliis ieiunio con- « secratis, praesertim si iidem Episcopi certo sciant ex parochorum « testimonio a plerisque abstinentiam non esse servandam ?

« III. Utrum liceat Episcopis occasione solemnitatum religiosarum, « vel nundinarum, quae fiant cum magno populi concursu diebus ieiunii, « vel solius abstinentiae, extra ferias sextas et sabbata, ieiunium et absti- « nentiam anticipare, vel gravissimis de causis dispensare ?

« IV. Utrum Episcopi in Lusitania ad tramitem memorati decreti « *Cum recenter,* facultate polleant dispensandi a lege ieiunii populum « alicuius civitatis, oppidi, paroeciae vel loci, aliosque illuc confluentes, « quando aliqua solemnitas vel nundinae cum magno populi concursu « celebrantur in sabbatis per annum, quae iuxta Indultum Apostolicum « generale ab abstinentiae lege libera essent, sed in quibus ieiunatur « ratione tantum vigiliae, quae illo anno in sabbatum incidit?

« V. Et quatenus negative ad IV, seu quoad legem ieiunii, utrum « eadem facultate uti possint Episcopi in iisdem memoratis adiunctis « quoad solam legem abstinentiae ?

« VI. Utrum iisdem Episcopis liceat super lege saltem solius abstinen- « tiae dispensare in relatis adiunctis, feriis sextis et sabbatis per annum in « quae incidunt vigiliae, vi Indulti quadragesimalis in Lusitania iam ab « abstinentiae lege immunes ?

« VII. Utrum iidem Episcopi vi decreti *Cum recenter,* et in adiun- « ctis in n. IV expressis, possint licite dispensare, quando vigilia in « Indulto quadragesimali excepta, sabbato coincidit in quo lex absti- « nentiae et ieiunii servanda est ratione solius vigiliae ?

« VIII. Utrum ad mentem decreti *Cum recenter,* Episcopis in Lusi- « tania liceat super lege abstinentiae generaliter populum alicuius loci « ratione festivitatis dispensare in sabbatis, pro quibus Nuntiatura Apo- « stolica in Lusitania, privatis familiis ac personis Indultum concedere « solet ? »

Vi autem citati decreti *Cum recenter,* facultas concessa "est, perpetuis futuris temporibus, Episcopis aliisque locorum Ordinariis, « anticipandi die sibi benevisa atque ob gravissimas causas etiam dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praecepta servandum Patroni principalis aut Titularis, vel solemne aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore quadragesimae,

diebus quatuor temporum et vigiliis per annum ieiunio consecratis; atque ut eadem anticipandi seu etiam gravissimis de causis dispensando potestate uti possint pro diebus quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu, habeantur ».

Emi Patres S. Congregationis Concilii, in generali conventu diei 11 decembris 1909, supra relatis dubiis respondendum censuerunt:

Ad I. Numquam.

Ad Ii. Negative in omnibus.

Ad III. Negative.

Ad IV. Negative.

Ad V. Negative.

Ad VI. Provisum in praecedenti.

Ad VII. Negative.

Ad VIII. Regula pro statuenda facultate, quam Episcopi habent circa has dispensationes concedendas, non est desumenda ex praxi Nuntiaturae Apostolicae, quae alia habet indulta, aliasque facultates, sed ab ipso decreto, seu ab eius terminis.

C. CARD. GENNARI, *Praefectus.*

L. © S.

Basilius Pompili, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

L

DE RELIGIOSIS AD MILITIAM VOCATIS.

Beatissimo Padre,

Fr. Benedetto Menni, Visitatore Apost. dell'Ordine di S. Giovanni di Dio, prostrato al bacio del Sacro Piede, espone alla S. V. quanto segue:

Poiché i nostri Novizi, compito l'anno canonico del Noviziato, entro tre mesi devono emettere la professione dei voti semplici, succede che alcuni di quelli che dopo la professione vengono chiamati sotto le armi, perdono ivi la loro vocazione religiosa. Perciò 1' umile Esponente implora dalla S. V. una facoltà simile a quella che dalla Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari in data 21 d'Aprile 1871 fu concessa ai Trappisti, cioè di far fare ai Novizi la professione di semestre in seme-

stre, finché sia cessato il pericolo, del quale Rescritto unisce la copia fedele, come fu data nella risoluzione dei dubbi il giorno 2 Settembre 1896 relativamente al detto Rescritto del 21 Aprile 1871 ai Trappisti.

Che della grazia.

Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, attentis expositis, vigore specialium facultatum a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X sibi tributarum, expetitam facultatem impertita est iuxta preces, ad tramitem Rescripti, die 21 Aprilis 1871 Ordini Cisterciensium Reformatorum de Trappa concessi et responsionum ad dubia d. d. 2 Septembris 1896. Contrariis quibuscumque minime obstantibus. Romae, die 29 Decembris 1909.

Fr. J. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

L. £g S.

D. L. Janssens, 0. S. B., *Secretarius.*

Beatissime Pater,

Fr. U. Benedictus, Procurator Generalis Ordinis Cisterciensium Reformatorum de Trappa, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, quae sequuntur humiliter exponit: supplex libellus ad S. Congregationem EE. et RR. iam abhinc viginti quinque annis ab Ordine nostro delatus, ferebatur his verbis:

« Post completum novitiatum, novitii debent professionem facere intra sex menses; porro ob vicissitudines temporum iuvenes ad militiam omni momento vocari po

deprecatur Sanctitatem Vestram ut concedatur superioribus facultas novitiatum continuandi donec cesset periculum ». — Ita quidem rescribendum censuit eadem S. Congregatio:

... « Ex audientia SSmi habita ab infrascripto subsecretario Sacrae Congregationis EE. et RR. sub die 21 Aprilis 1871, Sanctitas Sua gratiam, ut petitur, haud concedendam esse existimavit; sed potius indulsit, ut donec praefatum periculum perduraverit, novitii, qui tempus novitiatus rite expleverunt, admittantur ad professionem votorum simplicium ad sex menses valituram ac de semestri in semestre renovandam ».

Cum autem de vero sensu et intelligentia huius Rescripti saepe inter nos fuerit dubitatum, cumque etiam nunc in Gallia alumni nostri sicut et ceteri cives legi militari obtemperare cogantur, praefatus Orator sequentia dubia Sanctitati Vestrae solvenda reverenter proponit:

I. An professus, de quo in Rescripto, teneatur suam Professionem renovare ad sex menses, si certo sciat se ad militiam vocatum iri, antequam hoc spatium sex mensium absolvatur? Et quatenus affirmative:

II. An talis professio sit caduca ipso facto quod professus, ad militiam vocatus, e monasterio discedit? Et quatenus negative:

III. An talis professio sit caduca ita ut professus, qui iam ad militiam vocatus ac profectus fuerit, ab omni vinculo votorum sit, his sex mensibus expletis sub armis, ipso facto solutus et liber? Et quatenus negative:

IV. Utrum enunciatus professus teneatur, peracto militiae eius tempore, in Religionem regredi et professionis simplicis triennium, si opus sit, compiere, antequam ad solemnem professionem admittatur ?

Vigore specialium facultatum a SSmo D. N. concessarum, Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium EE. et RR. negotiis praeposita, super praemissis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Ad I affirmative, ita tamen ut enunciata vota eo ipso cessasse intelligantur, quo professus e monasterio egredi adigatur, militaris servitii causa.

Ad II et III Provisum in primo.

Ad IV Regredi non teneri et quatenus regredi velit, constito Superiori de perseverantia vocationis, teneri emittere novam professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum remanere, priusquam ad nuncupanda solemnia vota admittatur, ad formam Litterarum Apost. Pii IX Februarii 1862 quae incipiunt: Ad universalis Ecclesiae regimen.

Romae 2 Septembris 1896.

I. CARD. VERGA, *Praefectus.*

L. £g S. A. Trombetta, *Pro-Secretarius.*

IL

DUBIA CIRCA CLAUSURAM.

I Superiori Generali degli Eremiti Camaldolesi di Monte Corona umilmente domandarono a questa Sacra Congregazione dei Religiosi la soluzione dei seguenti dubbi:

1. ° Se le donne, che visitano gli Eremi della Congregazione con Indulto scritto ovvero orale della Santa Sede, debbano sempre essere accompagnate dal Superiore o da altro Religioso, *comitantibus probatis viris.*

2.° Se le dette persone di sesso diverso possano entrare nelle celle dei Religiosi, o almeno in quella del Superiore locale.

3.° Se le stesse possano ricevere dai Religiosi qualche refezione o rinfresco, entro la clausura.

4.° Se possano entrare in quelle località, alle quali è vietato l'accesso agli stessi Religiosi senza licenza del Superiore, quali sono la cucina, la cantina, la dispensa ecc.

5.° Se possano essere ammesse a visitare il Noviziato o Professorio, luoghi di clausura speciale.

E questa Sacra Congregazione dei Religiosi, dopo maturo esame, ha risposto, come risponde:

Al 1.° Affermativamente; eccetto per l'Eremo di Monte Argentino presso Cracovia, in quei dodici giorni dell' anno, nei quali, giusta la Bolla di fondazione, è concesso a tutte le persone di visitare la Chiesa.

Al 2.° Negativamente alla prima parte; affermativamente alla seconda, purché sia sempre presente uno de' Padri più anziani.

Al 3.° In qualche caso speciale il P. Maggiore potrà permetterlo, purché non vi prenda parte nessun Religioso e solamente nella Foresteria.

Al 4.° Negativamente.

Al 5.° Negativamente, anche quando i Chierici o Novizi non siano presenti.

Tutte le quali prescrizioni e restrizioni si intenderanno incluse, benché non espresse, in ogni permesso o Rescritto di visita agli Eremi.

Avendo poi il sottoscritto Cardinal Prefetto, nell'Udienza del 21 Dicembre 1909, riferito la risoluzione dei sopraddetti Dubbi al S. Padre, Questo si è degnato di confermarla in tutto.

Dato a Roma, dalla Segreteria della Sacra Congregazione dei Religiosi, il 29 Dicembre 1909.

Fr. G. C. CARD. VIVES, *Prefetto.*

L. £g S. D. L. Janssens O. S. B., *Segretario.*

III.

DECLARATIO CIRCA DECRETUM D. D. 7 SEPT. 1909

" DE QUIBUSDAM POSTULANTIBUS IN RELIGIOSAS FAMILIAS NON ADMITTENDIS „.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia, die 4 Ianuarii 1910 infrascripto Cardinali Praefecto benigne concessa, decernere dignatus est, ut dispositiones Decreti Sacrae Congregationis de Re-

ligiosis, d. d. 7 Septembris 1909, *De quibusdam postulantibus in Religiosas Familias non admittendis,* ad mulierum quoque Religiosas Familias in posterum extendantur. Ideoque, absque speciali venia Sedis Apostolicae et sub poena nullitatis professionis, non excipiantur sive ad Novitiatum, sive ad emissionem votorum, postulantes:

1. ° quae, propria culpa, e collegiis etiam laicis, gravi de causa, expulsae fuerint;

2. ° quae a scholis domesticis, in quibus puellae speciali cura in spem amplectendae vitae religiosae educantur, quacumque ratione dimissae fuerint;

3. ° quae, sive ut professae, sive ut novitiae, ab alio Ordine vel Congregatione religiosa dimissae fuerint; vel, si professae, dispensationem votorum obtinuerint;

4. ° quae iam admissae, sive ut professae, sive ut novitiae in unam provinciam alicuius Ordinis vel Congregationis et ab ea dimissae, in eamdem vel in aliam eiusdem Ordinis vel Congregationis provinciam recipi nitantur.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 4 Ianuarii 1910.

Fr. J. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

L. © S. D. L. Janssens 0. S. B., *Secretarius.*

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

DECRETUM

AURELIANEN.

Beatorum Coelitum honoribus inclytae Puellae Aurelianensi, Ioannae de Arc Virgini, die decima octava mensis Aprilis, vertentis anni solemniter tributis in Basilica Vaticana, Rmus Pater Franciscus Xaverius Hertzog, Procurator Generalis Societatis Sancti Sulpitii, eius causae Aurelianen. Postulator, fervidis Sacrorum Galliae Antistitum votis obsequens, Officium cum Missa proprium redigendum sategit de festo ipsius Beatae Puellae, in singulis totius Galliae Dioecesibus Dominica infra Octavam Ascensionis sub ritu duplici maiori, ac duplici secundae classis in Dioecesibus

Aurelianen., Sancti Deodati, Nanceyen. et Virodunen. itemque in Archidioecesibus Rhemen. et Rhotomagen. quotannis recolendo: atque eiusmodi Officii et Missae schema supremae Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X sanctioni humillime subiecit.

Quare, ad iuris tramitem, quum Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata, Causae Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, Officium et Missam in honorem Beatae Ioannae de Arc proposuerit; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa, auditoque R. P. D. Alexandro Verde, Promotore Sanctae Fidei, rescribendum censuerunt: « Pro gratia, et ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei ». Die 24 Aug. 1909.

Tandem revisione peracta exhibiti Officii et Missae, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto relatis; Sanctitas Sua sententiam Sacri ipsius Consilii ratam habens, de speciali gratia, festum Beatae Ioannae Arcensis Virginis, ab utroque clero, in cunctis Galliae Dioecesibus Dominica infra Octavam Ascensionis cum suprascriptis Officio et Missa sub ritu duplici maiori, in Dioecesibus vero Aurelianen., Sancti Deodati, Nanceyen. et Virodunen. itemque in Archidioecesibus Rhemen. et Rhotomagen. sub ritu duplici secundae classis, quotannis recolendum indulsit: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 25, iisdem mense et anno.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. © S.

Philippus Can. Di Fava, *Substitutus.*

OFFICIUM, MISSA ET ELOGIUM BEATAE IOANNAE DE ARC VIRGINIS.
PRO GALLIAE DIOECESIBUS.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS

IN FESTO BEATAE IOANNAE DE ARC, VIRG.

Duplex maius

(PRO GALLIA)

Officium de Communi Virginum, praeter sequentia.

In I. Vesperis Antiphonae de Laudibus.

CAPITULUM.

(Sap. 8, v. 9).

Proposui sapientiam adducere mihi ad convivendum: sciens, quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et taedii mei. Habebo, propter hanc, claritatem ad turbas, et honorem apud seniores iuvenis.

HYMNUS.

Stat cultrix vigilans pauperis hortuli,
Annorum tredecim parvula nil sciens,
Primas docta preces, prae sociis pia,
Simplex, mitis et innocens.
Orantem Michael Angelus edocet,
Quam clarae parili lumine virgines,
Virtutum meritis conspicuae simul,
Crebris alloquiis fovent.
Dum voces superas excipit, expavet;
Sed, Mens Domino, fortior in dies,
Parens imperiis, pro patria libens
Castam se vovet hostiam.
Mox dulces socias et patriam domum,
Et cum matre patrem iussa relinquere,
Miles facta Dei, quo vocat Angelus,
Fertur nil trepidans eques.
Qui terras statuit, gloria sit Patri:
Qui gentes redimit, gloria Filio:
Sancto Spiritui gloria, qui pias
Et fortes animas facit. Amen.

f. Meritis et precibus Beatae Ioannae. Alleluia.

R) Propitius esto, Domine, populo tuo. Alleluia.

Ad Magnificat Ant. Haec est Ioanna, virgo Aurelianensis: haec, quae multum orat pro populo, et pro universa Gallorum gente. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui Beatam Ioannam Virginem ad fidem ac patriam tuendam mirabiliter suscitasti: da, quaesumus, eius intercessione; ut Ecclesia- tua, hostium superatis insidiis, perpetua pace fruatur. Per Dominum.

Et fit Comm. Dominicae atque Octavae Ascensionis.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Virginum Dominum * Venite, adoremus. Alleluia.

HYMNUS.

Aureliani turribus
Frustra premuntur hostium:
Intrat Ioanna: milites
Hymnos precesque concinunt.
Quam vellet hosti parcere!
Hunc voce amica praemonet,
Sponte ut recedens, liberum
Regnum relinquat Galliae.

Negat, sed agmen gallicum
Ruit: Ioanna sanguinem
Profundit, icta vulnere,
Deusque dat victoriam.
Urbes et agros occupat;
Rursus nitescunt Lilia;
Turmae fugantur hostium;
Rhemos patescit semita.
0 sancta et una Trinitas,
Firmans movensque pectora,
Contra malum certantibus
Dona vigorem et praemium. Amen.

IN I NOCTURNO.

Ant. Elevata est magnificentia Ioannae super coelos. Alleluia.

V. Meritis et precibus Beatae Ioannae. Alleluia.

R). Propitius esto, Domine, populo tuo. Alleluia.

Lectiones de Scriptura occurrente, (de Communi, 2° loco « Confitebor » *ubi fit Officium ritus dupl. 2. classis).*

R). *I.* Deus omnium exauditor est: ipse misit Angelum suum, et tulit me de ovibus patris mei: * Et unxit me unctione misericordiae suae. Alleluia, alleluia. *f.* Praeparate corda vestra Domino, et servite illi soli, quia misit me in adiutorium vobis. Et unxit.

R). *IL* Ego tuli te de domo patris tui, et audire feci tibi vocem meam: * Fuique tecum in omnibus, ubicumque ambulasti. Alleluia, alleluia. *f.* Feci tibi nomen grande in universo populo tuo, iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra. Fuique.

R). *III.* Adonai, Domine, Deus magne et mirabilis, qui dedisti salutem in manu feminae: * Exaudi preces servorum tuorum. Alleluia, alleluia. *f.* Benedictus es, Domine, qui non derelinquis praesumentes de te, et de sua virtute gloriantes humilias. Exaudi. Gloria Patri. Exaudi.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Propter veritatem et mansuetudinem, et iustitiam deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluia.

f. Factus est Dominus susceptor meus. Alleluia.

R). Et refugium meum in die tribulationis. Alleluia.

Lectio IV.

Ioanna de Arc, in oppido Domremensi, olim Dioecesis Tullensis, nunc Sancti Deodati, conspicuis fide et morum integritate parentibus, orta est anno Christi millesimo quadrigentesimo duodecimo. Vix tredecim annos habebat, solummodo domestica negotia, opus rusticum, et prima rerum divinarum elementa edocta erat, cum se a Deo electam esse- ad monita est, ad Galliam **ab**

hostibus liberandam, et ad pristinum regnum restituendum. Postquam per quinque annos, Michael Archangelus atque Catharina et Margarita, virgines sanctae, quibus familiariter utebatur, certiorem eam fecerunt, quomodo rem iussam perageret, Deo parendum esse rata, a praefecto Vallis Colorum petiit, et, post nonnullas repulsas, obtinuit, ut viros sibi daret, qui se ad Carolum regem ducerent.

R). *IV.* Benedicat te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros: * Ut non deficiat laus tua de ore hominum. Alleluia, alleluia. -*f.* Tu laetitia, tu honorificentia populi nostri, quia nomen tuum ita magnificavit Dominus. Ut non deficiat.

Lectio V.

Supernis monitis obtemperans, superatis longi itineris difficultatibus, ad Castrum Cainonense in agro Turonico pervenit, et, Carolo regi facta fide, se a Deo missam esse, in urbem Aureliam profecta est. Paucis diebus, terribili impetu, triplicem cladem hostibus inflixit, castella expugnavit, suumque sustulit vexillum. Inde, post alia bellica facta, in quibus mirum in modum apparuit auxilium Dei, Rhemos Carolum duxit, ut regia consecratione inungeretur. Nec quiescendum esse censuit: sed cum a coelestibus nuntiis accepisset, se, Deo permittente, in hostium potestatem esse venturam, libenti animo, quae fieri necesse esset, suscepit.

y. *V.* Ornaverunt faciem templi coronis aureis, unxerunt regem et ascendentes laeti dixerunt: Vivat rex. * Et facta est laetitia magna in populo. Alleluia, alleluia. y. In hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, qui per manum feminae fecit victoriam. Et facta est.

Lectio VI.

Capta Ioanna in. civitate Compendio, et hostibus pretio tradita, Rothomagum mox ducta, cum ibi in ius rapta esset, quamplurimis criminationibus, excepta morum castitate, fuit obnoxia; sed omnia pro Iesu patienter toleravit. Acta per corruptissimos iudices causa, innocens et mitis virgo damnata est poena combustionis. Igitur Sacra Eucharistia, quam tamdiu desideraverat, refecta, oculis ad crucem conversis, nomen Iesu saepissime ingeminans, ad coelum evolavit die trigesima maii, nondum expleta aetatis suae anno vigesimo. Romana Ecclesia, quam semper dilexerat, et ad quam saepius provocaverat, eam ab omni crimine vindicandam, Callisto tertio, Summo Pontifice, curavit. Vergente in finem saeculo undevicesimo, Leo decimo tertius, Aurelianensis puellae causam introduci permisit. Postremo Pius Decimus, re diligentissime examinata, Ioannam de Arc, recentibus claram miraculis, in Beatorum numerum retulit, ac Officium et Missam propriam toti Galliae, de speciali gratia, benigne indulsit.

R). *IV.* Puella mea, noli timere, quia ego tecum sum, dicit Dominus: * Si transieris per ignem, flamma non nocebit animae tuae, et ego glorificabo

eam. Alleluia, alleluia. -*f.* Mittam tibi Angelum meum, et in medio flammae laudabis nomen meum. Si transieris. Gloria Patri. Si transieris.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Confessio et pulchritudo in conspectu eius, sanctitas et magnificentia in sanctificatione eius. Alleluia.

f. Posuisti, Domine, super caput eius. Alleluia.

R). Coronam de lapide pretioso. Alleluia.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum *(cap. 16).*

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult post m e venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi *(Canon. 16, 17).*

0 beatum damnum et iactura felix! ditescere nos Dominus detrimento animae et corporis voluit, et esse sui similes hortatur: quia ipse in figura Dei constitutus, usque ad mortem humilis et obediens factus, principatus potestatis totius, quae in Deo est, accepit. Sequendus igitur est cruce assumpta, et passionis suae si non sorte, attamen voluntate comitandus est. Quid enim prodest occupasse mundum, et toto terrenae potestatis dominatu opibus saeculi incubare, si perdenda anima et suscipiendum vitae detrimentum est?

R). *VII.* Exaudiat Dominus orationem puellae suae, qua oravit pro nobis, ut reconcilietur nobiscum Deus: * Fac, Domine, ut maneat Nomen sanctum tuum in terra nostra. Alleluia, alleluia. *f.* Respice, Domine, et visita populum tuum, ne deficiat in eo Hostia et Sacrificium. Fac, Domine.

Lectio VIII.

Quae autem commutatio pro anima, cum fuerit amissa, quaeretur ? Cum Angelis enim Christus aderit, reddens singulis, ut merebuntur. Quid offeremus ad vitam? Praeparatos credo terrenarum opum futuris commerciis thesauros, ambitiosos dignitatum famaeque titulos, aut veteres delegatae nobilitatis imagines ? Neganda sunt haec omnia, ut melioribus abundemus: et contemptu universorum Christus sequendus est, et aeternitas spiritualium, terrenorum est damno comparanda.

R). *VIII.* Domine, praevenisti eam in benedictionibus dulcedinis: * Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Alleluia, alleluia. *f.* Quia minas iudicum non timuit, nec terrenae dignitatis gloriam quaesivit, sed ad coelestia regna pervenit. Posuisti. Gloria Patri. Posuisti.

Lectio IX de Homilia Dominicae.

Te Deum.

AD LAUDES ET PER HORAS.

Ant. 1. Ecce Ioanna, virgo simplex et piissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum. Alleluia.

Ant. 2. Suscitavit eam Dominus, et ideo puella induit armaturam Dei ut posset stare adversus insidias inimicorum. Alleluia.

Ant. 3. Stetit succincta lumbos suos in veritate, et induta loricam iustitiae, assumpsit scutum et galeam salutis. Alleluia.

Ant. 4. Ecce levavit ad gentes manum suam, et ad populos exaltavit signum Domini, ut fugerent partes adversae. Alleluia.

Ant. 5. Custodivit eam Angelus eius, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde revertentem, atque in medio ignis non dereliquit eam. Alleluia.

CAPITULUM.

(Sap. 8. v. 9).

Proposui sapientiam adducere mihi ad convivendum: sciens, quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et taedii mei. Habebo, propter hanc, claritatem ad turbas, et honorem apud seniores iuvenis.

HYMNUS. "

Hostium victrix, properante cursu,
Carolum ad sanctam comitaris aedem,
Ut triumphantem sacra rite signet
Unctio regem.

Gaudio fundens lacrimas, Ioanna,
Principi plaudis: Domino rependis
Debitas grates, retinesque dextra
Nobile signum.

Erigens longa populum ruina,
Mira fecisti, generosa virgo:
Iure te nostrae patriae parentem
Saecla vocabunt!

Sed manet maior meliorque merces:
Te novus poscit labor et triumphus:
Te Deus mittens, dabit ipse vires,
Atque coronam.

Qui dedit presso populo salutem,
Laude ter sanctum Dominum colamus,
Semper ut tantae meritis patronae
Gallia vivat. Amen.

f. Magna est gloria eius salutari tuo. Alleluia.

R). Gloriam et magnum decorem impones super eam. Alleluia.

Ad Benedictus Ant. Stans Beata Ioanna in medio flammae, oculis ad crucem conversis, sic orabat, dicens: Domine Iesu, accipe spiritum meum: ne statuas illis hoc peccatum. Alleluia.

Oratio, ut in I. Vesperis.

Et fit Comm. Dominicae et Octavae.

AD TERTIAM.

Ant. Suscitavit. -

Capitulum. Proposui, *uti in Laudibus.*

R), *br.* Meritis et precibus Beatae Ioannae * Alleluia, alleluia.

f. Propitius esto, Domine, populo tuo. Alleluia, alleluia.

Gloria Patri. Meritis.

'f. Factus est Dominus susceptor meus. Alleluja.

R). Et refugium meum in die tribulationis. Alleluja.

AD SEXTAM.

Ant. Stetit.

Capitulum. \ *(Sap. 8, v. 12).*

Tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, et sermocinantem me plura, manus ori suo imponent.

R), *br.* Factus est Dominus susceptor meus. * Alleluja, alleluja.

f. Et refugium meum in die tribulationis. Alleluia, alleluia.

Gloria Patri. Factus est.

f. Posuisti, Domine, super caput eius. Alleluia.

R). Coronam de lapide pretioso. Alleluia, alleluia.

AD NONAM.

Ant. Custodivit.

Capitulum. *(Sap. 8. v. 13).*

Habebo, per hanc, immortalitatem, et memoriam aeternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.

R}, *br.* Posuisti, Domine, super caput eius. * Alleluia, Alleluia.

f. Coronam de lapide pretioso. Alleluia, alleluia.

Gloria Patri. Posuisti.

f. Magna est gloria eius in salutari tuo. Alleluia.

R). Gloriam et magnum decorem impones super eam. Alleluia.

IN II. VESPERIS.

Omnia, ut in primis, praeter sequ.

HYMNUS.

Salve, virilis pectoris
Virgo, Patrona Galliae!
Tormenta dira sustinens,
Christi refers imaginem.
Voces supernas audiens,
Iesu repleta lumine,
Dum fata pandis patriae,
Silent paventque iudices.

Oppressa flammis, clamitas
Iesum, crucemque fortiter
Amplexa, ad Ipsum, simplicis
Instar columbae, pervolas.
Choris beatis Virginum
Adscripta, cives adiuva:
Te deprecante, singulis
Detur corona gloriae.
Sit laus Patri, sit Filio:
Sancto decus Paraclito,
Qui corda amore sauciat,
Vires et auget languidis. Amen.

f. Meritis et precibus Beatae Ioannae. Alleluia.

R). Propitius esto, Domine, populo tuo. Alleluia.

Ad Magnificat. Ant. Ioanna, sponsa Christi, tutrix et custos patriae, esto tuis famulis murus inexpugnabilis assiduis suffragiis. Alleluia.

Quando hoc festum alicubi transferri contigerit extra Tempus Paschale, in tribus Nocturnis dicuntur sequentes Antiphonae; demptis etiam Alleluia in R)R). *et ff.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Elevata est magnificentia Ioannae super coelos.

Ant. 2. Veni electa mea et ponam te in thronum meum, quia concupivit Rex speciem tuam.

Ant. 3. Accepit benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Propter veritatem et mansuetudinem, et iustitiam deducet te mirabiliter dextera tua.

Ant. 2. Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.

Ant. 3. Iustitia et misericordia plena est dextera tua.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Confessio et pulchritudo in conspectu eius, sanctitas et magnificentia in sanctificatione eius.

Ant. 2. Annuntiaverunt coeli iustitiam eius, et viderunt omnes populi gloriam eius.

Ant. 3. Iudicavit in iustitia, et populos in aequitate.

Lectio IX, quando legenda sit, erit sequens:

Grave onus infirmitati humanae imposuerat, ut cum sensum vitae homines ex vivendi affectu habere coepissent, fructum eius, qui praesens corporibus blandiebatur, amitterent; negarentque se sibi, id est, quod esse coepissent, esse se

nollent: cum sensus huius exordium ex affectu voluntatis habuissent. Opus ergo erat veri ac manifesti exempli auctoritate, ut contra vim sensumque iudicii, optabile fieret praesentium damnum, lucro deinceps non ambiguo futurorum. Igitur postquam et tollendam crucem, et perdendam animam, et damno mundi commutandam vitae aeternitatem monuerat, conversus ad discipulos, ait: Quosdam ex his futuros, qui gustaturi mortem non essent, donec filium ' nominis in regni sui gloria contuerentur.

MISSA.

Introitus. *(Exodi 15).*

Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est. Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Alleluia, alleluia.

Ps. 97. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. *f.* Gloria Patri. •

ORATIO.

Deus, qui Beatam Ioannam Virginem ad fidem ac patriam tuendam mirabiliter suscitasti: da, quaesumus, eius intercessione; ut Ecclesia tua, hostium superatis insidiis, perpetua pace fruatur. Per Dominum.

Et fit Comm. Dominicae atque Octavae.

Lectio libri Sapientiae.
(Sap. c. 8).

Proposui sapientiam adducere mihi ad convivendum; sciens, quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et taedii mei. Habebo propter hanc, claritatem ad turbas, et honorem apud seniores iuvenis: et acutus inveniar in iudicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me. Tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, et sermocinante me plura, manus ori suo imponent. Praeterea habebo, per hanc, immortalitatem, et memoriam aeternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. Disponam populos, et nationes mihi erunt subditae. Timebunt me audientes reges horrendi. In multitudine videbor bonus, et in bello fortis.

Alleluia, alleluia.

-f. (Iudith. 15). Fecisti viriliter et confortatum est cor tuum. Manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in aeternum. Alleluia.

f. (ibidem 8). Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es et timens Deum. Alleluia.

Extra Tempus Paschale.

Graduale. (Iudic. 5). Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit.

(ibid.). Ubi collisi sunt currus et hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur iustitiae Domini, et clementia eius in fortes Israel.

Alleluia, alleluia.

f. (Iudith. 13). Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se, et in me, ancilla sua, adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel. Alleluia. *

X Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthaeum *(Matth. 16).*

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera eius.

Offertorium. (Iudith 15). Benedixerunt eam omnes, una voce dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Alleluia.

SECRETA.

Haec Hostia salutaris, Domine, illam nobis in rebus arduis conferat fortitudinem, cuius Beata Ioanna, sub tanta discriminum varietate, tam insignia praebuit exempla; ut, ad inimicos repellendos, etiam belli pericula subire non dubitaverit. Per Dominum.

Communio (Ps. 22). Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine Iesu. Alleluia.

POSTCOMMUNIO.

Coelesti pane refectos, qui toties Beatam Ioannam aluit ad victoriam: praesta, quaesumus, omnipotens Deus; ut hoc salutis alimentum de inimicis nostris victores nos efficiat. Per Dominum.

Evangelium Dominicae in fine.

PRO SINGULIS GALLIAE MARTYROLOGIIS.

DIE XXX MAII.

Rothomagi Ioannae Virginis Arcensis, Puellae Aurelianensis nuncupatae, a Pio Decimo Coelitum Catalogo adscriptae, cuius festum in tota Gallia, de speciali gratia, Dominica infra Octavam Ascensionis quotannis recolitur.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Officium Beatae Ioannae Virginis Arcensis, cuius Natalis die trigesima Maii recolitur.

II.

RATISBONEN. *(Ratisbona).*

DE " POSTCOMMUNIONE " IN MISSA SS. PERPETUAE ET FELICITATIS MM. ET " COMMUNIONE " IN MISSA S. AGNETIS SECUNDO.

Fridericus Pustet, S. Sedis Apostolicae necnon Sacrorum Rituum Congregationis Typographus, novas parans Missalis Romani editiones, eidem Sacrae Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter proposuit, nimirum:

I. Decreto diei 25 Augusti 1909, Festum Ss. Perpetuae et Felicitatis Martyrum e simplici ritu ad duplicem minorem evectum, die sextae Martii assignatum cum Officio et Missa propriis atque ad universam Ecclesiam extensum est. Iamvero inter Postcommunionem, prouti hucusque multa iam per saecula commemorari solebat in Festo S. Thomae Aquinatis die 7 Martii et inter Postcommunionem prouti posita est in Missa *Me expectaverunt* de Communi Martyrum non Virginum illud interest discrimen, quamvis valde exiguum, quod in Postcommunione hucusque commemorari solita nomen Ss. Martyrum Perpetuae et Felicitatis expresse recitetur, in illa vero de Communi non, cum desit littera *N.* Quaeritur quid sit eligendum?

II. In Communione Festi S. Agnetis secundo, die 28 Ianuarii, inter diversas Missalis Romani editiones antiquiores, recentiores et recentissimas aliud parvum extat discrimen. Nempe post illa verba: *quaerenti bonas margaritas, inventa* in quibusdam editionibus additum est verbum *autem,* in quibusdam deest. Quaeritur utrum in futuris editionibus Missalis Romani addendum sit verbum *autem,* vel non ?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque accurate perpensa, ita rescribere rata est:

Ad **I.** In Missa *Me expectaverunt,* si fuerint plures Martyres, sive Virgines sive non Virgines « *Postcommunio* » post verba *Martyribus tuis* addantur *N. et N.,* uti in Orationibus praecedentibus.

Ad II Stetur editioni Gradualis Romani nuperrime approbatae, typisque Vaticanis evulgatae, in qua verbum *autem* non habetur.

Atque ita rescripsit, die 3 Decembris 1909.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. © S.

Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

III.

DECRETUM

ROMANA SEU SANCTI LUDOVICI. BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI PHILIPPINAE DUCHESNE A SOCIETATE SORORUM A SACRO CORDE IESU.

De matre legifera Magdalena Sophia Barat a SSmo Dño Nostro Pio Papa X nuper solemni ritu inter Beatas Virgines adscripta, Societas Sororum a Sacro Corde Iesu magna voluptate adhuc gestit et iam impenso studio alterius e primis Sororibus ab ipsa Fundatrice in Sodalitatem acceptae atque Instituti propagatricis praesertim in Americae regiones, Philippinae Duchesne, beatificationis causam promovere contendit. Haec Dei Famula, Gratianopoli, ex nobili viro Petro Francisco Duchesne et Rosa Euphrosina Perier uxore, die 29 Augusti an. 1749 ortum duxit dieque octava sequentis mensis in sacro fonte regenerata duplici nomine condecorata fuit: Rosa Philippina. Puerilem aetatem ita exegit, ut parentes futuros Eius progressus praesentirent. Ad pietatem et ad studia inclinata, bonam referebat indolem ac perspicax ingenium. Pauperes diligebat et, qua poterat ratione ac industria, sublevabat. Duodennis apud Moniales Ordinis Visitationis B. M. V. ad synaxim primum admissa, biennio mansit, inter alumnas studio, diligentia et devotione praestans. Obtinuit etiam cum Monialibus in choro adstare ac divina officia persolvere, vitam religiosam ita praegustans. In paternam domum revocata, aliquantulum indulgere visa est saeculi vanitatibus et conversationibus, sed in his nunquam desiit honeste agere; imo propositum se Deo vovendi concepit, fovit ac servavit. Interim humanioribus litteris bonisque artibus sedulo incubuit atque hisce disciplinis musicae et graphicae artis ac pingendi studium adiunxit. Consilio nubendi a parentibus dato statim obstitit puella sapiens ac prudens, quae, ab alio amatore praeventa Christo Iesu, huic soli se totam consecrare velle dixit. Itaque penes ipsos, sicuti penes Monasterii Visitationis moderatricem, adeo enixis precibus institit, ut tandem, prospero exitu laeta, mundo valedicens, idem Monasterium ingressa sit an. 1787. Praeter cetera caritatis officia quae in Consodales etiam coadiutrices peragebat, hoc in primis mentione dignum in ea est: sedulitas in puellis instituendis, catechismi tradendi specialis habilitas et devota divini officii recitatio in choro Anno 1789 vertente, ob rei publicae perturbationes ad suos redire

coacta, ab incoepto vitae genere quantum potuit, nunquam defecit. Post obitum genitricis, Gratianopoli petit, ubi in deliciis habebat adire carcere detentos, infirmos visitare, egenos pauperesque opitulari, pueros ac puellas ad exomologesim et ad synaxim praeparare. Volvente an. 1801, Rosa Philippina Visitationis Coenobium pretio sibi comparavit, ibique degebat cum quibusdam Sodalibus. Anno vero 1804 in finem vergente, Magdalena Sophia Barat, fundatrix Societatis a Sacro Corde Iesu, rogante ipsa Serva Dei, Monasterium visitavit, et Philippinam fidasque socias postulantes, hortante etiam Rev. Rivet, Soc. Iesu, religiosae suae Societati accensuit, imo coenobium ipsum in ipsius Societatis domum convertit atque constituit. Interim Dei Famula, tyrocinio expleto, ad religiosa vota profitenda rite admittitur. Parisios vocata in domo principe Instituti secretariae munus gerit. Haud multo post, instante Episcopo Sancti Ludovici, a Moderatrice Generali eligitur ac proponitur fundationi stabilienda in dicta dioecesi, atque una cum Sodalibus M. Eugenia Andey et Octavia Berthold ac duabus Sororibus iter aggressa, ad americanas oras, die festo SSmi Cordis Iesu, an. 1818 pervenit. Novae Aureliae infirmatur et sistere debet; post sex hebdomadas, recuperata valetudine, urbem Sancti Ludovici petit, et ad Episcopi nutum, Dei providentia favente, opus fundationis in civitate Sancti Caroli exorditur. Prospero exitu alias quoque in aliis locis erigit domos, inter quas in pago *Fleurissant* prope civitatem Sancti Ludovici, aedem tum novitiis tum puellis instituendis destinatam. Anno 1840 M. Philippinae iam valetudinariae atque aetate provectae, prout Ipsa pluries postulaverat, in Vicariam Generalem pro domibus americanis suffecta est M. Galitzin. Illa tamen, dimisso officio, ab opere fundationis prosequendo non destitit, et ad Indos de tribu *Potowatomies* evangelizandos et ad domum Societatis in oppido *Sugar Creeck* constituendam perrexit. Plures illic ethnicos et haereticos ad fidem catholicam perduxit atque in tantam aestimationem penes omnes devenit, ut « mulierem quae semper orat » Ipsam vocarent. Fidei simul et amoris argumentum erat Eius devotio erga SSmum Eucharistiae Sacramentum et Sacratissimum Cor Iesu a quibus fontibus salutiferas aquas gratiasque caelestes hauriebat. Filiali pietate ac speciali cultu in Deiparam Virginem, sub titulis praecipue de Carmelo et de Rosario, ferebatur, satagens, haec quoque in aliis, potissimum per coetus Filiarum Mariae, promovere. Insuper Angelis tutelaribus S. Ioseph, S. Antonio Patavino, S. Philumenae, S. Francisco Xaverio ac S. Francisco Regis maxime devotam se exhibebat. Dei amore incensa, viventes et maxime defunctos in expiatorio carcere detentos sua caritate amplectebatur, sciens summae caritatis et misericordiae simulque sanctum

et salubre opus esse pro his exorare ut a peccatis solvantur. Haec omnia M. Philippina prosecuta est etiam in civitate et in domo religiosa Sancti Caroli in qua ab an. 1842, per decem circiter annos, vixit, Sodalibus ac puellis pietatis, sapientiae ac prudentiae christianae in exemplum proposita; donec gravi morbo vexata eoque ingravescente, die 18 Novembris 1852, sacramentis Ecclesiae refecta, invocando sacram Familiam: « Iesu, Maria, Ioseph » in pace quievit, annos nata quatuor supra octoginta. Corpus Servae Dei, compositum et in ecclesiam delatum, postquam persoluta fuerint solemnia funera cum magno populi concursu, in peculiari sepulchro humatum fuit, ibique mansit donec, mense Octobri an. 1855 extractum, in alio digniori tumulo conditum extitit. Annis autem 1876 et 1896 bis recognitum, reserata capsa in qua asservabatur, copiosa aqua inventa est, cuius usu plures infirmi sanitatem sibi redditam meritis et intercessione ipsius Servae Dei fassi sunt. Interim fama sanctitatis, quam haec religiosa foemina Gratianopoli, Parisiis et in America vivens sibi acquisierat, post obitum assertis quoque prodigiis clarior, ad haec usque tempora, viget. Quapropter super ea Romae et Sancti Ludovici adornatae sunt Inquisitiones Ordinariae, quae absolutae Sacrorum Rituum Congregationi exhibitae sunt. Quum ergo omnia in promptu essent, instante Rmo Dño Raphaele Maria Virili, Episcopo tit. Troaden. et huius Causae Postulatore, attentis obsequentibus petitionibus Regiae ac Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi, Imperatoris Austriae, atque principum ad imperiales aut regias familias pertinentium, simulque litteris postulatoriis quorumdam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum necnon Praepositorum Generalium Ordinum et Congregationum utriusque sexus, atque Moderatricis Generalis Societatis a Sacro Corde Iesu, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata, huius Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: « An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de qua agitur ». Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuerunt. « Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit». Die 7 Decembris 1909.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas sua sententiam Sacrae eiusdem Congregationis ratam habere atque signare dignata est Commissionem introductionis Causae

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Philippinae Duchesne e Societate Sororum a Sacro Corde Iesu, die 9, eisdem mense et anno.

S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. $ S..

Philippus Can. Di Fava, *Substitutus.*

IV.

DECRETUM

ROMANA SEU BARCINONEN. CANONIZATIONIS BEATI BONAVENTURAE A BARCINONE LAICI PROFESSI ORDINIS FRATRUM MINORUM S. RECESSUS S. BONAVENTURAE DE URBE FUNDATORIS.

E colle Palatino, ubi inter veteres urbis minas adhuc erecta surgit Ecclesia cum Recessu, nomine S. Bonaventurae, Episcopi Confessoris et Ecclesiae Doctoris, Deo dicata, quae religiose custodit sacras exuvias celebris missionarii S. Leonardi a Portu Mauritio et Beati Boventurae a Barcinone illius sacri Recessus fundatoris, vox quaedam arcana cives ac peregrinos illuc confluentes congregat ut, ipsum sanctuarium devote visitantes, peculiari pietate atque congruo cultu eadem pretiosa pignora prosequantur, caelestem opem, utroque suffragante, imploraturi. Venerabilis Bonaventurae beatificationis Causa, ob rerum temporumque varietates ac vicissitudines, praesertim in Hispania, quamvis serius incoepta atque promota fuerit, tamen promptiori ac feliciori exitu nostris hisce temporibus coronata est. Instante autem Rmo P. Francisco Paolini, Ordinis Fratrum Minorum Postulatore Generali, nunc de ipsius Causae reassumptione actum est, ad hunc finem, ut idem Beatus suo consodali Leonardo atque Iosepho Oriol, sacerdoti Barcinonensi, nuper sanctorum fastis adscripto, associetur, parique honore atque cultu augeatur et decoretur. Religiosus hic Vir, Deo dilectus et nominibus, die 24 Novembris an. 1620 in oppido Rindoms, prope Barcinonem urbem, natus, S. Michaelis Archangeli, in lustralibus undis, nomine et patrocinio cohonestatus est. Hoc vero nomen in alterum auspicatissimum Bonaventuram commutavit, die 14 Iulii an. 1640, aetatis suae decimonono, cum Ordinem Fratrum Minorum et coenobium hispanum Oppidi Escomalbon, Deo favente, iam ingressus, religiosum habitum sumpsit. Per varias regiones pluresque conventus transiens, undique conspicuae virtutis et religiosae professionis exemplar, tandem Romae gradum sistitit.

In humili officio ianitoris coenobii ad S. Isidorum, sanctitatis fama adeo enituit, ut «Frater sanctus » 'passim appellaretur. Deus autem qui exaltat humiles eosque spiritu suo suisque donis replet et ad maiora eligit in gloriam suam, caelestibus gratiis Bonaventuram cumulavit, quibus Ipse roboratus, gloriosa opera, etiam ardua, aggressus est. Inter haec eminet erectio sacrorum recessuum in conventu S. Mariae de Gratiis in Sabinis, in domibus religiosis Montorii et Variae, ac praecipue Romae in praedicto coenobio cum continenti templo S. Bonaventurae, adprobante cum singulari laude Alexandro Papa VII per Litteras incipientes: *Ecclesiae catholicae regimini.* Huius sancti Viri, qui in vita acceptissimus erat Summis Pontificibus Alexandro VII supramemorato, Clementi IX et X atque Innocentio XI, heroicae virtutes, praeviis iuridicis disquisitionibus, recognitae ac probatae fuerunt a Pio Papa VI fel. rec. per decretum die 25 Augusti an. 1775 editum. Binis vero miraculis, quae suffragante eodem Ven. Servo Deo patrata ferebantur, excussis ac rite adprobatis, decurrente anno 1906, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X, in Patriarchali Basilica Vaticana, Ven. Bonaventura a Barcinone solemni ritu ad Beatorum caelitum honores evectus est. Inde triduana solemnia in Ecclesiis Ordinis Minorum praesertim Hispaniae et Italiae ac prae ceteris in Ecclesia Urbana, Palatini Collis, religiose peracta, maiorem fidelium pietatem ac fiduciam in novensilem Beatum excitarunt. Quin imo plerique devoti vitam descriptam legendo vel imagines aut reliquias venerando, dum auxilium opportunum in arduis et in necessitatibus a Beato Confessore* implorabant, Eius meritis et precibus accepta beneficia retulerunt, debitas gratias Deo reddentes qui dilectum suum Servum et Amicum ita honorare voluerat, ut ipsi aiebant. Quare quum valida haberentur argumenta ad acta Canonizationis promovenda, rogante praelaudato Causae Postulatore, attentisque aliquot obsequentissimis Litteris postulatoriis, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata, Causae Ponens seu Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit: « An sit signanda Commissio reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur ». Porro Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, re sedulo perpensa, rescribendum censuerunt: « Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit ». Die 7 Decembris 1909.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habens,

signare dignata est Commissionem Reassumptionis Causae Beati Bonaventurae a Barcinone Confessoris, die 9, eisdem mense et anno.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. © S.

Philippus Can. Di Fava, *Substitutus.*

V.

CURIEN. *(Chur.)*.

DE OFFERTORIO IN MISSIS CANTATIS.

Ab hodierno Rmo Dño Episcopo Curiensis Dioecesis proposito dubio: « An sustineri possit consuetudo quae in multis Ecclesiis minoribus Curiensis dioeceseos ab immemorabili tempore invaluit, ut nempe in Missis cantatis, exceptis quibusdam solemnioribus, celebrans Symbolum intonet, hocque recitato, immediate pergat ad Offertorium illudque conficiat, dum a Cantoribus Symbolum decantatur?

Sacra Rituum Congregatio, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, respondendum censuit: *Negative* et serventur Rubricae et Decreta.

Atque ita rescripsit, die 11 Decembris 1909.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. © S.

Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

VI.

CEPHALUDEN. *(Cefalu).*

DE QUIBUSDAM PECULIARIBUS CONSUETUDINIBUS IN OFFICIO, IN MISSA, ALIISQUE SACRIS FUNCTIONIBUS.

Hodiernus Rmus Episcopus Dioecesis Cephaludensis a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime postulavit, nimirum:

I. Utrum tolerari possit longaeva consuetudo adhibendi in exposi-

tione insignis Reliquiae S. Crucis D. N. I. C. nonnullos ritus qui servari debent coram SSmo Sacramento solemniter exposito, scilicet genuflectendi utroque genu ante eam transeundo, illam incensandi a celebrante genuflexo et illam obtegendi velo violaceo si concio habeatur; vel potius standum sit decretis iam latis N. 2324 *Brixien.,* 15 Septembris 1736 et N. 2727 *Lucionen.,* 23 Maii 1835?

IL Et quatenus negative ad primam partem, an consuetudo illa servari possit saltem in Feria VI Parasceve, non obstante decreto N. 3201 *Montis Regalis,* 20 Martii 1869, ad VII ?

III. In choro adest consuetudo recitandi flexis genibus quocunque anni, tempore Antiph. *Salve Regina* cum versiculis et oratione *Omnipotens sempiterne Deus,* post antiphonam finalem de tempore, expleta hora prima, vel, si chorus non interrumpitur, expleta hora tertia ante Missam conventualem. Petitur, utrum servari possit ista consuetudo etiam quando Antiphona finalis de tempore est *Salve Regina,* ita ut bis repetatur; et quatenus affirmative, an semper dicenda flexis genibus etiam diebus Dominicis et tempore paschali?

IV. Utrum chorus genuflectere debeat quando celebrans in Missa solemni vel in Vesperis incensat SSmum Sacramentum solemniter expositum ?

V. An pulsari possint organa cum canuntur lectiones matutini in Officio Defunctorum et in Missa pro Defunctis, quando chorus silet ?

VI. Utrum in Missa solemni *Benedictus* cani possit ante elevationem, vel standum sit praescriptioni Caeremonialis Episc. Lib. II, cap. VIII, 70-71?

VII. Utrum in benedictione quae datur cum Reliquiis Sanctorum genuflectendum sit in choro vel standum? Et quatenus affirmative ad primam partem, utrum etiam a Canonicis ?

VIII. Missam solemnem in Cathedrali celebrans, quando est Canonicus, induit paramenta in aula capitulari et ministri sumunt vestimenta in sacristia. Quid de hoc ? Standumne consuetudini, an decretis N. 2703 *Recineten.,* 16 Martii 1833 et N. 3937 *Urgellen.,* 11 Decembris 1896 ?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I et IL Standum decretis.

Ad III. Negative ad utrumque.

Ad IV. Negative.

Ad V. Negative ad primam partem; et Negative ad secundam, iuxta Caeremoniale Episcoporum Lib. I, cap. XXVIII, N. 13.

Ad VI. Standum Caeremoniali Episcoporum.

Ad VII. Genuflectendum est ab omnibus.

Ad VIII. Standum Decretis.

Atque ita rescripsit, die 16 Decembris 1909.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S. Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

SACRA ROMANA ROTA

CALATANISIADEN. *(Caltanisetta).* - IUSPATRONATUS

Pio Papa X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno septimo, RR. PP. DD. Michael Lega, Becanus, Ponens, *Gustavus Persiani et Fridericus Gattani, Auditores de Turno in hac causa* Iurispatronatus - *inter* Dños Tinebra et socios, *actores repraesentatos per procuratorem Philippum Pacelli, advocatum, et Dñum Promotorem Iustitiae H. S. Trib. nec non Dominum Maurum Turrisi Grifeo conventos, die 10 Ianuarii 1910, sequentem definitivam tulerunt sententiam.*

In terra - D*elia* - in qua, iure feudali, Marchionatus iura obtinuerat familia Lucchisi et Valdina, parochialis Ecclesia evecta est ad Archipresbyteratum, instrumento *diei 27 Oct. a. 1689* et ius patronatus reservatum fuit favore Dñi Nicolai Antonii Lucchisi et Valdina, huius heredum et successorum in eadem terra, quia iste auxerat dotem parochialem summa *unciarum triginta et tarorum quindecim.*

Tractu temporis aliud accessit augmentum dotis *a. 1797, die 27 mensis Iulii,* opera Dñi Salvatoris Gravina, Marchionis in dicta terra -*Delia* - qui dotem auxit usque ad uncias quadraginta, exaequantes summam lib. ita! 510.

Anno 1881 die 28 mensis Iunii, Dñi Grifeo in suis bonis habentes terram - *Delia* - hanc terram seu fundum - *Delia* - vendiderunt Dñis Tinebra et sociis, hodiernis actoribus, translatis in emptores omnibus iuribus activis et passivis inter quae comprehensa sunt ius patronatus, nullo tamen intercedente pretio, et onus solvendi quotannis lib. 510 in dotem seu congruam parochialem.

Patroni, processu aetatum, suum ius semper exercuerunt nullo unquam contradicente usque ad a. 1905, quo cum Episcopus approbare nollet Sacerdotem ab hodiernis fundi - *Delia* - possessoribus praesentatum ad beneficium parochiale, eosdem patronos invitare censuit ut titu-

lum exhiberent *iurispatronatus,* quod sibi vindicabant. Inde enata est hodierna controversia quam Huic S. Tribunali iudicandam commisit Beatissimus Pater rescripto 27 Feb. 1909.

Curia Episcopalis Calatanisiaden., quam in ius vocarunt Dñi Tinebra et socii, respondit se nullam partem habere velle in hac causa quam confidebat iustitiae H. S. Trib. Tunc ex officio citatus est Promotor iustitiae H. S. T., qui institit ut citaretur Dnus Maurus Turrisi Grifeo e Marchionibus - *Bella* -, cui Ordinarius Calatanisiaden. in litteris datis ad S. C. Concilii die 20 Iulii 1909 asserebat competere ius patronatus, *qua personale hereditarium.* Dnus Maurus Turrisi Grifeo semel et iterum rite citatus, cum non comparuerit, contumax declaratus est decreto diei 31 Iulii 1909, eodemque decreto statuta est haec dubitandi formula: *An constet de iure patronatus super beneficio parochiali loci - Delia - favore Dñorum Tinebra et sociorum in casu.*

In definitionem cuius quaestionis RR. PP. DD. de Turno *ad factum* quod spectat perpenderunt:

1. ° In terra - *Delia* - paroeciam fuisse iampridem erectam, quae *a. 1689 die 27 Oct.* evecta fuit ad Archipresbyteratum et Marchioni huius terrae reservatum fuit ius patronatus, quia hic auxerat dotem summa annua unciarum triginta et tarorum quindecim.

Ipse Marchio petierat Archipresbyteratus erectionem, sibi reservato iure patronatus, prouti testatur instrumentum: « Fuit ex parte tua nobis humiliter supplicatum pro erectione et fundatione Archipresbyteratus in eadem Terra sub eiusdem antiquis primitiis et reditibus de novo restitutis. . . . ne incolae Terrae eiusdem detrimentum patiantur in sacrorum perceptione. . . . sub reservatione tamen iuris patronatus in dicto Archipresbyteratu ad tui et tuorum favore in perpetuum; et per Nos provisum quod expediantur Bullae in forma. Qua provisione attenta tibi praefato Dño Nicolao Antonio Lucchisi et Valdina Marchioni dictae Terrae tuis heredibus et successoribus in eadem terra concedimus ius patronatus etc. ».

2. ° Aliud dotis augumentum contulit Dnus Salvator Gravina qui dotem evexit ad uncias quadraginta seu ad libellas italicas 510.

3. ° Nescitur quonam titulo hic et eius familia in possessionem devenerint Terrae - *Delia,* - at certe patronatus ius exercuerunt.

4° Anno 1881 Dñi Grifeo ad quos fundus - *Delia* - pervenerat ab a. 1828, videtur, titulo dotis constitutae Dñae Agatae Gravina, eumdem fundum seu l'*intero ex - stato di Delia* - Dñis Tinebra et sociis venderunt cum declaratione, seu: *Dichiarano i detti venditori che s' intendono trasferiti ai compratori sig. Tinebra e compagni, tutti i diritti e le*

servitii attive che sono accessori degli immobili o dei canoni, tra i quali, senza nessun prezzo, il diritto di patronato.

Ad *ius* quod attinet animadverterunt RR. Patres, iuspatronatus concessum fuisse ob augmentum dotis. - Ex augmento dotis non acquiri iuspatronatus, asseritur, *in Decis. 210, n. 5, part. 3, tom. 1, inter recent.*

Quod si prima dos deperdita sit ex nova dotatione acquiritur ius patronatus vel etiam ex augmento dotis, dummodo tamen nova dos excedat medietatem fructus primae dotis seu constituat c*oaequalem dotationem,* uti eruitur ex Const. Hadriani VI *Accepto;* et habetur *in Decis. 514, n. 11, part. 13 recent.* - Card. De Luca in *Summa de iurepat. n. 19,* docet: *Et quoad redotationem* (requiritur ad ius patronatus) *ut amissa priore dote, omnino indotata sit seu ita eius dos conditione deteriore effecta, quod pro indotata reputetur. Cum enim Ordinario denegetur potestas Ecclesiam liberam faciendi servam. . . . . hinc proinde. . . . . ille qui restaurabit vel dotis augmentum praebebit benefactor, non autem patronus dicendus est.* An eiusmodi requisita concurrerint cum iuspatronatus reservatum fuit instrumento diei 27 Oct. 1689, non plane constat; sed utiliter patronus in *discussione* orali habita die 8 c. m. provocavit ad titulum praescriptionis quae absque dubio suam exerit vim post observantiam pius quam biscentenariam, eamdemque pacificam, uti cavetur in *Decis. 210, n. 8, iam cit.*, et explanat De Luca *(cit. n. 63 sq.);* siquidem centenaria praescriptio, uti commentatur Pitonius, *Alleg. 58, de cont. patron.*, in facti specie nostrae pene simili, facit praesumere meliorem titulum de mundo. Exinde Dominis Auditoribus visum est in dubium revocari non posse ipsum ius patronatus, quod concessum fuit heredibus et successoribus Dñi Nicolai Antonii Lucchisi et Valdina, sed inquisitum est ulterius, an hoc idem ius competat actoribus in hac causa, id sibi vindicantibus ex emptione fundi - *Delia* -. Ipsis autem competere nullatenus potest, nisi ius patronatus, qua *reale,* evincatur dicto fundo esse inseparabiliter connexum.

Regulariter ius patronatus praesumitur hereditarium et hinc comprehendi in universitate bonorum et cum eodem transire, *Decis. 181, n. 4, p. 18, t. 1, recent.* Quia praesumitur hereditarium, non censetur gentilitium seu familiare, nisi haec qualitas plene et concludenter probetur; ita in *Decis. 113, n. 3, p. 5, 1. 1 recent.* Pro retinenda qualitate gentilitia, unde habeatur ius patronatus mixtum pro heredibus et successoribus ex sanguine, in themate invocari potest ipsa petitio Marchionis - *Delia* - in instrumento erectionis ita relata: *sub reservatione. . . . iurispatronatus ad tui et tuorum favorem in perpetuum.*

Verum ad excludendam in casu quamcumque mixturam, seu qua-

litatem *hereditariam et gentilitiam,* invocatae sunt tabulae erectionis, reservantes ius patronatus *heredibus et successoribus in dicta terra.* Revera, successu aetatum, reperiuntur patroni ex diversis familiis derivantes, hoc idem ius exercentes qui nullum alium titulum praeseferunt nisi legitimam possessionem fundi - *Delia* -.

Sub anno 1797 familia Gravina, cum iure patronatus uteretur, dotem beneficialem auxit, prouti retulimus, et nullimode constat, patronos Gravina patronatus ius acquisivisse titulo hereditatis, eosdemque vinculo sanguinis esse coniunctos cum testatoribus. Ex iis vero quae narrantur instrumento venditionis factae Dñis Tinebra et sociis, die 28 iunii 1881, eruitur in familiam Grifeo transiisse ius patronatus cum fundo - *Delia* - assignato, uti videtur, in dotem Dñae Agatae Gravinae a. 1828: narratur enim: « *Per atto del 27 marzo 1828 il Signor Francesco Paolo Gravina, Principe di Patagonia, assegnava alla sorella Agata Gravina, Principessa di Partanna, e per essa allo Illustre Vincenzo Grifeo lo ex stato di Delia* ». Quod vero hodiernis possessoribus fundi - *Delia* - nullimode praeiudicet titulus particularis acquisitionis ex emptione, animadverterunt PP. Auditores, perpendentes qualitatem heredis et successoris in instrumento erectionis, non requiri copulative, sed disiunctive, ita ut praevaleat qualitas successoris seu possessoris. Siquidem particula *et* est coniunctio grammaticalis quae pluribus nominibus interposita affirmat omnia, sed non logice copulat, quippe quaelibet notio suam retinet significationem distinctam; qualitas autem successoris relate ad heredem se habet uti genus ad speciem. Unde in themate, prouti notatur in *Decis. 217, n. 4, 8 et 9, part. 6 recent.,* assumitur copulativa *et* non simpliciter *copulative,* sed *ampliative,* adeo ut patronatus ius obtineat legitimus successor in possessione dictae terrae - *Delia* -.

Et hoc sensu *in Pientina iurispatronatus.... Decis. 46, inter recent. p. 9, tom. 1, n. 11,* H. S. Ordo censuit, *quod nisi, praecedant signa et praesumptiones qualitatis gentilitiae... semper concessio... pro heredibus et successoribus intelligenda erit de iure patronatus reali transituro ad eos ipsos ad quos Villa transieris* Etiam in casu nostro nonnulla signa et praesumptiones qualitatis gentilitiae praecedunt, uti notatum est, sed quia concessio facta est *heredibus et successoribus in dicta terra,* visum est Dñis Auditoribus, procul dubio ius patronatus intelligendum esse uti reale inseparabiliter adnexum fundo, et nullam haberi mixturam patronatus gentilitii; signa enim et indicia adsunt iuris patronatus omnino *realis et inseparabiliter* adnexi fundo - *Delia,* - quae magis sunt concludentia et omnem tollunt dubitandi rationem. Re sane vera, H. S. Ordo in cit. Pientina, quamvis concessio facta fuerit tantum heredibus et suc-

cessoribus, sententiam tulit pro iure patronatu *reali,* quia consideratae sunt nonnullae circumstantiae, desumptae *ex destinatione fundationis ad commodum Villicorum in ea parte habitantium, ex situatione in medio agrorum ac demum ex observantia et communi reputatione (ibi n. 11).* Quae omnia adiuncta adamussim conveniunt in casum nostrum.

Porro fundatio et erectio Ecclesiae Archipresbyteralis fit ad instantiam Marchionis - *Delia* - cum Ecclesia intra fines huius Terrae sita esset, et hoc conceditur, *ne incolae terrae eiusdem detrimentum patiantur in Sacrorum perceptione.*

Exinde singuli possessores huius agri sibi persuasum habuerunt, ius patronatus ipsis legitime competere. Aliud non deest grave argumentum et indicium quod derivatur ex dotatione Ecclesiae de bonis eiusdem terrae, uti consideratum fuit in *Decis. 662, n. 19, part. 19, tom. 2.* Dotem autem Ecclesiae loci - *Delia* - consistere in bonis seu reditibus dictae terrae, fatetur ipsum instrumentum erectionis, referens, Ecclesiam fuisse erectam et fundatam *sub eisdem antiquis primitiis et reditibus de novo restitutis.*

Unde cum facta est venditio huius fundi, in instrumento diei 28 Iunii 1881 cautum fuit: « Dichiarano i venditori signori Grifeo... che « per quello stato gravano vari pesi per soggiogazione, messe, con- « grue al parroco » et hoc iam declaraverat sententia tribunalis Vallis Calatanisiadensis diei 27 Apr. 1826, edicens praestationem libellarum 510 in dotem parochialem intelligi constitutam: *sopra tutti i suoi beni liberi,* scilicet illius agri - *Delia* -. Quamobrem hodie possessores huius fundi, etsi malo fato fructus non retraherent, tamen solvere tenerentur summam libellarum quingentarum in dotem Ecclesiae.

Qui autem sentit onus, sentire debet commodum et e contra iuxta regulam 55^{mam} iuris in VI°; et hoc etiam ex capite, ius patronatus disiungi non potest a fundo seu a fundi possessore ut attribuatur heredi fundatoris, tunc enim alter sentiret huius institutionis commodum, et alter sentiret onus.

Quibus omnibus mature perpensis et consideratis:

Invocato Christi nomine, Nos infrascripti Auditores, pro Tribunal! sedentes et solum Deum prae oculis habentes, pronunciamus, decernimus et declaramus: *constare de iure patronatus favore Dñorum Tinebra et sociorum in casu;* seu *Affirmative,* proposito dubio, respondemus.

Expensas iudiciales volumus haberi compensatas, et pro compensatis haberi decernimus.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministri Tribunalium ad quos spectat, ut executioni mandent hanc nostram senten-

tiam et adversus reluctantes procedant ad normam ss. canonum, et praesertim *cap. III, sess. XXV de Ref.* Conc. Trid., iis adhibitis executivis et coercitivis mediis quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis extitura sint.

Romae in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 10 Ianuarii 1910.

M. Lega, *Decanus, Ponens.*
L. 1$ S. Gustavus Persiani.
D. Fridericus Cattani

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

SECRETARIA STATUS

I.

AD REV. D. CAN. CAESAREM BOCCOLERI, ARCHIPRESBYTERUM RAPALLI.

Il Santo Padre ha gradito 1' omaggio del Bollettino del Santuario di N. S. di Mont'Allegro, interprete della pietà dei buoni Liguri per la Vergine SSma ed eco fedele delle grazie, colle quali la buona Madre corrisponde così largamente all'amore dei devoti suoi figli. Sua Santità ben di cuore benedice il prelodato Bollettino e quanti cooperano alla sua redazione e diffusione, allo zelo dei quali è lieto di assicurare ampio guiderdone nelle belle parole dell' Ecclesiastico « qui elucidant me, vitam aeternam habebunt ». .

Mi valgo ben volentieri dell'occasione, per professarmi

della S. V. Rev.

Roma, 14 Dicembre 1909.

affezionatissimo

L. £g S. R. CARD. MERRY DEL VAL.

IL

AD VIROS CLARISSIMOS ANGELUM SAC. FONGOLI, IOSEPHUM BIANCHINI, IOSEPHUM MARIAM CROSTAROSA, FRANCISCUM COMITEM CONESTABILE DELLA STAFFA QUIBUS MUNUS DELATUM EST MODERANDI " ACTIONEM CATHOLICAM IN UMBRIA.

Illmi Signori,

Un vivo bisogno di azione cattolica si fa sentire anche neh' Umbria; ed il Santo Padre è stato ben lieto di apprenderlo dall' indirizzo che le

Loro Signorie, chiamate a dare, nell'Umbria istessa, vita ed incremento alla organizzazione sociale cattolica, con devoto pensiero, hanno a Lui rivolto, per avere colla benedizione apostolica un più sicuro pegno delia benedizione di Dio.

Sua Santità si compiace di questo salutare risveglio delle coscienze a provvedere alla difesa e alla espansione della fede e della morale cristiana, e benedice di cuore il Signore che, mentre più minaccioso fanno gli empi sentire il grido di guerra, raddoppia le sue milizie e le prepara più compatte e vigorose alla battaglia e alla vittoria.

Ma non sarà coronato se non chi avrà legittimamente combattuto. E di questo l'augusto Pontefice desidera che siano ben penetrate le SS. LL. principalmente, che hanno il mandato di raccogliere e disciplinare le locali energie cattoliche. Raccogliere queste energie non sarà Loro difficile in cotesta regione così piena di fede: in cotesta terra in cui una ricca eredità di tradizioni francescane parla ancora così eloquentemente al cuore dei contemporanei. Ma adunare solo le moltitudini non basta; bisogna educarle alla vita cristiana, bisogna formarle a queir apostolato popolare che, coll'azione cattolica, vuole la Chiesa ad esse affidato. Cattolici di fede sterile, inoperosa, o, peggio ancora, cattolici alla cui fede contraddicano le opere, non potranno mai essere braccia utili alla grande impresa della restaurazione sociale, la quale per potersi efficacemente diffondere deve incominciare da chi se ne professa apostolo. Non si contentino adunque Eglino di andare al popolo: si studino sopratutto di formarne l'anima profondamente cristiana.

Il Santo Padre confida che l'impulso che le LL. SS. daranno alia propaganda cattolica nell'Umbria sarà tale da assicurare pratici e durevoli risultati a bene delle anime ed a soddisfazione dei promotori stessi, i quali un giorno, rivolgendo lo sguardo sulle conquiste del loro apostolato, se ne potranno, giova sperarlo, santamente rallegrare *« ut qui laetantur in messe »*. E messe ubertosa fa invero sperare il ben noto zelo delle SS. LL. per la gloria di Dio. A questo zelo Sua Santità non dubita che darà efficacia maggiore la cooperazione dell' Episcopato Umbro che, conscio dei bisogni del tempo, volonteroso e concorde presterà Loro tutto l'appoggio della sua alta autorità: e questa alla sua volta sarà sprone di salutare e costante operosità al clero e principalmente ai parroci della regione. Unite così, nel nome e nella carità di Cristo, coi Loro Vescovi e col clero locale le LL. SS., in conformità delle direttive pontifìcie ed in piena dipendenza dalle quattro grandi Unioni nazionali, centri del movimento cattolico italiano, si consacreranno mente e cuore alla organizzazione dell'azione cattolica nel-

l'Umbria che « *madre gloriosa e privilegiata di Santi* » vedrà per essa rifiorire il regno di Dio nella famiglia e nella società.

Guardando fiducioso a questo lieto avvenire l'augusto Pontefice imparte alle SS. LL. l'apostolica benedizione e con essa invoca sulle Loro persone ed opere copiosa la benedizione di Dio, che fecondi i lavori ai quali sono per porre mano e sia augurio di prospero ed ampio successo.

Ed io mi valgo ben volentieri in quest' incontro per professarmi con distinta stima

delle SS. LL.

Roma, 3 Gennaio 1910.

Devmo

L.)$(S. • R. CARD. MERRY DEL VAL.

III.

AD PETRUM PEDACE, PRAESIDEM COETUS REGIONALIS CALABRIAE, OB INSTAURATACI IN CALABRIA ALACRIOREM ACTIONEM CATHOLICAM.

Il Santo Padre ha ricevuto e letto con piacere il devoto indirizzo che V. S., in nome di codesto Consiglio Regionale della Gioventù Cattolica Italiana, Gli ha inviato alla vigilia di una più energica ripresa d'opera di organizzazione della gioventù cattolica calabrese. Questo salutare risveglio di azione cattolica in cotesta regione, in cui le tracce ancora profonde di non lontana catastrofe fanno sentire più vivo il bisogno di una risurrezione non solo materiale, ma ancora, e principalmente, morale e religiosa, apre l'animo a Sua Santità alle più liete speranze per l'avvenire di un popolò particolarmente caro al paterno Suo cuore. L'augusto Pontefice è pieno di fiducia neh' aiuto del Signore, il quale *mortifica* e *vivifica,* e confida nello zelo di V. S. e dei componenti codesto Consiglio Regionale, e nella docile corrispondenza dei giovani calabresi. E mentre ai primi, ad assicurare all'opera loro pratici e durevoli risultati, raccomanda una costante alacrità ispirata alle direttive pontificie ed in accordo con i centri maggiori del movimento cattolico nazionale, esorta i secondi ad aprire l'animo alia voce del Signore che, offrendo loro nella desiderata organizzazione una più larga partecipazione ai divini benefìci, li invita a crescere e neh"»età e nella grazia dinanzi a Dio e dinanzi agli uomini. L'episcopato ed il clero regionale, consci delia propria missione e dei bisogni del popolo alle loro. cure affidato, vorranno ben volentieri dividere le fatiche ed i meriti di questo santo apostolato e concorrere anch'essi a preparare a coteste desolate terre nuove genera-

zioni dalla fede viva e santamente operosa. A fortificare intanto lo zelo di V. S. e di quanti la coadiuvano in questa benefica impresa, ed a renderlo fecondo di frutti di eterna vita, il Santo Padre imparte a tutti ed a ciascuno in particolare l'apostolica Benedizione.

Ed, io lieto di aver colla presente eseguito l'onorifico incarico anidatomi dall'augusto Pontefice, mi valgo ben volentieri dell'incontro per professarmi della S. V.

Roma li 15 Gennaio, 1910.

Devotissimo

R. CARD. MERRY DEL VAL.

IV.

AD HENRICUM LUCIEN-BRUN, DIRECTOREM PERIODIC1 " REVUE CATHOLIQUE DES INSTITUTIONS ET DU DROIT OB ACCEPTAS OMINATIONES.

Monsieur le Directeur,

Le Saint Père m'a chargé de vous exprimer les sentiments de grande bienveillance, avec lesquels II a agréé les vœux que vous Lui avez offerts en votre nom et au nom de tous les hommes éminents qui prennent part aux travaux et congrès de Iurisconsultes catholiques, et sont vos collaborateurs à la *Revue catholique des Institutions et du Droit.* Le Saint Père est heureux de vous donner en cette occasion les encouragements les plus affectueux pour que vous continuiez la tâche entreprise. Dans les circonstances si graves dans lesquelles se trouve la France catholique, alors que le pouvoir législatif n'est malheuresement trop souvent aux mains des ceux qui le détiennent, qu'un instrument de persécution, il est nécessaire que des hommes, joignant à des principes religieux inflexibles une connaissance approfondie des questions juridiques, puissent venger le droit trop souvent méconnu, et tout au moins, éclairer ceux qui font les lois, ceux qui les appliquent, et ceux qui les subissent.

Le Saint Père, en gage de Sa paternelle affection, vous accorde à tous la Bénédiction apostolique.

Je vous prie d'agréer, monsieur le Directeur, l'expression de mon entier dévouement en Notre Seigneur.

Le 17 Janvier 1910.

R. GARD. MERRY DEL VAL.

V.

AD R. P. D. IACOBUM CARDONA, EPISCOPUM TITULAREM SIONENSEM, OB COLLECTAM STIPEM SUMMO PONTIFICI OBLATAM.

Muy Venerable Sr. Obispo,

Con su atenta carta, he recibido el óbolo que en nombre propio y de los Capellanos del Ejército, sujetos á su jurisdicción delegada, remite V. para remediar las muchas necesidades del Sumo Pontífice, acompañándolas muy dignamente con las frases del mayor respeto y de la más profunda adhesión.

Muchas gracias tengo encargo de darle, en nombre del Santo Padre por acto de tan generosa candad; pero se las doy mucho mayores, Sr. Obispo, aprovechando la ocasión de escribirle para agradecerle el celo pastoral con que V. ha trabajado y trabaja para que el clero Castrense de España sea un clero distinguido por su piedad y celo sacerdotal en el delicado desempeño de sus ministerios. Ha sido muy consolador para el paternal corazón de Su Santidad el saber los ejemplos de celo y valor que acaba de dar ese clero, en las dolorosas circunstancias por que acaba de atravesar España.

Partícipeles á todos una especialísima Bendición apostólica; y dígnese aceptar los afectos con que me es muy grato reiterarle de V. Sr. Obispo, atento seguro servidor.

21 Enero 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

VI.

AD R. P. D. LEONEM ADULPHUM AMETTE, ARCHIEPISCOPUM PARISIENSEM, DE NUPERRIMA CLADE PARISIENSI.

Monseigneur,

Le Saint Père a accordé bien volontiers à Votre Grandeur, ainsi que je vous l'ai télégraphié, la faculté de donner les dispenses qui vous paraîtraient nécessaires, relativement aux observances du Carême. Sa Sainteté a désiré être tenue au courant de toutes les nouvelles de France, et Elle a été heureuse d'apprendre qu'elles sont meilleures depuis quelques jours.

Mais la pensée du deuil qui vous afflige remplit toujours de compassion Son cœur paternel, particulièrement sensible à tout ce qui touche

votre patrie bien aimée. Le magnifique élan de charité avec lequel les victimes des inondations sont secourues, a été pour le Saint Père un sujet d'admiration et de consolation.

Votre Grandeur a donné un bel exemple en surmontant toutes les fatigues pour se rendre, en ces heures tragiques, auprès de son peuple si affligé.

Dans les autres régions de la France semblablement éprouvées, les premiers pasteurs, le clergé, les religieuses, les associations catholiques ont été fidèles, comme à Paris, aux traditions séculaires de l'Eglise qui, à côté des ruines amoncelées, a toujours multiplié les merveilles de sa générosité, de son dévouement et de son héroïsme.

En même temps, la prière expiatrice qui s'élevait des hauteurs de Montmartre pour implorer la miséricorde du Cœur Sacré de Jésus, rayonnait comme une céleste lumière sur les circonstances douloureuses que Dieu avait permises.

Emu par ce spectacle et regrettant seulement de ne pas avoir pu contribuer encore plus largement aux besoins créés par un si grand désastre, c'est de tout cœur et avec effusion que le Saint Père Pie X vous accorde ainsi qu'à votre peuple le bienfait de la Bénédiction apostolique.

Je vous prie, Monseigneur, de vouloir bien agréer l'expression de mes sentiments très dévoués en Notre Seigneur.

Le 5 Février 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI SACRAMENTI

La prova scritta per il concorso ad un posto di ufficiale minore nella Sacra Congregazione per la disciplina dei Sacramenti, indetto il giorno 19 Gennaio p. p., avrà luogo il 12 Marzo.

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Stamane, primo febbraio 1910, nel Palazzo Apostolico Vaticano, all'augusta presenza del Santo Padre si è tenuta la Congregazione Generale dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali, i Rmi Prelati ed i Consultori teologi componenti |la medesima, hanno discusso e dato il loro voto sul dubbio delle virtù in grado eroico nella Causa di beatificazione e canonizzazione del Ven. Francesco Maria Paolo Libermann, fondatore della Congregazione del Sacro Cuore di Maria.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Il Santo Padre, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnato di nominare:

Protonotari apostolici ad instar:

30 Decembre 1909. — Il Rev. D. Giuseppe Dahl, Vicario Generale della dioc. di Spira e Preposto della Chiesa Cattedrale.

Prelati domestici:

22 Decembre 1909. — Il Rev. D. Pietro Gajani, Parroco di S. Martino in Bologna;

— Mons. Paolo Pisanello, Parroco dell'Assunta ai Frari in Venezia e canonico onorario di S. Marco.

4 Gennaio 1910. — Il Rev. D. Carlo Braig, Prof, di teologia nell'Università di Friburgo.

7 Gennaio 1910. — Il Rev. D. Giovanni G. Mac Cort, già Prof, di teologia e Procuratore fiscale della Curia Arcivescovile di Filadelfia;

— Il Rev. D. Luca V. MacCabe, Prof, di teologia nel Seminario in Filadelfia;

7 Gennaio 1910. — Il Rev. D. Giorgio Bornemann, Rettore della Chiesa di S. Paolo in Reading, diocesi di Filadelfia.

8 Gennaio 1910. — Mons. Giacomo Hodr, Canonico della Cattedrale e Cancelliere Vescovile della diocesi di Brünn.

ONORIFICENZE

Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnata conferire le seguenti onorificenze:

La Commenda dell' Ordine di S. Gregorio magno, classe civile

29 Decembre 1909. — Al Sig. Massimiliano Wallraf, Prefetto di Colonia;

— Al Sig. Rodolfo Schmidt, Presidente Capo delle ferrovie del distretto di Colonia;

— Al Sig. Carlo de Weegmann, Custode Capo della Polizia in Colonia;

— Al Sig. Federico Carlo Heimann, Architetto del Municipio di Colonia;

— Al Sig. Conte Agostino de Galen, Cameriere Segreto di Spada e Cappa di S. S., della diocesi di Colonia;

— Al Sig. Barone Massimiliano de Geyr-Schweppenburg, Cameriere Segreto di Spada e Cappa di S. S., della diocesi di Colonia.

10 Gennaio 1910. — Al Sig. Enrico Rillard de Verneuil, Vice-Presidente del Consiglio dei Pellegrinaggi dell'Associazione di N. Signora della Salute, della diocesi di Soissons.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio magno, classe civile:

30 Decembre 1909. — Al Sig. Angelo Brunetti, della diocesi di Bologna.

4 Gennaio 1910. — Al Sig. Gabriele Guignony, Vice-Console onorario di Francia, benefattore della Missione cattolica in Abissinia.

11 Gennaio 1910. — Al Sig Avv. Giuseppe Sjongers in Anversa, diocesi di Malines.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio magno, classe militare:

4 Gennaio 1910. — Al Sig. Conte Ladislao Cziráky di Czirák e Dénesfalva, già addetto all'Ambasciata d'Austria-Ungheria presso la S. Sede.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro con placca:

30 Decembre 1909. — Al Sig. Rodolfo Marschall, Prof, incisore a Vienna.

Il Cavalierato dell' Ordine di S. Silvestro con placca:

29 Decembre 1909. — Al Sig. Carlo Laach, Direttore delle Ferrovie in Colonia;

— Al Sig. Kantz Mattia, Ispettore di Polizia in Colonia.

4 Gennaio 1910. — Al Sig. Ercole Grossoni, Presidente del Circolo del SS. Cuore di Gesù in Milano.

7 *Gennaio.* — Al Sig. Carlo Beccari, Ing. addetto all'ufficio del Foriere Maggiore dei SS. Palazzi Apostolici, Roma.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggior- * domo, si è degnata di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari:

5 Gennaio 1910. — Mons. Clemente Micara.

7 Gennaio. — Mons. Carlo Bilcih, della archidiocesi di Olmütz;

— Mons. Giovanni Litwinowicz, della archidiocesi di Leopoli.

17 Gennaio. — Mons. Alessandro Carlo de Mahien.

18 Gennaio — Mons. Gaetano Dattilo, della diocesi di Cosenza.

22 Gennaio 1910. — Mons. Giovanni Martino De Almeida, Parroco di Bello Horizonte (Brasile);

— Mons. Francesco Beziák, della diocesi di Cassovia.

— Mons. Giuseppe Lentzen, della archidiocesi di Colonia;

~— Mons. Alberto Meienberg, della diocesi di Basilea.

9 Febbraio 1910. — Mons. Ilario Zanoni, della diocesi di Verona;

— Mons. Mattia Fischmeister, della diocesi di Budweis.

Camerieri d'onore in abito paonazzo:

7 Gennaio 1910. — Mons. Costantino Kuryllo, della archidiocesi di Leopoli;

— Mons. Carlo Lorenzetti, della diocesi di Massa Carrara;

— Mons. Vincenzo Martinez Gámes, della diocesi di Jaen;

— Mons. Francesco Macioce, della diocesi di Sora.

22 Gennaio 1910. — Mons. Giuseppe Alessi Battù, della diocesi di Piazza Armerina.

Camerieri d'onore di spada e cappa soprannumerari:

12 Gennaio 1910. — Il Sig. Conte Paolo Ceccopieri.

Cappellani segreti d'onore:

7 Gennaio 1910. — Mons. Agnello Marrazzo, della diocesi di Nocera dei Pagani.

Annus II. - Vol. II Die 28 Februarii 1910. Num. 3,

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

EPISTOLAE

DILECTO FILIO IOSEPHO BALLERINI, ADLECTO INTER ANTISTITIS DOM. FONT., OB OPERA APOLOGETICA SUMMO PONTIFICI OBLATA.

Dilecte fili; salutem et apostolicam benedictionem. — Inter viros ingenio litterisque praestantes e Clero Italiae iure tu quidem numeraris; qui iampridem in praesidium ac tutelam cum sanae philosophiae, tum doctrinarum Fidei multam operam, eamque utilissimam, conferre soles. Hac te dignum opinione ii tui comprobant libri, quos pro natura temporum edidisti, vel ut *Socialismi* insanias convinceres, vel ut matrimonii stabilitatem defenderes, vel maxime ut errores perniciosissimos *Modernismi* refutares. Qua in re magnae est opportunitatis duplex illud opus: alterum, quo eos refellis qui, contra principium rationis colligentis ex effectis causas, negant ex universitate rerum argumentando certe confici, Deum esse; alterum, quo brevem doctrinae catholicae defensionem complexus es in usum studiosae iuventutis. Iam vero non minus opportunum modo accessit his volumen, a te Nobis, ut reliqua, pie exhibitum, in quo simul absurdam inanitatem errorum horum, simul firmissima catholicae fidei fundamenta demonstras. Nos itaque et gratias tibi pro tuae pietatis officiis agimus, et fructibus sollertiae tuae gratulamur, et te hortamur magnopere, ne tua in Clerum adolescentem promerita docendo scribendo augere desistas. Auspicem autem caelestium munerum, tibi, dilecte fili, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

" Datum Romae apud S. Petrum, die xiv Februarii MCMX, Pontificatus nostri, anno septimo.

PIUS PP. X.

IL

VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS REIPUBLICAE MEXICANAE, UT, OCCASIONE SOLEMNIUM SAECULARIUM INSTITUTAE REIPUBLICAE, CHRISTIANO! SPIRITUM POPULI EXCITARE STUDEANT.

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Per solemnia saecularia. quae mox istic agentur ob memoriam institutae reipublicae, vestrum esse consilium accepimus celebres supplicationes indicere, quibus et debitae Deo omnipotenti grates persolvantur ob collata usque adhuc civitati beneficia, et divina in posterum benignitas imploretur. Optimum sane consilium, planeque dignum vestro vel studio divinae gloriae, vel amore erga communem patriam: quod Nos videlicet non possumus quin laudemus vehementer et probemus. Sed, quum vos illud exsequemini, nolumus praetermittatis occasionem, quae se vobis dabit praeclara ad excitandos vestrorum populorum christianos spiritus. — Etenim bonorum omnium caput, quorum gens Mexicana, divino munere, compos est, in christiana fide sapientiaque consistit: quae, quum viam muniat homini ad salutem sempiternam, tum ad civilem ipsam prosperitatem, quod ipsa eloquitur historia, affert momenta maxima. Hanc vestrates, traditam sibi a maioribus hereditatem, ut incorruptam servent, vobis nimirum est, uti debet esse, curae. Servabunt autem eo diligentius, quo magis cognitam habuerint. Itaque velimus, non solum ut per istas ferias sacrae ubique habeantur conciones de praeceptis institutisque Fidei, sed e'. -'iam ut perpetua quaedam constituantur Opera, per quae christianae consulatur institutioni populi, praecipueque iuventutis. Equidem in causa tanta non vos defuturos vestris partibus, pro certo habemus. Verum ante omnia curabitis, ut vestri cives summa semper pietate colant magnam Dei Matrem; quam quidem, potissimum in templo Guadalupensi, tam praesentem et benignam experiri consueverunt. Nam quae a Patribus Concilii plenarii Americae Latinae merito praedicatur « Nutrix atque educatrix populorum istorum in fide dilectissimi Filii sui» in ipsius patrocinio intelligant per vos Mexicani summum sibi esse praesidium ad retinendam avitam fidem." — Praeterea, quoniam satis non est christianam profiteri sapientiam, nisi ei professioni vita moresque congruant, opportunum fuerit in iis supplicationibus, quas estis indicturi, dare operam, ut, implorata piacularibus precibus divina venia de peccatis populi, solemnis quaedam, omnium nomine, sponsio fiat, sanctissimus Dei legibus obedienter obtemperandi, nominatim quod ad religiosam observantiam dierum festorum attinet. Iam vero ad recte sancteque

vivendum mirifica subsidia suppetunt christianis in augusto Eucharistiae Sacramento, quo ipse fons continetur christianae vitae. De illo quisquis sitienter haurire solet, fieri non potest quin sensim evadat melior meliusque hi dies ipsius Iesu Christi imaginem referat. Vos igitur, si vultis vestros et privatim et publice christianis florere virtutibus, eos ad frequentandam rite sacratissimam Eucharistiam hortari non cessabitis. Nec vero negligetis ea nostrorum instituta, quae beneficam Ecclesiae sanctae virtutem explicant in omnes ordines civium, praesertim tenuiorum: quin imo vestra auctoritate instantiaque fiat, ut istic etiam illa exsistant ac vigeant, in primisque Opera quibus multiformis beneficientia ministratur christianae caritatis. Quo autem facilius in officio contineatis opifices, tutosque ab insidiis *Socialismi* praestetis, iis magnopere auctores eritis, ut, coniungendo inter se vires, Religione auspice et magistra, rationibus suis ipsi consulant. Quod reliquum est, quoniam mores infinita scribendi licentia et spectaculorum corruptelis depravantur maxime, vos non satis habere debetis utrumque denuntiare periculum, sed contendere a catholicis, ut iis tantum suffragentur iri utroque genere qui pudicitiam custodiant Religionemque observent. Ac de diariis et libellis, ut aiunt, *periodicis,* utinam omnes boni sibi suadeant, omni ope curandum ut scripta id genus vere catholica catholicis suppeditent: certe nihil est quod hodie pluris interesse putemus. — Haec Venerabiles Fratres, admonere vos habuimus hoc tempore: quae si vos, pro vestra pastoralis officii diligentia, studueritis adducere ad effectum, non ista civitatis Mexicanae solemnia carebunt optimis fructibus. Nos interea,, caelestium auspicem munerum ac benevolentiae Nostrae testem, vobis et universae genti Mexicanae apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII Februarii MCMX, Pontificatus Nostri, anno septimo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO S. OFFICII

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

Die 17 Februarii 1910.

SSmus Dnus Noster Pius divina Providentia PP. X, in Audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, universis christifidelibus infrascriptas preces cum versiculis et oratione in honorem S. Raphaelis Archangeli corde saltem contrito ac devote recitantibus indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque adplicabilem, semel in die lucrandam benigne in perpetuum concessit, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Aloisius Giamben^, *Substitutus pro Indulgentiis,*

ORAZIONE ALL'ARCANGELO S. RAFFAELE PER GLI EMIGRANTI.

I. - 0 Arcangelo S. Raffaele, che foste fedele compagno al giovinetto Tobia nel lungo viaggio dalla Siria alla Media scampandolo da tanti pericoli, e specialmente da quello di morte, che incorse nel fiume Tigri, deh vi supplichiamo con tutto il cuore, siate guida sicura ed angelo consolatore ai nostri cari nel lungo viaggio che devono intraprendere per portarsi in terre straniere; Voi teneteli lontani da tutti i pericoli di anima e di corpo, e fate, possano giungere felicemente al porto desiderato. - *Gloria Patri* etc.

II. - 0 Arcangelo S. Raffaele, che giunto nella Media prodigaste al giovanetto Tobia i più segnalati favori portandovi voi stesso nella città di Rages a riscuotere il danaro da Gabello; facendogli trovare in Sara liberata dalla schiavitù del demonio, una degna consorte, e ricolmandolo di beni di fortuna; deh guardate, umilmente vi supplichiamo, i nostri cari che si trovano in terre straniere; anche con essi siate largo della vostra celeste protezione, prospe-

rando le loro fatiche a bene delle amate nostre famiglie, e salvandoli da tante insidie, che verranno tese alle loro anime, affinchè abbiano da conservare il tesoro prezioso della fede; e dietro questa conformare sempre la loro condotta. - *Gloria Patri* etc.

III. - 0 Arcangelo S. Raffaele, che fedele alla vostra missione, sano e salvo riconduceste in Siria il giovanetto Tobia, ricolmando la sua casa di benefìci e di grazie, e ridonando persino la vista al cieco padre, deh compite l'opera vostra a pro dei nostri cari emigranti. Ridonateli a suo tempo sani e salvi alle amate loro famiglie, e fate che il loro ritorno ci sia fonte di consolazione, di prosperità, di ogni più eletta benedizione; e noi pure come la famiglia di Tobia, dopo di avervi ringraziato di tutte le sollecite vostre cure, con voi ci uniremo per lodare, benedire e ringraziare il Datore di ogni bene. E così sia. - *Gloria Patri* etc.

f. Ora pro nobis, Archangele Raphaël.
R). Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Deus, qui beatum Raphaëlem Archangelum Tobiae famulo tuo comitem dedisti in via: concede nobis famulis tuis, ut eiusdem semper protegamur custodia et muniamur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I.

DE SACERDOTUM POLONORUM ADMISSIONE IN CLERUM DIOECESANUM STATUUM FOEDERATORUM AMER. SEPT.

Anno proxime elapso, Episcopus Superiorensis quaesivit ab hac S. C. Consistoriali -utrum instructio data a S. C. de Propaganda Fide die 25 Februarii 1896 ad Revmos Ordinarios Statuum Foederatorum Amer. Sept. post Constitutionem *Sapienti consilio* adhuc in suo vigore maneret necne.

Citata instructio ita se habet « nullus sacerdos, vel ad statum ecclesiasticum candidatus, ex Polonia oriundus, etiamsi ex Italia vel alia « dioecesi mediate migraverit, in clerum dioecesanum admittatur, nisi « testimoniales litteras exhibeat huius S. C. quibus de legitima discedendi a dioecesi facultate, de immunitate a censuris, necnon de bonis « moribus praesentantis plane constet ».

Propositum itaque fuit in S. C. hoc dubium solvendum, « utrum post « Const. *Sapienti consilio* adhuc vigere dicenda sit instructio S. G. de « Propaganda Fide diei 25 Februarii 1896 relate ad clericos polonos in « Status foederatos Americae Septentrionalis migraturos ».

Re autem mature perpensa Emi PP. in generali conventu diei 9 Decembris 1909 respondendum censuerunt: « Post Const. *Sapienti consilio* standum decretis S. C. Concilii ».

Insequenti autem die ab Emo Secretario, facta SSmo Dño relatione, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum ratam habuit et confirmavit.

Decreta autem de quibus mentio fit in resolutione superius relata haec sunt: decretum 14 Novembris 1903 de clericis in Americam et ad Insulas Philippinas profecturis: decreta 20 Iulii 1898 et 24 Novembris 1906 de clericorum et laicorum excardinatione et sacra ordinatione; denique decretum 22 Decembris 1905 de seminariorum alumnis.

En ipsa decreta ex integro.

J. - Decretum 14 Novembris 1903 de clericis in Americam et ad Insulas Philippinas profecturis. Vide *Acta Apostolicae Sedis, 1. 1, p: 692.*

II. - DE CLERICORUM EXCARDINATIONE A PROPRIA DIOECESI
ET INCARDINATIONE IN ALIA, ET DE EORUMDEM ORDINATIONE.

A primis Ecclesiae saeculis plura Sacra Concilia decreverunt, quod recentius confirmavit Tridentinum *cap. S, sess. 23, de reform.,* neminem nisi a proprio Episcopo posse ordinari. Proprius autem alicuius Episcopus, iuxta ea, quae praefinivit in primis Bonifacius VIII in Sexto Decret. *cap. Cum nullus, De tempore Ordin.,* « intelligitur in hoc casu Epi« scopus, de cuius dioecesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat, « oriundus, seu in cuius dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu << habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem ». Deinde cum consuetudo invaluerit, ut Episcopi familiares suos, etsi alienae dioecesis, sacris initiarent, et sancta Tridentina Synodus *cap. 9, sess. 23, de reform,* id certis sub conditionibus probaverit, obtinuit, ut tribus prioribus titulis, originis, domicilii et beneficii, quibus ius fiebat Episcopis aliquem ad Ordines promovendi, quartus quoque accenseretur, scilicet familiaritatis. Cum autem de huiusmodi titulis disceptaretur, Innocentius XII App. Litt. incipientibus *Speculatores,* datis die 4 Nov. 1694, determinavit ac constituit quo sensu et extensione iidem essent accipiendi ad eum effectum, ut quis proprius fieret alicuius Episcopi subditus, quo legitime ordinari valeret. Quae Constitutio ut suprema lex deinde habita est, eaque duce omnes quaestiones diremptae. — Verum nostris temporibus novae contentioni frequens se praebuit occasio. Pluribus enim in locis usu receptum est ut clerici, qui e sua dioecesi digredi et in alia sibi sedem constituere desiderarent, excardinationem quam vocant, id ' est plenam et perpetuam dimissionem a suo Ordinario peterent; eaque innixi in alia dioecesi incardinationem seu adscriptionem implorarent: qua obtenta, eo ipso ut proprii novi Episcopi subditi ad ulteriores Ordines suscipiendos admitterentur. Quae agendi ratio, ubi caute prudenterque adhibita fuit, absque querelis processit, sed nonnullis in locis, ubi necessaria cautio defuit, controversiis et abusibus viam saepenumero patefecit. Quapropter Emi S. C. Concilii Patres, rebus omnibus mature perpensis, praesenti generali decreto haec statuenda censuerunt:

1. Excardinationem fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi incardinatione in alia dioecesi executioni demandata.

% Incardinationem faciendam esse ab Episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive

tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius, quod Constitutio *Speculatores* pro domicilio acquirendo praescribit.

3. Ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitima documento constiterit alienum clericum, a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si, opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.

4. Hac ratione adscriptos posse quidem ad Ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat, eum diutius probari. Et meminerint, quod, sicut «nullus debet ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut « necessarius suis Ecclesiis », ut in *cap. 16, sess. 23, de reform.*, Tridentinum statuit; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate dioecesis.

5. Quo vero ad clericos diversae linguae et nationis, oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant; ac numquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint, secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

6. Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt, vel nolunt, standum esse dispositionibus Constitut. *Speculatores* quae, nihil obstante praesenti decreto, ratae ac firmae semper manere debent.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo Domino Nostro per infrascriptum Cardinalem S. C. Concilii Praefectum, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum benigne adprobare et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. C. Concilii, die 20 Iulii 1898.

A. CARD. DI PIETRO, *Praefectus.*

L. % S.

+ Beniaminus Archiep. Nazianzenus, *Pro-Secreta*

III. - DE CLERICORUM EXCARDINATIONE ET INCARDINATIONE.
, V EORUMQUE SUB SEQUENTI ORDINATIONE.

Decreto diei 20 mensis Iulii 1898, quod incipit *A primis,* Emi S. G.. Concilii Patres, probante v. m. S. P. Leone XIII, circa *excardinationem et incardinationem* clericorum eorumque subsequentem ordinationem, haec quae sequuntur statuerunt: « 1. ° Excardinationem fieri non licere nisi iustis de causis nec effectum undequaque sortiri, nisi *incardinatione* » etc.

Sed pluribus in locis mos iam pridem invaluerat ut quaedam litterae quasi *excardinatoriae,* seu *excorporationis* aut *exeat* nuncupatae,, laicis quoque traderentur, eodem ferme modo ac pro clericis fieri consueverat: quibus litteris Episcopus originis laicum suae dioecesis subditum dimittebat, et ius nativum, quo pollebat eum in clericalem statum? adscribendi, in alium Ordinarium transferre eique cedere videbatur: et vicissim hic illum suscipiens eum proprium subditum sibi facere, et qua talem ad primam tonsuram et ss. Ordines promovere libere posse arbitrabatur, quin aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis subditus sibi esset iuxta Constitutionis *Speculatores* praescripta. Porro evulgato decreto *A primis,* de huius praxis legitimitate disputari coepit, et plura dubia hac de re ad S. Sedem delata sunt. Quapropter de mandato SSmi quaestione semel et iterum in hac S: Congregatione examinata, tandem die 15 Septembris 1906 Emi Patres censuerunt, permitti posse, si Sanctitas Sua id probaverit, ut praefatae litterae, quibus laici a propria dioecesi dimittuntur, ab Ordinariis concedantur, earum vi extradioecesanus fieri proprius valeat Episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad clericalem tonsuram et ad ss. Ordines ab eo promoveri; dummodo tamen:

1. ° Dimissio ab "Episcopo proprio ex iusta causa, in scriptis et pro determinata dioecesi concedatur.

2. ° Acceptatio ne fiat nisi servatis regulis quae pro clericis *incardinandis* statutae sunt, et superius sub num. II, III, IV et V recensentur; et servato quoque decreto *Vetuit* diei 22 Decembris 1905 quoad alumnos a Seminariis dimissos.

3. ° Sed iuramentum ad tramitem Constitutionis *Speculatores* requisitum, praestandum esse ante clericalem tonsuram. Verum cum obligatio permanendi in dioecesi non propria, eique in perpetuum serviendi, ante maiorem aetatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum esse ab Episcopis ne ad. clericalem tonsuram admittant qui aetate maior non sit.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N, Pio Papae X ab infrascripto Secretario in audientia diei 16 Septembris 1906, Sanctitas Sua deliberationem Emorum Patrum probavit et confirmavit, mandavitque ut evulgaretur per litteras S. G. Concilii, ut omnibus ad quos spectat lex et regula esset, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 24 Novembris 1906.

CARD. VINCENTIUS, Episc. Praenestinus, *Praefectus.*

C. De Lai, *Secretarius.*

IV. - DE SEMINARIORUM ALUMNIS QUI, E SEMINARIO DIMISSI, IN ALIUD SE ADMITTI CURANT.

Vetuit S. Tridentina Synodus ad sacros Ordines ascendere, vel Ordines iam susceptos exercere eos omnes qui a suo Episcopo fuerint etiam extraiudicialiter prohibiti. Ita namque in *cap. 1, Sess. 14, de reform.,* statuitur:

« Cum honestius ac tutius sit subiecto, debitam Praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum « Praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, « cui ascensus ad sacros Ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, « etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit « interdictus, aut qui a suis Ordinibus seu gradibus vel dignitatibus « ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem « concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores Ordines? « gradus, dignitates sive honores, restitutio suffragetur».

Cum vero generalis haec lex Seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus sive clericatui adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non praebeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus, hic certe deberet, iuxta grave S. C. Concilii monitum, sui Pastoris iudicio subesse et acquiescere.

At contra saepe contingit ut e Seminario dimissi, eorum qui praesunt iudicium parvipendentes et in sua potius opinione confisi, ad sacerdotum! nihilominus ascendere studeant. Quaeritant itaque aliud Seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant, ac denique aliquo exhibito pius minusve sincero ac legitimo domicilii aut incardinationis titulo, Ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam saepissime fit ut Ecclesiae utilitati minime sint.

Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et Ordinationis, diu fastidioseque vexant ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, dioecesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cuius necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ubi imo eorum praesentia otiosa est, et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves angustias coniiciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum Episcopi inter se convenerunt statuentes in sua Seminaria neminem a^mittere qui ante fuerit a proprio dimissus.

Sed cum particularis haec conventio non plene neque undique sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleretur.

His itaque attentis, et omnibus ad rem mature perpensis, SSmus D. N. Pius PP. X, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet qui probatissimus non sit, accedente etiam voto Emorum S. G. Concilii Patrum in Congregatione diei 16 mensis Decembris 1905 emisso, praesentibus litteris statuit atque decernit:

1. ° Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praecludat.

2. ° Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio Seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut haec eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quod si permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic dioecesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et Ordinatione; sed aucti sacerdotio, in dioecesim, e cuius Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3. ° Pariter, cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum Institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, vetantur in dioecesim redire e cuius Seminario dimissi fuerint.

4. ° Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole, et ingenio dimissorum et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniant.

Denique meminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine propria manus cuiquam imponere qui subditus sibi non sit eo modo, et uno ex iis titulis, qui in Constitutione *Speculatores* Innocentii XII et iri decreto S. G. Concilii quod incipit *A primis* die 20 m. Iulii 1898' statuuntur. Ac pariter neminem ordinari posse qui non sit utilis aut necessarius pro, ecclesia aut pio loco pro quo assumitur, iuxta praescripta a S. Tridentino Concilio in c*ap J. 6, Sess. 23, de reform. '*

Vult autem Sanctitas Sua ut statuta haec et cautelae omnes a sacris, canonibus in re tam gravi adiectae, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiae et sollicitudini quam maxime commendat.

Praesentibus valituris contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 22 Decembris 1905.

CARD. VINCENTIUS, Episc. Praenestinus, *Praefectus.*

L. © S .

C. De Lai, *Secretarius.*

II.

COMMUTATIONIS FINIUM DIOECESUM.

DE INSULA S. HONORATI.

De avulsione insulae S. Honorati a dioecesi Foroiuliensi eiusque ad dioecesim Niciensem adiectione recens penes Sacram Congregationem Consistorialem instituta fuit quaestio.,

Porro rebus omnibus perpensis, et de iisdem per Emum Cardinalem Secretarium in audientia diei 18 Februarii 1910 facta SSmo Domino Nostro fideli relatione, de Eiusdem mandato statutum est, ut S. Honorati insula, nulla prorsus admissa immutatione, dioecesi Foroiuliensi ut antea servetur, eiusdemque dioecesis uti pars perpetuo habeatur.

Die 22 Februarii 1910.

Carolus Perosi, *Substitutus.*

III.

NOMINATIONES EPISCOPORUM.,

Decreto S. Congr. Consistorialis nominati sunt Episcopi:

31 ianuarii 1910. - Rmus D. Apollonius Maggio, Archipresbyter civitatis *Schio,* dioeces. Vicentinae, ad Ecclesiam titularem episcopalem Lystrensem (Lystri).

3 februarii 1910. - R. P. Angelus Alphonsus Maria Ettinger, monachus O. S. B., archicoenobii Montis Casini, Abbas nullius SSmae Trinitatis Cavensis (SS. Trinità della Cava dei Tirreni)

15 februarii 1910. - Rmus D. Augustinus Cattaneo, Vicarius generalis et Canonicus ecclesiae cathedralis Cremensis (Crema) ad sedem Episcopalem Guastallensem (Guastalla).

. *17 februarii 1910..* -. R. D. Ioannes Iosephus Nilan, ad sedem Episcopalem Hartfordiensem (Hartford) in Statibus foederatis Americae.

, *22 februarii 1910.* - *R.* D. Petrus Zanolini, professor theologiae moralis in Seminario Patavino (Padova) ad sedem Episcopalem Fabrianensem et Mathelicensem (Fabriano e Matelica).

S. CONGREGATIO CONCILII

GERUNDEN. *(Gerona).*

DUBII CIRCA INDULTUM BULLAE CRUCIATAE.

Die 22 Ianuarii 1910.

Episcopus Gerundensis nuper dubium diluendum circa indultum Bullae Cruciatae S. C. proposuit ac plura ad dubii clariorem intelligentiam praemisit. Praestat autem illius verba referre, quae ita se habent:

« Emus Dominus Cardinalis Commissarius Generalis > Apostolicus Sanctae Cruciatae in Hispania, die 15 Maii 1889, preces Suae Sanctitati porrexit, quod sequitur ostendens:

« 1. ° Orator et omnes ipsius Praedecessores in eodem munere constanter tenuerunt, Episcopis non contradicentibus, imo approbantibus, pauperes et opifices, ut diebus prohibitis carnibus licite vesci possent obstringi sumere Bullam Cruciatae, excepto indulto carnis, quod supplere valent per recitationem precum.

« 2. ° Nonnulli theologi et ex his verbi divini praedicatores interpretantes aliter ac Commissarii Apostolici Breve Pii VII, 7 Augusti 1801, proindeque dissentientes a sententia ac praxi Commissariae, opinabantur pauperes et operarios et alios, his similes, non indigere summario Indulti carnis neque summario Cruciatae, ' ac iisdem pro utroque sum-

mario orationem sufficere. Quapropter Emus Orator •opportunum duxit supremo iudicio Sanctae Sedis sententiam ac praxim Commissariae submittere, quod fecit, annuens praeterea ad id votis plurimorum Antistitum per memoratas preces.

« His precibus Emus Secretarius Status Suae Sanctitatis, litteris 12 Martii 1890, ita respondit: " Proposito Commissioni Cardinalium S. Congregationis super negotiis ecclesiasticis extraordinariis sequenti dubio: An pauperes et operarii teneantur elargiri eleemosynam ut privilegiis Bullae Cruciatae frui valeant " Emi Patres responderunt: *Nihil esse innovandum.* Continuatim Emus Secretarius addidit: " Probe noscet Eminentia Vestra, ex hac decisione approbata etiam a Sanctissimo, reiecta qualibet alia opinione, confirmatam esse praxim, quam usque nunc Commissarii Generales Sanctae Cruciatae sequuti sunt ".

« Episcopi una cum Commissario Generali existimarunt decisionem Cardinalium datam fuisse in sensu, quem clarissimis verbis Emus Secretarius patefecit, et ita declararunt, cum evulgaverunt in suis dioecesibus integrum responsum ipsiusmet Secretarii occasione praedicationis Bullae pro anno 1891.

«Nihilominus non desunt theologi, qui adhuc teneant ac doceant etiam in libris, tamquam probabilem opinionem contrariam sententiae et praxi Commissariae Apostolicae. Putant forsan Commissionem Cardinalium respondentem *Nihil esse innovandum,* quaestionem irresolutam reliquisse. Non attendunt vero, prout par attendere est, declarationem Emi Secretarii respondentis ex officio precibus porrectis Suae Sanctitati, qua declaratione sensus decisionis luce meridiana clarior apparet.

« Suscepto a me regimine huius dioecesis comperi in ea sacerdotes ex praestantioribus virtute et scientia, alios sustinere sententiam Commissariae, alios vero adhaerere contrariae etiam post dictam decisionem. Non paucis abhinc annis in ipsa dioecesi coepit notabiliter decrescere et adhuc decrescit reditus Bullae in detrimentum divini cultus et ipsorum pauperum. Timeo ne doctrina laxa super hac materia sit alia ex efficacioribus causis istius lamentabilis diminutionis. His omnibus expositis, reverenter ac enixe postulo: *Utrum relata sententia seu praxis constans Commissariae Generalis Apostolicae Sanctae Cruciatae, exclusa quacumque alia opinione, praesertim post praelaudatam decisionem, tenenda ac sequenda sit* ».

VOTUM CONSULTORIS. - Episcopus Gerundensis a S. G. postulat solutionem dubii circa Bullam Cruciatae. Substantia illius dubii in hoc vertitur ut sciatur an pauperes, ut possint in Hispania frui privilegio Indulti quadragesimalis, vi cuius in diebus ieiunii (exceptis pluribus diebus)

possint vesci carnibus, teneantur sumere saltem Bullam Cruciatae, erogata eleemosyna a Commissario Cruciatae taxata.

Fundamentum illius dubii est, quod Indultum quadragesimae a Pio VII concessum, deinde a Pio IX et postremo a Pio X feliciter regnante prorogatum (22 Ian. 1907), ad fruendum privilegio Indulti exigit ut a *divitibus* solvatur certa eleemosyna a Commissario Cruciatae taxanda et praeterea ut iidem divites sumant Bullam Cruciatae, erogata alia eleemosyna pro Bulla Cruciatae ab eodem Commissario determinata; adeo ut, pro divitibus Indultum quadragesimale fiat quoad valorem dependens a susceptione Bullae Cruciatae, qui proinde privilegio vescendi carnibus frui nequeunt, nisi erogata duplici eleemosyna in opera pia impendenda (ad tramites Concordati anni 1851). Porro ab onere erogandi eleemosynam Pius VII, ceterique Pontifices qui indultum prorogarunt, *pauperes* solutos esse voluerunt et nihilominus favore in Indulto concesso gaudere recitatis certis ad Deum precibus, iuxta intentionem Sanctitatis Suae.

Iam vero Commissarius Cruciatae solitus est ita Indultum quadragesimale interpretari, ut *pauperes,* qui in Indulto describuntur, sint quidem immunes ab obligatione sumendi Indultum soluta eleemosyna, sed ab onere dandi eleemosynam pro Bulla Cruciatae non sint deobligati. E contra plerique auctores theologiae moralis Hispani vel simpliciter tuentur vel saltem ut vere probabile et in praxi tutum tenent, pauperes, recitatis precibus ad mentem Sanctitatis Suae, omni officio functos esse, nec teneri, ut Indulto quadragesimali fruantur, ad elargiendam eleemosynam pro Bulla Cruciatae taxatam.

Priori sententiae Commissarii adhaeret Episcopus Gerundensis, innixus praesertim decisione communicata per litteras Emi Secretarii Status (12 Martii 1890), ideoque postulat a S. C. declarari sequens dubium: « Utrum relata sententia, seu praxis constans Commissariae Generalis « Apostolicae Sanctae Cruciatae, exclusa quacumque alia opinione, prae- « sertim post praelaudatam decisionem, tenenda ac sequenda sit».

Rmus Episcopus Gerundensis proposito dubio responsum putat esse dandum affirmativum; utque tale responsum affirmativum a S. G. detur postulat; quod suum iudicium et postulatum confirmat: 1. ° ex opinione et praxi in Commissaria Bullae Cruciatae vigente; 2. ° ex eo quod putet illam praxim confirmari responso contento in litteris Emi Cardinalis Secretarii Status; 3. ° ex malis, quae sequerentur ex doctrina contraria, quam passim tuentur nostri temporis theologi. Quae fundamenta aliquantulum examinanda sunt, eisque sunt opponenda argumenta contrariae sententiae.

Ac primo quidem negari non potest Commissarium Cruciatae in ea opinione constanter fuisse, pauperes, ut Indulto quadragesimali fruantur, teneri erogare eleemosynam pro Bulla Cruciatae taxatam, atque secundum illam opinionem sua edicta promulgasse in executionem praedicti Indulti (Cfr. huiusmodi edicta apud Hernaez, *Coleccion de Bulas tomo I, p. 853 seq.)*. At illa opinio et praxis Commissarii Cruciatae, ipso fatente Episcopo Gerundensi, non impedivit quominus theologi contrariam tenentur sententiam et merito quidem. Nam Commissarius Cruciatae non est constitutus *interpres* Indulti Pontificii, sed merus ipsius *promulgator* atque *executor: «Tibi vero, dilecte Fili,... committimus, ut has Litteras Nostras publicari et in omnium notitiam pervenire, easdemque opportunis remediis observari, et efficias eleemosynas a divitibus conferendas, secundum quod tibi in Domino videbitur expedire, laxes, ab iisque colligas separatim deponendas, atque in egenorum et pauperum levamen subsidiumque erogandas: preces fundendas pauperibus praescribas.... ».* Iam executor Indulti Pontificii, non habet auctoritatem illud authentice interpretandi atque alios obligandi ut interpretationem a se datam admittant; nihil ergo mirum quod, non obstante interpretatione Commissârii, theologi aliter senserint, ideoque interpretatio Commissarii praedictorum theologorum interpretationem non evertit, si ipsa aut certo aut saltem cum solida probabilitate in textu Indulti sit fundata.

At ab Episcopo Gerundensi aliud adducitur argumentum, in hoc fundatum quod Emus Cardinalis, Bullae Cruciatae Commissarius, die 15 Maii 1899, Sanctae Sedi exposuit sententiam et praxim in Commissaria vigentem et oppositam opinionem plurium theologorum, et memoratam praxim Commissariae supremo iudicio Sanctae Sedis submittebat. Precibus Emi Commissarii Emus Secretarius Status, litteris 12 Martii 1890 ita respondit: « Proposito Commissioni Cardinalium S. Congregationis << super negotiis ecclesiasticis extraordinariis sequenti dubio: An paupe- << res et operarii teneantur elargiri eleemosynam ut privilegiis Bullae « Cruciatae frui valeant: Emi Patres responderunt: *Nihil esse innovan- « dum* ». Deinde in iisdem litteris additur: « Probe noscet Ema Vestra, ex «hac decisione, approbata etiam a Sanctissimo, reiecta qualibet alia «opinione, confirmatam esse praxim, quam usque nunc Commissarii « Generales Sanctae Cruciatae sequuti sunt ». Ex quo responso Videtur inferri praxim Commissariae Cruciatae iam non esse innixam soli privatam opinioni Commissarii: sed etiam illam opinionem unice esse tenendam, exclusa opinione contraria, fuisse authentice declaratum.

Sed allegatum responsum, cum ad quaestionem hodie propositam . nihil pertineat, argumentum superius nullo modo confirmat. Sane Emi PP.

memoratam responsum: *Nihil esse innovandum* (de cuius significatione non est cur hic disputetur) dederunt ad dubium sic propositum: « An « pauperes et operarii teneantur elargiri eleemosynam *ut privilegiis Bul-* « *lae Cruciatae fruantur* ». *Dubium* autem praesens est: « An pauperes « et operarii teneantur solvere eleemosynam pro Bulla Cruciatae (non « ut privilegiis Cruciatae fruantur, *sed) ut fruantur privilegio Indulti* « *quadragesimalis* », quod Indultum pauperes ab onere solvendi eleemosynam expresse liberat et loco eleemosynae certas preces recitandas praescribit. Hae duae quaestiones sunt prorsus diversae et independentes, Sicut sunt privilegia diversa et independentia Bulla Cruciatae et Indultum quadragesimale; Sane Bulla Cruciatae iam ab Urbano II (a. 1089) prima vice, dein a Iulio II, Paschali II ceterisque subsequentibus RR. PP. fuit Hispaniae concessa, ac privilegia continet iis similia, quae concedebantur militibus in expeditionibus pro recuperanda Terra Sancta susceptis; videlicet gratias spirituales praesertim continet, et quoad usum ciborum vetitorum, esum carnium in diebus ieiunii non concedit nisi in casu infirmae valetudinis et de consilio utriusque medici (spiritualis sc. et corporalis). At indultum quadragesimale, quo usus carnium in diebus ieiunii (pluribus exceptis) simpliciter conceditur, *prima vice* fuit ad triennium concessum **a** Pio VI **(a.** 1775) et ob rationes prorsus diversas, SC. Ob penuriam ciborum esurialium, quibus eo tempore, interrupto maritimo commercio, Hispania laborabat; quamvis postea a Pio VII; ceterisque RR. PP. etiam cessante illa causa, ad petitionem Regis Catholici fuerit usque ad nostrum tempus renovatum. Hinc clare efficitur: utrum pauperes aliquid solvere teneantur, sive ut fruantur privilegiis Cruciatae sive ut utantur favore Indulti quadragesimalis, esse duas quaestiones quarum unaquaeque debet resolvi ex tenore respectivi indulti.

Age vero non videtur cum solido fundamento posse negari, quin vel ipsi pauperes aliquid solvere teneantur ut privilegiis Cruciatae uti possint, cum illam obligationem universim et sine distinctione tenor Bullae imponat: « concedimus et indulgemus, ut christifideles utriusque « sexus... *qui* intra annum a consuetis publicationibus harum earumdem « litterarum *sponte contulerint eleemosynam* ab Archiepiscopo Toletano, « in officium Commissarii Generalis subrogato et harum litterarum exe- « cutore, *pro vario eorumdem christifidelium gradu et conditione taxatam* « et in supradictos pios usus erogandam, gratiis, favoribus et privilegiis « frui possint, quae mox declarabimus; De hisce vero ab executore prae- « dicto: summarium conficiendum erit, *quod unusquisque* ex commemo- « ratis christifidelibus *accipere debebit privilegiis, favoribus gratiisque*

« *perfui queat* ». Ubi evidenter ponitur tanquam *conditio* pro unoquoque fideli ad gratiis perfruendum sumptio summarii et elargitio eleemosynae taxatae. Congruenter cum tenore Bullae, Commissarius Cruciatae solitus est pro diversa conditione fidelium diversas determinare taxas solvendas, quarum infima vel ipsis pauperibus privilegiis Bullae frui volentibus esset solvenda. Quodsi talis obligatio in pauperibus fuit negata vel in dubium revocata, merito ex dictis S. C. responsum dedit « nihil esse innovandum », quo praxim Commissariae probavit et contrariam ipsi sententiam exclusit. Illud tamen responsum ab aliquibus auctoribus non allegatur, quia forte publici iuris non est factum; unde aliqui auctores adhuc de obligatione illa pauperum dubii manent. Quoniam autem in praesenti quaestione non est sermo de conditione ad lucranda Cruciatae privilegia, quod unum continetur in dubio, resolutioni S. C. proposito, illud responsum inutiliter ad nostrum casum illustrandum allegatur.

Reliquum ergo est, ut ad dignoscendas conditiones pro lucrando privilegio Indulti quadragesimalis requisitas ad tenorem huius alterius Indulti unice attendatur. (Cfr. textum apud Gury-Ferreres, *Theol. mor. vol. II; pag. 790; editio 4, anni 1909).* Iam vero hoc Indultum obligationem duplicis eleemosynae erogandae *divitibus* imponit; *pauperes, quos* divitibus contraponit et quorum conditionem accurate describit, ab onere duplicis eleemosynae expresse liberat, et nihilominus, recitatis certis precibus privilegio indulti frui posse declarat; en verba: « Hic repetimus « quod iam Litteris nostris superioris anni indicavimus, illos scilicet qui « hac indulgentia nostra uti optent, obligari ad certam aliquam eleemo- « synam, uniformiter habita ratione cuiusque conditionis taxandam, ac « praeterea ad aliam quae pro bulla Cruciatae indici atque exigi solet: « qua *duplici eleemosyna* minime persoluta, nemo sibi putet has Litteras « nostras sibi suffragari. *Quod onus* quidem *divitibus* imponere intendimus, « nullo autem modo *pauperibus....:* quos quidem omnes, certis ad Deum « precibus iuxta nostram mentem pie recitatis, omni officio defunctos « esse decernimus ». Iam dare in hoc documento *onus* impositum divitibus in toto orationis contextu est onus duplicis eleemosynae, *a quo onere* eximuntur pauperes, quos insuper ulterius dicitur loco eleemosynae teneri ad recitandas certas preces, tit Indulti privilegio fruantur, illisque recitatis, *omni officio functos esse* decernitur. Cum haec videatur clara et legitima Indulti interpretatio, nihil mirum quod plerique magnae notae AA. Theologiae moralis pauperes ab omni onere taxae solvendae liberos declarent, quo privilegio Indulti frui possint; nec ab ea sententia dimoveri potuisse ex praxi contraria Commissarii, qui cum a Sede Apo-

stolica merus Indulti *executor,* non *authenticus interpres,* fuerit- constitutus, non potuit alios obligare ad sequendam suam interpretationem, minus, ex dictis, Indulto conformem. A texendo longo catalogo AA. qui benigniorem favore pauperum interpretationem sequuntur, cum id admittatur in precibus a Rmo Episcopo Gerundensi oblatis, consulto supersedeo. (Cfr. Gury-Ferreres, *loc. cit. pag. 780).*

Ultimo loco pro obtinenda resolutione pauperibus minus favorabili Rmus Episcopus Gerundensis, illud argumentum allegat, quod: «Non paucis abhinc annis; coepit notabiliter decrescere et adhuc decrescit reditus Bullae in detrimentum divini cultus », atque idem timet « ne doctrina laxa super hac materia sit una ex efficacioribus causis istius lamentabilis diminutionis ».

Non diffiteor hanc esse considerationem non levis ponderis, cum ex concordato pars magna pecuniae a Gubernio assignatae pro expensis cultus divini sit desumenda ex reditibus Bullae. Idcirco praedicti AA., qui mitiori in favorem pauperum sententiae patrocinantur, non omittunt monere hortandos quidem vehementer etiam pauperes ut Cruciatam sumant, propositis magnis illius utilitatibus, licet addant, minime ipsis obligationem esse imponendam, quae limites probabilitatis certe non excedit. Audiatur prae aliis Villada *(Casus Conscientiae* vol, II, pag. 197): « Experientia docet multo plures ex pauperibus excusatis « moveri ad Bullam Cruciatae sumendam, proposita eis maxima utilitate « spirituali ex tali acceptione oritura quoad absolutionem peccatorum « quantumvis reservatorum, quoad indulgentias et remissionem poena- « rum peccatis debitarum, votorum commutationem, bonorum incerto- « rum compositionem, proposita etiam necessitate cultus divini, ad quem « summae pecuniae collectae applicantur, quam ex minis negandae abso- « lutionis intentatis in pauperes nolentes eam Bullam Cruciatae ad uten- « dum Indulto quadragesimali sumere, ad quam alioquin non certo « obligantur. Nec facile dictu est, quod peccatis damnisque animarum « occasionem in praxi praebeat nimius rigor in hac re». Quae eximii theologi lamentationes possunt opponi illis aliis Rmi Episcopi celeroqui rationabilibus.

Neque est oblivioni dandum in dies singulos decrescere fidelium . fidem et pietatis fervorem, nec nostris. diebus satis capere pauperes praesertim et operarios, cur *empta Bulla,* ut ipsi per ignorantiam dicunt, possint carnibus vesci, secus non item. Certe si votum confessariorum in casu esset exquirendum, haud dubito quin communi suffragio illam obligationem pauperum relaxandam putarent, etsi ipsa maxime certa esset. Atque ex dictis certo videtur probatam talem obligationem non'

existere. Nec est silentio praetereundum quod cum lex abstinentiae a carnibus in diebus ieiunii obliget omnes ratione utentes, pauperi operario numerosam familiam habenti imponeretur obligatio tot summaria sumendi totidemque solvendi eleemosynas quot in numerosa familia personae, sunt: septennium iam praetergressae, cum ipse forte ex sola ratione officii nimium laboriosi ab illa lege abstinentiae sit excusatus.

Quare satius erit, opinor, Rmi Episcopi lamentationibus auream illam excitare atque opponere sententiam, quam Emi Patres S. Congr. S. Officii prudentissime expresserunt decreto edita die 7 Decembris 1892; quod die prima Iunii 1898 iterum in Hispaniam transmiserunt, uti per manus confessariorum circumferretur: est porro decretum tenoris sequentis: « Si fideles, de quibus agitur (agebatur de fidelibus qui carnibus utuntur vetitis diebus absque susceptione Indulti quadragesimalis), non sint vere divites in sensu litterarum in forma Brevis s. m. Pii PP. VII, die 7 Augusti 1805, i. e. si laborare debeant ad propriam ac familiae sustentationem, quamvis aliqua bona possideant, vel toto salario non indigeant, nullo pacto tenentur Summarium quadragesimale suscipere ». (Nulla hic fit mentio de obligatione saltem sumendi Bullam Cruciatae, cum tamen agatur ole modo consulendi conscientiae ipsorum dum carnibus diebus vetitis vescuntur). « Atque hi si de hac re nihil dicant, Confessarii taceant; si dubitent, instruendi ac monendi sunt, eos non teneri. At, vero divites, qui, se de hac; ipsa re non,; accusant in confessione, si nullus ex monitione fructus speretur, immo ex ipsa timeatur spiritualis ruina poenitentium, ab eis monendis abstineant, iuxta regulas a probatis auctoribus, praesertim a S. Alphonso de Ligorio traditas circa monitionem, ex qua nullus fructus praevidetur, vel spirituali damnum timetur. Qui vero tenentur obligatione aut taxam solvendi, aut abstinentiam servandi, et de hac transgressione se accusant, instruendi ac monendi sunt a suis confessariis, qui si nihil profecerint, excepto casu contemptus Ecclesiae, eos moneant ut dispensationem ab Episcopo petant, et si id facturos polliceantur, absolvi interim poterunt ».

Ex dictis concluderem, de illa pauperum obligatione circa quam versatur praesens dubium *non constare,* et attentis dictis, praesertim sapientissimo criterio in responso Sancti Officii contento, non posse prudenter *de novo imponi.*

Quare dubio proposito, respondendum censerem: *Negative.*

DECISIO.... Et Emi Patres S. C. Concilii in generali conventu diei 22. Ianuarii 1910, responderunt: *Pauperes ut fruantur indulto quadrage-*

simali non teneri ad eleemosynam elargiendam, teneri autem si frui velint aliis privilegiis Bullae Cruciatae.

Facta autem relatione in audientia diei 23 Ianuarii 1910, SSmus resolutionem Emorum Patrum approbare dignatus est.

C. X CARD. GENNARI, *Praefectus.*

L. S.

Basilius Pompili, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

BRUNEN. *(Brünn).*

DUBIA CIRCA ECCLESIAE ET ALTARIUM CONSECRATIONEM.

Rmus Dnus Paulus Huyn, Episcopus Brunensis, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit:

I. In Consecratione Ecclesiae consecratum fuit Altare, cuius mensa habebat sex cruces, nempe quatuor in angulis, quintam in medio et sextam supra lapidem quo clauditur sepulchrum reliquiarum. Signatae porro sunt cum aqua primae quinque cruces, at cum sacris oleis tantum primae quatuor et sexta, omissa quinta. Quid in casu faciendum? Hinc quaeritur:

II. An signandae et ungendae sint primae quinque cruces, an primae quatuor et sexta?

iii. An responsum huic quaestioni valeat etiam pro Altaribus portatilibus ?

IV. An in Consecratione Altarium portatilium Episcopus consecrans debeat ipse omnes cruces propria manu ex incenso formare et candelas imponere; an his in actionibus a sacerdotibus adiuvari possit ?

Et. Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Orator seu consecrans in casu acquiescat.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam.

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV. Episcopum consecrantem in praedictis actionibus posse adiuvari a sacerdotibus.

Atque ita rescripsit, die 14 Ianuarii 1910.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. © S.

Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

II.

METEN. *(Metz).*

DE FESTO SANCTARUM MARTYRUM PERPETUAE ET FELICITATIS IN ECCLESIA PROPRIA.

Rmus Dnus Willibrordus Benzler, Episcopus Metensis, exposuit quae sequuntur:

Decreto Sacrorum Rituum Congregationis, diei 25 Augusti 1909, festum Sanctarum Martyrum Perpetuae et Felicitatis, ad ritum duplicem minorem evectum est pro tota Ecclesia, ipsique adsignata est, ut dies quasi-natalitia, sexta Martii. Quaeritur: Utrum in Ecclesia propria, Festum harum Ss. Martyrum Titulare, quod hucusque celebrabatur die septima Martii, translato Festo S. Thomae Aquinatis, amodo recoli debeat die sexta Martii, an potius relinquendum sit in die natalitio?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, ita respondendum censuit: *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam, iuxta Decretum n.° 3876 *Quebecen.* 13 Decembris 1895, ad III.

Atque ita rescripsit, die 28 Ianuarii 1910.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. © S.

Ph Can. di Fava, *Substitutus.*

III.

MANTUANA. *(Mantova).*

DE BENEDICTIONE PARTIS TANTUM SACRORUM OLEORUM.

Postulato Rmae Curiae Episcopalis Mantuanae ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna declaratione transmissum sub die 24

Ianuarii 1910 circa consuetudinem antiquam etiam immemorialem benedicendi Feria V in Coena Domini tantum partem Sacrorum Oleorum, eamque immediate miscendi cum oleis non benedictis, Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit: Servetur Decretum n. ° 2883 *Patavino,* 7 Decembris 1844, ad 3, non obstante enunciata consuetudini

Atque ita rescripsit, die 28 Ianuarii 1910.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

IV.

SQUILLACEN. *(Squillace).*

DE MACHINA " GRAMMOFONO " IN SACRIS FUNCTIONIBUS.

R. D. Bellarminus Ruggiero, Archipresbyter Curatus Vallisfioritae, Squillacensis Dioeceseos, de consensu sui Rmi Episcopi Administratoris Apostolici, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expostulavit; nimirum;

An in Missa solemni et aliis functionibus, in Ecclesiis, quibus est carentia magistri organi vel cantorum, etiam laicorum, liceat uti machina vulgo dicta *Grammofono* pro cantu, stricte liturgico gregoriano, partium variabilium Missae solemnis, hymnorum et aliorum canticorum ?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis. Liturgicae suffragio, proposito dubio respondendum censuit: *Negative.*

Atque ita rescripsit, die 11 Februarii 1910.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

V.

CANONICORUM REGULARIUM LATERANENSIUM CONGREGATIONIS AUSTRIACAE.

DE USU KALENDARII REGULARIUM, QUIBUSDAM IN CASIBUS.

Rmus P. D. Ioseph Sailer, Moderator Generalis Canonicorum Regularium Lateranensium, Congregationis Austriacae, Praepositus et Abbas S. Floriani, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur pro opportuna declaratione humillime exposuit; nimirum:

I. Ab ultimo ante tres annos defuncto Parocho perinsignis Ecclesiae Abbatialis S. Floriani, praedictae Congregationis, extractum fuit in ipso oppido S. Floriani nosocomium, cuius administratio, iuxta statuta suae fundationis, penes Parochum pro tempore supradictae Ecclesiae residere debet. Iamvero in capella seu sacello dicti nosocomii, in quo quotidie Missa celebratur ab uno ex Canonicis supramemoratae, Abbatiae, usu venit ad Divina peragenda Directorium seu Kalendarium Canonicorum Regularium.

IL Iisdem Canonicis Reg. S. Floriani, in parva Civitate *Wochlabruch,* est Ecclesia Parochialis, cui iam tempore Imperatoris Iosephi II adnexa fuit municipalis Ecclesia, in qua pariter usu venit Kalendarium Canonicorum Regularium.

III. In eadem Civitate *Wochlabruch* est domus Sororum scholis, addictarum *(Schulschwestern)* apud quas multae puellae bonis litteris instituendae degunt. In domo hac duo habentur sacella, in quibus Sacrum peragitur et quae a duobus Canonicis Regularibus supradictae Abbatiae S. Floriani inserviuntur, cum ipsis demandata fuerit ab Episcopo Linciensi cura spiritualis tam sororum quam puellarum.

Hisce expositis, quaeritur: An in primo, secundo et tertio casu adhiberi valeat Directorium seu Kalendarium proprium Canonicorum Regularium Lateranensium praefatae Congregationis?

Et Sacra eadem Congregatio > exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis^ ita rescribere rata est:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative,* dummodo Ecclesia sit filialis Ecclesiae Parochialis, vel praefatae Congregationi Canonicorum. Regularium. Lateranensium concredita.

Ad III. In sacello principali publico vel semipublico *negative;* in altero sacello, utpote privato, *affirmative;* iuxta decreta n.° 3862 *Urbis et Orbis* 9 Decembris 1895, et n.° 3910 R*uthenen,* 22 Maii 1896.

Atque ita rescripsit, die 11 Februarii 1910.

Fr, S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. X S.

Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

SACRA ROMANA ROTA

I.

PARISIEN. *(Paris).*

NULLITATIS MATRIMONII - CHAUBERT-WEBER.

;: *Pio Papa X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno VI, die 23 Dec. 1909, RE. PP. DD. Gulielmus Sebastianelli, Seraphinus Manu* ponens, *et Franciscus Heiner,* Auditores de Turno,, *instante pro appellatione Vinculi defensore Curiae.* Parisiensis, *adversus sententiam ab eadem Curia prolatam* nullitatis matrimonii, *inter Alexandrum Chauberi repraesentatum per procuratorem Nazarenum Ferrata,* ex officio *deputatum, et Elisam Weber non comparentem cum in manicomio insana detineatur, interveniente et disceptante in causa Vinculi defensore ex officio, sequentem tulerunt sententiam.* :.

Die 16 Novembris an. 1901, Alexander Chaubert matrimonium contraxit in Ecclesia S. Georgii, Parisiis, cum Elisa Weber, quam a pueritia cognoverat; pater enim et mater Elisae erant patrinus et matrina Alexandri, qui proinde domum illorum frequentabat. Ante matrimonium, Elisa Weber reclusa fuerat, petentibus parentibus,. in manicomio loci dicti *Villejuif,* quia mente debilis erat et signa insaniae iam ab infantia dederat. Hoc factum parentes Elisae caute celaverunt Alexandro hucusque matri. Sed post matrimonium, vix elapsis duobus aut tribus mensibus, Elisa rursus signa insaniae dedit, ita ut Alaxander illam derelinquere coactus fuerit, et illa iterum in manicomio, parentibus et marito instantibus, inclusa fuerit. Cum autem insania Elisae in dies ingravesceret et nulla spes Alexandro reliqua esset uxorem sanam recuperandi, hic, die 29 Ianuarii 1907, libellum obtulit Emo Cardinali Archiepiscopo Parisiensi, instans ut nullum declararetur: suum cum Elisa matrimonium, ex capite dementiae mulieris. Revera prodiit, die 7 Iulii 1908, sententia Curiae Parisiensis, qua nullum declaratum est praefatum matrimonium; a qua sententia Defensor vinculi appellavit ad Sacram Congregationem Concilii. Cum ergo causa remissa fuisset ad S. R. Rotam, hic, die 22 Maii 1909, rite concordatum est dubium, ut sequitur: *An constet de nullitate matrimonii inter Alexandrum Ghamb&rt et Elisam Weber.,*

In iure, ut notum est, nuptias non concubitus, sed consensus facit; certum est autem consensum ad validitatem matrimonii requisitum, oriri

debere ex mente sana et voluntate libera. Scriptum est enim in cap. *Dilectus,* 24, *de sponsalibus et matrimoniis:* « Cum eadem cum ipso viro qui continuo furore laborat, morari non possit, et propter alienationem furoris legitimus non potuerit intervenire consensus, mandamus quatenus, si rem noveris ita esse, praefatas personas cures ab invicem separari »; inde Summarium capitis: « *Furiosus matrimonium contrahere non potest* ». Quod autem dicitur de furiosis, ab omnibus doctoribus extenditur ad eos qui insania quieta seu tranquilla laborant; amentia enim est genus, quod sub se duas saltem species complectitur, nimirum alienationem furoris, ut legitur in cit. capite, et insaniam quietam; in utroque casu mens non est sana, et ideo consensus legitimus seu iuridicus ex ea oriri nequit. Quoniam autem aliquem esse dementem directe constare nequit, quia amentia intellectum afficit, ad probationem amentiae etiam testes singulares admittuntur, imo sola fama sufficit, uti tradit Pallottini *(Collectio,* etc, Y. *Matrimonium,* § III, n. 8).

In facto autem constat Elisam Weber insanam fuisse *ante et post* matrimonium, et etiam *tempore matrimonii,* et ideo legitimum in matrimonium consensum dare non potuit.

Ut a facilioribus exordiamur, constat eam insanam fuisse *post matrinium;* nondum enim quinque mensibus a contracto matrimonio elapsis, nimirum in priori medietate mensis Aprilis anni 1902, rursus includitur in manicomio, in quo etiam nunc amens et insanabilis miserabiliter degit. Eam autem iam a primis annis huius novae detentionis in manicomio insanam fuisse demonstratur ex attestationibus medicorum manicomio addictorum; in eis enim legitur: « Etat mental. Etat stationnaire. « Malade' présentant de l'insuffisance de développement intellectuel, qui « ne lui permet pas de se diriger seule dans la vie ordinaire et de « pourvoir à ses besoins par un travail suffisamment utile et soutenu, « 1.1 Juillet 1903 », et alibi: « Aucun changement à signaler et je n'en «prévois pas dans un délai rapproché. Est indifférente atout vis-à-vis « des siens, comme au transfert *(de uno manicomio in aliud)* dont il a «été question, 9 Juillet 1904», et alibi: «Même état de débilité mentale « avec apathie, inconscience, incapacité de se diriger et de pourvoir à ses «besoins. Peu ou point d'aptitude à une occupation utile et suivie, 15 « Mars 1905 », et postea: « Est actuellement dans une période d'agita- «tion, et se montre bruyante et désordonnée; elle paraît tout à fait « indifférente, et ne répond pas quand on lui parle de sa famille. Depuis « son arrivée à l'asile, elle est manifestement inconsciente. Cet état de « démence est en voie de devenir chronique, et il est à craindre qu'au- « cune amélioration ne puisse survenir, 2 Mars 1906 », et etiam: « Ma-

« dam Chaubert-Weber se montre toujours très troublée et n'a qu'une « conscience très incomplète de ce qui se passe autour d'elle. Elle est « souvent agitée et a des tendances à la violence. Elle doit être soignée « comme un enfant; elle ne s'intéresse à personne, 11 Octobre 1906».

Et haec insania qua Elisa laborat post matrimonium, etiam antequam includeretur in manicomio indiciis et signis haud dubiis manifestata est. Uno enim mense post matrimonium elapso, cum in capella Sancti Georgii, iuvenibus et viris reservata, vir eius pergeret ad confitenda peccata sua, Elisa cum eo perrexit, et prope eum genuflexa est, inter medios iuvenes, frustra eam monente et repellente viro. Hoc etiam tempore, prorsus incapacem se exhibet ad quodlibet opus, etiam facillimum, peragendum; quod puellulae, etiam ante septennium, faciunt, ipsa facere nescit; nescit cibos parare marito; imo curiosa quaedam et extranea peragit, v. g., legumina cruda pro coctis marito praebet, de rebus matrimonialibus etiam maxime intimis sine ullo pudore loquitur, postulat quaecumque videt, agit et loquitur ut infans, ita ut risus videntium excitet, et passim de ea dicatur: Haec mulier insanit; quando autem res non succedunt ei sicut vult, iurgia movet, fratrem proiecto cultro laedit. Si ergo haec conferantur cum his quae supra audivimus a medicis manicomio addictis, clarissime apparebit infelicem mulierem, post matrimonium cum Alexandro Chaubert contractum, gravi insaniae morbo laborasse, qui sensim et sine sensu auctus est, et ad plenam amentiam excrevit.

Sed etiam *ante* matrimonium eodem insaniae morbo laborabat; de quo clarissimum signum est eius inclusio et detentio in manicomio dicto *de Villejuif,* non longe a Parisiis; in eo enim, petentibus parentibus, inclusa est propter insaniam, ut passim referunt testes et luculentissime demonstretur documento novissime a Curia Archiepiscopali Parisiensi misso, iuxta quod Lisa Weber inclusa est tanquam morbo laborans in manicomio *de Villejuif* amentibus reservato, a die 26 Augusti 1899 usque ad diem 14 Aprilis an. 1901, id est, per novemdecim menses et amplius. Et haec Elisae inclusio in manicomio, instantibus eius parentibus peracta, eo maiorem vim habet ad demonstrandam eius insaniam, quod horum multum, imo plurimum, intererat ut haec quasi nota imbecillitatis familiae non inureretur, praesertim cum eo tempore iam cogitarent de Elisa nuptui tradenda; unde et caute dissimularunt et celarunt filiae suae detentionem in manicomio, fingentes modo eam profectam esse in Alsatiam, modo eam esse quidem in manicomio, sed uti famulam. Ipsa mater sponsi, Alexandri Chaubert, nesciebat Elisam esse in manicomio; Alexander autem putabat eam esse ibi quasi famu-

Iam, -ut ipse declarat: Et 'haec omnia lucem accipiunt tum ex his quae narrat testis Dna Guillotot, tum ex his quae occasionem praebuerunt priori Elisae inclusioni. Iuxta enim Dñam Guillotot, Elisa Weber, etiam in puerilibus annis iam indubia dabat signa abalienatae mentis: « Déjà dans son enfance, elle était extraordinaire. Elle ne jouait jamais avec les autres enfants; elle arpentait la cour, causait seule et faisait dé grandes révérences aux plantes. Elle n'était pas folle au point de crier et de faire des scènes, mais elle était étrange. Je n'ai pas été étonnée de savoir qu'elle était enfermée ». Ipso autem die matrimonii; avia Alexandri haec didicit: « Mademoiselle Weber était une déséquilibrée, et avait fait plusieurs fois des scènes violentes à ses parents, cassant « tout dans le ménage, et on avait été obligé de l'enfermer », quae omnia confirmat testis Petrus Weber, frater Elisae: « D'une façon générale, ma sœur n'avait pas son esprit. Cela se manifestait surtout par une paresse que rien ne pouvait vaincre. Notre mère l'a peut-être trop gâtée. J'ai entendu dire que, vers dix-huit ans (j'étais au régiment), il y a eu des scènes violentes entre ma mère et ma sœur; elles se prenaient aux cheveux, toujours ne voulant rien faire. Je l'ai entendu dire par les voisins: la chose était notoire ».

Nec dicatur Alexandrum, dum eam invisit in manicomio, nullum signum insaniae in ea animadvertisse. Nam non vidit eam nisi transeundo, ut ipse dicit: « Je la vis rapidement, en passant...; je la vis pen- « dant un quart-d'heure »; insuper perspexit in ea hilaritatem infantilem; porro hoc certo signum est debilis mentis; nam in his adiunctis, puella sui compos, non modo non prorumpit in gaudia infantilia, sed potius ad verecundiam et modestiam se componit.

Nec addatur Dñam Hamen, amitam Elisae, quae per aliquot dies neptem suam, a manicomio cum licentia medicorum eductam, apud se habuit, pariter nihil insaniae in ea perspexisse. Nam haec statim addit: « Au bout de quelques jours, elle s'est laissee ramener docilement a Villejuif ». Porro hoc etiam est insaniae iudicium. Quae enim puella sui; compos, hac praesertim aetate in qua de nuptiis cogitat, docilem se sineret in maniconium includi?

Unde constat Elisam Weber insanam fuisse post matrimonium, et ante matrimonium; nec satis est dicere eam, ante matrimonium, fuisse solummodo mentis tardae et rudis; erat insuper vere et proprie insana; facta enim quae supra relata sunt, nonnisi insanae conveniunt; et si non fuisset nisi simplex spiritu, non fuisset in manicomio inclusa a. parentibus, nec in eo retenta per novemdecim menses a medicis.

Nunc ergo quaerendum est utrum fuerit insana *tempore intermedio,*

scilicet a die 14 Aprilis 1901, quo exiit de manicomio, usque ad tempus quo contraxit matrimonium, scilicet ad diem 16 Novembris, eiusdem anni.

Qua in re primum dicendum est, quando probata; est amentia ante et post matrimonium, eam praesumi tempore intermedio; quod docuit Sanchez *(De matrimonio, lib. I, disp. 8, n. 17)* et communiter receptum est; unde dixit Pallottini, loco supra citato, *n. 9;* « Si testes deponant de mulieris insania, ante et post matrimonium, insana videtur esse praesumenda pariter de tempore celebrati matrimonii ». Et ratio est illa quam affert Sanchez, nimirum « Quia, cum furoris morbus suapte natura perpetuus, insanabilis et desperatus sit, praesumitur durare omni tempore, et illa. dilucida intervalla sunt per, accidens, ideoque minime praesumitur ». Quod, multo magis affirmandum est, quando. insania non per accidens orta est, sed quasi ex generatione contracta, qualis est insania Elisae; perhibent enim testes genitores Elisae mentis fuisse debilis et aliquantis per insolitae, Elisae fuisse consobrinam insaniae morbo laborantem; ipse Iudex Parisiensis de fratre Elisae haec notat: « Le Tribunal, après avoir entendu le témoin, croit bon de noter que. Pierre Weber est plutôt un simple d'esprit. Il ne comprenait que difficilement nos questions. Il a cependant répondu en toute sincérité et bonne foi ». Unde clarissimus medicus Bucquoy, sententiam rogatus a Iudice; Parisiensi, haec ait: « Il semblerait aussi, d'après les témoignages, que déjà dans son enfance la jeune fille avait des allures et des habitudes bizarres et était assez différentes des enfants de son age; son état mental ne se serait pas développé accidentellement, mais aurait quelque chose de constitutionnel».

Nec. dicatur, in re praesenti, Elisam egressam esse a manicomio, et proinde, sicut ingressus eius et detentio in manicomio praesumptionem generat insaniae, sic et eius egressum praesumptionem generare sanationis.

Hoc, inquam, dici nequit. Nam:

1. ° Hoc forte dici posset, si medici ipsi eam dimisissent e manicomio; sed, de facto, non medici dimiserunt Elisam, sed eius. parentes eam, repetiere; quod dicunt testes, v. g. Domina Hamen, Domina Chaubert.

2. ° Testes dicunt. Elisam, quando egressa est e manicomio, non fuisse sanatam; dicit enim Domina Guillotot: « Elle est sortie de Villejuif... « elle avait toujours le meme air singulier ».

3. ° Quando parentes Elisam e manicomio educere statuerunt, medicus manicomio addictus declaravit, si parentes Elisam ad se reducere vellent, eos filiam suam quantocius nuptui tradere debere; praevidebat enim medicus sagax; et experientia edoctus mox futurum esse ut mor-

bus quo laborabat Elisa ingravesceret et ita exterius manifestaretur, ut nemo vellet amplius eam in uxorem ducere. Quod medici monitum probe intellexerunt parentes Elisae; unde, in parando matrimonio, licet puella septemdecim tantum annorum esset, festinarunt et properarunt; imo, ita properarunt, ut, etiam inscio Alexandro, denuntiationes proximi matrimonii in ecclesia publicatae fuerint. De qua festinatione incautissima agunt omnes testes. Unde quando Elisa egressa est e manicomio, nemo, nec medicus, nec parentes, putabant eam esse sanatam;

Secundo, praedicta praesumptio; quod nimirum Elisa, insana ante et post matrimonium, fuerit etiam insana tempore intermedio, valde augetur quibusdam factis quae testes narrant. Sic Domina Chaubert, socrus Elisae, ait: « Lisa était une enfant, moins que cela, une incon« sciente. Je me souviens qu'avant le mariage, je lui parlais des devoirs « qui l'attendaient; je lui disais que je ne m'étais mariée moi-même qu'à « l'âge de vingt-six ans, et que, si la chose était à refaire, je retarderais « encore. Elle ne comprenait rien du tout à mes paroles. **A** tout ce que « je lui objectais, elle répondait en disant qu'elle aurait une belle robe, « un beau voile, etc. Dans le mariage elle ne voyait pas autre chose. « J'ai insinué qu'elle était moins raisonnable qu'un enfant; on arrive à « se faire comprendre d'un enfant; elle, je le répète, était inconsciente ». Sic etiam, eodem teste narrante, mater Elisae artem, licet facillimam, nunquam docere potuit filiam, quae, imperitia sua et modo insolito agendi, intuentium risus statim movebat. Nec desunt facta ipso tempore matrimonii, quae ostendunt Elisam nullo modo fuisse sanatam. Die sic dicti matrimonii civilis, subscriptionem suam in tabulis publicis apponere non potuit; a iuvene quodam, qui ad nuptias fuerat invitatus, sine ullo pudore petivit ut manui suae chirothecam aptaret, quod admirationem omnium movit. Dicit testis Dña Guillotot: « Pour moi, le jour du mariage « la jeune fille était contente d'avoir une robe blanche; elle croyait qu'elle « avait tout gagné; mais je ne pense pas qu'elle se soit rendu compte « des devoirs que lui imposait le mariage ». Addit testis Leocadia Fro« yère: « Dès les premiers jours qui ont suivi le mariage, j'ai pu constater « que la jeune femme parlait et agissait comme un enfant ».

Unde praesumptio insaniae, pro tempore quod decurrit ab egressu Elisae e manicomio ad ipsum matrimonium, praedictis factis roborata, assurgit ad moralem certitudinem

Nec refert quod aliqualis contradictio notetur inter dicta Alexandri Chaubert et documentum supra memoratam, novissime missum a Curia Parisiensi. Iuxta enim hoc documentum, Elisa Weber non exiit a manicomio nisi die 13 Aprilis anni 1901, id est, septem tantum mensibus

ante contractum matrimonium. Alexander autem dicit se anno 1900 invisisse Elisam in sua familia, et proinde iam egressam e manicomio. Qua in re, certo certius retinenda est *data,* quam exhibet documentum, tum quia hoc documentum, licet non publicum, omnimodam tamen fidem meretur, tum quia haec *data* optime convenit cum dictis testium, qui asserunt genitores Elisae maxima festinatione usos fuisse in parando matrimonio, nec voluisse illud differre ultra unum annum. Nec refert, inquam, haec aliqualis contradictio. Nam:

1. ° Certo Alexander haec non asseruit ex fraude vel dolo; eum enim exhibet Curia Parisiensis uti maxima commendatione dignum: « Fraternitati Tertiariorum S. Francisci adscriptus, vitam vere christianam «non sine forti virtute degit inter operarios, quorum plurimi mentem «erga religionem offensissimam praebent »; quae virtus aliunde elucet ex eius responsionibus coram Iudice Parisiensi.

2. ° Prorsus inverosimile est Alexandrum haec asseruisse dolose; nam haec assertio non favet illi, sed nocet; quo enim maius est intervallum inter egressum Elisae e manicomio et diem contracti matrimonii, eo longiora sunt intervalla quae externe videbantur lucida aut potius quieta, et proinde eo minor praesumptio pro statu insaniae.

3. ° Unde dicendum est Alexandrum haec asseruisse ex lapsu memoriae, quod non est mirum in homine prorsus illitterato, qui de labore quotidiano vivebat.

Quibus omnibus consideratis et sedulo perpensis, Christi nomine invocato, Nos, infrascripti Auditores, pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, ^confirmata sententia Curiae Archiepiscopalis Parisiensis, decernimus, declaramus, et definitive sententiamus: *Constare de nullitate matrimonii inter Alexandrum Chaubert et Elisam Weber;* et sic proposito dubio respondemus.

Ita pronuntiamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim *cap. 3, sess. 25, De reform.,* Conc. Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint

Romae, die 23 Decembris 1909.

Gulielmus Sebastianelli.

L. >B S. Seraphinus Many, *Ponens.*

Franciscus Heiner.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

II.

GORITIEN. *(Görz).*

PRAESENTATIONIS AD PAROECIAM.

Pio PP. X feliciter regnante. Pontificatus Dominationis suae anno septimo RR. PP. DD. Gulielmus Sebastianelli Ponens, *Seraphinus Many «et Franciscum Heiner, Auditores de turno, in causa* Goritien, - Praesentationis ad paroeciam - *inter Sac.* Ioannem Meizlik *actorem repraesentatum per legitimum procuratorem Vincentium Sacconi Advocatum et Sac.* Sebastianum Tognon *conventum repraesentatum per legitimum procuratorem Christophorum Astorri advocatum, interveniente in causa Rmo Promotore iustitiae pro iuris ac legis tutela, die 10 Februarii 1910 sequentem tulerunt sententiam.*

Cum parochialis- Ecclesia, urbis - *Grado* - in Archidioecesi Goritiensi vacare contigerit, Sacerdotes Ioannes Meizlik et Sebastianus Tognon in concursu ab Ordinario indicto idonei renunciati sunt et Municipio Gradensi, utpote beneficii Patrono, die 19 Oct. 1908 exhibiti; ut ex illis unus designaretur, atque ecclesiasticae praesentaretur auctoritati ad habendam canonicam institutionem, Gradensis communitatis suffragia in favorem Rev. Meizlik cesserunt. At cum in Austria patroni privati non habeant ad praesentandum nisi sex hebdomadas, quibus transactis ius liberae collationis pertinet ad - Ordinarium; hic ratus iuspatronatus Communitatis Gradensis esse privatum, et videns elapsum fuisse sex hebdomadarum spatium, Sebastianum Tognon ad paroeciam vocavit Contra agendi Ordinarii rationem Ioannes Meizlik provocavit ad S. G. Concilii, quae ex Sanctissimi Domini Papae rescripto ad H. S. T. quaestionem diiudicandam remisit. Hodie igitur causa proponitur sub dubio: *An sustineatur nominatim Sac. Sebastiani Tognon facta ab Ordinario Goritiensi in casu.*

Verum Statim occurrit quaestio praeiudicialis, num Scilicet legitimus ac validus fuerit concursus habitus ad obtinendam vacantem Ecclesiam Gradensem. Si enim haec quaestio- negativa dimittatur solutione, supervacaneum et inutile prorsus est aggredi controversiam in merito.

Hoc posito, *in cap. 18, Sess. XXIV, De Ref.* Conc. Trid. statuitur ut candidati in concursu ad vacantes parochiales Ecclesias « *examinentur ab Episcopo, sive, eo impedito, ab eius Vicario Generali, atque ab aliis examinatoribus non paucioribus quam tribus.... Alios provisiones praeter supradictam formam factae subrept*

In conferentiis 19 Martii 1567 provisiones praefatas non solum *subreptitias,* sed *nullas* declarat, *irritas* et *nullius valoris* ac *momenti.* Unde Benedictus XIV *(De Syn. Dioecesana, Lib. IV, cap. 8)* scribit: « Si examen fit coram examinatores synodalibus paucioribus quam tribus, concursus est illegitimus et collatio parochiae, utpote facta contra formam a Tridentino praescriptam, nullius roboris est ». Monet autem idem Pontifex loc. cit. examinatores sua suffragia ferre debere priusquam e loco examinis discedant et ab Episcopo, eiusque Vicario disiungantur. Quod adeo verum est ut « si examinatores fuerint pares aut singulares in votis suis, sicut ab examinatoribus suffragia ferenda sunt statim peracto examine, ita etiam in eventu, quod Episcopus aut eius Vicarius alicui accedere possit, coram iisdem examinatoribus explicare debet cuinam accedat, cum id pertineat ad examinis complementum ».

Commune hoc ius substantialiter viget in imperio Austriaco. Quamvis enim in eodem imperio inductum sit, ut examen, quod circa concurrentium doctrinam ac scientiam institueretur seorsim ab eo, quo reliquae examinandorum dotes investigantur; attamen per decretum Archiepiscopi Goritiensis 29 Augusti 1857 in examine generali quoad scientiam, et in speciali quoad reliqua requisita non omnes examinatores adhiberi debent, sed ii dumtaxat, quos Archiepiscopus designaverit, ita tamen ut ad mentem Conc. Trid. *sess. XXIV, De Ref.* et Benedicti XIV « ad minimum « tres examinatores tentamen instituant, praesente Commissario Archie« piscopali ». Quod consonum est art. 24 Concordati 1855 « Parochiis « omnibus providebitur publico indicto concursu et servatis Concilii Tri« dentini praescriptionibus ».

Iamvero diligenter exploratis in themate actis concursus, duo tantum Examinatores reperiuntur, qui simul cum Praeside, commissario archiepiscopali, super idoneitate concurrentium, sua tulerunt suffragia. Etenim in relatione examinatorum quatuor exhibentur subscriptiones; et non omnes subscripti examini interfuerunt, prouti in protocollo, quod in archiepiscopali cancellaria fuit assumptum, deducere est. Sciscitatus enim a iudice subscriptor Ioannes Kokosar, quaenam fuerint nomina convenientium ad convocatam sessionem examinatorum prosynodalium reposuit. «Ipse Faidutti aderat et praeter illum Ioannes Wolf Canonicus et « ego; ergo summatim tres Examinatores prosynodales ». Idem etiam testatus est alter subscriptor Ioannes Wolf his verbis: « Conventu! erat « praesens etiam D. Faidutti, nec non D. Ioannes Kokosar parochus et exa« minator prosynodalis et ego, absente Domino Kolavic et D. Zamparo; « summatim ergo aderamus numero tres simul cum Faidutti». Neque refert D. Kolavic asseruisse se quoque conventui praesentem fuisse. Praeter-

quam quod enim haec declaratio enervatur per depositionem praedictorum examinatorum, quorum primus fassus est « ipse (Kolavic) non adfuit « sessioni, sed postea protocollum a me confectum, et omnia acta con« currentium ipsi Salcamum transmissa fuerunt, qui protocollum sub« scriptum remisit», alterque deposuit « D. Kolavic, in quantum recordor, « praesens non fuit, quando et ubi subscripserit, nescio », nihili etiam eam pendendam esse affirmationem ex eo colligitur, quod interrogatus, ubinam esset illa consessio, incunctanter reposuit « *nescio* ». Cum igitur in hoc concursu duo tantum examinatores extiterint de eius nullitate non est ullo modo dubitandum.

Neque dicendum Commissarium Archiepiscopalem conventui adstitisse quasi tertium examinatorem. Etenim Patres Tridentini, aiente Benedicta XIV 1. e, praecipiunt in examine praesentes esse debere « tres « ad minimum Examinatores (ab Episcopo vocatos) qui *coram* se vel *« suo Vicario* concurrentes ad parochialem examinent ». Igitur in quolibet examine ad minimum quatuor adesse debent personae, tres videlicet examinatores et Praeses. Iudicium autem circa idoneitatem candidatorum pertinet ad solos examinatores, nisi pares vel singulares fuerint in suis suffragiis. Clara sunt verba Pontificis l. c. « In hoc Examinatorum « iudicio, nullae sunt partes Episcopi, vel Vicarii, qui Episcopi loco exa« mini assistit, nisi forte Examinatorum vota sint paria, vel singularia »,

Iamvero Ordinarius Goritiensis in trasmittendis actis concursus H. S. T. declarat D. Faidutti Commissarii Archiepiscopalis munus exercuisse et se abstinuisse a voto et subscriptione; quod patet etiam ex protocollo, in quo deest subscriptio Faidutti inter Examinatores. Neque in contrarium afferri potest decisio S. C. Concilii, *Policastren.,* relata a saepius laudato Pontifice *in cap. VII, n. 5, cit. op.* Cum enim in Synodo dioecesana Policastrensi inter examinatores. synodales deputatus fuisset etiam Vicarius generalis, atque hic concursui ad parochialem quamdam vacantem Ecclesiam sub nomine dignitatis Vicariatus vocatus fuisset et interfuit, S. C. Concilii concursum ad cautelam sanavit, rescribens Episcopo Vicarium generalem ad parochiales concursus deinceps vocandum esse proprio expresse nomine. At de interventu Episcopi altum silentium tenetur: quin imo adfuisse consessui iure praesumi debet; alias S. Congregatio vel nullum concursum declarasset, utpote peractum contra formam Concilii Tridentini, vel saltem a duplici defectu sanationem concessisset.

Quibus rite perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, *Christi nomine invocato,* ac pro tribunali sedentes decernimus et declaramus nullum atque irritum fuisse concursum habitum ad obtinendam vacantem

Ecclesiam Gradensem, atque ideo nullius roboris esse et praesentationem Ioannis Meizlik et nominationem D. Sebastiani Tognon. Expensas autem iudiciales decernimus inter partes haberi compensatas et pro compensatis haberi volumus et mandamus.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et Ministris tribunalium, ad quos spectat, ut executioni mandent hanc nostram sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum et praesertim *cap. 3, sess. XXV, De Ref.* Conc. Trid. iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis extitura sint.

Romae, 10 Februarii 1910.

Gulielmus Sebastianelli, *Ponens.*
L. © S. Seraphinus Many.
Franciscus Heiner.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

SECRETARIA STATUS

I.

AD R. P. FR. IOSEPHUM M. LLOVERA C. G., PRO GRATIARUM ACTIONE DE DUOBUS EXEMPLARIBUS OPERIS « TRATADO ELEMENTAL DE SOCIOLOGIA CRISTIANA » REVERENTER EXHIBITIS.

Muy Rdo. Padre:

Con su atenta carta del 25 del mes pasado, he recibido los dos ejemplares, que me mandaba, de su obra « Tratado elemental de Sociologia Cristiana », premiada por la benemérita « Acción Social Popular » de Barcelona.

Es tan importante para los intereses católicos de España, en los actuales momentos, el extender y difundir las sanas doctrinas sociales con un libro que a las esenciales condiciones de pureza de doctrina y de orientaciones, reúna la claridad y sencillez en el método y resulte de utilidad práctica para toda clase de personas, que al dar cuenta a Su Santidad del ejemplar de la obra que le dedica, me ha encargado

trasmitirle con paternal y especialísimo afecto de agradecimiento la Bendición Apostólica implorada.

Acepte V. al mismo tiempo, mis votos de sincera gratitud por el ejemplar que se ha servido mandarme, y téngame por su atento seguro servidor,

Roma, 27 Enero 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

L. £B S.

II.

AD R. P. D. EMMANUEL MARBEAU, EPISCOPUM ELECTUM MELDENSEM, DE « PAROISSIAL » BEATISSIMO PATRI OBSEQUENTER OBLATO.

Monseigneur.

Le Saint Père a accueilli avec la plus grande bienveillance l'hommage « du Paroissial des Fidèles », que Votre Grandeur a voulu Lui faire.

Les fruits nombreux qui ont déjà été obtenus par les publications de la Bibliothèque de la vraie et solide piété, sont un sûr garant de l'utilité et de l'opportunité du Paroissial, à une époque où il est si nécessaire de maintenir et de développer encore la foi et la vie chrétienne dans les âmes. Un ouvrage destiné à faire connaître l'excellence et les beautés de la Liturgie et de la prière de l'Eglise, et leur parfaite concordance avec les besoins de l'âme et avec les désirs du cœur, et à instruire les fidèles de tous leurs devoirs de chrétiens, est appelé à rendre les plus grands services. Aussi cette publication restera-t-elle, avec celle du Catéchisme de Trente, une des œuvres les plus excellentes, par lesquelles Votre Grandeur aura manifesté ce zèle apostolique, dont les fidèles du diocèse de Meaux, après ceux de la paroisse de Saint — Honoré d'Eylau de Paris, vont maintenant recueillir les fruits abondants. Sa Sainteté vous envoie de tout cœur la Bénédiction Apostolique. Elle bénit aussi l'ouvrage que vous Lui avez adressé, ainsi que l'œuvre de publications, que vous avez entreprises pour le plus grand bien des âmes.

Je vous prie, Monseigneur, d'agréer l'expression de mes sentiments très dévoués en Notre Seigneur.

Rome, 31 Janvier 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

L-ff S.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI SACRAMENTI

Non il *1%* ma il 17 Marzo avrà luogo la prova scritta per il concorso ad un posto di ufficiale minore nella S. G. per la disciplina dei Sacramenti.

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

15 Febbraio 1910. — Nel Palazzo Apostolico Vaticano si è tenuta la Congregazione ordinaria dei Sacri Riti, nella quale a giudizio degli Emi e Rmi Signori Cardinali componenti la medesima, sono state sottoposte le seguenti materie: 1. Ripresa della Causa di Canonizzazione del Beato Giovanni da Triora, Sacerdote professo dei Frati Minori, martirizzato nella Gina. 2. E parimenti della Causa di Canonizzazione della Beata Giovanna d'Are, Vergine, detta la Pulcella di Orleans. 3. Introduzione della Causa di Beatificazione e Canonizzazione della Serva di Dio Adelaide Cini, fondatrice dell'Istituto del Sacro Cuore di Gesù in Malta. 4. Conferma del Culto prestato da tempo immemorabile al Servo di Dio Giuliano Cesarello de Valle, Sacerdote professo dei Frati Minori, chiamato santo e beato. 5. Intorno alla concessione ed approvazione dell'Officio e Messa propria in onore del Beato Francesco Néron, Martire, per la Diocesi di Saint-Cloud. 6. E parimenti dell'Officio e Messa propria in onore del Beato Giovanni Teofane Vénard, Martire, per la Diocesi di Pòitiers. 7. E parimenti, dell'Officio e Messa propria in onore del Beato Giovanni Eudes, Confessore, fondatore della Congregazione di Gesù e Maria, detta degli Eudisti. 8. Intorno alla revisione degli scritti della Serva di Dio Paola Elisabetta Cerioli, vedova Buzecchi-Tassis, fondatrice dell'Istituto della Sacra Famiglia. 9. E finalmente intorno agli scritti della Serva di Dio Maria Teresa Haze, fondatrice delle Figlie della Croce.

DATARIA APOSTOLICA

AVVISO DI CONCORSO.

Nella Dataria Apostolica è aperto il concorso per un posto di *Aiutante di Studio.*

Quei sacerdoti, laureati in diritto canonico, che desiderassero prendervi parte, dovranno presentare la domanda con i titoli necessari al Protocollo del dicastero, non più tardi del 22 Marzo p. v.

Dataria Apostolica, 22 Febbraio 1910.

G. GUERRI, *Prefetto.*

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Il Santo Padre, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnato di nominare:

Vescovo Assistente al Soglio:

13 Gennaio 1910. — Mons. Agostino Giuseppe Callier, Vescovo di Haarlem.

Protonotario apostolico ad instar participantium:

31 Gennaio 1910. — Mons. Giovanni Battista Mendecker, Vicario generale dell'archidiocesi di Monaco.

Prelati domestici:

15 Gennaio 1910. — Rev. D. Enrico A. Braun, Dottore in teologia e Rettore della Chiesa di S. Agnese in New-York.

— *20 Gennaio.* — Rev. Can. D. Pietro Cerone, Arciprete della Cattedrale di Muro Lucano.

24 Gennaio. — Rev. D. Francesco Stieglitz, Canonico della Cattedrale di Linz.

26 Gennaio. — Rev. Can. D. Giuseppe Hollweck, Professore di diritto Canonico nell'accademia vescovile di Eichstätt.

29 Gennaio. — Rev. Can. D. Francesco Bertaccini, già Prefetto delle Scuole del Pontificio Seminario Romano.

1 Febbraio 1910. — Rev. D. Tommaso Kennedy, Rettore del Collegio Inglese in Valladolid.

Cappellano comune Pontificio:

25 Gennaio 1910. —„Rev. D. Rocco Giani, Cappellano Innocenziano nella Basilica Vaticana.

ONORIFICENZE

Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve si è degnata conferire le seguenti onorificenze:

La Gran Croce dell' Ordine di S. Silvestro Papa:

17 Gennaio 1910. — Al Sig. Bernardo Lencastre, di Porto in Portogallo.

19 Gennaio. — Al Sig. Conte Roberto Zileri dal Verme, della diocesi di Vicenza.

La Placca dell' Ordine Piano:

14 Gennaio 1910. — Al Sig. Comm. Mariano Pagliari, Vice-Presidente dell' Associazione « *La Fedeltà* » in Roma.

La Commenda con Placca dell' Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

18 Gennaio 1910. — Al Sig. Dottor Alberto Torres, Deputato al Parlamento in Portogallo.

20 Gennaio. — Al Sig. Conte Alfonso Hennequin de Villermont, Borgomastro in Ermeton-sur-Biert, della diocesi di Namur.

29 Gennaio. — Al Sig. Conte Carlo de Mérode, Marchese di Westerloo, Principe di Grimberghe e di Rubempré, addetto alla Missione Straordinaria mandata al Santo Padre da S. M. il nuovo Re del Belgio.

La Commenda dell' Ordine Piano:

12 Febbraio 1910. — Al Sig. Duca Gabriele de Rarécourt de la Vallèe de Pimodan, di Parigi.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

14 Gennaio 1910. — Al Sig. Bernardo Stephan, Avvocato, Consigliere aulico in Beuten, diocesi di Breslavia.

17 Gennaio. — Al Sig. Visconte Giovanni de Jonghe d'Ardoye, dell' archidiocesi di Malines.

29 Gennaio. — Al Sig. Stefano Visart de Bocarmé, addetto alla Missione straordinaria mandata al S. Padre da S. M. il nuovo Re del Belgio.

14 Febbraio 1910. — Al Sig. Ugo de Schragl, Consigliere edile ed Architetto presso 1' I. R. Luogotenenza d'Innsbruck.

— Al Sig. Enrico Delvaux, Governatore della provincia di Liegi.

17 Gennaio. — Al Sig. Matteo Liesens, Ingegnere in Tamines, diocesi di Namur.

Il Cavalierato dell'Ordine Piano:

14 Gennaio 1910. — Al Sig. Dr. Adriano Ponce de Leon, Medico Chirurgo, Consigliere dell'Associazione " La Fedeltà " in Roma.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

8 Gennaio 1910. — Al Sig. Carlo Balzer, Impiegato Superiore del Governo Austriaco in Galizia.

14 Gennaio. — Al Sig. Agostino Schneider, di Patschkaw, diocesi di Breslavia.

15 Gennaio. — Al Sig. Alfonso Lucas, Regio Consigliere i a Belk, diocesi di Breslavia.

25 Gennaio. — Al Sig. Giacomo Mac Adam, di Londra.

29 Gennaio. — Al Sig. Paolo Emilio de Favereau, addetto alla missione speciale mandata al S. Padre da S. M. il nuovo Re del Belgio.

5 Febbraio 1910. — Al Sig. Pietro Ludovico Courtecuisse, di Douai, diocesi di Cambrai.

5 Febbraio. — Al Sig. Eugenio Rigo, Ingegnere in Hautmont, della stessa diocesi.

16 Febbraio. — Al Sig. Enrico Pauwels-Mertens, di Anversa.

Il Cavalierato dell' Ordine di S. Silvestro Papa:

14 Gennaio 1910. Al Sig. Alessandro Volpato, in Roma.

25 Gennaio. — Al Sig. Isidoro Marie van Cauwenberghs., presidente del Comitato di carità di Anversa.

15 Febbraio 1910. — Al Sig. Michele Kambalouri, Direttore delle corrispondenze estere del governo Turco, e Dragomanno del Vilajet di Scutari.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Cameriere segreto soprannumerario:

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare:

17 Febbraio 1910. — Mons. Giuseppe Carughi, Canonico della Cattedrale di Como.

NECROLOGIO

Mese di Febbraio 1910. — Mons. Marco Hudrisier, dei Min. Cappuccini, Vescovo di Port-Victoria, nelle Isole Seychelles.

Annus II. - Vol. Ii. Die 15 Martii 1910. Num. 4.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

I.

CONCESSIO TITUL1 ET PRIVILEGIORUM ARCHISODALITATUM CONFRATERNITATI VIRGINIS DE SION PRO IUDAEORUM CONVERSIONE IMPETRANDA IN ECCLESIA " ECCE HOMO " CONSTITUTAE, CUM FACULTATE AGGREGANDI UBIQUE TERRARUM.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Sodalitium cui *vulgo* titulus est « Associatio precum pro Iudaeorum conversione impetranda » paucis abhinc annis Parisiis inchoatum et ab Archiepiscopo Parisiensi probatum, tanta, favente Deo, brevi, incrementa suscepit, ut per totam fere Galliam diffusum, mox in universum catholicum terrarum orbem feliciter propagatum reperiatur. Indulgentiis a Sede Apostolica ditatum, nunc circiter centum millibus sodalibus constat, illudque moderantur religiosi viri, qui sacerdotes Nostrae Dominae de Sion appellantur. Iamvero cum iidem sacerdotes, suffragantibus Patriarcha Hierosolymitano, et Archiepiscopis Parisiensi, Viennensi Westmonasteriensi, atque Carthaginensi, Nos enixis precibus flagitaverint ut tam frugifero sodalitio centrum constituere, illudque Archisodalitatis titulo ac privilegio augere de Apostolica benignitate velimus, Nos quibus nihil antiquius est, quam ut communione precum veram Iesu Christi fidem deerrantes amplectantur, votis his piis annuendum quantum in Domino possumus existimavimus. Quare de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, huic sodalitio sive societati, centrum constituimus, in ecclesia ad arcum *Ecce Homo* ubi a Hierosolymitano Patriarcha die XVII Aprilis mensis anno MCMVIII, feria nempe sexta in Parasceve, erecta fuit Con-

fraternitas titulo *Nostrae Dominae de Sion* eiusque statuta probata fuerunt. Illam autem confraternitatem pro Iudaeorum conversione impetranda constitutam, Apostolica similiter auctoritate, tenore praesentium ad Archisodalitatis titulum et gradum, perpetuum in modum evehimus, omnibus ei iuribus et privilegiis additis, quae ad Archisodalitia de more pertinent. Propterea concedimus Moderatori atque officialibus praesentibus et futuris societatis huius sic per Nos ad archisodalitii dignitatem evectae, ut ipsi in posterum, servatis forma Constitutionis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri rec. mem. aliisque apostolicis ordinationibus desuper editis, omnes et singulas eiusdem nominis atque instituti societates ubique terrarum existentes, eidem Archisodalitio legitime aggregare queant; utque illis singulas et universas indulgentias, relaxationes ipsi Archiconfraternitati a Sede Apostolica concessas et aliis communicabiles, communicare licite similiter valeant. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxiv Augusti MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. $i S. *a Secretis Status.*

II.

FIDELES OMNES, MANU GESTANTES APPOSITUM ROSARIUM, RITE BENEDICTUM, IN RECITATIONE CORONAE PRETIOSISSIMI SANGUINIS, INDULGENTIAM L DIERUM PRO QUOLIBET " PATER " ET QUOLIBET " GLORIA " LUCRARI POSSUNT, PRAETER IAM CONCESSAS.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Decessor Noster recolendae memoriae L&o PP. XIII per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum sub die XVIII Septembris anno MDCCCXCIII Sodalibus inscriptis in Con-

fraternitatem a Pretiosissimo Sanguine, cum recitent coronam ipsius Pretiosissimi Sanguinis, manu gestantes appositum rosarium rite benedictum, pro qualibet Dominica oratione et qualibet prece a « *Gloria Patri* » nuncupata, partialem quinquaginta dierum indulgentiam, vel defunctis applicabilem, largitus est Nunc autem cum dilecti filii sacerdotes Missionarii a Pretiosissimo Sanguine Nos enixis precibus flagitaverint, ut indulgentiam eandem ad universos ex utroque sexu fideles extendere de Apostolica benignitate, velimus: Nos salutare ac frugiferum consilium esse rati, coelestium munerum erogatione, excitare gentes ad passionis Domini mysterium rite recolendum, votis his piis annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac Beati Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi per praesentes concedimus, ut singuli atque universi fideles ex utroque sexu, nunc et in posterum ubique terrarum existentes potiri queant praefata partiali indulgentia adnexa recitationi Coronae Sanguinis Pretiosissimi, dummodo serventur conditiones omnes quae additae sunt concessioni, quam recensuimus, per memoratum Rescriptum a Decessore Nostro Confraternitatis cognominis Sodalibus factae, et dummodo ipsae Coronae sint rite benedictae a potestatem habentibus, et iuxta formulam a Sacrorum Rituum Congregatione probatam. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Sed volumus ut praesentium Litterarum exemplar, sub poena nullitatis gratiae obtentae, ad Supremam Congregationem S. Romanae et Universalis Inquisitionis de more exhibeatur; ac similiter ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die ix Decembris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

Die 13 Decembris 1909. — Praesentium Litterarum exemplar ad hanc Supremam S. Congregationem S. Romanae et Universalis Inquisitionis exhibitum fuit. In quorum fidem, etc.

Aloisius Giambene, *Substitutus pro Indulgentiis.*

III.

INDULGENTIAM ET PRIVILEGIUM ALTARIS B. MARIAE VIRGINIS " A FRAXINO " NUNCUPATI, IN DIOECESI VERONENSI.

PIUS pp. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Dilecti filii sacerdotes designati ad provehenda sollemnia quatercentenaria festa, quae ob memoriam Apparitionis B. M. Virginis *a Fraxino* nuncupatae prope Pischariam in dioecesi Veronensi habenda sunt, supplici Nos adeunt prece, ut eidem vetusto ac perinsigni sanctuario, de thesauro Ecclesiae Nobis divinitus commisso, singulares nonnullas gratias largiri, de Apostolica benignitate velimus. Nos autem inspecto gravi commendationis officio dilecti filii Nostri Bartholomaei S. R. E. Cardinalis Bacilieri ex dispensatione Apostolica Episcopi Veronensis, votis his piis annuentes, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, altare B. M. Virginis *a Fraxino*, in memorato Sanctuario situm, Apostolico missarum pro defunctis privilegio, per praesentes ita decoramus, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cuiuslibet ordinis regularis, missam pro cuiusque fidelis anima, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad memoratum altare rite litaverit, anima ipsa, si ita Deo placuerit, a purgatorii poenis liberetur. Pari insuper auctoritate largimur, ut servatis ecclesiasticorum canonum praescriptionibus ad ipsum Virginis altare Sacrum facientes, missam votivam B. M. Virginis celebrare possint quotidie exceptis dominicis, festis duplicibus primae et secundae classis, vigiliis feriis octavisque privilegiatis.

Tandem ut spirituali fidelium ad Sanctuarium dictum confluentium bono consulamus, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu qui admissorum confessione sacramentali expiati, atque epulis coelestibus refecti, Virginis *a Fraxino* Sanctuarium diebus dominicis, ac festis B. M. Virginis visitent, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo ex iis die id agant Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. His vero fidelibus qui corde saltem contrito quovis anni die, preces ut superius diximus fundentes, idem Sanctuarium celebrent, de numero poenalium in forma Ecclesiae solita septem annos expungimus. Porro sinimus fidelibus ipsis fas siet, si malint,

plenariis his ac partialibus indulgentiis, functorum vita labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die v Ianuarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. £g S. *a Secretis Status.*

IV.

SEPARATUR A VICARIATU APOSTOLICO CE-LI SEPTENTRIONALIS DISTRICTUS PAO-T1NG-FOU, ATQUE EX EO NOVUS ERIGITUR VICARIATUS APOSTOLICUS CE-LI CENTRALIS APPELLATUS.

PIUS PP. x.

Ad futuram rei memoriam. — Nobis in sublimi Principis Apostolorum cathedra nullis quidem meritis Nostris divinitus collocatis, illud ante omnia cordi est, ut vera fides in universum terrarum orbem propagetur; eaque de causa catholicas missiones longinquis in regionibus constitutas, impenso studio provehere satagimus, quaeque in illarum emolumentum cedant, vigili sollicitudine praestare maturamus. Iamvero cum ad fovenda felicia incrementa, quae postremis hisce annis, adlaborantibus sacerdotibus a Missione suscepit christianum nomen in Vicariatu Apostolico Ce-li Septentrionalis seu Pekinensis, venerabilis frater Stanislaus Jarlin, Episcopus titularis Pharbaetitensis, et memorati Vicariatus dignissimus Praesul, Nobis proposuerit, ut in separatam missionem erigere dignaremur ipsius Vicariatus districtum Pao-ting-fou nuncupatum; Nos omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis, cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Prop. Fidei praepositis, votis his annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, Motu proprio, ac certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, districtum Pao-ting-fou a Vicariatu Ce-li Septentrionalis seiungimus, eumque erigimus in separatum Vicariatum apostolicum, sub nomine Ce-li Centralis, sacerdotum a Missione curis tradendum. Itaque novus hic Vicariatus Apostolicus Ce-li Centralis sic per Nos erectus, complectatur dictum districtum Pao-ting-fou, constantem Praefectura primi ordinis Pao-ting-fou, nec non altera secundi ordinis Y-tchoo, et finiatur ad septentrionem Praefecturis Suen-hoa-fou et Choun-tien-fou ad orientem, et meridiem Praefectura Ho-kien-fou, ad occidentem vero tum Praefecturis Ting-

tchoo et Tcheng-ting-fou pertinentibus una cum memoratis ad provinciam civilem Tche-ly tum provincia civili Chan-Si. Ecclesiasticae autem limitetur ad septentrionem Vicariatu Apostolico Ce-li Septentrionalis, ad orientem et meridiem Vicariatu Ce-li Meridionalis, tandem ad meridiem et occidentem Vicariatu Ce-li Meridio-occidentalis. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xiv Februarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. 5i S. *a Secretis Status.*

V.

DIOECESIS AKCRENSIS AB AMADIENSI CHALDAEORUM DISIUNGITUR.

VERERABILI FRATRI IOSEPHO EMMANUELI THOMAS,
PATRIARCHAE BABYLONENSI CHALDAEORUM.

PIUS PP. x.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quae ad spirituale fidelium bonum satius procurandum opportuniora videntur, ea in hac sublimi Principis Apostolorum cathedra, licet immerentes, collocati, omni studio ac voluntate praestamus. Hoc igitur consilio ducti, Akcrensem dioecesim in tuo isto Patriarchatu, quae expostulantibus Georgio Ebed Jesu Khayyath, Patriarcha fel. mem., atque Synodo Episcoporum Chaldaici ritus, per similes Apostolicas litteras, die vicesimo tertio mensis Aprilis anno MDCCCXCV datas, Dioecesi Amadiensi perpetuo accessorie unita fuit, addito eidem Episcopo Amadiensi una cum iurisdictione etiam titulo *Akcrensis,* nunc ob graves causas, inferius descriptas, a praedicta dioecesi Amadiensi disiungendam censuimus. Quindecim enim annorum experimento, Nostri Delegati testimonio confirmato, compertum est Episcopum Amadiensem nec apte nec commode

ob locorum distantias, impervias semitas, aliasque graves difficultates Akcrensis dioeceseos regimini et gubernio incumbere posse. Quapropter tu, venerabilis frater, superiore anno in hac Alma Urbe Nostra praesens ob visitationem Sacrorum Liminum enixas preces Nobis adhibuisti, ut praedicta Akcrensis dioecesis ab Amadiensi iterum separaretur, et donec rite- de proprio Pastore provideri possit, potius a Patriarcha, cuius dioecesi illa propior est, interim administraretur. Quibus omnibus rei momentis cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, christiano nomini propagando praepositis pro negotiis Ritus orientalis, sedulo ac mature perpensis, tuis huiusmodi votis annuendum existimavimus. Quare praesentium tenore ac de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, praefatam sedem episcopalem Akcrensem ab Amadiensi Chaldaeorum separamus omnino ac disiungimus, et ita separatam ac divisam administrandam *provisorie et ad interim* curae et religioni venerabilis fratris Patriarchae Babylonensis *pro tempore* committimus, qui eandem regere et gubernare poterit etiam per dignum atque idoneum suum Vicarium ad nutum amovibilem, prout eidem videbitur in Domino expedire. Decernentes praesentes Nostras litteras firmas, validas, efficaces, semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis in contrariis facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxiv Februarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. £g S. *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I.

AD ANTONIUM TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM FISCHER, COLONIENSIUM ARCHIEPISCOPUM, PRO GRATIARUM ACTIONE OB VOLUMEN, TAMQUAM VENERATIONE OBSEQUIUM SUMMO PONTIFICI EXHIBITUM, QUO RES OMNES CONTINENTUR IN CONVENTU EUCHARISTICO COLONIAE AGRIPPINAE GESTAE.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quem ex perspecta tua ac Germaniae Catholicorum sollertia conieceramus felicem exitum non ita pridem a te habiti Conventus Eucharistici, eundem Nobis testatum voluisti misso nuper volumine, ad res in eo gestas referendas edito. Publica iam fama, iam ipse quem Roma misimus Ven. Frater Noster, Episcopus Praenestinus, qui coetui eidem Nostro nomine praesideret, ad Nos attulerant quod istic id temporis licuit intueri mirandum fidei pietatisque publicae exemplum. Sed amavimus Conventum celebritate refertissimum Nostros pene ob oculos litteris versari, uno veluti aspectu emetiendum. Et re quidem vera intelligere vix poteris quantum inde hauserimus solatii, quantaque simus prosequuti animi delectatione quae in eo volumine enarrantur, tum indigenarum peregre convenientium frequentiam pene innumerabilem, tum disceptationum, quae in conciliis habitae sunt, gravitatem atque utilitatem, tum mira sacrorum rituum solemnia atque splendorem, tum denique multiplici significatione egregie proditam in Christo pietatem et in Apostolicam Sedem observantiam. Gratulamur tibi labores tam prospere exantlatos, iis vero qui coetui interfuere, pulcherrimum honestissimumque religionis specimen et adauctum inde in Altaris Sacramentum cultum, precamur omnibus studium usque vehementius erga maximum hoc *fidei mysterium*, in quo, singulari quadam miraculorum copia ac varietate, et divina caritas et humana elucet dignitas.

Auspicem coelestium munerum ac testem paternae Nostrae benevolentiae gratique in te animi, tibi, dilecte Fili Noster, Clero populoque tuo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XIII Februarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

II.

ALL'ILLUSTRISSIMO E REVERENDISSIMO MONS. FRANCESCO SAVERIO HABERL, PRELATO DOMESTICO DI S. S. E PRESIDENTE GENERALE DELL'ASSOCIAZIONE " SANTA CECILIA " DI GERMANIA, RATISBONA (BAVIERA).

La Santità di N. S. è venuta a conoscere, che particolarmente in Germania e fra i connazionali tedeschi degli Stati Uniti d'America, si va spargendo un'opinione intorno all'edizione vaticana del canto liturgico assolutamente falsa in se stessa e molto pregiudizievole alla restaurazione uniforme del medesimo canto in tutta la Chiesa. Si va cioè insinuando che il S. Padre, nel pubblicare la prefata edizione non ha inteso di accogliere in essa alcuna forma speciale di ritmo, ma di lasciare ai singoli maestri di musica la facoltà di applicare alla serie di note, prese materialmente, quel ritmo che essi stimano più conveniente.

Quanto sia falsa questa sentenza si dedurrà anche dal semplice esame dell'edizione vaticana, dove le melodie sono evidentemente disposte secondo il sistema del cosidetto ritmo libero, del quale nella prefazione del *Graduale Romano* si riportano e si inculcano perfino le regole principali di esecuzione, perchè tutti vi si attengano ed il canto della Chiesa sia per tutto uniformemente eseguito, inoltre, come è ben noto, la Commissione pontificia deputata alla compilazione dei libri liturgici gregoriani, fin dal principio e con aperta approvazione della Santa Sede ha inteso espressamente di segnare le singole melodie dell'edizione vaticana in tale ritmo determinato. In fine l'approvazione data per ordine del S. Padre dalla S. Congregazione dei Riti al *Graduale Romano,* come si estende a tutte le norme speciali onde l'edizione vaticana è stata composta, così anche inchiude la forma ritmica delle melodie, la quale per conseguenza è inseparabile dall'edizione stessa. Per conseguenza nella presente restaurazione gregoriana, è stato sempre ed è ancora del tutto alieno dalla mente del S. Padre e della S. Congregazione dei Riti di lasciare all'arbitrio dei singoli un così importante e sostanziale elemento, quale è il ritmo delle melodie della Chiesa.

La S. V., per la molta autorità che gode, come Presidente generale della benemerita Associazione tedesca di S. Cecilia, è invitata a far conoscere a tutti i membri della predetta Associazione la presente comunicazione, esortando insieme i cultori della musica sacra a desistere da tentativi, i quali, nel presente stato degli studi archeologici, letterari e storici, non possono dare nessun serio ed accettevole risultato. Essi servono solo a confondere le menti dei meno esperti e ad

alienare gii animi dalla restaurazione gregoriana, quale fu intesa dal S. Padre, e quale anche per rispetto al ritmo, non solo è accettata e con nuovi ed utili studi sempre meglio illustrata da tutti i più insigni teorici gregoriani, ma oramai praticata con pieno e consolante successo da innumerevoli scuole in ogni parte del mondo. Tanto era mio dovere significarle per speciale incarico di Sua Santità.

Con sensi di sincera stima ed osservanza

Roma, 18 Febbraio 1910.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Prefetto.*

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

Decreto S. Congr. Consistorialis nominati sunt:

4 Martii 1910. - Rev. D. Patritius Ricardus Heffron, rector Seminarii archiepiscopalis S. Pauli de Minnesota, ad ecclesiam episcopalem Winonensem (Winona) in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis.

10 Martii 1910. - Rev. D. Carolus Augustin, canonicus ad honorem ecclesiae cathedralis Vratislaviensis, ad Ecclesiam titularem episcopalem Diocaesariensem (Diocesarea) et deputatus in Auxiliarem Emi ac Rmi Dñi Episcopi Vratislaviensis (Breslau).

10 Martii 1910. - Rev. D. Iosephus Alves Martins, canonicus archidiaconus ecclesiae cathedralis Loandae, ad Ecclesiam episcopalem S. Iacobi Capitis Viridis (S. Giacomo di Capo Verde).

ERRATA CORRIGE.

Cum error irrepserit in enucianda nominatione R. P. D. Ioannis Bedae Cardinale in fasciculo diei 15 Februarii 1910, textus est hac ratione corrigendus:

3 Februarii 1910. - Illmus et Revmus D. Ioannes Beda Cardinale, Episcopus Cornetanus et Centumcellarum (Corneto e Civitavecchia) ad Ecclesiam titularem archiepiscopalem Laodicensem in Phrygia, cum officio Delegati Apostolici in dioecesi Perusina (Perugia).

S. CONGREGATIO DE SACRAMENTIS

DECRETUM

CIRCA DISPENSATIONES AB IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS CONCEDENDAS REGIBUS ET REGIAE STIRPIS PRINCIPIBUS.

Inter causas maiores Apostolicae Sedi speciali modo reservatas, dispensationes etiam illae recenseri sunt solitae, quae ad principum regiae stirpis matrimonia referuntur, exclusis ab eiusmodi utenda facultate aliis omnibus Ecclesiae Praepositis.

Verum, quandoquidem quae observantia et consuetudine nituntur, non omnia semper sic plane definita et perspicua esse soleant, ut nihil anceps relinquant; idcirco, ne in re tanti momenti ulla possit suboriri dubitatio, SSmus D. N. huic S. Congregationi de disciplina Sacramentorum mandavit ut opportunum Decretum hac de re promulgaret.

Itaque Sacra haec Congregatio SSmi D. N. Pii Papae X iussa faciens, de expresso Ipsius mandato atque Eiusdem auctoritate declarat, dispensationes a quibusvis impedimentis matrimonium sive dirimentibus sive impedientibus, quae regibus ac regiae stirpis principibus erunt concedendae, Sedi Apostolicae speciali modo esse reservatas, ita ut ab huius potestatis usu excludantur Ordinarii omnes et alii quilibet, in quavis dignitate constituti; eandemque potestatem in facultatibus cuilibet et quavis forma concessis, nullatenus esse comprehensam.

Praesentibus in perpetuum valituris, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Huius autem Decreti tenorem Sanctitas Sua in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die vi Martii MCMX audivit et approbavit.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die vii mensis Martii anno MCMX.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus.*

L. £g S.

Ph. Giustini, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO CONCILII

PATAVINA *(Padova).*

DISTRIBUTIONUM CHORALIUM

Die 26 februarii 1910.

SYNOPSIS DISPUTATIONIS. — Cum in Capitulo Cathedrali Patavino massa distributionum choralium, quae vocabatur *Cerneva Maggiore,* ita tenuis existeret ut chori servitium verisimiliter negligeretur, ideo Gregorius XIII, motu proprio *Admonet Nos,* diei 7 Martii 1575, mandavit, ceu refert Capitulum, « che la massa delle distribuzioni si costituisse in « Ducati tremila, da lire Venete sei ciascuno, e se a formare la detta « somma non fosse sufficiente la massa comune, ogni canonico e dignità, « coi redditi della propria prebenda, dovesse concorrere a formare i tre- « mila Ducati, *ratione habita valoris praebendae et fructuum* ». Hanc praescriptionem deinde Paulus V poenalibus sanctionibus communivit, statuens litteris apostolicis in forma Brevis, latis die 1 Novembris 1627, quae incipiunt *In Supremo:* « che quel canonico il quale avesse lasciato « passare il mese di Ottobre e di Aprile senza pagare la sua contribu- « zione, non potesse più avere voce attiva e passiva in capitolo finché « non l'avesse versata; e nemmeno godere delle quotidiane distribuzioni, « minacciando della sospensione *a divinis* chiunque fosse concorso a « usare indulgenza sul proposito ». Motus proprii Gregorii XIII et Brevis Pauli V exemplaria authentica in actis desiderantur.

Haec autem portio a singulis pro rata reditus solvenda, in nova ordinatione praebendarum confecta anno 1828 constituta fuit in libellis decem et octo pro singulis centenis redituum uniuscuiusque canonicatus, et vocata est *decima capitularis* respondens circiter sextae parti totius praebendae. Nunc autem maxima portio quae solvitur ab archipresbytero attingi! libellas 1275, 73, minima vero quae solvitur ab ultimo canonico est lib. 329, 45. Integra vero massa pro distributionibus choralibus assignata pertingit ad libellas 9017, 32.

His praemissis ad rei intelligentiam, referam huiusmodi rationem efformandi decimam capitularem pro ea parte quae archipresbyterum respicit, haud iustam videri hodierno archipresbytero Antonio Rampazzo, qui proinde iam a die 2 Iunii elapsi anni apud S. V. 0. super hoc quaestionem movit, ac supplici oblato libello petiit: « Utrum ex rediti-

bus beneficii sui aliqua saltem pars, quae scilicet sufficienti congruae parochiali respondeat, a praedicta onere sit eximenda. Quatenus *affirmative:* Qua mensura eiusmodi congrua determinari debeat ». Quatenus vero *negative:* « An in computatione redituum ratio sit habenda de missis *pro populo* celebrandis quae admittitur in aliis beneficiis quoad onera missarum ex legatis ». Insuper: « An subtrahi possint impensae tum quae ad ordinariam et extraordinariam reparationem immobilium beneficii fiunt, tum quae ad pueros alliciendos ut doctrinae christianae et scholae religionis intersint, vel ad pauperum et infirmorum necessitates levandas adhibentur ceteraeque quibus parochiale beneficium onerato ».

Capitulum Cathedrale, cui Episcopus de mandato S. C. supplicem libellum remisit pro informatione et voto, in capitulari coetu diei 17 eiusdem mensis et anni, unanimi suffragio adprobavit resolutionem his terminis contentam: « Il Capitolo, dolente di aver dovuto occuparsi di così delicata questione, si dichiara contrario tanto all' idea vagheggiata da Monsignor Arciprete di considerare la prebenda della quale è investito come formata di due enti separabili, il *canonicato* e la *congrua* parrocchiale; quanto al fine da esso inteso con la detta separazione, di esimere cioè parte delle rendite della sua prebenda dall'applicazione della decima capitolare ».

Ad hanc vero conclusione!» Capitulum devenit ob sequentes rationes: « 1° perchè nè l'uno nè l'altro dei citati documenti (di Gregorio XIII e Paolo V) fa distinzione di trattamento fra la prebenda canonicale goduta dall'Arciprete e quella delle altre dignità e canonici riguardo alla misura nella quale deve applicarsi la così detta decima capitolare; 2° ed è ciò tanto vero che si usò sempre e si usa tuttavia nella denunzia dei redditi di ciascun canonicato "al sindaco capitolare, di tener conto nelle attività di quelle godute dall'Arciprete, della casa canonica che a lui solo è rimasta, attribuendo alla stessa un certo canone di fitto in base alle norme stabilite nei prospetti capitolari per detta denunzia; 3° perchè mentre tutte le altre prebende, per le leggi eversive e per l'imposta del 30% da prima, e poi per la successiva riduzione della rendita pubblica, sono andate sempre più assottigliandosi, quella dell'Arciprete invece non solo non subì le dette vicende (fatta eccezione per la piccola parte costituita da certificati di rendita pubblica), ma potè anzi, per le migliorate condizioni dell'agricoltura e conseguente aumento dei fitti delle terre, avvantaggiarsi non poco; 4° perchè non vi è motivo di mutare uno stato di cose tanto antico. Non oneri nuovi sono stati aggiunti, onde aggravata la condi-

zione della prebenda *ex quadam aequitate* si debba fare una riduzione, ma gli oneri sono i medesimi sempre quelli cioè inerenti ad ogni beneficio parrocchiale, come la Messa *pro populo,* il soccorso agli ammalati, ecc.; 5° perchè nemmeno per circostanze estrinseche è peggiorata la condizione della prebenda, ché anzi è migliorata assai, cosicché al presente essa ha un reddito netto di circa sette mila lire, ossia è superiore del doppio della più pingue delle altre prebende e tripla degli ultimi canonicati. E tale insomma da offrire all'investito il modo di soddisfare convenientemente agli oneri *comuni* inerenti alla cura della parrocchia. Che se in vista forse degli oneri suddetti, nella riorganizzazione di tutte le prebende della Cattedrale avvenuta nel 1828, fu creduto sufficiente l'assegnare all'Arciprete un beneficio che superava allora di sole lire austriache 500 il reddito di quelli delle altre dignità, sembrerebbe dovesse starsene tanto più contento l'odierno Arciprete il quale, come si disse, ha una rendita più che doppia di quella che ha il meglio provveduto dei suoi confratelli; 6° perchè la divisione della prebenda domandata da Mons. Arciprete nei riguardi dell'applicazione della *decima capitolare* al verificarsi di "una nuova vacanza potrebbe far nascere l'idea che, come lo furono gli altri canonicati, fosse assoggettabile a liquidazione e conversione la parte di beneficio separata dalla congrua parrocchiale con quali disastrose conseguenze per la prebenda stessa e con quale danno degli altri canonici che dovrebbero supplire essi medesimi all'eventuale minore contributo dell'Arciprete a formare la massa delle distribuzioni è facile indovinare; 7° perchè l'Arciprete è tale in quanto è rivestito di quella determinata prebenda canonicale per cui diventa vicario perpetuo del Capitolo per la cura attuale della parrocchia, mentre la parrocchialità abituale risiede nel Capitolo, e non ha peso l'osservazione che per la prebenda arcipretale è obbligatorio il concorso (donde si vorrebbe inferire che il *canonico* viene ad aggiungersi all'*arciprete);* perchè tale obbligo corre anche pel teologo e per il penitenziere; 8° infine perchè se l'uso e la consuetudine nella presente materia hanno massimo valore, l'uso e la consuetudine, nel caso nostro sono affatto contrari alla novità che vorrebbe introdursi da Monsignor Arciprete, essendosi costantemente tassata la prebenda arcipretale come tutte le altre senza che alcuno degli antecessori, per quanto consta, abbia mai sollevato eccezioni ».

Capitulum praeterea ad assertiones suas firmandas addit schema in quo describuntur reditus singularum praebendarum prouti modo existunt nec non prout erant anno 1828 cum constituta fuit nova ordi-

natio decimae capitularis solvendae. Porro ex hoc schemate eruitur praebendam archipresbyter detractis oneribus, quae anno 1828 vix libell. 4500 attingebat, nunc in libell. 7087, 41 computari posse, et e contra praebendam alterius dignitatis, nempe archidiaconi, quae anno 1828 haud minor erat libell. 4000, nunc attingere tantum libell. 2467, 45, et facta proportione, ceteras etiam praebendas gravem passas fuisse imminutionem, ita ut postremus canonicus, qui anno 1828 reditum libellarum 2500 habebat, modo vix libell. 1880, 28 percipiat.

Ex altera vero parte archipresbyter Rampazzo ita ratiocinatur: « Cum Archipresbyter parochus Cathedralis non secus ac caeteri parochi instituatur, indicto prius concursu et habito examine, Sanctae vero Sedi praesentetur eligendus, nullo antea exquisito Capituli voto, eaque electione fiat ut curam animarum eius ecclesiae adeptus de iure canonicali dignitate potiatur, congruum videtur parochiale munus archipresbyter habendum esse uti praecipuum, canonicalis vero dignitas ut quid accessorium, quamvis de iure connexum. Ex quo inferendum puto, non repugnare iuri si qua saltem pars, *congruae* instas, a beneficio canonicali separetur. Neque obstat quod theologus duplici canonicatu auctus, qua thesaurarius scilicet et qua theologus, de utriusque reditibus integram semper taxam solverit, licet scripturales lectiones impertire debeat: id enim fit non quia *inscindibiles* sint beneficii fructus, sed quia officium, quod ipse ob adeptum theologalem canonicatum praestare debet, nullis omnino sumptibus gravetur, quod certe de archipresbyterali canonicatu dici nequit. Quin etiam, si quid allatum argumentum valeret, in favorem archipresbyter cederet: ille enim ideo altero canonicatu est auctus, ut praestitum ab eo officium rite compensetur.

« Ceterum tria mihi observanda occurrant quod pertinet ad chorales distributiones. Primum non esse causam, cur tanta summa distribui debeat inter duodecim canonicos pro chorali residentia, libellarum scilicet 4508, 66 per semestre spatium: cum enim ea fuerit statuta ex Gregoriana Bulla, quando canonicorum numerus erat duplo maior, nunc infra dimidium minuenda videretur. Deinde durum esse statutam impositionem eo usque pertingere, ut canonicus quis de distributionibus nihil omnino percipiat, imo de suo addat.

« Non esse denique compertum, quo titulo domus Archipresbyter! taxa capitulari plectatur ad distributionum summam complendam, cum nullum sit ens tam vere et proprie parochiale, quam ipsa canonica domus».

His praeterea addit sese gravare debuisse aere alieno ad solvendas expensas factas intra triennium a capta possessione in restaurandis

immobilibus spectantibus ad beneficium, quarum summa attingit libellas 4490, non computatis expensis ordinariis pro eorumdem manutentione. Quibus expositis, sequentia videntur animadvertenda.

Primo. Quod teneatur ad *solvendam Decimam Capitulares* R. Archipresbyter Capituli Patavini, nemo est qui possit dubitare. Nam, praeterquam quod id ab Archipresbytero non negatur, evidens omnino est Gregorium P. XIII, cum motu proprio *Admonet Nos,* voluisse complere massam distributionum ad tramitem regulae per S. G. Trid. *Sess. 21, de ref., cap. 3* stabilitae. Porro mandaverat S. Synodus portionem fructuum «tam *dignitatum, quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum* separari debere, et in distributiones quotidianas converti, quae *inter dignitates obtinentes* et *coeteros divinis in interessentes* proportionabiliter... dividatur »; nulla nempe fit exceptio. Ac propterea ipse Gregorius P. XIII mandavit ut: « *ogni Canonico e Dignità,* coi redditi delia « propria prebenda, dovesse concorrere a formare i tremila ducati ».

Secundo. Archipresbyter quaestionem proponit de eximenda aliqua parte suae praebendae a contributione decimae capitularis, cum haec pars considerari debeat ut congrua parochialis eique non pro chorali servitio, sed pro cura animarum rependatur. Porro id rationi consentaneum apprime videretur, et revera hac de causa in pluribus Capitulis praebenda canonicalis parochi omnino a congrua parochiali separata existit, quae percipitur a parocho, nulla habita servitii choralis ratione. Verum e contra antiqua consuetudo in Capitulo Patavino vigens, in Constitutionibus Pontificiis probabiliter fundata et ab his certe non improbata haud levis etiam videtur ponderis ut suadeat nullam in hoc immutationem faciendam esse, praesertim si consideretur divisionem ab Archipresbytero propositam nec sine laesione iuris quaesiti aliorum canonicorum ad effectum perduci posse.

1° Et revera Gregorius P. XIII mandavit ut *omnes* de Capitulo Patavino subiiciantur oneri decimae capitularis « ratione habita *valoris praebendae et fructuum* ». Iamvero non potest esse dubium quin rationem praebendae habeat pecunia secundum quam, ratione dignitatis et muneris, proventus beneficii archipresbyteralis superat ceteras praebendas tum canonicorum, tum dignitatum et officiorum. Nam in iure quod datur pro officio et munere spirituali rationem habet praebendae. - Praeterea, in eadem linea officiorum et dignitatum inveniuntur Canonicus Archipresbyter, Canonicus Theologus, et Canonicus Poenitentiarius; porro hi duo ultimi, etsi pius recipiant de bonis Ecclesiae, id non sub ratione stipendii et salarii, sed sub ratione praebendae accipiunt. - Et adhuc anno 1828, nova determinatio proventuum pro singulis canonicis et

dignitatibus Capituli Patavini, facta est sub ratione *novae institutionis praebendarum:* « Nella *riorganizzazione di tutte le prebende* della Cat¬tedrale, avvenuta nel 1828, fu creduto sufficiente l'assegnare all' Arci-prete *un. beneficio* che superav

Tandem omnem hac super re amaritudinem tollit observantia: observantia enim est optima legum et ordinationem humanarum interpres; atque maximum habet valorem in distributionum materia. Porro compertum est quod « l'uso e la consuetudine, nel caso nostro, sono affatto contrari alla novità che vorrebbe introdursi da Monsignor Arciprete; essendosi costantemente tassata la prebenda arcipretale, come tutte le altre, senza che alcuno degli antecessori, per quanto consta, abbia mai sollevate eccezioni ».

2° Neque valet in contrarium ratio aliata ab Archipresbytero, dum ait: « Quum Archipresbyter Cathedralis Ecclesiae, non secus ac coeteri Parochi, instituatur indicto concursu et habito examine; Sanctae vero Sedi praesentetur eligendus, nullo antea exquisito capituli voto;; eaque electione fiat ut curam animarum eius Ecclesiae adeptus de iure canonicali dignitate potiatur; congruum videtur parochiale munus Archipresbytero habendum esse uti praecipuum, canonicalis vero dignitas ut quid accessorium, quamvis de iure connexum. Ex quo inferendum puto, non repugnare iure si qua saltem pars, *Congruae instar,* a beneficio canonicali separetur ». R*espondetur:* Esto quod munus et dignitas Archi¬presbyteri sint potiora simplici canonia; esto etiam quod munus Archipresbyter! sit ratio ob quam archipresbyteralis praebenda per concursum confertur, nullo exquisito capituli voto; hinc tamen non sequitur praedictam praebendam in duas posse dividi portiones, quarum una sit praecipua et se habeat instar parochialis congruae, altera vero sit accessoria et se habeat instar canonicalis praebendae, quaeque sola decimae capitulari subiiciatur. Huic enim divisióni multa opponuntur. Opponitur mandatum Gregorii P. XIII; opponitur praeterea paritas archipresby¬teralem praebendam inter et praebendas theologalem et poenitentia¬riam: hae siquidem pari modo ac illa pinguiores sunt pro dignitate et munere Canonici Theologalis et Poenitentiarii, per solum conferantur concursum (Benedic. XIII, *Pastoralis Officii)*; et tamen non eximuntur a decima capitulari secundum eam partem qua caeteras superant praebendas; opponitur adhuc modus collationis praedicti beneficii per solum concursum; qui, etsi fiat *ratione officii specialis* ad quod sustinendum deputatur praebenda, habetur tamen pro obtinenda *hac determinata praebenda canonicali* cui, praeter officium chori, aliud adnectitur munus docendi nimirum, vel confessiones audiendi, vel ministrandi Sacramenta

(Cfr. *Pastoralis Officii)*; opponitur tandem ratio *Congruae Parochialis* ab Archipresbytero invocata. Veram enimvero Portio congrua, quae debetur sive Parocho sive Vicario, complectitur omnia quae requiruntur ad convenientem rectoris sustentationem pro ipsius statu et conditione (Schmalzgr. *L. III, T. 39, n. 120).* In themate autem proventus ad convenientem Vicarii Capituli sustentationem pro eius statu et conditione deputati, constituuntur per archipresbyteralem praebendam; sicuti sustentatio Canonici Theologi et Canonici Poenitentiarii obtinetur per praebendam theologalem vel poenitentiariam *(Pastoralis Officii).* Ac proinde, si ratione congruae parochialis, archipresbyteralis praebenda ab onere decimae capitularis esset eximenda, *non tantum secundum partem, sed secundum totalitatem* eximenda foret, quod absit. Accedit quod, ut saepe saepius definiit S. Cong., ille qui curam animarum alicui Ecclesiae vel Dignitati aut Canonicatui imminentem exercet, tempore quo exequitur munia parochialia, etiamsi divinis officiis non intersit, lucratur distributiones quotidianas. Nam tunc servitium parochiae succedit loco servitii choralis; ac proinde distributiones ipsae *in congruam* imputandae sunt. Quapropter, in casu, ea pars fructuum praebendae archipresbyteralis quae in distributiones convertitur et restituitur Archipresbytero titulo distributionum, rationem congruae non amittit.

Tertio. Archipresbyter alias quaestiones proponit, quae quantitatem decimae capitularis eiusque distributionem respiciunt. Recolit enim Archipresbyter a Gregorio XIII statutum fuisse ut massa distributionum in summa trium millium ducatorum constitueretur cum Capitulum numero canonicorum duplo actualium maiori coalescebat, et infert congruum esse ut nunc, canonicis ad duodenarium numerum reductis, et massa distributionum ad medietatem reducatur. Insuper Archipresbyter, qui quolibet semestre libell. 538, 78 pro decima capitulari solvit, non potest ob suam residentiam a massa distributionum percipere ultra lib. 365, 73, ideoque multo pius conferre quam lucrari valet, quod profecto aequitati, si non etiam iuri, repugnare videtur.

Iamvero quoad primum incongruum prima fronte non appareret, imminuto numero canonicorum et massam distributionum imminui; verum prius inquirendum esset num summa pro distributionibus assignata respondeat pro unaquaque praebenda tertiae saltem parti redituum, iuxta praescriptum Sacrae Tridentinae Synodi, *sess. 21, de reform., cap. 3.* Quae autem in actis prostant circa reditus singularum praebendarum non omnino clara sunt: attamen prudenter colligi posse ex deductis videtur pro maiori saltem parte canonicorum, et praesertim pro archipresbytero, summam in distributiones collatam tertia parte omnium redi-

tuum minorem esse, proindeque inferendum dispositionem Gregorii XIII latam eo tempore probabiliter fuisse cum praebendati tenuioribus fructibus gauderent.

Quoad secundum allegatur decisio in Faventina, *Distributionum, diei 22 Februarii 1851.* An autem citata Faventina praesenti casui aptetur dubitari posset. Siquidem ibi agebatur de Capitulo Collegiatae oppidi Brisighella, in quo cum praebendae, ut in Cathedrali Patavina, separatae et inaequales essent, Episcopus statuerat ut tertia singularum praebendarum pars naturam assumeret distributionum et deinde absentium fallentiae inservientibus accrescerent ea proportione qua quisque ad distributiones efformandas contribuisset. Porro hoc Episcopi decretum Sacra Congregatio, contrariis quibuscumque non obstantibus, firmum habendum esse declaravit. Attamen in allato casu non existebat peculiare ius, prout existit pro Capitulo Patavino a Gregorio XIII et a Paulo V constitutum, quod verisimiliter invectum est cum iam praebendae inaequales erant ad discrimen inter canonicales reditus temperandum. Ceterum praetereundum non est inter duodecim inaequales praebendas distributionum divisionem pro rata summae collatae nec paucis nec levibus difficultatibus in praxi obnoxiam esse.

Quarto. In computatione reddituum, non est eadem ratio habenda de missis pro populo celebrandis quae admittitur in aliis beneficiis quoad onera missarum ex legatis.

Et revera, decima capitularis a Canonicis solvenda est, attento valore praebendae et fructuum, atque, ut fert ius, detractis pensionibus aliisque *legitimis oneribus.* Onera autem detrahenda ea intelliguntur quae *realia* sunt et directe gravant praebendam; non vero quae *personalia* dicuntur, et directe pertinent ad ipsum officium beneficiati.

Iamvero onus missae celebrandae pro populo sibi commisso, est personale omnibus et singulis qui actu animarum Curam exercent, et obligatorium ex divino praecepto, ratione officii Pastoris *(Conc. Trid., sess. 23, cap. 1, de reform).* Ac propterea onera missarum pro populo celebrandarum, inter ea non numerantur quae legitime detrahuntur ex fructibus praebendae, priusquam determinetur decima capitularis ab Archipresbytero solvenda.

Aliter omnino ratiocinandum est ubi agitur de oneribus missarum ex legatis piis. Et primo quidem, legata pia ad missas celebrandas non habent propriam praebendae rationem; ac proinde non subiiciuntur decimae capitulari, quae debetur ratione praebendae canonicalis. Atque praeterea onera missarum ex legatis piis sunt onera realia quae directe gravant ipsa pia legata, atque ideo legitime eximuntur ab impositione

decimae capitularis. Adde tandem quod Sacra Congregatio saepe declaravit, non posse ab Episcopo converti in distributiones quotidianas reddimus, pia testantium voluntate relicti pro missarum celebratione.

Quinto. In computatione redituum subtrahendae sunt expensae quae fiunt ad reparationem sive ordinariam sive extraordinariam immobilium beneficii.

In propatulo quidem est, quod beneficiatus quilibet, cum aequiparetur in vita usufructuario, tenetur ex fructibus beneficii res in bono statu conservare; atque ideo, ex dispositione iuris, omnes terras, vineas, prata ac cetera huiusmodi manutenere debet; obligaturque ad reparationem fundorum et immobilium quae ad beneficium spectant.

Et haec quidem onera realia sunt; atque ita praebendam gravant ut (quod explorati iuris est) successor in beneficio teneatur debita solvere a praedecessore contracta in utilitatem beneficii, et beneficiatus decessor reddere teneatur successori sumptus reparationum a se omissarum in bonis beneficii. Ac proinde expensae quae fiunt ad reparationem sive ordinariam sive extraordinariam immobilium beneficii subtrahendae sunt ex eiusdem beneficii proventibus, antequam deveniatur ad separationem partis fructuum in distributiones quotidianas assignandae.

Sexto. In computatione redituum subtrahendae non videntur impensae quae fiunt ad pueros alliciendos ut doctrinae christianae et scholae religionis intersint, vel ad pauperum et infirmorum necessitates levandas adhibentur, coeteraque quibus parochiale officium oneratur.

Re quidem vera, expensae huiusmodi collocandae sunt inter eas eleemosynas ad quas tenetur vel beneficiatus *ratione superflui* (si quod est) in fructibus sui beneficii, vel parochus *ratione caritatis et curae, pastoralis;* non vero computandae videntur inter illa realia onera quae ita gravant praebendam ut, ex dispositione iuris, detrahenda sint antequam deducatur pars fructuum in distributiones quotidianas de iure convertenda.

Hinc proponuntur sequentia dubia:

1. ° *An. et quomodo post imminutum numerum canonicorum in Capitulo Patavino locus sit imminutioni massae distributionum in casu?*

2° *An methodus hucusque vigens in eodem Capitulo quoad divisionem distributionum reformanda ita sit ut cuivis canonico assignentur distributiones respondentes summae solutae pro earumdem massa in casu?*

3. ° *An aliqua et quae pars praebendae archipresbyteri parochi a decima capitulari immunis esse debeat in casu?*

Et quatenus negative *ad tertium.*

4. ° *An et quae onera detrahenda sint ex reditibus praebendae archipresbyteralis ad effectum solutionis decimae capitularis in casu?*

DECISIO. — Emi Patres S. Congregationis Concilii, in generalibus comitiis, die 26 Februarii 1910 respondendum censuerunt:

Ad 1um, 2um et 3um. *Ex deductis, nihil esse innovandum.*

Ad 4um. *Affirmative, detrahenda esse onera realia praebendae tantum.*

C. CARD. GENNARI, *Praefectus.*

Basilius Pompili, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO INDICIS

DECRETUM

Feria II die 7 Martii 1910.

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium a SSmo Domino Nostro Pio PP. X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum habita in palatio Apostolico Vaticano die 7 Martii 1910, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

IOSEPH TURMEL, *Histoire de la théologie positive, depuis V origine jusqu'au concile de Trente. Paris, Gabriel Beauchesne et Cie.*

— *Tertullien. Paris, Bloud et Cie.*

— *Saint Jérome. Ibid.*

ANGEL PULIDO FERNANDEZ, *Españoles sin patria y la raza sefardí. Madrid, E. Teodoro, 1905.*

Luis GAMBARA, *La sociologia; manual para estudiantes de derecho, de filosofía y de bachillerato y de cultura generat. Barcelona, casa editorial, 1909.*

— *Sociología criminal; manual para abogados, médicos forenses, estudiantes de derecho y de medicina y de cultura generat. Ibid. 1909.*

— *Antropología criminal; especial para abogados, médicos, estudiantes de derecho y de medicina y de cultura generat. Ibid. 1909.*

— *Psicología y antropología criminal; curso dado en ei salon doctoral de la universidad de Barcelona. Ibid. 1909.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta- opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

IOSEPHUS TURMEL et FORTUNATUS Russo, Decreto S. Congregationis edito die 5 Iulii 1909, quo quidam libri ab eis conscripti notati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subiecerunt.

Quibus SSmo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, die 9 Martii 1910.

F. CARD. SEGNA, *Praefectus.*

L. © S.

Thomas Esser, 0. P., *Secretarius*

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

ROMANA

DUBIA QUAEDAM CIRCA MISSAM VOTIVAM SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI, FESTA TITULARIS ET DEDICATIONIS ECCLESIAE CATHEDRALIS ET LECTIONES I. NOCTURNI IN FESTIS S. FRANCISCI XAVERII, S. ANTONII PATAVINI ET S. ALOISII GONZAGAE, QUANDO PRO IPSIS RECURRENDUM SIT AD COMMUNE CONFESSORUM.

Sacrorum Rituum Congregationi nuperrime proposita sunt, pro opportuna solutione, sequentia dubia; videlicet:

I. Utrum ad Missam votivam Officio votivo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli respondentem, in Vigilia Omnium Sanctorum sub die 30 vel 31 Octobris, tertia Oratio debeat esse *Concede nos famulos tuos* de Beata Maria Virgine; an potius *Deus, qui corda fidelium* de Spiritu Sancto, quae ad Missam ipsius Vigiliae. uti secunda praescribitur?

II. Utrum Festum Titulare Ecclesiae Cathedralis cum sua Octava,

extra ipsam Cathedralem, habendum sit tamquam Festum primarium, vel secundarium ?

III. Utrum Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis cum sua Octava, extra ipsam Cathedralem^ sit aestimandum tamquam Festum primarium, an vero ceu Festum secundarium?

IV. Utrum in Festis Sanctorum Francisci Xaverii, Antonii Patavini, et Aloisii Gonzagae, si pro Lectionibus I Nocturni recurrendum sit ad Commune Confessorum, Lectiones sint sumendae e primo, an potius e secundo loco ? •

Et Sacra eadem Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam, in casu proposito.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam, iuxta Decretum Generale n. ° 3810, diei 27 Augusti 1893 ad I.

Ad III. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam, iuxta Decretum Generale n. ° 3863 *Celebrationis Festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli Ecclesiae,* diei 9 Iulii 1895 ad II et III, ubi Ecclesia Cathedralis dicitur omnibus e Clero propria aut ratione beneficii, aut ratione subiectionis, etiam pro Regularibus.

Ad IV. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 16 Februarii 1910.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. © S.

Philippus Can. di Fava, *Substitutus.*

IL

PARENTIN. ET POLEN. *(Parenzo e Pola).*

CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI SERVO DEI IULIANO CESARELLO DE VALLE, SACERDOTI PROFESSO ORDINIS MINORUM SANCTO ET BEATO NUNCUPATO.

Ad septimum Ordinis Minorum conditi saeculum commemorandum, valde opportuna et utilis nuper apparuit recensio, chronologice disposita, alumnorum omnium qui ad tres Sancti Francisci Ordines pertinent, quique, initio ducto a legifero Patre, Sancti vel Beati vel Venerabiles ab Ecclesia hucusque recogniti et declarat! sunt. Nemo enim non videt quantum hic catalogus hagiographicus conferat ad arboris bonitatem fructuumque

ubertatem ostendendam simulque excitandam in Fratribus ac Sororibus religiosis, nunc et in posterum, imitationem virtutum et fiduciam praesidii Istis autem adiiciuntur alii Servi Dei sanctitatis fama illustres, quorum Causa Beatificationis, formalis vel aequipollentis, procedens per viam non cultus aut per alteram cultus immemorialis seu casus excepti, apud Sacram Rituum Congregationem nondum excepta vel non introducta aut in cursu est. Hisce postremis adnumeratur Dei Famulus lulianus Cesarello De Valle, Sacerdos Professus Ordinis Minorum, Beatus nuncupatus, qui, saeculo illo primo ad exitum vergente, floruisse reputatur et de cuius cultu immemoriali seu casu excepto confirmando, hoc exoriente anno, actum est. lulianus natus est in Castro Valle, Istriae,. *ex* honesta familia Cesarello. In Ordinem Sancti Francisci cooptatus et, ut antiquissima monumenta perhibent. Sacerdotio auctus, vitam duxit non minus virtute quam opere ac sermone claram in Coenobio praecipue Sancti Michaelis supra collem eiusdem tituli ac nominis prope Vallem erecto, quod, a Camaldulensibus Monachis derelictum, Fratres Franciscani acceperant. Divino incensus amore atque animarum saluti intentus, vicos et castella Istriae sacro ministerio perlustravit, pacis etiam sequester in componendis civium dissidentium animis; et in signum huius apostolatus in imagine sculpta vel picta repraesentatur gestans librum. in una et crucem in altera manu. Tandem, annis et meritis dives, supremum diem obiit in eodem coenobio, sub tutela Principis militiae caelestis et Ecclesiae militantis Patroni. De vita, estis atque obitu huius Servi Dei atque de eiusdem familia paucae extant memoriae; nec nativitatis nec mortis annus agnoscitur. Ceterae probabiliter scripto consignatae, inter rerum publicarum vicissitudines atque externas internasque perturbationes, facile deperditae sunt. Aliter dicendum est de documentis, et monumentis cultum respicientibus, quae reapse abundant. Hunc enim, inde a Iuliani obitu vel brevi post, fuisse Ipsi exhibitum, in dies amplificatum et usque in praesens continuatum acta processualia cum subsequenti Rmi Dñi Episcopi Parentini et Polensis sententia ferunt. Inter antiquos scriptores memorandi sunt: Anonymus in codice cui titulus *Provinciale Ordinis Fratrum Minorum* in Bibliotheca Vaticana sub n. 1960 asservato, circa annum 1343 exarato et a R. P. Conrado Eubel ad Claras Aquas, anno 1891, edito; Bartholomaei Pisanus in libro *De conformitatibus, scilicet vitae Beati Francisci ad vitam Domini Nostri Iesu Christi* inter annum 1385-1395 evulgato et in libro I *De Provincia Dalmatiae;* Codex membranaceus cura et solertia R. D. presbyteri Marci Antonii Rota, Veneti, atque Canonici Castri Vallis, anno 1570, confectus; *Martyrologium Franciscanum* Arturi a Monasterio, anno 1638; *Menolo-*

gium Patris Fortunati Hueber, anni 1698, et Waddingus in suo opere seu *Annalibus,* anni 1733. Monumenta ac testes fide digni una cum constanti traditione docent de titulo Sancti ac Beati inscripto et invocato, de vinea, schola et pia sodalitate sub nomine et patrocinio Beati Iuliani constitutis, de festo liturgico cum oratione panegyrica, de apposito altari et lampade coram eo collucente, de imaginibus cum signis beatitatis et reliquiis publicae venerationi expositis, de sacellis ac templis eidem Beato dicatis. Statuta insuper Communitatis Vallensis ad saeculum XV, idest annum 1477, Sanctum Iulianum agnoscunt ac referunt uti Patronum loci. Antiqua et recentiora kalendaria, sicut codex Marci Rota suprarelatus, tres commemorant dies festos Iuliano sacros: in Maio, « Beati Iuliani Confessoris », in Iunio, « Dedicationem altaris Sancti Iuliani », in Iulio, « Translationem Beati Iuliani». Ex quibus, diem primam Maii utpote natalitiam vel quasi-natalitiam, mos erat atque est in Ecclesia Vallensi celebrari cum maiori populi frequentia et devotione ac ritus magnificentia, per solemnia Missarum et Vesperarum, adiecta etiam publica supplicatione in qua deferuntur lipsana seu reliquiae ipsius; Beati et Sancti titularis. Accessit etiam indulgentia plenaria per Litteras Apostolicas in forma Brevis sa. me. Pii Papae VI, die 26 Februarii anni 1793 concessa, in forma Ecclesiae consueta, Christifidelibus praedictam ecclesiam visitantibus, enunciata die prima Maii, in festo primario et solemniori Sancti Iuliani. Haec et alia eruuntur ex Actis supramemoratis Processus Ordinarii Parentini et subsequentis sententiae Episcopi, ad probandum cultum immemorialem Servo Dei Iuliano adhibitum, seu casum exceptum ad normam decretorum sa. me. Urbani Papae VIII. Quae cum ita sint, instante Rmo P. Francisco Maria Paolini, Ordinis Fratrum Minorum Postulatore Generali, Emus ac Rmus Cardinalis Franciscus a Paula Cassetta, Episcopus Sabinensis et huius Causae Ponens seu Relator, in Ordinario sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit: « An sententia lata a Rmo Dño Episcopo Parentin. et Polen. super cultu praefato Servo Dei ab immemorabili tempore praestito, sive super casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?» Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt: « *Affirmative* seu sententiam esse confirmandam, si Sanctissimo placuerit». Die 15 Februarii 1910.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis.,.

Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habuit et probavit, die £3, eisdem mense et anno. ~

FR. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. £g S.

Philippus Can. Di Fava, *Substitutus.*

III.

MELITEN. *(Malta).*

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI ADELAIDIS CINI, FUNDATRICE HOSPITII A S. CORDE IESU MELITAE.

Doctrina et exemplo divini Redemptoris qui dixit: « Non veni vocare iustos, sed peccatores », sancti et iusti instructi, dum de sua perfectione spirituali erant solliciti, aliorum quoque salutem impenso studio pro¬curarunt. Nonnulli vero, specialem vocationem secuti, periclitantes et vacillantes in via et lege Domini firmare, lapsos ac devios erigere, a vitiis purgare, in viam rectam reducere atque in tuto loco collocare non destiterunt. Ex his valde laudabilis est Adelaides Cini, Fundatrix Hospitii a Sacro Corde Iesu, Melitae, quae postremis hisce temporibus tertia venit ad honorandam Melitensem Insulam et Ecclesiam, post Venerabiles M. Adeodatam Pisani, monialem professam Ordinis Sancti Benedicti, et Ignatium Falzon, clericum saecularem, quorum Causam beatificationis iam introductam praesens ac similis Causa optimis sequitur auspiciis. Ex Michaele Cini et Carmela Galea, piis honestisque parentibus, in civitate Valletta, Melitensis Insulae, die 25 Octobris anni 1838 orta, eadem die in Basilica Sanctae Mariae de Portu Salvo regenera¬tionis lavacro abluta est; Familia Cini septem enumerabat filios et sex filias inter quas natu postrema erat Adelaides. Parentum curis et exemplis religiose instituta, proles quotidie templum Carmelitarum adibat, ut sacrosancto Missae sacrificio adsisteret; vespere Rosarium Marianum cum suis domesticis et operariis recitabat; singulis feriis quartis cuiusvis hebdomadae exercitiis in honorem Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo peractis, quae cum benedictione eucharistica concedebantur, dili¬genter intererat. Mensem autem Maium Deiparae Virgini cum bonis operibus appositisque precibus coram altari domestico floribus ornato cereisque accensis lucente consecrabat. Haec pietatis exercitia constanter servavit praelaudata familia etiam cum a Valletta ad locum *Harum* se transtulit domiciliumque posuit. Ita Adelaides, aetate, virtute atque con-

venienti doctrina succrescens, divinae vocationis ad perfectiorem vitae
statum eligendum indicia ostendebat. Quae quidem indicia magis in dies
eluxerunt, postquam ad sacram Synaxim iam admissa et sacro chrismate
confirmata, litterarum rudimentis vacabat; quo tempore magistrarum
eaque ac sodalium existimationem et amorem sibi comparavit. In paterna
domo, vel in schola, aut in templo suis officiis intenta, egregia Puella
cum octavum supra decimum attingeret aetatis annum, parentes Eam
nuptui collocare cogitant et negotium expedire curant. Verum res incas¬
sum cedit, et Adelaides divinae voluntati obtemperare semper parata
nullum inde moerorem atque animi perturbationem recipit. Imo iteratis
fervidisque precibus peculiare lumen super electione status a Deo petit
atque obtinet; praesertim in sacris exercitationibus, quae in templo
Sanctae Venerae a patribus Societatis Iesu habebantur. Tunc enim ad
meliora charismata se vocatam agnoscens, dimissis vestibus coloratis
et ornatis, quae tamen honestae puellae conveniebant, habitum induit
nigrum ac simplicem. Postulat insuper veniam a genitore, ut claustrum
ingredi et in eo religiosa vota nuncupare possit. Suam sententiam ape¬
rire differt amantissimus pater, tum quia Filiae vocationem experire ac
probare volebat, tum quia ab illa adhuc nubili et domi opem ac sola-
tium habebat. Interim Dei Famula otiosa non stetit, et puellas in tem-
plum Sanctae Venerae cogebat atque christiana cathechesi opportunisque
instructionibus ad sacramenta rite suscipienda imbuere sategit. Demortuo
paulo post genitore, ardentius flagrans desiderio vitae claustralis ample-
ctendae, cui satisfacere volens, in variis monasteriis respectivae praesidi
se obtulit, sed, infirma valetudine laborans, nullum ex iis ingredi potuit.
Tandem Augustinianense monasterium, a Sancta Catharina nuncupatum,
adivit, ubi memoratu dignum est quod sanctimonialis, spectatae virtutis,
Adelaidi ingressum postulanti dixit: « Christum Iesum Eam nolle intra
claustra, sed potius velle et puellas ac feminas in discrimine positas
vel aberrantes in tuto collocaret vel in viam Dei mandatorum redu¬
ceret >. Et quaerenti: « Quibus modis id perficere potuisset », respondit
monialis: « Ne timeret, Deus enim vires opesque Ipsi praeberet ». Tunc
humilis Dei Ancilla, ad exemplum Bmae Virginis ab Angelo salutatae,
conclusit: « Fiat de me quod Deus vult fieri ». Ad hanc vivendi ratio-
nem sic exhortata, de consilio etiam sui spiritualis moderatoris Ioannis
Tabone, missionariorum praepositi, manus ad opus satis arduum admo¬
vit, divina Providentia mirabiliter interveniente. Quidam enim Ioannes
Asphar, natione indicus, ad hunc specialem apostolatum, cum insigni
favore ac ingenti pecunia, Adelaidem potenter excitavit. Quae primum
Deo lucrifecit quandam feminam siculam, nomine Carmelam, venustate

quidem decoram sed morum corruptione deformem, cuius conversionem tentavit suavi ac familiari conversatione incoepta per viam et conclusa in templo, ubi illa mulier, ad ferventes exhortationes Servae Dei, in lacrymas verae contritionis effusa, sub Illius ductu in lege Domini constanter ambulare statuit. Quam conversionem, Bma Maria Virgine adiuvante, cuius sacrum numisma eidem mulieri dono dederat, Adelaides, sacri sermones, maxime sermo de scandalo, ab ecclesiastico orator habiti, ita perfecerunt, ut ipsa mulier de anteactae vitae ratione ac de peccatis contra legem Dei commissis vehementer dolens, confessionem generalem peregerit et ad domum prope Sanctam Veneram, humilis ac poenitens suam in Christo matrem et magistram secuta fuerit. Paulo post in asylum a Bono Pastore se recepit, ad tempus deperditum et peccata sua redimenda. Hoc in asylo degens, in tantam existimationem superiorum venit, ut ad magnam Africae urbem mitteretur atque etiam praeses alterius asyli pro mulieribus poenitentibus eligeretur. Illic, summa cum laude suam missionem adimplens, usque ad obitum vixit. Itaque praedictis exordiis fausto eventu coronatis, Adelaides Dei spiritu ducta, maiori studio et alacritate plures civitates perlustravit, inter quas Sengleam,. Victoriosam, Conspicuam, maxime Vallettam, ad dubiae vel amissa^ famae honestatis mulieres colligendas, curandas, convertendas in nosocomiis ad rem apertis aut in domibus ad partus destinatis. Neque solum de matribus, sed et de natis sollicita, patre legitimo aut certo carentibus, eos huic vel alteri nutrici tradebat, suo aere vel eleemosynis collatis,, sicque ipsorum corporis animaeque Saluti prospiciebat. Singulari industria, per se vel per alias pias feminas, puellis ac mulieribus honestos labores procurabat, vel legitimas nuptias, vel tutum famulatum penes morigeras familias. Quasdam vero sororibus a Bono Pastore ad vitam poenitentem agendam, quatenus opus esset, committebat, neque unquam desiit hisce miseris in sua paterna domo opportunum perfugium exhibere. Parte enim domus, quae eidem in haereditatem obtigerat, magdalenis assignata, reliquam, quam emerat, puellis orphanis, derelictis ac periclitantibus destinavit, donec, magdalenis alibi in tuto positis, tota domus hisce puellis custodiendis et instituendis reservata remansit. Quod hospitium amplificatum ab ipsa Dei Famula Sacro Cordi Iesu dicatum fuit, a quo etiam gloriosum nomen accepit. Ita duplici operi, et magdalenis ac puellis, ministerium suum praestitit Adelaides quoad vixit, caritate et religione plenum. Ipsa autem amorem, quo erga Christum Deum patientem et Virginem Matrem perdolentem aestuabat, quemque assidue fovebat per plura pietatis exercitia, in illas infundebat, ut cum metu et tremore propriam salutem operarentur, sancta -sacramenta rite:

reciperent, animas in expiatorio carcere detentas sublevarent, et Deum totis viribus diligerent, eiusque legem integre diligenterque observarent. Curabat etiam ut ipsae coelites sanctosque patronos, praecipue Patriarcham Ioseph, Nicolaum Barensem, Caietanum Thienaeum et Aloysium Gonzaga devoto ac filiali affectu colerent. Demum, tot tantisque laboribus fracta et cardiaco morbo ac subsequenti hydropisi correpta, domi quiescere coacta est. Attamen, adhuc infirma, domesticis curis suam operam impendebat, quotidiana sanctissimae Eucharistiae communione recreata. Verum, hoc duplici morbo per mensem magis ingravescente, ad extrema deducta ac sacramentis morientium refecta, inter puellas, tum orphanas tum poenitentes, quae tunc in asylo vivebant, et flentes et orantes una cum sacerdote adstante, postquam verba pronunciaverit: « In manus tuas, Domine Iesu, commendo spiritum meum », reclinato capite, piam animam exhalavit, die 28 Martii, sabbato ante Dominicam Palmarum, anno 1885. Defunctae corpus in Sacello Hospitii expositum manet, ut satisfiat votis ac devotioni civium ex omni coetu visitantium, pluribus Sacris ibidem litatis, ac puellis earumque magistris aeternam felicitatem dilectae matris animae devote adprecantibus. Die vero sequenti, «exequiis peractis, ad coemeterium a Virgine dolorosa nuncupatum deducitur ac religiose sepelitur. Post sexdecim menses atque iterum post quatuordecim annos recognitum, in separato tumulo usque in praesens quiescit. Interim fama sanctitatis quam vivens sibi acquisierat Adelaides, post obitum et progressu temporis adeo clarior evasit, ut de ea Processus informativus in ecclesiastica Curia Melitensi, Ordinaria Auctoritate, adornatus, Romam ad Sacram Rituum Congregationem transmissus sit. Hinc, instante Rmo Dno Alphonso Canonico Carinci, Causae "postulatore, attentis litteris postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum necnon Capitulorum, Religiosorum, monialium ac sororum, nobilium et Sodalitatum, praesertim ex Insula Melitensi, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata, eiusdem Causae Ponens seu Relator, in ordinario Sacrae Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: « An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur ». Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt: « *Affirmative* seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit ». Die 15 Februarii 1910.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X

per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, relatione, Sanctitas Sua, Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae Venerabilis Servae Dei Adelaidis Cini, Fundatricis hospitii a Sacro Corde Iesu, Melitae, die 23, eisdem mense et anno.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. £g S.

Philippus Can. Di Fava, *Substitutus:*

IV.

SINARUM.

CANONIZATIONIS BEATI IOANNIS A TRIORA MARTYRIS, SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS FRATRUM MINORUM.

Per litteras Apostolicas in forma Brevis incipientes *Fortissimorum virorum* sa. me. Leonis Papae XIII et datas die 7 Maii anno 1900, in Patriarchali Basilica Vaticana solemnia Beatificationis peracta fuerunt septuaginta septem martyrum Tunquini, Cochinchinae et Sinarum ad quatuor Familias religiosas, nempe Societatis ab exteris Missionibus, Ordinis Praedicatorum, Congregationis Missionis atque Ordinis Minorum pertinentium. Ex his omnes erant natione exteri, praeter unum e gente itala Ioannem Lantrua, a Triora nuncupatum ex oppido natali Ventimiliensis dioecesis in Liguria, qui, Sacerdos professus Ordinis Minorum ac Missionarii in Sinensi imperio ob catholicam fidem ab ethnicis captus, in vincula coniectus et capite damnatus, glorioso martyrio coronatus est. Mox institutis atque expletis intra annum a solemni beatificatione triduanis festivitatibus in honorem Beati Ioannis cum cleri populique concursu celebratis in ecclesiis ipsius Ordinis, cultus et devotio in novensilem Beatum de die in diem crescit atque invalescit, praesertim in regione ligure et in urbe Roma ubi quiescit Eius corpus in almo Templo Aracoelitano, *ob,* gratias quas Christifideles orantes et fidentes implorant atque Eidem grato animo referunt acceptas. Quin imo post venerationem Ipsi ab Apostolica Sede indultam, nova asseruntur prodigia, Beato Ioanne invocato atque interveniente, divinitus patrata. Quibus permoti Causae Actores ad ulteriora procedere, ipsamque Causam adhuc promovere statuerunt, firma solidaque spe freti se felicem optatumque solemnis canonizationis exitum quantocius esse consecuturos. Quare, instante Rmo P. Francisco Maria Paolini, Ordinis Minorum Postulatore Generali, attentis litteris postulatoriis Emi ac Rmi Dñi

S.. R. E. Cardinalis A. Rinaldini, quorundam Rmorum Sacrorum Antistitum ac praecipue Rmi Dñi Ambrosii Daffra, Ventimiliensis Episcopi in cuius dioecesi natus est Beatus Ioannes a Triora, necnon tum Revmi P. Dionysii Schuler, Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, tum Adm. Rev. P. Ministri Provinciae Romanae et Fratrum Sodalium eiusdem Provinciae et Conventus Aracoelitani, in cuius ecclesia religiose asservantur peculiarique pietate coluntur sacrae Beati Ioannis exuviae, Emus ac Rmus Dnus Cardinalis Franciscus a Paula Cassetta, Episcopus Sabinensis et huius Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: « An sit signanda Commissio reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur ? » Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: « *Affirmative,* seu signandam esse Commissionem reassumptionis Causae, si Sanctissimo placuerit». Die 15 Februarii 1910.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam ipsius Sacri Consilii ratam habens, Commissionem Reassumptionis Causae Canonizationis Beati Ioannis a Triora, martyris, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum, signare dignata est, die 23, eisdem mense et anno.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. © S.

Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

V.

AURELIANEN. *(Orleans).*

CANONIZATIONIS **B.** IOANNAE DE ARC VIRGINIS, PUELLAE AURELIANENSIS.

Inter solemnes beatificationes, anno elapso 1909, in Patriarchali Basilica Vaticana peractas, e memoria hominum nunquam excidet illa, qua, Dominica in Albis, per Litteras Apostolicas in forma Brevis Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X, Ven. Ioannae Arcensi Virgini, Puellae Aurelianensi, beatorum coelitum honores primo delati fuere. Non solum cives sed etiam exteri ac praecipue e natione gallica fere innumeri fideles omnesque Episcopi ad illam Basilicam convenerunt. Uno eodemque spi-

ritu ac religione ducti, praefatam Virginem candore et fortitudine admirabilem devoto affectu venerantes, elevatis oculis extensisque manibus, uno veluti ore consalutarunt Beatam simul ingeminantes: « Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea ». Ipsa templi decora luce coruscantis amplitudo et magnificentia, cultus et caeremoniarum ordo ac splendor, animorum effusio in laetitia et ardore, adstante mane Missae pontificali ab Episcopo Aurelianensi celebratae universo Coetu Sacrorum Rituum Congregationis una cum Capitulo et Clero vaticano, vespere autem in sacra functione coram Augustissimo Eucharistiae Sacramento publice exposito et ante imaginem, in excelsum super altari Cathedrae collocatam, Beatae Ioannae ipso Summo Pontifice Pio X praesente ac orante, sacrorum Purpuratorum corona circumdato; haec omnia ad maiorem solemnitatem et religionem valde concurrerunt. Supremi Pastoris omniumque adstantium Antistitum et fidelium atque ipsius gloriosae Virginis Beatae Ioannae commune votum, communis oratio ad Christum Deum, Regem regum et Dominum dominantium, pro Ecclesia et Patria. Quot vero et quanta susceperint incrementa, cultus, pietas ac fiducia in novensilem Beatam plane liquet ex triduanis festivitatibus intra annum a beatificatione cum magna pompa, impenso studio, assidua frequentia atque ubere fructu spirituali hucusque celebratis in Galliae aliarumque regionum civitatibus ac dioecesibus, necnon a recentioribus petitionis Sacrae Rituum Congregationi porrectis, pro impetrando Festo cum Officio et Missa propriis nuper approbatis in honorem Beatae Ioannae ad exemplum et praesidium propositae. Insuper complures gratiae imo et prodigia Eius meritis et intercessione a Deo patrata feruntur, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem. Quapropter, instante Rmo P. Xaverio Hertzog, Societatis Sancti Sulpitii Procuratore Generali et huius Causae Postulatore, attentisque litteris postulatoriis Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium Petri Hectoris Coullie, Archiepiscopi Lugdunensis et Viennensis, et Ludovici Henrici Lucon, Archiepiscopi Rhemensis, necnon Rmi Dñi Stanislai Touchet, Episcopi Aurelianensis, aliorumque Archiepiscoporum et Episcoporum Galliae, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata eiusdem Causae Ponens seu Relator in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: « An sit signanda Commissio reassumptionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur?» Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibus sedulo perpensis, rescribere rati sunt: *«Affirmative,* seu

signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit ». Die 15 Februarii 1910.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem reassumptionis Causae Canonizationis Beatae Ioannae de Arc, Virginis, Puellae Aurelianensis, die 23, «eisdem mense et anno.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Philippus Can. Di Fava, *Substitutus.*

SACRA ROMANA ROTA

CRACOVIEN.

NULLITATIS MATRIMONII.

Pio PP. X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno septimo, die 21 Ianuarii 1910, RR. PP. DD. Seraphinus Many, Ponens, Franciscus Heiner et Ioannes Prior de Turno, in Causa Cracovien. *Nullitatis Matrimonii ex Capite clandestinitatis, instante in gradu appellationis Dna Sophia Krasinska, cui adhaesit alter coniux Severinus Chelkowski, repraesentati per Procuratorem Nazarenum Ferrata, advocatum, interveniente et disceptante in Causa Defensore Vinculi ex officio, sequentem tulerunt sententiam.*

Sophia Krasinska et Severinus Chelkowski matrimonium contraxerunt Cracoviae, die 28 ianuarii 1892, in ecclesia Patrum Carmelitarum, nuptias benedicente R. P. Priore conventus, et praesente parocho R. D. Mikulski. Cum autem varias ob causas vita communis intolerabilis facta fuisset, Sophia Krasinska, cum audisset a quodam advocato Varsoviensi suum cum Severino matrimonium forsan esse nullum ex capite clandestinitatis, matrimonium suum tanquam nullum ex praefato capite impugnare coepit, et, rescripto S. Congregationis Concilii, diei 15 maii 1908, causa cognoscenda et definienda commissa est Rmo et Emo Ordinario Cracoviensi, Sophia Krasinska pro nullitate matrimonii agente, viro autem

suo Severino pro eiusdem valore stante. Tandem prodiit, die 4 iunii 1909, sententia qua definitum est *non constare de nullitate matrimonii.*

A. qua sententia cum appellasset Sophia Krasinska, causa, novis repertis documentis, transmissa est ad S. Congregationem Concilii, et inde ad S. Rotam, in qua, die 12 octobris an. 1909, utraque pars eum R. D. Defensore vinculi convenit ad concordandum dubium.

Declaravit autem D. Severinus Chelkowski se desistere a propugnando valore matrimonii, et agere velle pro nullitate, et authentico mandato procurationis, eiusdem diei 12 octobris, in suum procuratorem et advocatum designavit D. Advocatum Ferrata, qui iam erat procurator et advocatus Sophiae Krasinska, ap|5ellahtis. Inde concordatum est dubium, ut sequitur:

An constet de nullitate matrimonii in casu.

In iure, in locis ubi promulgatum est decretum *Tametsi, cap. I, de reformatione matrimonii,* Conc. Tridentini, requiritur, ad hoc ut matrimonium sit validum, ut celebratum fuerit coram parocho proprio, vel alio sacerdote, ex licentia seu delegatione parochi proprii vel Ordinarii. Parochus autem proprius intelligitur parochus in quo uterque sponsus vel alteruter, domicilium vel quasi-domicilium habet.

In facto, agitur, in praesenti causa, de locis in quibus publicatum est decretum *Tametsi;* in loco enim domicilii sponsi, Severini Chelkowski, scilicet in dioecesi Posnaniensi, publicatum est decretum; item, in loco domicilii sponsae, Sophiae Krasinska, scilicet in dioecesi Zytomeriensi, publicatum est decretum; haec enim dioecesis, nunc in provincia seu gubernio Kiovensi, pertinebat ad antiquum Poloniae regnum, iii quo decretum publicatum est opera Sigismundi regis. Ceterum etiamsi decretum non fuisset publicatum in domicilio sponsi vel sponsae, nihil ad rem praesentem faceret; certum est enim decretum publicatum fuisse in loco ubi praefati sponsi matrimonium contraxerunt, scilicet Cracoviae; porro hoc hodie pacificum omnino est inter doctores, et non semel v
a Sacris Congregationibus Romanis resolutum aut decisum, nimirum, quando nupturientes veniunt etiam e loco ubi non est publicatum decretum, in locum ubi publicatum est, eos teneri decreto, licet in hoc loco nec domicilium nec quasi-domicilium acquirant.

Porro parochus Mikulski, coram quo contractum est matrimonium, non erat parochus proprius sponsorum. Verum quidem est genitores sponsae, coniuges Krasinski, habitasse aliquando Cracoviae, in domo ab iisdem empta, ad Plateam (seu Viam) Wolska, n. 12, quae via est in territorio parochiae Omnium Sanctorum, cuius tunc erat administrator parochus Mikulski, Sed 1. ° ibi non habitaverunt nisi per ultimos menses

anni 1887, et primos anni 1888; reliquo tempore, habitaverunt vel in suis dominiis in Ukrania, vel Varsoviae; mortuo autem marito an. 1890, Domina Iulia Olga Krasinska, mater sponsae, habitavit cum suis liberis in Ukrania, et anno 1891 Varsoviae; ibi autem, tempore matrimonii, habitabat cum sua filia Sophia, sponsa Severini Chelkowski; 2. ° paucis diebus ante matrimonium, mater et filia profectae sunt Cracoviam, ut ibi matrimonium celebraretur; ibi autem non remanserunt nisi paucissimis diebus, scilicet uno vel altero die ante, et item uno vel altero die post matrimonium; 3. ° Cracoviae autem non' habitaverunt in praefata domo ad Plateam Wolska, sed in publico diversorio *Grand-Hotel;* praefata enim domus locata fuerat familiae Zamoyski, iam forsan ante annum 1890, et quidem (teste Comitissa Zamoyski) tota et integra locata fuerat, quin ullum cubiculum sibi reservasset comitissa Krasinska; et ideo, sive tempore matrimonii, sive forsan in aliis commorationibus, comitissa Krasinska, Cracoviam veniens, habitabat in diversorio; familia autem Zamoyski domum retinuit usque ad eius venditionem anno 1894; 4. ° unde publice declaratum fuit, a magistratibus Cracoviensibus, Dominam Sophiam Krasinska non commoratam fuisse Cracoviae ab anno 1890 usque ad diem 26 ianuarii an. 1892; eius autem nomen scriptum reperiri ad diem 27 ianuarii 1892 in diversorio *Grand-Hotel;* 5. ° ceterum Iulia Olga Krasinska, mater sponsae, cuius domicilium eius filia Sophia participabat, omnem animum et intentionem abiecerat revertendi Cracoviam; vir enim eius, comes Krasinski, non emerat illam domum ad Plateam Wolska nisi eo fine ut sibi suisque civitatem austriacam procuraret; hoc autem fine obtento, et mortuo marito, nihil poterat amplius viduam eius retinere Cracoviae aut huc revocare. Unde etiam comitissa Krasinska, die 1 iunii 1891, plenissimum mandatum dedit D. Francisco Slenk vendendi domum istam; quod egregie ostendit comitissam valedixisse habitationi suae Cracoviensi; 6. ° ex parte vere sua, Severinus Chelkowski venit quidem Cracoviam, ut ibi matrimonium contraheret cum Sophia, sed tantum per modum brevis commorationis; huc enim venit aliquot diebus (forte 15) ante matrimonium, ut omnia pararet; habitavit in diversorio *Grand-Hotel,* et uno vel altero die post matrimonium, Cracoviam cum uxore sua reliquit. Quae omnia clare ostendunt neque Sophiam neque Severinum, tempore matrimonii, Cracoviae domicilium aut quasi-domicilium habuisse; et haec quidem adeo perspicua sunt, ut Rev. D. Mikulski, qui, in depositione sua iuridica coram Iudice Cracoviensi, modis omnibus probare satagebat se fuisse competentem ad benedicendas has nuptias, ne cogitaverit quidem asserere suam « competentiam » titulo domicili aut quasi-domicilii alterutrius sponsi.

Sed neque competens fuit ex delegatione habita a parocho vel Ordinario alterutrius sponsi. In attestatione enim parochiali praefati matrimonii, nulla fit mentio huiusmodi delegationis, quae tamen fieri debuisset, et revera fiebat quotiescumque matrimonium celebrabatur vi delegationis (cuius exemplum est in parochiali attestatione matrimonii Hedwigis, sororis Sophiae, quod matrimonium item celebratum est Cracoviae, in eadem paro Mikulski affirmat se matrimonio non interfuisse vigore delegationis parochi aut Ordinarii alterutrius sponsi. Unde hac de re non est difficultas.

Verum non magis firmus est titulus competentiae, quem revera proposuit Rev. Mikulski, scilicet facultas seu delegatio generalis a S, Sede habita. Haec asseruit Rev. D. Mikulski in sua depositione iuridica: « R. D. Serwatowski (cui nempe successerat in administranda parochia Omnium Sanctorum) habuit facultatem assistendi matrimoniis illorum qui matrimonia inire non potuerunt intra fines imperii Russiaci; mortuo autem R. D. Serwatowski, fuit apud me P. Stanislaus Za¬leski S. L, ostenditque mihi documenta typis mandata, ut mihi per¬suaderet me eiusmodi personarum matrimoniis valide assistere. posse. Dnus Chelkowski. vero asseruit suam sponsam esse inter numerum eiusmodi personarum ». Unde titulus competentiae pro D, Mikulski erat, iuxta ipsum, facultas generalis, a S. Sede impetrata, assistendi matrimoniis illorum qui matrimonia inire non potuerint in Russia.

Verum, inquam, nullo modo firmus est hic titulus, Nam 1, °. de huiusmodi facultate generali, vigente anno 1892, nulla ullibi fit mentio; petivit quidem et obtinuit Curia Cracoviensis facultatem generalem parochis delegandam, « benedicendi matrimonia fidelium Russiaci Im¬perii subditorum, qui gravibus de causis coram parocho proprio, nuptias celebrare nequeunt »; sed serius, nimirum die 10 martii 1896, impetrata est; et insuper concessa est tanquam facultas nova, attentis peculiaribus rationibus animum R. Pontificis moventibus, quin ullo modo alludatur ad praeteritam concessionem; quod procul dubio psten^it antea non exstitisse huiusmodi facultatem; unde et in sententia Rmae Curiae Cracoviensis tacetur de hac facultate quam se habere prae¬tenderat parochus Mikulski; 2. ° insuper facultas quam se habere dixit parochus Mikulski, sicut ea quae ann., 1896 concessa fuit, non respicit nisi «matrimonia illorum qui matrimonia inire non potuerunt intra fines imperii Russiaci »; porro Sophia Krasinska de. illorum numero non erat, ut statim demonstratur.

Fatendum quidem, est fideles subditos imperii Russiaci, qui, vi legum imperii, inscripti erant in publicis tabulis ecclesiae orthodoxae (scilicet

schismaticae) non potuisse contrahere matrimonium nisi coram ministro orthodoxo (scilicet schismatico). Fatendum est etiam (fere usque ad nostra tempora quibus publicatum est edictum tolerantiae) - praefatum rigorem extensum fuisse etiam ad cives austriacos, ritus graeci rutheni uniti, qui degebant in Russia, ibique bona possidebant, ita ut a gubernio Russiaco cogerentur, pariter sub gravissimis poenis, sacramenta in ecclesiis et a sacerdotibus schismaticis recipere. Hi enim, utpote uniti, a patria religione desciverant, et ideo habebantur ut rebelles, quos ad unitatem revocare quibusvis mediis oporteret.

Sed alia prorsus erat conditio Sophiae, eiusque fratris et sororum. Ex una enim parte, erant omnes cives austriaci, ab anno circiter 1878, quo pater eorum, pro se, uxore, et omnibus suis posteris, civitatem austriacam, secundum iura, adeptus erat; ex altera parte, probare poterant se esse romanos catholicos; sic Sophia probare poterat se esse romanam catholicam tum fide baptismi subscripta a parocho « Balneorum S. Iuliani », in Italia, tum authentica attestatione praedicti Reverendi Mikulski, parochi in civitate Cracovia, data die 4 augusti 1890, quae exstat in *Actis.* Unde Sophiae nihil prorsus timendum erat, si sacramenta reciperet in Russia a sacerdotibus catholicis et in specie si matrimonium contrahere, coram sacerdote catholico et in ecclesia catholica. Hoc repetunt omnes testes in causa interrogati; hoc etiam asseruit D. Chelkowski, qui tamen tunc temporis stabat pro valore matrimonii; dixit enim, et pluries, coram Iudice Cracoviensi, matrimonium celebratum fuisse Cracoviae, non quia quidquam impedire poterat celebrationem matrimonii in Russia, sed quia eius sponsa specialem devotionem fovebat erga imaginem Mariae Sanctissimae dictae « na Piasku », quae singulari cultu honorabatur in Ecclesia Carmelitarum Cracoviae, Unde lapsui memoriae tribuenda sunt verba supra relata Reverendi Mikulski: « D. Chelkowski asseruit suam sponsam esse inter numerum eiusmodi personarum », quae scilicet non potuerint contrahere matrimonium in Russia sine gravissimis incommodis. Imo factis constat familiae Krasinski, ob acquisitam civitatem austriacam, et professionem religionis romano-catholicae, nihil amplius timendum fuisse ex parte gubernii Russiaci; Henricus enim, frater Sophiae, matrimonium contraxit Vilnae, in Russia, an. 1897, et nullum inde timuit aut passus est incommodum; ita etiam Hedwigis, soror Sophiae, solemniter baptizata est Varsoviae, in Russia, quin inde unquam ortum sit pro illa -aut eius familia detrimentum. Et tantum abest ut civibus^austriacis religionem romano-catholicam profitentibus quidquam timendum fuerit ob matrimonia in Russia coram sacerdotibus catholicis publice contracta, ut potius eo modo; illa

debuerint contrahere, si voluerint ex iis effectus civiles oriri. Quod expresse testatus est Consul Russiacus, anno praeterito 1909, his verbis: « Le Consulat Impérial de Russie a Rome certifie que, d'après la « loi russe, le mariage est reconnu légal quand il a été célébré par les « autorités religieuses de la religion à laquelle appartiennent les con« joints, et selon le rite de cette religion. Si les deux conjoints appar« tiennent à la même religion, leur mariage doit être célébré par un « ecclésiastique de leur religion (articles 61 et 65 du code, volume X, « en vigueur depuis 1824 et jusqu'à nos jours). Par conséquent, une « jeune fille, dont le père, originairement sujet russe, aurait changé dé « nationalité dans les formes légales avec toute sa postérité, et baptisée « à l'étranger dans la religion catholique romaine, quoique d'après les « lois russes sur les mariages mixtes elle eût dû être baptisée orthodoxe « grecque, désirant épouser un catholique romain de nationalité alle« mande, ou de toute autre nationalité, et se trouvant être, au moment « de son mariage, catholique romaine, et légalement sujette étrangère, « doit faire célébrer son mariage en Russie dans une église catholique « romaine, afin que le mariage soit reconnu valide d'après la loi russe « en vigueur aussi en 1892 ». (Haec attestatio exstat in Actis).

Unde cum Sophia esset civis austriaca, et legitime probare posset se esse religione romano-catholicam, liberrime poterat in Russia matrimonium contrahere, ideoque Rev. parochus Mikulski, etiamsi revera habuisset generalem illam facultatem, de qua loquitur in sua depositione, nunquam potuisset eius matrimonio assistere.

Et hoc etiam modo solvitur aliud argumentum pro validitate matrimonii. Putatum est enim Sophiam, propter gravissimam difficultatem matrimonium in Russia celebrandi, solutam fuisse ab obligatione servandi formam Tridentinam, et ideo potuisse recurrere ad quemlibet sacerdotem, etiam non parochum proprium, nec ab hoc delegatum. Verum, uti constat ex supradictis, nulla fuit Sophiae difficultas contrahendi matrimonium in Russia, quia non erat de numero civium illorum, quos leges Russiacae premebant, et ideo nullo modo soluta fuit ob obligatione servandi formam Tridentinam.

Quibus omnibus consideratis et sedulo perpensis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores, pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus, et definitive sententiamus *Constare de nullitate matrimonii inter Dominum Severinum Chelkowski et Dominam Sophiam Krasinska,* et ita ad propositum dubium *Affirmative* respondemus; et exinde sententiam appellatam infirmamus et pro infirmata haberi decernimus et declaramus; Statuentes prae-

terea expensas a Domino Severino Chelkowski et a Domina Sophia Krasinska in parte aequali esse solvendas.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos pertinet, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum et praesertim *cap. 3, sess. XXV, de reformatione,* Conc. Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, die 21 Ianuarii 1910.

Seraphinus Many, *Ponens*
L. J$j S. Franciscus Heiner,
Ioannes Prior.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

SECRETARIA STATUS

I.

AD R. P. AMBROSIUM DE VALENCINA, O. M. C, MODERATOREM PROVINCIALEM PATRUM CAPULATORUM, OB GRATIAS AGENDAS PRO EPHEMERIDE " EL ADALID SERÁFICO " BEATISSIMO PATRI REVERENTER EXHIBITA.

Muy Reverendo Padre:

Con su atenta carta, sin fecha, he recibido la doble colección de la piadosa Revista franciscana *«El Adalid Seráfico* » que bajo la dirección de V. se publica en esa capital, correspondiente á los años ix y x de su publicación; y me he apresurado á dar cuenta á nuestro Santísimo Padre el Papa Pio X, de los votos y adhesiones de parte de V. y de los Terciarios y demás lectores de la referida publicación Católica.

Muy grato es siempre al atribulado corazón del Sumo Pontífice y de grande consuelo, el ver en la humilde Revista de TV. un medio tan sencillo como eficaz para mantener y fomentar la sólida piedad en las familias, por medio del espíritu franciscano, que respiran las páginas del *Adalid Seráfico.* Sigan, pues, trabajando con ahinco para que crezcan y se establezcan nuevos centros y Terceras Ordenes y para, que se mantengan y nutran de verdadera y sólida piedad cristiana. »

A este fin el Santo Padre concede con paternal afecto una especialisima Bendición Apostolica para V. los Religiosos de su Provincia, con los demás Terciarios y lectores de su Revista.

Aprovecho esta ocasión para reiterarme de V. muy R. Padre, afectísimo seguro servidor

24 Enero 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

L. ^ S..

IL

AD R. P. D. IOSEPHUM RAYMUNDUM IBARRA, ARCHIEPISCOPUM ANGELORUM, DE UNIVERSITATE CATHOLICA ANGELOPOLITANA GRATULANDI CAUSA.

Quae Beatissimo Patri coram renunciasti de Catholica tua Universitate Angelopolitana, quaeque referre voluit eiusdem Athenaei Rector, litteris diei 8 Decembris anni 1909, Revmi etiam Delegati Apostolici necnon tua laude exornatis, Sanctitati Suae periucunda obvenerunt.

Nihil enim Augusto Pontifici potius esse potest, quam ut existant atque floreant Instituta quorum finis sit iuvenes ecclesiasticos aliosque' militiae clericali non adlectos, bonis moribus ac pietate imbuere eosque: omnes vel sacris vel civilibus atque liberalibus instruere disciplinis. Quod cum duobus abhinc annis in Universitate Catholica Angelopolitana factum conspiciatur, ita ut tam brevi temporis spatio, eiusdem Archidioecesis Ordinario testante, non solum ex eadem Archidioecesi, sed etiam ex aliis Reipublicae Mexicanae provinciis, quin immo ex America centrali alumni eiusdem Universitatis scholas frequentent, eoque successu ut omnes amplissimis laudibus cumulent Catholicae Universitatis Angelopolitanae fructus, Deo Optimo Maximo nec non Beatae Mariae Virginis patrocinio gratiae quam maximae reddendae sunt.

Quo magis autem de die in diem Institutum istud floreat, summopere interest profecto quod Professores eiusdem Athenaei in doctrina catholica tradenda Divum Thomam Aquinatem sectentur eumque ducem ac magistrum semper habeant; quodque Universitas ista omnino et in omnibus Apostolicae Sedis advigilantiae, auctoritati et mandatis, submissa permaneat. Quae sane promissio, iisdem litteris contenta tuisque verbis confirmata, magno solatio Beatissimi Patris animo fuit, Eumque in bonam spem induxit, quod Universitas Angelopolitana magis magisque in dies prosperet melioresque adhuc fructus adferat.

Quem in finem, atque etiam ut aliquo modo significet quam Sibi cordi sit Universitas Angelopolitana, Augustus Pontifex Tibi, nec non

Rector!, Superioribus, Magistris et Alumnis omnibus specialem apostolicam benedictionem effuso animo impertitur.

Maxima autem cum existimatione sum et permanere gaudeo Amplitudini Tuae

Romae, *¥1* Ianuarii 1910.

addictissimus

L. £g S . . R. CARD. MERRY DEL VAL.

III.

AD NOBILES ATQUE PIAS FEMINAS QUIBUS COETUS CONSTITUITUR UNIONIS MULIERUM CATHOLICARUM NETENSIS DIOECESIS, OB VENERATIONE OBSEQUIUM SANCTITATI SUAE EXHIBITUM.

Illme Signore,

Il Santo Padre, Pio X, ha ricevuto il devoto indirizzo inviatogli da cotesto Comitato della Unione delle Donne Cattoliche, a home di tutte le aderenti alla medesima Unione, ed è statò ben lieto di apprendere, insieme alla espressione della Loro filiale venerazione, lo slancio con cui alla voce della divina grazia, che le invitava ad un più vigoroso apostolato cristiano, hanno risposto con i propositi di un cuore grande e di un animo volonteroso.

Sua Santità fa voti che, mediante una ben disciplinata e costante azione di propaganda, cotesta Unione moltiplichi le proprie forze in una numerosa schiera di madri, spose e sorelle, che col profumo delle virtù e colla soavità dell'affetto cooperino alacremente a condurre le anime a Dio ed a farlo regnare nei cuori, nelle famiglie e nella società.

Ed a questo fine l'Augusto Pontefice benedice le Socie tutte di cotesta Unione, e quante, con nobile esempio di cristiana carità, vorranno con Loro dividere le fatiche ed il premio di questo santo apostolato.

Mi valgo volentieri del presente incontro per raffermarmi

Delle SS. LL. Illme

Roma, 29 Gennaio 1910.

Servitore

L. £g S. R. CARD. MERRY DEL VAL.

IV.

AD R. D. CANONICUM E. JANVIER, PRO GRATIARUM ACTIONE DE VOLUMINE " SERMONUM SACRAE QUADRAGESIMAE " ANNI 1909.

Monsieur le Chanoine,

J'ai présenté au Saint Père le volume contenant vos Conférences du Carême de 1909, et Sa Sainteté en a agréé l'hommage avec une grande bienveillance.

Le sujet que vous avez abordé, est de ceux qui empruntent aux événements de l'heure présente une particulière importance.

Dans beaucoup d'esprits, la véritable notion de la loi s'est obscurcie: 'en dehors de ceux qui sont restés fidèles aux enseignements traditionnels de l'Eglise et à la doctrine qu'elle a reçue de son Divin Fondateur, un grand nombre se sont laissés séduire par des erreurs philosophiques, et par de faux principes issus de la révolution.

Rappeler à votre auditoire le véritable fondement de la loi, établir l'existence de la loi naturelle qui en est la participation, montrer que le pouvoir législatif, comme tout pouvoir, vient de Dieu, indiquer l'action bienfaisante de l'Eglise dans les législations humaines, voilà une tâche digne de cette chaire de Notre-Dame, que vous illustrez à la suite de vos éloquents devanciers. C'est à la philosophie traditionnelle comme aux enseignements de la foi, que vous avez voulu, Monsieur le Chanoine, demander la solution des questions que vous soulevez. Rien ne peut être plus conforme aux intentions et aux directions du Souverain Pontife: vous donnez ainsi aux convictions de vos auditeurs une base inébranlable, et vous les mettez en garde contre les dangers de certaines philosophies modernes.

Le Saint Père vous félicite donc de vos persévérants efforts, et vous accorde, avec beaucoup d'affection, la Bénédiction Apostolique. Il prie le Seigneur de faire germer le bon grain **que** vous avez déposé dans les âmes, et de lui faire porter des fruits abondants qui seront votre encouragement et votre récompense.

Avec mes remercîments personnels pour l'exemplaire que vous m'avez envoyé, je vous prie d'agréer, Monsieur le Chanoine, l'expression de mes sentiments bien dévoués en Notre Seigneur.

31 Janvier 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

V.

AD R. P. D. **IACOBUM** GÉLY, EPISCOPUM MINATENSEM, OB GRATIAS PERSOLVENDAS DE LIBRO " LE CHRIST ET MA VIE " SUMMO PONTIFICI OBSEQUENTER EXHIBITO.

Monseigneur,

Le Saint Père a eu pour très agréable l'hommage qui Lui a été fait par Votre Grandeur, du livre intitulé « Le Christ et ma vie », dans lequel sont réunies, si heureusement, les notions et les pratiques les plus propres à l'entretien et au développement de la vie chrétienne.

Comme gage d'abondantes faveurs Divines, Sa Sainteté envoie au pieux et modeste auteur Sa Bénédiction Paternelle.

Avec mes remercîments pour l'exemplaire qui m'a été offert, veuillez agréer, Monseigneur, l'expression de mon entier dévouement en Notre Seigneur.

11 Février 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

L. ✠ S.

VI.

AD R. D. CANONICUM J. L. DE LA PAQUERIE, SACERDOTEM S. C, OB LIBRUM " ÉLÉMENTS D'APOLOGÉTIQUE " BEATISSIMO PATRI OBSEQUENTER OBLATUM.

Monsieur le Chanoine,

Le Saint Père a agréé avec une particulière bienveillance l'hommage que vous Lui avez fait de vos deux volumes «Eléments Apologétiques » revêtus de l'approbation de l'autorité religieuse.

L'intéressant et remarquable ouvrage que vous venez de publier, est bien de ceux qui ont le mérite de répondre aux exigences et aux nécessités des temps présents.

C'est ainsi que, à la lumière de la foi, d'une saine philosophie et du bon sens, à l'appui de l'Ecriture S., de l'histoire et des données de la science, vous démontrez d'une manière simple, les grandes vérités de la doctrine catholique en réfutant les objections et les erreurs de l'incrédulité.

Le Saint Père se plaît donc à vous féliciter du zèle qui vous a fait entreprendre et poursuivre ce travail, fruit de vos réflexions et de vos études, et II ne doute pas que la Divin Sauveur bénira largement ces pages consacrées à la défense de la religion et au bien des âmes.

Comme gage de ces faveurs célestes les plus précieuses, Sa Sainteté vous envoie de tout cœur avec ses remercîments, la Bénédiction Apostolique.

Je vous remercie sincèrement, pour ma part, des deux exemplaires que vous avez bien voulu m'envoyer, et je vous prie d'agréer, Monsieur le Chanoine, l'expression de mes sentiments dévoués en Notre Seigneur.

22 Février 1910.,

R. CARD. MERRY DEL VAL.

L, * S.

VII.

AD R. D. RAMIRUM FERNANDEZ Y VALBUENA, PRAEFECTUM STUDIORUM UNIVERSITATE PONTIFICIAE TOLETANAE, OB GRATIARUM ACTIONEM PRO DUOBUS EXEMPLARIBUS OPERIS " LA ARQUEOLOGÍA GRECO-LATINA ILUSTRANDO EL EVANGELIO ".

Muy respetable Monseñor:

Con su atenta carta del día 8 del corriente he recibido los ejemplares de su obra « La Arqueología greco-latina ilustrando el Evangelio »,. y me he apresurado á poner en manos del Padre Santo el ejemplar dedicado á su augusta persona, encargándome le diera en su nombre muy expresivas gracias, y le trasmitiera la Bendición Apostólica.

Por mi parte, después de darle á V. las mas afectuosas gracias por el ejemplar que me ha remitido, tengo ahora el gusto de felicitarle por sus trabajos, que son claro testimonio de su incansable laboriosidad y celo santo en defender él tesoro divinó de los sagrados libros.

Que el Señor bendiga sus esfuerzos y le conceda su santa gracia.

Roma, 22 Febrero 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL..

VIII.

AD R. P. D. IOANNEM M. A. MORICE, EPISCOPUM CAIESENSEM, OB VENERATIONIS OBSEQUIUM OCCASIONE SPIRITUALIUM EXERCITIORUM CLERI EIUSDEM DIOECESIS BEATISSIMO PATRI EXHIBITUM.

Monseigneur,

Je n'ai pas manqué de mettre entre íes mains du Saint Père «l'Adresse» que Votre Grandeur m'envoyait, le 26 Janvier p., signée par Elle même et par les membres de son clergé réunis pour les exercices spirituels de la retraite.

Cette expression de filial hommage, de dévoument et d'entière obéissance au Souverain Pontife, a été chère à son cœur paternel.

Il aime à croire que ces saints jours, écoulés dans la, retraite et dans la méditation, contribueront puissamment à ranimer le"zèle et l'esprit sacerdotal des ministres de Jésus Christ, pour se dévouer avec une nouvelle ardeur à la sanctification des âmes, en travaillant à leur sanctification personnelle.

Comme gage des grâces Divines, les plus abondantes qu'il demande à, Dieu de répandre, au milieu des difficultés actuelles, sur Votre Grandeur et sur son diocèse, le Saint Père vous envoie de tout cœur la Bénédiction Apostolique ainsi qu'au clergé et aux fidèles confiés à vos soins.

Je profite volontiers de cette occasion pour vous exprimer, Monseigneur, mes sentiments très dévoués en Notre Seigneur.

Le 25 Février 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

L. XS.

AD ALOISIUM BAHIA Y URRUTIA,
QUI GENERALI CATHOLICORUM COETUI PRAEEST.

Muy consoladores han sido para el paternal corazón de Nuestro Santísimo Padre Pio X, los reiterados actos de fe y piedad cristiana, que espontánea y simultáneamente han tenido lugar en toda España, celosa de defender la cristiana educación, de sus hijos, contra las asechanzas de las escuelas anticristianas; pero la grandiosa *Asamblea* de Madrid, celebrada el día 2 del corriente mes, con el mencionado objeto, contiene una importancia de tal naturaleza, por el número de los concurrentes y por haber tomado parte en ella todas las clases de la Sociedad, que han sido de especialísimo agrado de Su Santidad.

Al felicitar á V. y Junta Directiva por el éxito extraordinario de dicha Asamblea, me es muy grato participarle, que Su Santidad agradece el *Mensaje* que con tal motivo se han servido mandarle, y les concede á VV. y á Cuantos católicos han tomado parte, una especial Bendición Apostólica, que desea fecunde y consolide la unión ejemplar con que tantos católicos han llevado á cabo una obra de tanta importancia.

Con este motivo se ofrece de V. atento seguro servidor

Roma, 25 Febrero 1910. -

R. CARD. MERRY DEL VAL.

L. ^ S.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Die 15 mensis Martii 1910, in Palatio Apostolico Vaticano, habita fuit Congregatio Sacrorum Rituum Particularis, in qua, Causae infrascriptae relatae sunt, nimirum:

ARMACANA.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI OLIVERII PLUNKET, PRIMATIS HIBERNIAE, ARCHIEPISCOPI ARMACANI.

Super Dubio: « An constet de validitate Processuum Apostolica Auctoritate constructorum; item de obedientia praestita Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, de non cultu editis, in casu et ad effectum de quo agitur ? »

TAURINEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI IOSEPHI CAFASSO, SACERDOTIS SAECULARIS, COLLEGII ECCLESIASTICI TAURINENSIS REFORMATORIS.

Super Dubio: « An constet de validitate et relevantia Processus Apostolica Auctoritate in Curia Taurinensi constructi super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praefati Ven. Servi Dei in casu et ad effectum de quo agitur ? »

VALENTINA.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI MARIAE MICHAELAE A SANCTISSIMO SACRAMENTO, FUNDATRICIS CONGREGATIONIS ANCILLARUM SANCTISSIMI SACRAMENTI ET CARITATIS.

Super Dubio: « An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum: testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata, in casu et ad effectum de quo agitur ? »

MEDIOLANEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI BARTHOLOMAEI CANALE, SACERDOTIS PROFESSI CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM S. PAULI BARNABITARUM.

Super Dubio: « An constet de validitate et relevantia Processus, in Archidioecesi Mediolanensi Auctoritate Apostolica constructi, super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praefati Ven. Servi Dei, in casu et ad effectum de quo agitur ? »

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Il Santo Padre, con biglietto della Segreteria di Stato, si è degnato di nominare:

23 Febbraio 1910. — L'Emo Sig. Cardinale Mariano Rampolla del Tindaro, Presidente dell'Accademia Romana di San Tommaso d'Aquino.

7 Marzo 1910. — L'Emo Signor Cardinale Domenico Ferrata, Protettore delle Suore del S. Cuore di Gesù in S. Quentin.

11 Marzo. — L'Emo Sig. Cardinale Beniamino Cavicchioni, Prefetto della S. Congregazione degli Studi.

Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnata di nominare:

Protonotario apostolico ad instar participantium:

28 Febbraio 1. 910. — Rev. D. Luigi Martino, Arciprete emerito di Modugno in diocesi di Bari.

Prelati domestici:

17 Febbraio 1910. — Rev. D. Matteo Vido, Vicario generale della diocesi di Tine.

21 Febbraio. — Mons. Giuseppe Hendrick, Cameriere Segreto Soprannumerario di S. S., della diocesi di Rochester (St. Un.).

26 Febbraio. — Mons. Vincenzo Hausner, Cameriere Segreto Soprannumerario di S. S., parroco in Müglitz diocesi di Olmütz.

ONORIFICENZE

Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnata conferire le seguenti onorificenze:

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

22 Febbraio 1910. — Al Sig. Dott. Alberto Blancas, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario della Repubblica Argentina presso la S. S.

La Commenda dello stesso Ordine:

19 Febbraio 1910. — Al Sig. Enrico Aynard, Presidente del Consiglio centrale della Società di S. Vincenzo de Paoli in Carcassona.

26 Febbraio. — Al Sig. Ludovico de Buggenoms, Presidente della Società di Archeologia e dell'Opera dei Circoli militari in Liegi.

Il Cavalierato dell' Ordine di S. Silvestro Papa:

26 Febbraio 1910. — Al Sig. Francesco Zanetti.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari:

19 Febbraio 1910. — Il Rev. D. Giorgio Zinnicq van Bergmann, Parroco a Tilburgo;

— Il Rev. D. Alessandro Jaivenois, della diocesi di Troyes.

Camerieri segreti di spada e cappa soprannumerari:

Febbraio 1910. — Il Sig. Stellier R. H. Gosselin di Errwood Hall, della diocesi di Shrewsbury (Inghilterra).

3 Marzo 1910. — Il Sig. David E. Kenny, della diocesi di Trenton;

— Il Sig. Michele Karski, della diocesi di Sandomir.

Cameriere d'onore in abito paonazzo:

19 Febbraio 1910. — Il Rev. D. Angelo Callegari, della diocesi di Brugnato.

NECROLOGIO

Marso 1910. — Mons. Domenico Riccardi, Vescovo di Sarsina.

Annus II. - Vol. II. Die 31 Martii 1910. Num. 5.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

I.

SODALITIO " MARIAE REGINAE CORDIUM " IN URBE INSTITUTO NONNULLAE INDULGENTIAS IN PERPETUUM CONCEDUNTUR, ADDITO PARITER IN PERPETUUM INDULTO ALTARIS PRIVILEGIATI PERSONALIS PRO SOCIIS SACERDOTIBUS.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Fidelium sodalitates ad pietatis et caritatis opera patranda institutae, quasi cohortes auxiliares, in sacri muneris exercitatione clerum adiuvant, et tum divini cultus decori prospiciunt, tum actuoso studio intendunt, ut potiora in dies christiana res incrementa suscipiat. Haec animo repetentes Romani Pontifices Nostri Decessores, sapienti quidem consilio, societates ipsas, ut propositum sibi finem facilius consequi quirent, peculiaribus gratiis et privilegiis, munire et cohonestare consueverunt. Iamvero cum dilectus filius Hubertus Maria Ghebard, Procurator generalis Societatis Mariae B. Montfort nec non Filiarum a Sapientia, Nos enixis precibus flagitaverit ut Christi fidelibus adscriptis vel adscribendis Sodalitio sub titulo *Mariae Reginae Cordium* canonice instituto, in hac Alma Urbe, per litteras a Cardinali Nostro in eadem Urbe Vicario in spiritualibus generali, die xvi Iunii mensis anno MCMVI datas, penes publicum Sacellum quod adiacet Collegio Montfort, in vico urbano cui a Sardinia nomen, nonnullas spirituales gratias, de thesauro Ecclesiae largiri dignaremur, Nos quibus nihil antiquius quam ut pietas christiani populi magis ac magis erga Deiparam Virginem, Salvatoris Nostri altricem, augeatur, amplificetur, votis his annuendum quantum in Domino possumus, existimavimus. Quae cum ita sint,

de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus qui eandem societatem titulo *Mariae Reginae Cordium* penes Collegium Montfort, huius Urbis canonice erectam in posterum rite ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi S. Synaxim sumpserint, plenariam; ac tam inscriptis quam in posterum inscribendis ipsa in societate sodalibus, qui admissorum confessione expiati, ac coelestibus Epulis refecti, quotannis die festo B. M. V. ab Angelo salutatae, supradicti Collegii Montfort publicum Sacellum a primis vesperis ad occasum solis diei huiusmodi visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam quoque omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Porro largimur sodalibus ipsis, si malint liceat, plenariis his indulgentiis, vita functorum labes poenasque expiare. Praeterea sacerdotes in memorata Sodalitate tam inscriptos quam in posterum rite inscribendos, altaris privilegiati personalis indulto, ita per praesentes Apostolica Nostra auctoritate donamus, ut iidem tribus cuiusque hebdomadae diebus, ad lubitum eligendis, si ad quodlibet altare Missam pro defunctorum animabus piandis celebrent, eadem Missa, illi animae pro qua facta fuerit non minus suffragetur, quam si fuisset ad privilegiatum altare peracta. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque, speciali licet et individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die i Februarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. © S. *a Secretis Status.*

II.

CONSOCIATIO PRECUM PRO SCANDINAVORUM CONVERSIONE IMPETRANDA ERIGITUR IN ABBATIA S. MAURITII CLARA VALLENSIS, IN DIOECESI LUXEMBURGENSI, CUM FACULTATE INSCRIBENDI SOCIOS UBIQUE TERRARUM, ET CUM INDULGENTIIS CONSUETIS.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Pias inter fidelium consociationes quae vel boni operis exemplo, vel precum communione clerum adiuvant in sacri ministerii partibus implendis, illas quidem interposita auctoritate Nostra apostolica sancire, ac singularibus de thesauro Ecclesiae gratiis locupletare maturamus, quas sociorum numero et propositi finis opportunitate, praestare ceteris noverimus. Iamvero compertum Nobis est dilectum filium Paulum Renaudin Abbatem S. Mauritii Claravallensis, in dioecesi Luxemburgensi, miranda Anscharii sancti vitae facinora memoria repetentem salutare ac frugiferum consilium mente molitum esse instituendae fidelium societatis quae eo spectet ut, assidua prece, populorum qui septentrionales Europae regiones incolunt, reditum ad veram Christi fidem a coelesti numine impetret. Fastorum Ecclesiae tabulae docent, Sanctum Anscharium monachum benedictinum, ex Abbatia Corbeiensi in Gallia, instantibus Daniae et Sueciae regibus, septentrionales Europae oras Evangelii praedicandi causa lustrasse ac tam uberes ibidem in Dominico agro recolendo fructus percepisse, ut universos Scandinaviae Daniaeque populos Christo lucrifecerit. Inde apostolicis laboribus praemium obtinuit meritis non impar; Hammaburgensium enim Antistes electus est, et a Decessore Nostro Gregorio PP. IV sacro pallio donatus, in regionibus Borealibus Sanctae Sedis legatus constitutus, fulgidum benedictini Ordinis decus atque ornamentum extitit. Sed cum labentibus saeculis hae nobiles regiones, grassante haeresi lutherana a fide Romana misere desciverint, ipse dilectus filius Paulus Renaudin Abbas sui muneris esse ratus populorum illorum ad veram catholicam fidem reditum ferventibus votis a Deo impetrare, piam in suo abbatiali templo erigendam cogitavit consociationem fidelium, qui ad Scandinaviae conversionem animum intendentes, continuas Deo funderent preces, per quas super Evangelii praecones divinae gratiae ros ab Alto dimitteretur. Nunc autem cum idem Abbas Nos enixis precibus adierit, ut consociationem eandem, Apostolicae potestatis sanctione, instituere dignemur, Nos generosis huiusmodi coeptis ex nativo apostolatus Su-

premi officio aspirantes optatis his piis et salubribus ultro libenterque annuendum existimamus. Quae cum ita sint, haec decernimus.

1. In Abbatia Sancti Mauritii Claravallensis intra fines dioecesis Luxemburgensis, consociationem precum ad obtinendum reditum ad catholicam fidem Scandinavorum populorum, nempe Danorum, Suecorum ac Norvegorum, Apostolica Nostra auctoritate, tenore praesentium, erigimus et instituimus.

% Patronos Sodalitatis esse volumus B. Mariam Virginem sub titulo Assumptionis, Sanctum Paulum, Sanctum Anscharium, Sanctum Canutum, Sanctum Olavum et Sanctam Birgittam.

3. Esto consociationis praeses Abbas pro tempore existens S. Mauritii Claravallensis, qui per se, vel per alium quemvis ex monachis suis ab ipso electum, societatem eandem moderabitur.

4. Fas sit cuicumque fideli catholico ubique terrarum degenti, in ipsam consociationem rite ingredi. Nomina vero sodalium inscripta volumus peculiari libello, in memoratae Abbatiae tabulario asservando.

5. Sodales quotidie una saltem vice Salutationem Angelicam recitare teneantur, pro Scandinavorum conversione, atque hanc impetrandae conversionis voluntatem, reliquis orationibus suis adiiciant; animas autem vita functorum e regionibus Scandinavis, quae in purgatorio igne detineantur, singulari prece prosequantur. Praeterea ut frugiferis his exercitationibus, spiritualia etiam accedant carismata, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, ubique terrarum degentibus, qui in consociationem ipsam in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus si vere poenitentes et confessi sacram Synaxim sumpserint, plenariam; ac tam inscriptis, quam in posterum inscribendis ipsa in consociatione precum sodalibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si item vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel quatenus ut facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu, ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tanquam peccati stipendium submisso animo susceperint, etiam plenariam; tandem iisdem nunc et in posterum existentibus super enunciatae consociationis sodalibus, qui admissorum confessione rite expiati, atque Angelorum pane refecti, diebus festis coelestium Patronorum ipsius consociationis, nempe festivitate Deiparae Virginis sideribus receptae, et diebus quibus Sancti Pauli, Anscharii, Canuti, Olavi ac Birgittae festa celebratur propriam consociationis ecclesiam exstet in locis ubi commorantur, secus suam cuiusque ecclesiam curialem, a primis Vesperis ad occasum diei huiusmodi visitent; ibique pro christianorum principum

concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effundant, quo ex his die id agant, item plenariam omnium peccatorum quorum indulgentiam ac remissionem misericorditer in Domino concedimus. Porro largimur sodalibus ipsis, si malint fas siet, excepta plenaria in articulo mortis lucranda indulgentia, reliquis aliis plenariis indulgentiis de quibus supra habita mentio est, vita functorum labes poenasque expiare.

Contrariis nonobstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VIII mensis Martii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL

L $ S. *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I.

VENERABILI FRATRI AGNELLO, EPISCOPO NOLANO, OB L EXPLETOS ANNOS SACERDOTII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.. — Quod cognovimus ex tuis proximis litteris te propediem quinquaginta sacerdotii annos completurum, id Nobis scilicet valde gratum fuit, praesertim quia videbamus dari Nobis causam eius testandae benevolentiae, qua te ob merita prosequimur. Itaque, cum tibi iam nunc gratulamur quod virtutem diligentiamque tuam usque adhuc provexit divina benignitas, magnamque et aetatis et meritorum accessionem optamus, tum pontificalis indulgentiae muneribus volumus fausti diei, in quem memoria tuae consecrationis incidet, augere laetitiam eamque facere fructuosiorem. Quare in eum diem damus tibi, ut, cum Sacrum facies, plenariam peccatorum veniam a Deo impetres; atque hoc idem tribuimus omnibus;

de tuo grege fidelibus, qui, rite Confessione abluti et Sanctissimi Eucharistia refecti, te ipsum et Nos remque christianam Deo commendaverint. Auspicem autem divinorum munerum, tibi, venerabilis frater, et Clero populoque tuo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die XVII Februarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

IL

AD GABRIELEM MARIAM FRATRUM "A SCHOLIS CHRISTIANIS " ANTISTITEM GENERALEM, OB CELEBRANDUM QUINTUM ET SEPTUAGESIMUM ANN1VERSARIUM A RESTITUTIS DOMIBUS, RELIGIOSIS TIRONIBUS INSTITUENDIS.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Quem datis ad Nos litteris nuntiasti propediem celebrandum quintum et septuagesimum annum a restitutis domibus, religiosis tironibus Societati cui naviter praees instituendis, eundem non tibi tantum ac tuis, sed et Nobis gaudio scito futurum. Compertum quippe habemus hosce annos nec laborum expertes, neque vacuos fructibus vobis effluxisse. Vix enim memoratu opus est quantum in provehenda christiana popularium adolescentium institutione contulerint opere qui ex domibus eisdem prodiere optimae disciplinae alumni, et quantum ex actuosa eorundem caritate, religiosa civilisque res perceperit utilitatis.

Laetamur ex animo tam praeclara molimina, eaque, tua sollertia et Episcoporum favore auctis religiosis tironibus qui doctrina et sanctimonia perspicui laborantibus fratribus suppetias veniant, maiora in dies incrementa confidimus captura. Sane in quae incidimus tempora, quaeque adolescenti aetati struuntur insidiae ut mature a religione et a virtute abducatur, studiis eorum qui sese bono devovent pueritiae multam parant messem. Ne desint: ergo operarii qui eam sedulo excolant ut colligant uberrimam. Id a Deo supplices contendimus: et ut e sententia cadant vota Nostra, occasionem nacti subeuntis domesticae tuae laetitiae, tibi, dilecte Fili, tuisque sodalibus universis amantissime benedicimus, rati patris benedictionem filiorum domos firmas reddere ac perenni prole fecundas.

Datum Romae, apud S. Petrum die XXIII Februarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

III.

DILECTIS FILIIS CAROLO KANTER ADLECTO INTER ANTISTITES DOM. PONT. ET MARCHIONISSAE ADELI PALLAVICINI PRAESIDIBUS PIAE SOCIETATIS " AB, ALTARI ", IN QUINQUAGESIMO A CONDITA SOCIETATE ANNIVERSARIO.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Exeunte anno quinquagesimo a condita pia Societate cui praesidetis, recte existimastis, quas dabatis nuper ad Nos litteras, eas Nobis fore periucundas. Etenim nihil sanctius, nihil salubrius esse potest, quam, quod vobis est propositum, promovere cultum Sacramenti Augusti, simulque inopiae subvenire sacrarum aedium, ubi necessariae supellectilis copia desideretur. In hoc autem apparet plane eximiam valdeque fructuosam adhuc vestram industriam exstitisse. Vobis igitur plurimum gratulamur, quin etiam gratias ingentes agimus, quod, vestram et communem foventes in Christum Dominum pietatem, optime de Ecclesia sancta mereri consuevistis. Praeterea, quod documento sit paternae in vos benevolentiae Nostrae, vobis singulis, quotquot estis de ista Societate, damus, ut anno vertente, semel, quo die cuique libuerit, modo rite expiati Sancta de altari libaveritis, plenariam peccatorum veniam apud Deum impetretis. Quod reliquum est, Societatem vestram, quam gaudemus late per Hungariae dioeceses iam esse propagatam, magnopere velimus ut] omnes boni opibus suis atque studiis iuvent. Auspicem vero coelestium munerum, vobis, dilecti filii, cunctisque vestris sodalibus apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die XXVII Februarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

IV.

DILECTO FILIO NOSTRO

PETRO S. R. E. PRESB. CARD. COUILLIÉ, ARCHIEPISCOPO LUGDUNENSI.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quae nuper facta sunt Romae hostiliter et contumeliose in Ecclesiam sanctam, cum foederatae improborum manus annuam memoriam hominis flagitiosissimi celebrarent, ea certe animo Nostro, tot iam curis afflicto, ma-

gnam aegritudinis accessionem importarunt. Vidimus enim, inimicis Crucis Christi datam in hac sacra Urbe licentiam, ut maiestatem Romani Pontificatus sanctitatemque religionis catholicae incredibili conviciorum petulantia luce palam appeterent, idque, quod maximo dolore fuit, cum gravi offensione adolescentiae et plebis imperitae. Sed tamen miserentis Dei beneficio, qui acerbitates rerum tempestivis mitigare solatiis et de malis bona solet quaerere, per eos ipsos dies factum est, ut, commotis indignitate rei animis catholicorum, undique ad Nos afferrentur pietatis atque obsequi! praeclara testimonia: quibus non parum eam Nostram aegritudinem levari sensimus. Ad id officii Nobis tribuendum nemo te diligentior fuit, dilecte fili 'Noster, qui per litteras amantissimas non solum tuo, sed etiam dioecesis tuae nomine, summam Nobis fidem es pollicitus; tametsi eam vos cum omni Gallia catholica egregie praestatis, tot tantaque incommoda perferentes pro Ecclesia, constantia mirabili. Nobis autem vestrum hoc studium Nos consolandi sane fuit iucundum, itemque fausta omina, quibus Nos in proximum diem nominalem estis prosecuta Quare, agentes ex animo gratias, tibi, dilecte fili Noster, et Clero populoque tuo apostolicam benedictionem, auspicem coelestium munerum ac testem praecipue benevolentiae Nostrae, peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die xiv Martii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO DE SACRAMENTIS

I.

ROMANA ET ALIARUM.

DUBIORUM CIRCA DECRETUM DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO.

In plenariis comitiis a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum habitis, die 12 martii 1910, sequentia proposita fuerunt dirimenda dubia nimirum:

I. Quid intelligendum sit nomine « regionis », seu in qua distantia debeant versari contrahentes a loco in quo est sacerdos competens ad assistendum matrimonio, ut hoc possit valide et licite iniri coram solis testibus ad normam art. VIII decr. « *Ne temere* ».

II. Accidit non raro ut ob sacerdotum inopiam plures paroeciae ab uno tantum parocho regantur, qui easdem omnes singulis mensibus invisere nequit. Sunt pariter quaedam amplae paroeciae, vicos etiam cum sacello publico valde dissitos continentes, qui infra mensem, tum ob viarum asperitatem, tum ob fluminum impetum lustrari a parocho nequeunt omnino, nec parochus a fidelibus adiri potest. Quaeritur: *a)* Possintne fideles paroeciarum in primo casu, elapso mense quin parochus advenerit, valide ac licite matrimonium contrahere coram duobus testibus tantum, iuxta art. VIII; *b)* Quilibet vicus in secundo casu possitne tamquam « regio » haberi, ita ut ibi degentes facultate praefati art. VIII uti valeant.

III. Utrum valide matrimonium coram solis testibus ineat qui in « regionem », de qua art. VIII *in fraudem legis* se conferat.

IV. An possint adhiberi ut testes mali christiani atque adeo pagani in ordine ad observandas praescriptiones art. II, III, VII et VIII.

V. Quoad menstruam commorationem et vagos quaeritur: *a)* Utrum commoratio menstrua, de qua in art. V, § 2 sit accipienda *sensu relativo,* i. e., quoad eos qui alibi habent domicilium aut quasi-domicilium, an *sensu absoluto,* seu quoad illos qui nullibi praedictum domicilium aut quasi-domicilium habent; *b)* Utrum parochus vel Ordinarius proprius, de quo eodem art. V, § 3, sit parochus vel Ordinarius commorationis menstruae

sensu absolute- acceptae; *c)* Utrum nomine vagorum, de quibus art. V, § 4, ii omnes veniant qui destituuntur domicilio et quasi-domicllio, an ii tantum qui, domicilio et quasi-domicilio destituti, praeterea nullibi habent parochum vel Ordinarium commoratione saltem menstrua acquisitum.

VI. Accidit ut parochorum coadiutores ab Episcopis nominentur, et quidem ex iure particulari facultate assistendi coniugiis non sint instructi; tamen usuvenit ut, ab incepto officii exercitio, parochis non contradicentibus, sed irrequisita eorum licentia, matrimonii adsistant, in libris etiam matrimoniorum adhibentes solam sui ipsorum subscriptionem; imo praesertim in maioribus paroeciis semper vel fere semper matrimoniis adsistant. Quaeritur in casu: *a)* An matrimonia coram coadiutoribus hucusque inita, tacentibus parochis, sint valida; *b)* Quatenus affirmative, an licite coadiutores se gerant in assistentia connubiis praestanda ab incepto officii exercitio, absque expressa parochorum delegatione; *c)* Utrum tolerari possit mos ut coadiutores omnibus vel fere omnibus matrimoniis in paroecia adsistant, an potius parochi urgeri debeant ad hanc adsistentiam ut plurimum et ordinarie per seipsos explendam, nisi legitima et gravi causa, onerata ipsorum conscientia, impediti fuerint, quo in casu deputationem coadiutoribus conferant et ita solitis verbis connubia in libris matrimoniorum describantur.

VII. Utrum per art. T decreti maneat abrogatum ius speciale ante illud decretum in Hispania vigens, et ad Americam Latinam extensum, vi cuius ad valorem sponsalium requirebatur scriptura publica *a notario* subscripta.

VIII. Utrum Ecclesiae regulares exemptae ad tenorem decreti existimari possint et valeant tamquam territorium parochi seu Ordinarii, in quorum territoriali districtu sunt sitae, ad effectum adsistentiae matrimonii.

IX. An et quomodo annuendum sit petitionibus quorundam Ordinariorum, nimirum: 1. ° Episcopi Rosensis postulantis dispensationem ab obligatione imposita per art. IX, § 2 adnotandi in libro baptizatorum coniuges tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse; 2. ° Vicarii Apostolici Kiam-Si Orientalis postulantis dispensationem non solum ab obligatione adnotandi matrimonium contractum in libro baptizatorum, sed etiam in libro matrimoniorum; 3. ° quorundam Ordinariorum Sinensium qui quaerunt: Utrum responsum S. C. G. diei 27 Iulii 1908, ad VII, restringatur ad solos duos casus tunc in quaesito proposito; et, *quatenus affirmative,* postulant ut responsum extendatur ad alios casus verae necessitatis; 4° Episcopi Mangalorensis qui postulat ut sibi facultas

detur permittendi ut matrimonium celebratum in libro matrimoniorum describi possit a Sacerdote qui ex delegatione parochi matrimonio adstitit, quando parochus sit absens.

Et Emi Patres ad huiusmodi dubia ita respondendum censuerunt:

R. Ad I. ™ Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine praesentia Sacerdotis competentis ad assistendum semper ac, elapso iam mense, Sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat.

Ad 2. um Provisum in primo.

Ad 3. um Affirmative.

Ad 4. um Quoad qualitates testium a decreto « *Ne temere* » nihil esse immutatum.

Quoad 5. um Ad *a* et 6. Provisum per responsum ad quintum datum a S. G. Concilii die 28 Martii 1908.

Ad *e:* Nomine vagorum, de quibus art. V, § 4, veniunt omnes et soli qui nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel menstruae commorationis.

Quoad 6. um Ad *a:* acquiescant, facto verbo cum SSmo; ad *b:* serventur de iure servanda; ad c: quoad assistentiam matrimoniis a parochis personaliter praestandam Archiepiscopus pro suo iure urgeat si quae sunt de ea re leges Concilii Provincialis. Quoad descriptionem matrimonii celebrati servetur art. IX Decreti *«Ne temere»* et praescriptum Ritualis Romani.

Ad 7. um Affirmative.

Ad 8. um Affirmative.

Quoad 9. um Ad l. um Non expedire et ad mentem. Mens, est ut Ordinarius aliique ipsius cooperatores, quantum in Domino possunt, satagant illam perniciosam superstitionem ab animis fidelium avertere, qua ab usurpandis Sanctorum nominibus in baptismo receptis deterrentur. Doceant ipsos,] frequenter, idcirco nomina eis imponi Sanctorum, ut eorum exemplis ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur. Parochis vero aliisque [animarum curae praepositis sacerdotibus commendent, ut quamdiu illa perniciosa superstitio eradicari non possit, omni, qua valeant, diligentia libros parochiales conscribant, etiam adhibita opera aliorum, quorum industria ea in re iuvari posse credant. Quodsi in casu particulari verum nomen coniugati scire non poterunt, stante morali impossibilitate legem observandi, ea non obligantur.

Ad 2. um Non expedire quoad utrumque et ad mentem. Mens est: Ordinarios curare debere, ut a Missionariis regesta celebratorum matrimoniorum diligenter conficiantur et conserventur, eisque pro suo pru-

denti arbitrio praescribere cautiones ad vitanda incommoda exposita, adhibitis etiam, si opus fuerit, signis conventionalibus.

Ad 3.um Quoad 1.um Negative; quoad 2.um Provisum in primo.

Ad 4.um Pro gratia prudenti arbitrio et conscientiae Episcopi.

Die autem 13 eiusdem mensis et anni SSmus Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii, supra relatas resolutiones ratas habere et approbare dignatus est.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus.*

L. © S.

Ph. Giustini, *Secretarius.*

IL

MESSANEN. SEU RHEGINEN.

PRAESUMPTIONIS DE MORTE.

Mense Martio 1910.

Post cladem ultro citroque Messanae fretum die 28 Decembris 1908 a terraemotu editam, Emus Archiepiscopus Catanensis primus instructionem petiit a S. Sede pro statuenda libertate eorum profugorum qui, nefarie in concubinatu viventes, terrore perculsi, suae saluti animae consulere satagebant.

Et Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, sub die 18 Ianuarii a. 1909, praelaudato Emo Archiepiscopo litteras dedit cum instructionibus pro urgentioribus casibus, id est: « In sostituzione della solita « fede di stato libero o di assenza d'ogni altro impedimento, qualora « trattisi di persone le quali pretendono di non aver mai contratto altro « matrimonio, basterà deferir loro, con le cautele in uso, il giuramento « suppletorio. Circa la stessa fede di stato libero, in caso d'avvenuta « morte del primo coniuge, è necessario di aver presente, mancando i « soliti certificati, l'Istruzione del S. Offizio del 1868, se trattasi di « morte anteriore al recente disastro: occorre poi di soprassedere se « trattasi di morte che si suppone avvenuta nello stesso disastro in man« canza di prove evidenti ».

Progressu temporis, Vicariatus Urbis Cancellarius eidem S. C. quoddam mortis testimonium a civili potestate depromptum subiecit, quaerens ab ea quinam tribuendus esset valor huiusmodi testimoniis.

Antequam responderetur, haec eadem S. C. scripsit, sub die 17 Novembris an. p. e., ad Archiepiscopos Messanensem et Rheginensem, ut

informationes mitterent sequentes, scilicet: utrum in ipsa Curia status animarum iterum fuerit stabilitus; quamnam fidem testimonia mortis a civili potestate deprompta mereantur; denique ut alias transmittere velint informationes ad exarandam Instructionem in proposito utiles opportunasque.

Praefatis litteris ita respondit, die 26 eiusdem mensis, Archiepiscopus Messanensis: « Finora non è stato possibile compilare lo stato delle « anime, poiché si attende all'ordinamento delle parrocchie, impianto delle « baracche, Chiese Parrocchiali e case canoniche.

« Sarà questa in seguito la prima occupazione.

« Quanto poi ai defunti nel disastro ho prestato solo fiducia alla « costatazione della morte per mezzo o della ricognizione del cada- « vere o delle testimonianze di persone degne di fede che attestano il « decesso.

« E non essendo tranquillo del mezzo delle pubblicazioni che pra- « tica 1' Ufficiale dello Stato Civile, ero anch' io sul punto di scrivere a « cotesta Sacra Congregazione per aver istruzione come regolarmi « quando nè 1' uno, nè l' altro mezzo concorrono e non si ha nel con- « tempo notizia delle persone, quivi dimoranti all'epoca del disastro.

« Laonde supplico la S. V. Illma ad implorarmi sul riguardo le oppor- « tune norme, essendovi in corso vari casi per celebrazione di matri- « moni, e mi interessa togliere alcune coppie dal concubinato ».

Respondit sub die 30 ipsius Novembris Vicarius Capitularis Rheginensis: « Di risposta alla nota di V. S. Illma debbo dirle che ancora « non fu possibile di ricostituire in tutte le parrocchie dell'Archidiocesi « lo stato delle anime dopo il terremoto. In molte riesce difficilissimo il « ricostituirlo, tanto più che nessuno ha sede fissa, nè fu ancora com- « pletato il numero delle baracche da costruirsi.

« Anche a conoscere il numero dei morti è opera difficile, perchè le « famiglie sono disperse e molti sono profughi in paesi ignoti. In questa Cu- « ria per i matrimoni dei vedovi si chiede ordinariamente il certificato « di morte dal Parroco, il quale, ove non conosca il morto, per farlo « deve prima redigere un atto notorio sulla deposizione di quattro testi- « moni fededegni.

« Per gli atti di morte dello Stato Civile, non li riconosciamo validi « se non sono confermati dal Parroco dopo le pratiche di rito ».

In thesi generali huiusmodi testimoniorum civilis potestatis receptio ad statum libertatis comprobandum periculis est obnoxia, at exceptiones faciendae sunt pro qualitatibus personarum: id quod investigationem ex parte ecclesiasticae auctoritatis importat ad decernendum utrum per-

sona de qua obitus asseritur, fuerit proba et coniugem familiamque amore fuerit prosecuta, et ita porro.

Verum investigatio eo magis urgenda esset quia possunt dari testes, quorum probatio praeferenda est legis praesumptioni, uti in Curia Rheginensi iam peragitur.

Caeterum S. C. Sancti Officii, ut exemplum iuris afferatur, infaustam post pugnam de Adua, hoc pro viduarum statu libertatis dedit responsum: « Dummodo agatur de viris, qui certo adstiterunt pugnae de Adua « et peractis opportunis investigationibus, indubitanter dignosci nequeat, « an vir reapse mortuus ceciderit, attentis specialibus circumstantiis in « casu, exposito occurrentibus, et valida praesumptione obitus, Ordina- « rius per mittere poterit transituro ad alias nuptias ». Ex quo apparet opportuna investigationem esse prius faciendae et quatenus hae evadat sine affectu, perpendendae sunt speciales casus circumstantiae una simul cum valida mortis praesumptione. Et inter circumstantias perpensas in citata responsione S. O. erant accensendi illiciti amores viduarum ad nuptias convolare cupientium.

Aliud exemplum reperitur in responsione eiusdem S. C. Sancti Officii, sub die 27 Aprilis an. 1887. En species:. « Victoria *N.* matrimonium, contraxit cum Iosepho *N.* qui an. 1870 ad bellum profectus, in proelio ad civitatem S. Quintini, die 19 Ian. an. 1871 commisso, disparuit, ut constabat ex litteris Ministri qui militiae praeerat, nec ex eo tempore ulla fama de eo audita fuit, ita ut tribunal civile sententiam pronuntiaverit de eius obitu. Addendum quod Iosephum pactum inivit cum septem ex eius sociis ut post praelium convenirent ad eumdem locum, solusque e conventu abfuit ». Et S. C. censuit: « Dummodo ex authenticis docu- « mentis ex testibus fide dignis saltem summarie et extraiudicialiter con- « stet non solum de his quae ab Episcopo exponuntur, sed insuper « Iosephum *N.* sincero animo prosecutum fuisse uxorem et liberos « neque ullam adfuisse causam qua eos desereret, permitti posse ora- « trici ut matrimonium ineat cum Ludovico *N.* ».

Tandem abs re forsan non erit aliam S. O. responsionem, die 28 Iunii 1865 datam, prae oculis habere. Quaerebatur a Vic. Ap. Pondichery: « Utrum provisiones legis civilis de absentibus coniugibus, locum certitudinis moralis de eorum morte tenere possint, ac consequenter utrum derelicti coniuges, perfectis et impletis istis provisionibus, aliud matrimonium contrahere valeant ».

Resp.: «Iuxta expositum, negative, et expendendos esse casus « particulares ab ipso Vic. Ap. iuxta Instructionem quae eidem com- « municetur ».

Haec Instructio quae incipiebat *Ingentes bellorum clades* subrogata fuit recentiori Instr. G. S. Off. an. 1868, a qua tota haec regitur quaestio.

Emi Patres S. Congregationis de disciplina Sacramentorum in plenariis comitiis habitis die 12 martii 1910 proposito dubio: «*An et quomodo providendum* » respondendum censuerunt:

R. *Expendendos esse ab Ordinario casus particulares iuxta Instructionem « Matrimonii vinculo » a S. G. Sancti Officii, datam anno 1868.*

D. CARD. FERRATA, *Praefectus.*

L. X S.

Ph. Giustini, *Secretarius.*

INSTRUCTIO SUPREMAE SACRAE CONGREGATIONIS

AD PROBANDUM OBITUM ALICUIUS CONIUGIS, AN. 1868.

Matrimonii vinculo duos tantummodo « Christo ita docente, copulari, et coniungi posse, alterutro vero coniuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiae Catholicae doctrina est ».

Verum ad secundas, et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur, quae difficultatibus, ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc Sancta Sedes sedulo curavit modo Constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta Sacrorum Canonum quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte coniugis certo constet, uti cap. *Dominus, de secundis nuptiis,* vel quod de ipsa morte recipiatur *certum nuncium* uti Cap. *In praesentia, De sponsalibus et matrimoniis.* Inde etiam ea quae explanatius traduntur in Instructione *Cum alias, 21 Augusti 1670* a Clemente X sancita, et in Bullario Romano inserta super examine testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Emi Vicarii Urbis, et coeterorum Ordinariorum. Maxime vero quae propius ad rem facientia ibi habentur NN. 12 et 13.

Et haec quidem abunde sufficerent si in eiusmodi causis peragendis omnimoda et absoluta certitudo de alterius Coniugis obitu haberi semper posset; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his

verbis: *Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint, et sufficientes)* sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus eve¬niunt, in quibus Ecclesiasticorum Praesidum iudicia haerere solent in vera iustaque probatione dignoscenda ac statuenda, imo pro summa illa facilitate, quae aetate nostra facta est remotissimas quasque regiones adeundi, ita ut in omnes fere orbis partes homines divagentur, eiusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad Supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter Sacra eadem Congregatio huiusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis praesertim Mis¬sionum locis, Ecclesiasticos Praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit, uberiorem edere Instructionem in qua, iis, quae iam tradita sunt, nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in eiusmodi casibus haec ipsa S. Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad Sanctam Sedem, possint iudicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque:

1. Cum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a Sacris Canonibus minime sufficiens ad iustam probationem habetur. Unde sa. me. Pius VI ad Archiepiscopum Pragensem die 11 Iulii 1789 rescripsit, solam coniugis absentiam atque omnimodum eiusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam,* ne tum quidem cum edicto regio coniux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit,* idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia.*

°2. Hinc ad praescriptum eorumdem Sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis paroeciae, vel xenodichii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu

testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, iurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum, et causam obitus aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni iure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne coniux alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit Suprema Congregatio in dirimendis huiusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea eius depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in eius testimonio reperiri quod non sit congruum atque omnino verisimile.

5. Contigit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro secutae mortis prudenti iudicio.

6. Verum, haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit, ita nimirum ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora, vel leviora sunt, seu propriore vel remotiore nexu cum veritate mortis coniunguntur, inde prudentis viri iudicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine promoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex huiusmodi coniecturis simul coniunctis iusta probatio, id prudenti relinquendum est iudicis arbitrio; heic tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illae sive urgentiores, sive etiam leviores colligi et haberi possint.

7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a coniunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque coniugis. In quorum examine requiratur *ex. gr.:*

An ille, de cuius obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset;

pie, religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset.

An discesserit annuentibus uxore et coniunctis; quae tunc eius aetas, et valetudo esset.

An aliquando, et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque huius generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adiunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic potuerunt:

Si ob militiam abierit, a duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit *etc.*

Si negotiationis causa iter susceperit inquiratur, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda: num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus: utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames, et pestilentiae *etc, etc.*

Si maritimum iter fuerit aggressus, sedula investigatio fiat a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis eiusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas quae navis cautionem forsan dedit, pretium eius solverit; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

8. Fama quoque aliis adiuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum: quod a duobus saltem testibus fide dignis et iuratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famae: an eam acceperint a maiori et saniore parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis, in quorum commodum inquiritur.

9. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori, ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. Haec omnia pro opportunitate casuum Sacra haec Congregatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium theologorum, et iurisprudentum suffragiis, denique suum iudicium prohunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. Ex his omnibus Ecclesiastici Praesides certam desumere pos-

sunt normam quam in huiusmodi iudiciis sequantur. Quod si, non obstantibus regulis hucusque notatis, res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad Sanctam Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis.

S. CONGREGATIO CONCILII

LUXEMBURGEN. *(Luxemburg).*

ELEEMOSYNAE MISSARUM.

Episcopus Luxemburgensis, datis ad S. G. Concilii litteris sub die 30 iulii 1909 exponebat ut sequitur:

« In dioecesi Luxemburgensi, ex consuetudine generali, parochi suis vicariis relinquunt diversa iura stolae, uti sunt emolumenta ex baptismo, ex benedictione mulierum post partum, etc. Aliam adhuc non parvam imminutionem parochialis congrua apud nos ex eo patitur quod, ex consuetudine immemoriali, vicarii, generatim non in domo parochiali habitantes, singulis Dominicis diebusque festivis necnon pluribus aliis occasionibus mensae parochi gratis assideant. Insuper parochi maiorem sibi assumunt partem oneris ex hospitalitate et visitatione aegrotantium et pauperum provenientis quin vicarii ex hoc capite nimis graventur. Ex omnibus hisce largitionibus tractu temporum firmatis, congrua parochialis plus aequo diminueretur nisi exstaret aliqua saltem compensatis pariter ex consuetudine et tacito atque unanimi consensu parochorum et vicariorum introducta. Ex Missis nempe cantatis, tum fundatis tum adventitiis, quarum in unaquaque parochia magnus exstat numerus, ideoque a solo parocho persolvi nequeunt, parochi, cum vicariis suis eas committere cogantur, ab ea stipendii parte quae pro sacerdote celebrante vel in limine fundationis vel ab Ordinario pro Missa adventitia cantanda statuta est, aliquid sibi retinent ad complendam congruam modo supradicto notabiliter imminutam. Quod pactum tacitum, die 29 Aprilis 1898 a S. G. de Propaganda Fide ad normam cuiusdam responsi S. C. Concilii diei 25 Iulii 1874 pro fundatis Missis approbatum, post decretum *Ut debita sollicitudine* S. C. Concilii diei 11 Maii 1904 in animis plurimorum ecclesiarum rectorum graves excitavit dubitationes. Sunt qui post publicatum

hoc decretum, cum magno congruae parochialis detrimento, vicariis suis totum stipendium solvunt, quin aliquid ex vetere consuetudine supra memorata immutare ausi fuerint, timentes ne excitent populi admirationem turbentque bonam pacem parochos inter et vicarios. Alii, praesertim rectores quidam parochiarum magnarum, innixi responso S. G. de Propaganda Fide diei 29 Aprilis 1898, nil innovandum esse duxerunt, ne ad eas rei familiaris angustias deciderent ut, aucta disproportione emolumentorum parochi et vicariorum, impares fierent ad implendum obligationes receptas et suo statui convenientes.

Attentis hisce difficultatibus quibus apud nos premuntur parochi, a Sanctitate Tua humiliter peto ut, ad consulendum conscientiae parochorum, ad tuendam congruam parochialem, ad pacem ac concordiam parochos inter et vicarios servandam et admirationem populi vitandam, praxim hucusque receptam approbare digneris, iuxta declarationes a S. G. Concilii exhibitas in *Monacen.* 25 Iulii 1874, *Hildesien.* 21 Ianuarii 1898 et responsum S. G. de Propaganda Fide diei 26 Aprilis 1898 in *Luxemburgen.* ».

Emi Patres S. Congregationis Concilii in generalibus comitiis die 26 Februarii 1910 respondendum censuerunt:

Attentis particularibus circumstantiis iisque perdurantibus, pro facultate retinendi vigentem praxim, facto verbo cum SSmo.

[1] S. C. Concilii 25 Iulii 1874, - Archiep. Monacen. - In parochorum reditibus etiam Missarum fundationes, singularum parochiarum -propriae, et publicae functiones occasione exequiarum vel benedictionis matrimoniorum peragendae numerantur, quibus pro Missis sive fundatis sive casualibus certa stipendia ordinario maiora parocho assignantur, quae stipendia partem integralem beneficii parochialis constituunt. Quaeritur, utrum parochi impediti celebrationem harum Missarum alteri sacerdoti sic tradere debeant, ut totum stipendium constitutum pro celebratione talium Missarum solvant, an potius sufficiat ordinarium vel aliquanto maius ab Archiepiscopo statuendum, ita ut quod supersit ab ipsis parochis, quibus Missae eaedem in partem redituum assignatae sunt, tuta conscientia retineri possit.

B. Attento quod eleemosynae Missarum, de quibus in precibus, pro parte locum teneant congruae parochialis, licitum esse parocho, si per se satisfacere non possit, Missas alteri sacerdoti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci, sive pro Missis lectis sive cantatis.

S. CONGREGATIO RITUUM

MONITUM.

AD EDITORES LIBRORUM LITURGICORUM.

I. In rubricis Generalibus Breviarii Romani tit. IX, n. 6, post Festum Nativitatis B. M. V. inseri debet *Septem Dolorum, Dominica tertia Septembris.*

II. In parte hyemali Breviarii Romani in Festo S. Thomae Aquinatis, die 7 Martii, ubi legitur: « *Lectio IX, de Homilia etc.* », substituantur verba: « *In Quadragesima, lectio IX, de Homilia et comm. Feriae* ».

III. In Rubrica Breviarii et Diurnalis quae invenitur die 16 Septembris in Festo Ss. Cornelii et Cypriani Mm. et quae incipit; « Si Festum Ss. Cornelii et Cypriani occurrerit Dominica, etc. . . . » et conceditur *in 1 Vesp. et Land, tantum,* verba *I Vesp. et* deleantur.

IV. In Missali Romano, tum in Festo Ss. VII Fundatarum, tum in Missa *Intret* de Communi plurim. Mart. 1 loco, ad Graduale legendum; « *in generationem et generationem* », prouti legitur in textu S. Scripturae, Eccl. 44, 14.

V. In Rituali Romano, Benedictio novae Campanae, quae ad usum Ecclesiae, sive Sacelli, inserviat, adprobata per Decretum S. R. G. 22 Ianuarii 1908, ponatur inter benedictiones reservatas in appendice, ante benedictionem simplicem novae Campanae, quae tamen ad usum Ecclesiae non inservit, nuper reformatam.

VI. Item in Rituali Romano, Benedictio Officinae Librariae et Machinae Typographicae nuper adprobata Decreto 12 Maii 1909, inseratur inter benedictiones non reservatas, in appendice, ante benedictionem Domus Scholaris noviter erectae.

DECRETUM.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, suprascriptas variationes Breviario, Missali ac Rituali Romano respective inserendas decrevit. Die 9 Martii 1910.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, ***S.** B. G. Praefectus.*

h. © S.

Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

SACRA ROMANA ROTA

MEDIOLANEN. *(Milano).*

NULLITATIS MATRIMONII - BALZAN-ADAMI.

Pio PP. X feliciter regnante Pontificatus Dominationis Suae anno septimo, die 15 Februarii 1910, RR. PP. DD. Ioannes Prior, Ponens, *Aloisio Sincero et Iosephus Mori, Auditoribus de turno, in causa* mediolanen. -Matrimonii, *inter Eugenium P. Balzan, repraesentatum per procuratorem Angelum D'Alessandri, Advocatum, et Italam Adami, interveniente et disceptante in causa Vinculi Defensore ex officio, sequentem definitivam tuterunt sententiam.*

Eugenius F. Balzan, die 20 Aprilis anni 1874, in dioecesi Adriensi natus, anno 1889, dum quindecim erat annorum, a parentibus Veronam studiorum causa apud amitam missus est. Fere post annum a suo adventu in hanc urbem, amore captus est erga Italam Adami, puellam septemdecim annorum, apud genitores in parochia S. Georgii in Braida eiusdem urbis commorantem, quam frequenter ille videbat in quadam herbaria taberna, herbarii mercatoris adiutricem. Brevi sibi mutuo matrimonium promiserunt: Eugenii vero pater noluit assentiri nuptiis. Cum filius aetate minor esset et deficeret consensus paternus, matrimonium civile celebrari non poterat. Matrimonii etiam religiosi licitae celebrationi obstabat lex dioecesana, quae prohibebat nuptias coram ecclesia iniri, nisi praemissus fuerit contractus civilis.

Eugenio, igitur, petenti vinculo tantum sacramentali cum puella coniugi, absolute renuerunt parochus S. Georgii in Braida, sacerdos Caietanus Masotti, proprius nempe sponsae parochus, et Curia Veronensis. Hisce repulsis minime fractus, Eugenius ad fratrem suum Paulum recursum habuit, qui in simili rerum conditione positas, coram parocho Omnium Sanctorum Patavii expedite nupserat. Rem agebat Paulus cum parocho ecclesiae Omnium Sanctorum, qui paratum se exhibuit ad nuptias celebrandas, dummodo sibi afferretur delegatio parochi sponsae. Insistente Paulo apud parochum Masotti, iste concessit Eugenio quaedam documenta matrimonialia, attestationes videlicet baptismi sponsae, et status liberi utriusque contrahentis, simulque epistolam ad parochum Mortesina, sub die 31 Decembris 1891 quae sic sonat: « Il sottoscritto si pre-

già spedirle i documenti relativi al matrimonio Balzan Eugenio Francesco di Lorenzo con Adami Itala di Francesco, ed in pari tempo, declinando ogni responsabilità, dichiara che da parte sua nulla osta a che ella o altri assista al matrimonio suddetto ». Hisce documentis munitae, summo mane die 2 Ianuarii 1892, partes Patavium petiere, et in ecclesia Omnium Sanctorum coram parocho Mortesina, qui dispensationem a bannorum proclamatione iam obtinuerat, et a proprio sponsae parocho se delegatum esse ad matrimonio assistendum bona fide reputavit, nuptias iuxta formam Tridentinam inierunt. At infelicem exitum habuit matrimonium, et vitae consuetudo brevi abrupta est. Pluribus interiectis annis, Eugenius Mediolanensi Curiae supplicem misit libellum, petens ut suum matrimonium cum Itala Adami nullum declararetur ex capite clandestinitatis, propter defectum parochi proprii. Haec Curia, obtenta ab Episcopo Patavino delegatione, processum instruxit ac sententiam edidit die 17 Martii 1909, qua nullum declaratum fuit matrimonium ob rationem supradictam. Ab hac sententia Defensor Vinculi Mediolenensis iuxta Constitutionem Benedictinam « *Dei miseratione* » ad H. S. Ordinem appellavit, et de appellationis instantia hodie cognoscendum est sub dubii formula: An constet de matrimonii nullitate in casu?

Quaedam imprimis praestat notare ut ab initio caput emineat totius quaestionis dirimendae. Causa vertitur tota in quaestione utrum Archipresbyter Masotti, proprius sponsae parochus, matrimonio assistendi licentiam dederit parocho ecclesiae Omnium Sanctorum Patavii, D. Vincentio Mortesina?

Et huius quaestionis solutio querenda est in interpretatione facti transmissionis documentorum matrimonium respicientium a proprio parocho ad parochum Mortesina, qui matrimonio adstitit, et epistolae quam supra retulimus, iisdem documentis adnexae. His enim solis enixus, parochus patavinus putavit se licentiam matrimonio assistendi recepisse, neque alia aliata sunt argumenta ad delegationem probandam. Rev. Vincentius Mortesina sub iuramento deponit: « Il parroco che aveva diritto al matrimonio mi mandò tutto: dunque intendeva trasmettere a me il diritto. - Per me il fatto era una delegazione implicita - il fatto era più forte delle parole ». Et eadem delegatio, iuxta eumdem, patet ex epistola parochi Masotti, quam simul cum praefatis documentis ipsi misit, cuius textus erat: « Il sottoscritto si pregia ecc. », prout supra in facti specie refertur: « Io l'ho intesa, *deponit parochus « Mortesina,* come una delegazione e per questo non delegai nessun « altro sacerdote ».

Archipresbyter Masotti in depositione sua iurata negat prorsus sibi

unquam fuisse mentem dandi licentiam matrimonio assistendi, et hoc ipsum, iuxta testem sacerdotem Brentegani, asseruit ante exortum dubium de validitate matrimonii, quando ex natis dissidiis coniuges ab invicem separati vivebant.

Cum parochus proprius neget se licentiam concessisse, onus probandi delegationem habitam incumbit parocho Mortesina et contrahentibus, iuxta ea quae habet Sanchez, *De Matr. disp. 37, n. 5:* « Quando autem contracto matrimonio aliquis opponit sacerdotem qui interfuit, caruisse licentia, ipsi incumbere onus probandi testatur Cephalus, *consta. 47, n. 2, vol. 1,* quod maxima difficultate non caret: videtur enim fundata opponentis intentio in decreto Tridentino *Sess. 24,* c. *1, de Matrim.* petentis licentiam: et cum illa sit quid facti, non praesumitur: quare potius videtur onus probandi transferri in ipsos contrahentes, vel sacerdotem qui interfuit. Sed placet concordia Mascardi, *conclus. 984,* ubi alia ad hoc affert; et *n. 3* resolvit, si contra licentiam opponatur a tertio, ipsi incumbere probare; si vero a proprio parocho, transferri onus probandi in alienum sacerdotum et ipsos contrahentes ».

Ad ius quod spectat, recolendum imprimis celebre Tridentinum Decretum « *Tametsi », de Ref. Matr., Sess. XXIV, cap. 1:* « Qui aliter quam praesenti parocho vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullai ».

Ut alius sacerdos, praeter proprium, unius alteriusve contrahentis parochum, matrimonii constituatur testis qualificatus, debet praecedere actus positivus voluntatis externe expressus proprii parochi sive Ordinarii proprii, quo ipsi conceditur assistendi licentia, de qua loquitur decretum. Ideo licentia praesumpta seu interpretativa, quae revera non existit, sed solummodo data quadam hypothesi existeret, non sufficit ad testem matrimonii auctorizabilem constituendum. Ad rem Sanchez, *de Matr. lib. 3, disp. 35, n. 24:* « quando enim licentia et iurisdictio est necessaria ad substantiam et valorem rei, ut in poenitentia et matrimonio, non satis est ratihabitio de futuro. Quia (ut probavi 18) licentia debet praecedere, et in ratihabitione de futuro, non praecedit licentia et consensus, sed tantum est probabilis praesumptio consensus postea praestandi ».

At per licentiam tacitam, quatenus a praesumpta vel interpretativa distinguitur, sufficienter exprimi potest voluntas positiva proprii parochi vel Ordinarii alium delegandi sacerdotem ad munus implendum testis auctorizabilis. Cf. Sanchez, *l. c. n. 20;* Bened. XIV. *Inst. Eccles. 33,*

n. 12. Cum ceteroquin nullibi in iure restringatur haec facultas generalis delegandi ad solam expressam, dicendum est delegationem haberi, ubi facta « matrimonium praecedentia et vere concludentia » (Wernz, *de Matr. p. 289)* ostendunt hanc fuisse mentem illi cui de iure competit delegare. Fagnanus, *in cap. 2, de Cland. desp. n. 31 et seqq.,* nonnullas affert declarationes S. C. C. quae contrariae videntur, quarum una est sequens: « An ut sacerdos, qui non est proprius contrahentium parochus, eos matrimonio coniungere possit, sufficiat tacita licentia quae resultat ex tolerantiae S. C. censuit non sufficere, sed requiri vel commissionem generalem administrandi omnia sacramenta, vel, si haec non adsit, specialem et expressam licentiam ». Ad rem vero notat Cl. P. Wernz, *l. c. (222).* « Si controvertitur num tacita licentia sufficiat, non raro potius de nomine quam de re fit disputatio: etenim delegatio tacita quae quoad rem est mere interpretativa vel praesumpta, certo non est valida. Cfr. S. C. C. *in c. Paris, 14 Dec. 1889, in Act. S. Sed. vol. 22, n. 477 et seqq*.... responsio vero S. C. C. *in* c. *22 Iun. 1581,* quae videtur reprobare tacitami licentiam, potius videtur intelligenda de licentia sensu lato tacita, i. e. praesumpta ».

Facta « vere concludentia » dici debent solum quando manifeste ex illis colligi potest delegationem intendi, seu si aliam explicationem probabilem facta non admittunt.

In re facti ad trutinam prius revocanda est epistola supra relata parochi Masotti. Huius verba - « In pari tempo declinando ogni responsabilità, dichiara che da parte sua nulla osta a che Ella o altri assista al matrimonio suddetto » - formulam negativam (nulla osta) continenti et designationem vagam personae quae matrimonio assistere possit (Ella o altri assista), quae, licet ex sese dubii valoris sint, tamen sufficere possent ad legitimum assistentiae titulum conferendum, si contextus et circumstantiae concomitantes scribenti fuisse animum delegandi suaderent: at in immediato contextu occurrunt alia verba: « declinando « ogni responsabilità », quae omnem vim ipsorum delegationem significandi, maxime si attendantur facta praecedentia, plane elidunt. Ut notat Barbosa, *Axiom. 222, n. 48:* « Verba praecedentia declarant sequentia, et e converso, 1. utrum, ff. de petit, haered. 1. qui filiabus, in princ. etc. Imo quod verba praecedentia magis declarant sequentia quam e converso, dicunt Cephal. *cons. 156, n. 10 et seqq., et cons. 351, n. 38 Paris., cons. 23, n. 118, lib. 1* ». Si de facto delegaverit parochus, actus delegationis, sive bene sive male factus, sibi necessario imputatur. Qui licentiam concedit ad actum quemdam determinatum, abiicere a se nequit responsabilitatem tali concessioni intrinsece inhaerentem, atque ab eadem inse-

parabilem. Parochus Masotti, itaque, clare exprimens se nihil responsabilitatis in negotio sibi assumere, hoc ipso exprimit se nolle licentiam matrimonio assistendi concedere. Aliis verbis, clausula, qua reiicit responsabilitatem, lumen affert propositioni dubiae quae sequitur: « nulla osta « a che Ella o altri assista », et determinai sensum eiusdem negativum, quem verba ipsa naturaliter praeseferunt, ita ut aequivaleat attestationi ex parte scribentis se nolle obstacula ponere quominus parochus Mortesina vel alius quicumque sacerdos matrimonio assistat. Nam potuit parochus Masotti non solum negative se habere respectu matrimonii celebrandi, denegando assistendi licentiam, verum etiam se positive contrarium prodere, rationes nempe urgendo apud Curiam Patavinam vel Sponsi parochum, quibus matrimonium non expedire ostenderetur: - disparitatem videlicet conditionis sponsorum, iuvenis aetatem minorem, dissensum paternum, impossibilitatem contractum civilem faciendi - indicia haec omnia haud obscura funestae cuiusdam sequelae.

Circumstantiae antecedentes eamdem epistolae interpretationem confirmant. 1. ° Lex dioecesana Veronensis prohibebat quominus matrimonium religiosum contraheretur quin fieret contractus civilis.

2. ° Huic legi obsequens, parochus sponsae renuit matrimonio assistere, uti omnes testes deponunt; i. e. sponsus et sponsa, pater et mater sponsae, ipse parochus Masotti, et alii quidem ex auditu. Imo pater sponsae, qui matrimonio validitati favet, testatur parochum Masotti non semel, sed pluries et spontanee se matrimonio contrarium exhibuisse: « fu il parroco che più volte venne in casa mia a dirmi che il matrimonio « non poteva celebrarlo, perchè lo sposo era troppo giovane ».

3. ° Deponit sponsus fratri eius Paulo, qui omnia ad matrimonium Patavii celebrandum paranda curabat, parochum Masotti absolute renuisse delegationem petitam concedere: « Si rifiutò di fare la delegazione, dicendo che tutto al più avrebbe potuto dichiarare che a lui non risultava vi fossero ostacoli ed impedimenti nei precedenti miei e dell'Adami in ordine al matrimonio ». At excludendum censuere PP. hoc testimonium, quia testis unici est in propria causa, et quidem ex auditu. Nihilominus constare adverterunt parochum Masotti nullas habuisse partes in negotio quo de matrimonio Patavii celebrando agebatur.

4. ° Curia ipsa Veronensis, quod probe notandum est, licentiam ad matrimonium ineundum denegavit, ut etiam pater et mater mulieris testantur. Et declarat Vicarius Generalis Veronensis, qui tempore quo nuptiae fuerunt initae eodem munere iam fungebatur: « Chi scrive.... « rammenta assai bene di aver negato l'assenso alla celebrazione del « matrimonio, per la ragione che mancando allo sposo *Y* età prescritta,

« non avrebbe potuto, se non dopo molto tempo, mettersi in regola colla « parte civile. . . . Certo l'Arciprete Masotti, avuto questo negativo, non « avrebbe dovuto delegare ad altri la celebrazione del matrimonio ». Temere nimis egisset parochus, si, posthabita Curiae repugnantia, ausus fuisset delegationem concedere, praesertim in casu, ubi coniuges, in urbe episcopali degentes, omnibus essent in exemplum, quo facili modo eludi possent et lex dioecesana, et Curiae ipsius oppositio.

Hae omnes circumstantiae, praecipue si cumulatim sumantur, gravem omnino praesumptionem facto delegationis contrariam constituunt.

Insuper magno pretio aestimandum esse putarunt PP. testimonium parochi Masotti. Probe agnoscunt quidem depositionem eius etiam iuratam, se nunquam habuisse intentionem delegandi, nullum effectum habere posse, si aliunde constaret sufficienter expressam fuisse ipsius voluntatem delegationem, de qua in themate, concedendi, siquidem de re agitur quae ad forum externum pertinet, ubi « nihil est nisi quod apparet ». Cum vero nullum interesse in causa habeat, et facta propria explicet, etiamsi testis unicus sit relate ad aliqua quae deponit, magnae auctoritatis in re habendus est.

Ipse sacerdos Brentegani, qui parum benignum erga eum se prodit, fatetur: « Non crederei però che ora fosse capace di tradire la « verità e di lasciarsi corrompere ». Notat enim De Luca, *De Iudic. disp. 32, n. 59:* « Regula est, quod singularis testis probationem non concludit ex vulgari assumpto, quod dictum unius dictum nullius: et tamen in aliquibus casibus, etiam unicus testis sufficiens reputari solet, ad probationem plenam, sive ad pius quam semi-plenam, adeo ut aliquod fomentum adminiculorum idem suppleat: puta, quia agatur de teste multum qualificato, sive de mediante deponente de facto proprio, nullum penitus habente in negotio interesse bursale, vel existimationis, aut affectionis: . . . . aut quod non agatur de probatione ex integro, sed de declaratione vel interpretatione rei ambiguae, in ultimis praesertim voluntatibus, et etiam quandoque in actibus inter vivos ». Parochus Masotti deponit: « Asserisco assolutamente che certamente io non ebbi « intenzione di delegare ». Idem, iuxta testem Brentegani, asseruit ante exortum dubium de matrimonii validitate, quando ex natis dissidiis coniuges seorsum vivebant. Sensum epistolae, quam scripsit parocho Mortesina, explicat: « Il senso di tutto era questo: Faccia lei da parte « sua quello che crede di poter fare, uscendo io da ogni responsabilità, « e nulla pretendendo delle mie competenze ». Pater sponsae non contradicit, imo potius confirmat, quando testatur eum promisisse « *suo « appoggio* », et epistolam dicit fuisse « *una semplice raccomandazione* ».

Sed nec ulla eidem parocho Masotti videbatur necessitas huiusmodi delegationem concedendi, ut matrimonium Patavii valide et licite contrahi posset. Nam optime scivit ibi fuisse parochum proprium sponsi. Imo declarat: «gli sposi mi dissero che andavano a contrarre il matrimonio innanzi al parroco dello sposo, e ritenni che quel parroco poteva legittimamente assistere al matrimonio del Balzan, allora giovanetto di 18 anni ». Ideo omnia Veronae ordinate peracta autumans, sponsos Balzan-Adami post reditum ex itinere legitime coniunctos reputavit, ut ipse et alii testantur, et filiam ex matrimonio procreatane in libro baptizatorum tanquam ex legitimis nuptiis natam inscribi fecit.

Refert mulieris mater illum filiae post nuptias semel obiter dixisse: « Ho scritto io una carta che ti sposino »: quae verba, si quidem tanta fides huic testi adhiberi liceat, aliud significari nequeunt nisi epistolam quae iam satis superque explicata est.

Ex documentorum transmissione non magis probatur intentio delegandi, quamvis generaliter refert Aichner, C*omp. Iur. Eccles. p. 675:* « Licentia tacita est quae ex actibus concludentibus manifeste colligitur, e. g. si parochus omnia documenta necessaria transmittat ad alium parochum, non tamen adiecta delegatione copulandi, ex tali agendi ratione intentio delegandi indubitanter apparet». In casu enim nostro concreto patet hoc factum transmissionis documentorum maiorem significationem non habuisse quam verba epistolae, quae documentis adnectebatur, et rationem istius facti ex illis verbis simulque ex circumstantiis, de quibus supra, esse desumendam. Praeterea, manente impossibilitate matrimonium Veronae vel in dioecesi Veronensi celebrandi, ius habebant partes experiendi num alibi laetior spes ipsis affulgeret desideratum finem obtinendi. Quin huic negotio se immiscuerit parochus Masotti, uti dictum est, partibus tamen poscentibus documenta ad matrimonium necessaria recusare non poterat.

Licentiam matrimonio assistendi, igitur, ex proprio sponsae parocho non habuit parochus Mortesina, sive expressam, sive tacitam, seu quae ex factis praecedentibus et vere concludentibus manifeste colligitur.

Quibus omnibus mature perpensis:

Christi nomine invocato, solumque Deum prae oculis habentes, Nos, infrascripti Auditores, pro tribunali sedentes, ad propositum dubium dicimus, pronunciamus, atque definitive sententiamus: constare de nullitate matrimonii in casu, salva tamen legitimitate filiae ex matrimonio natae, statuentes praeterea expensas esse solvendas ab Eugenio Balzan.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim *cap. 3, Sess. XXV, de Ref.* Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, die 23 Februarii 1910.

Ioannes Prior, *Ponens.*
L. J$i S. Aloisius Sincero
Ioseph Mori.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

SECRETARIA STATUS

DOCUMENTA

* AMERICAM LATINAM ET INSULAS PHILIPPINAS RESPIC1ENTIA.

L

EPISTOLA AD ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS IN AMERICA LATINA ET INSULIS PHILIPPINA.

Illme ac Rme Domine,

Sanctissimus Dominus Noster Americae Latinae et Philippinis Insulis, per Rescriptum die 1ª Ianuarii huius anni datum, quod typis impressum praesentibus litteris apponitur, amplissimum Indultum super ieiunio et abstinentia, ad decem annos valiturum, concedere dignatus est.

Ut Amplitudini Tuae videre est, gratiae, quas per Indultum hoc generale in re ieiunii et abstinentiae Sanctitas Sua universis praefatarum regionum Dioecesibus est elargita, tanti sunt momenti eamque praeseferunt benignitatem in conscientiis fidelium expediendis a conditionibus praescriptisque onerosis Indulti anni 1899, ut superare sane di eas quantum elapsis temporibus hac de re concessum fuerit, ipsis in locis ubi Bulla *Cruciatae,* quae dicitur, vigebat. Cum autem haec Bulla et Indulta sive *Summaria* quadragesimae aliave id genus Rescripta, quae dari una cum memorata Bulla consueverunt, iamdiu in pluribus Ame-

ri eae Latinae regionibus vim amplius non obtinerent, atque, ubi vigebant, eleemosynae quae hoc titulo solvendae erant, potius ex hodie remisso passim fidei Christianae fervore quam ex vero Ecclesiae legum contemptu, a paucioribus, pro fidelium numero, in dies praestarentur; idem Pontifex sapientissime desiderans ne id, quod initio ad animarum pacem et bonum constitutum fuerat, vergeret, humanae infirmitatis causa, in novam peccati occasionem atque in multorum aeternae salutis discrimen, statuit decrevitque ut desinat pro America Latina universa ac pro Philippinis Insulis eiusdem Bullae *Cruciatae,* itemque quadragesimalium Indultorum sive *Summariorum,* de quibus supra, usus et obligatio; quo fiet ut, in locis ubi hucusque illa privilegia vigebant, qui ea impetraverint non amplius renovare teneantur, qui vero ipsa non obtinuerint nihil est cur expostulent.

Quod vero spectat ad ceteras facultates et gratias, quae ordinario more per Bullam eamdem" hactenus tribuebantur, si ratio et vis prospiciatur facultatum Apostolicarum, quibus earum regionum Episcopi ditari solent, necnon summa S. Sedis benignitas "in elargiendis, tum generali tum peculiari forma, Indulgentiis plenariis vel partialibus, compertum quidem erit nunc harum omnium, partem abunde compensari, partem alio de capite, sed pari profusione concedi; quare ex hac Bullae *Cruciatae* cessatione, regionum earum fideles nil prorsus detrimenti neque spiritualium Ecclesiae beneficiorum imminutionem esse passuros iam praevidere fas est. Nam:

1. ° Spirituali indulgentiarum lucro per relatam Bullam concessarum, tam vivis quam defunctis, satis superque per tot pietatis opera vel preces, quae nunc exstant, ab Ecclesia indulgentiis locupletatas, facile suppleri potest.

2. ° Facultatibus, quae pro interdicti tempore tribuebantur, vix unquam, in hodierna Ecclesiae praxi, opus esse videtur; quod, si casus huiusmodi forte contingat, ita, ad agendi rationem quod attinet, interdicti applicatio mitigata evadet, ut vetera Indulta expetendi necessitas fere non habeatur.

3. ° Votorum ac iuramentorum commutationibus aliunde aditus plane patet, propter Apostolicas facultates, quae, ad tempus non ita breve, a S. Sede Episcopis communicantur atque propter tot tantaque privilegia ac particularia indulta, quibus plurimi ex utroque clero confessarii gaudere solent.

4. ° Eaedem facultates satis consulere videntur etiam casibus canonicarum inhabilitatum, aeque ac difficultatibus, quae oriri solent ex poenis incursis a Beneficiariis in acquisitione et usu sui beneficii.

5. ° Idem dicendum de absolutione a censuris, de dispensatione super canonicis irregularitatibus et matrimonialibus impedimentis quibusdam, atque de celebrandi licentia per horam ante lucem et per horam post meridiem; quibus omnibus a S. Sede optime provisum est per facultates quam amplissime earum regionum Episcopi collatas, quae longe excedunt quotquot Bulla *Cruciatae* continebantur.

Hisce compositum litteris, item Rescriptum Amplitudo tua reperiet, quo facultates quaedam, Dioecesibus Americae Latinae anno 1900 a Leone PP. XIII f. r. ad decennium tum per Rescriptum a S. Congregatione Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praeposita datum die 1ª Ianuarii sub nn. 1, 2, 3, 4, 6, 7 et 8, tum per Rescriptum S. Congregationis Concilii diei 4ªᵉ Maii concessas, ad aliud decennium confirmantur, et ad Insulas Philippinas item ad decennium extenduntur.

Haec omnia patefacere atque consideranda Tibi proponere tenebar; iamque superest ut Tibi sensus exprimam plenissimae existimationis meae ex animo.

Amplitudinis Tuae

Romae, die 1ª Martii 1910.

Addictissimus

R. CARD. MERRY DEL VAL.

IL

INDULTUM CIRCA ABSTINENTIAM ET IEIUNIUM PRO AMERICA LATINA ET INSULIS PHILIPPINIS.

Ex Audientia SSmi

die 1ª Ianuarii 1910.

Archiepiscopi et Episcopi Americae Latinae, in Urbe, anno MDCCCXCIX, in plenarium Concilium congregati, Leoni PP. XIII f. r. exposuerunt maximam difficultatem in qua, ob speciales regionum conditiones, versantur fideles suarum dioecesium servandi ecclesiasticas leges de ieiunio et abstinentia non obstantibus amplissimis indultis a S. Sede iam concessis. Supplices proinde dederunt preces ut Sanctitas Sua ampliorem et generalem pro America Latina dispensationem concedere dignaretur.

Porro idem Pontifex, re mature perpensa atque praehabito voto nonnullorum S. R. E. Cardinalium, attentis gravissimis causis allatis, referente me infrascripto Cardinali a Secretis Status, volens animarum necessitatibus atque anxietatibus occurrere, servata ecclesiastica lege ieiunii et abstinentiae ac salvis permanentibus excusationibus ab eadem lege iure communi, iuxta regulas probatorum auctorum, admissis, am-

plius indultum et generale concessit, quibusdam conditionibus circumscriptum.

Cum autem causae illae gravissimae non solum perdurent, sed mitigationem in ipsis conditionibus praefatis suadeant, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa X, ne ex petitione singulis fidelibus vel familiarum capitibus usque adhuc imposita, vel ex taxis eleemosynarum ex capite Bullae *Cruciatae* vel aliunde alicubi praescriptis, » spirituale damnum patiantur illi praesertim qui forsan non ex vero legis despectu, sed potius ex fragilitate et humana infirmitate, conditionibus et praescriptis onerosis non satisfaciant et tamen indebite indulto gaudere praesumant, ut experientia compertum est; novum indultum de speciale benignitate concedendum duxit ad decennium, et concessit, singulis annis ab omnibus et singulis Americae Latinae et Insularum Philippinarum Ordinariis, facta mentione apostolicae delegationis, simpliciter et ad litteram prout iacet promulgandum, cuius virtute:

I. *Lex ieiunii sine abstinentia* a carnibus servetur feriis VI adventus et feriis IV quadragesimae.

II. *Lex ieiunii et abstinentiae* a carnibus servetur feria IV cinerum, feriis VI quadragesimae et feria V maioris hebdomadae.

Sed diebus ieiunii semper licebit omnibus, etiam regularibus, quamvis specialem dispensationem non petierint, in collatione serotina, uti ovis ac lacticiniis. In refectiuncula autem matutina permittuntur lacticinia, salva lege parvitatis et exclusis ovis.

III. *Abstinentia a carnibus* sine ieiunio servetur in quatuor pervigiliis festorum Nativitatis D. N. I. C, Pentecostes, Assumptionis in coelum B. M. V. et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

Circa usum huius indulti, Sanctissimus haec quae sequuntur statuire dignatus est:

1. ° Firma remanent privilegia in Const. Leonis XIII *Trans Oceanum,* die 18ª Aprilis 1897 Americae Latinae concessa, et per aliud Indultum, hac ipsa die datum, ad Insulas Philippinas extensa.

2. ° Omnia alia indulta circa ieiunium et abstinentiam, etiam sub titulo Bullae *Cruciatae* et Summariorum, quae eidem Bullae adnectebantur, hucusque in usu, quamvis Apostolicis Litteris confirmata, penitus et totaliter in universa America Latina et in Insulis Philippinis abrogata declarantur.

3. ° Nulla omnino taxa pecuniaria nullaque eleemosyna quocumque titulo deinceps imponi poterit pro usu indulti: nec petitio eiusdem indulti a singulis fidelibus vel familiarum capitibus facienda amplius requiritur.

4* Quamvis ex capite dispensationis circa ieiunia et abstinentiam vel ex titulo indultorum Bullae *Cruciatae* et Summariorum, quae huic adnectebantur, nulla taxa nullaque eleemosyna imponi possit, tamen Sanctitas Sua hortatur fideles qui id possint, ut, per spontaneas eleemosynas, sumptibus cultus divini, christianae institutionis iuventutis, beneficentiae et missionum concurrere non omittant: ad quod, singulis annis, in quatuor diebus festis de praecepto, uniformi ratione in unaquaque Provincia Ecclesiastica seu regione Americae Latinae et Insularum Philippinarum a respectivis Ordinariis praescribenda, in omnibus parochialibus ecclesiis et in omnibus ecclesiis et sacellis iurisdictioni Episcoporum subiectis fiant collectae eleemosynarum extraordinariae (omnino tamen voluntariae seu non praeceptivae) ad hunc finem destinatae, et respectivo Ordinario tradendae; cuius prudentiae et conscientiae earumdem eleemosynarum distributio committitur. Et omnes fideles speciali diligentia curent, non tamen sub praecepto, hanc S. Sedis benignam indulgentiam piis precibus, praesertim per Rosarii Marialis recitationem, compensare.

5. ° Religiosi utriusque sexus, speciali voto non obstricti, quamvis sint ex Ordinis Minorum Familiis, de consensu suorum Superiorum uti possunt praesenti indulto, etiam quoad abstinentias et ieiunia in propria regula sive statutis praescripta. Hortandi tamen sunt Superiores Regulares, praesertim Provinciales et quasi Provinciales, ut pro viribus abstinere curent ab usu huiusmodi indulti intra claustra; subditi vero stent iudicio suorum Superiorum.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, die, mense et anno praedictis.

R. CARD. MERRY DEL VAL
a Secretis Status.

III.

FACULTATES DECENNALES EPISCOPIS AMERICAE LATINAE
ET INSULARUM PHILIPPINARUM CONCESSAE.

Ex Audientia SSmi
die 1ª Ianuarii 1910.

SSmus D. N. Pius Div. Prov. Papa X, referente me infrascripto Cardinali a Secretis Status, quaedam privilegia Americae Latinae anno 1900 a Leone PP. XIII f. r. ad decennium concessa, ad aliud decennium

confirmare dignatus est, et ad Insulas Philippinas item ad decennium extendere, videlicet:

I. Ut quoties Fidei Professio fieri debeat coram Episcopo, et adsit gravis necessitas, emitti valeat etiam coram delegato ipsius Episcopi.

II. Ut ubi necessarium sit ob paucitatem sacerdotum, audito Capitulo, et ubi Capitulum non adsit, habito voto Consultorum dioecesanorum, Episcopi ad Synodum dioecesanam singulis vicibus aut dimidiam partem Parochorum vel Rectorum, aut illos vocare possint, quos opportunius vocandos in Domino iudicaverint.

III. Ut in Missis vivorum quae celebrantur cum cantu, in duplicibus primae et secundae classis, in dominicis aliisque diebus sollemnibus, et quoties SS. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium venerationi patet expositum, quamvis haberi non possint ministri sacri, liceat thurificationes peragere.

IV. Ut « *Memoriale Rituum* » a Benedicto XIII editum pro parochiis ruralibus adhiberi possit etiam in ecclesiis non parochialibus, in quibus verificentur conditiones *parvarum ecclesiarum.*

V. Ut attentis specialibus circumstantiis praedictarum regionum clerici etiam simpliciter tonsurati, ultra triennium ab omni officio et beneficio suspensi, elapso suspensionis triennio, privati ipso facto habendi sint iure deferendi habitum talarem et tonsuram, nisi obtineant specialem licentiam in scriptis a proprio Ordinario.

VI. Ut tuto admitti possint tamquam causae speciales privationis ab officio et beneficio parochiali, praevia legitima seu trina monitione, eae quae habentur in articulo 820 decretorum Concilii Plenarii Americae Latinae, idest:

1. ° Publica, perdurans graviterque culpabilis infamatio quoad mores sacerdotales, etiam post legitimas admonitionem non correctos, qua cura animarum grave damnum patiatur:

2. ° Temeraria et post legitimam monitionem contumaciter repetita ad matrimonium admissio eorum, qui publicis impedimentis rite non dispensatis detinentur;

3. ° Omissio temeraria instructionis catecheticae, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, per maiorem anni partem et post legitimam monitionem pertinaciter continuata. Item temeraria et post legitimam monitionem iterata negligentia, in administratione sacramentorum fidelibus in articulo mortis constitutis, etiam ex sola causa distantiae ab ecclesia parochiali admissa;

4. ° Gravis, publica et post legitimam monitionem repetita iniustitia et inobedientia in exigendis taxis, praesertim occasione matrimonio-

rum contrahendorum aut funerum, contra leges dioecesanas de taxis latas;

5. Gravis, publica, per maiorem anni partem temere protracta, atque post legitimam monitionem pertinaciter continuata negligentia spiritualis curae et institutionis christianae Indis et Nigritis paroeciae impendendae secundum normas in legibus dioecesanis praescriptas.

VII. Ut attentis specialibus circumstantiis dictarum regionum circa, bona ecclesiastica, Episcopi, praevio Capituli vel Consultorum dioecesanorum consensu, facultatem habeant: 1. ° Locandi bona ecclesiastica ultra consuetum triennium, usque ad novem vel duodecim annos, dummodo iuxta leges civiles periculum non adsit quod locatio transeat in emphyteusim; 2. ° Libere alienandi bona ecclesiastica, ubi summa pecuniae non excedat valorem viginti millium libellarum monetae propriae nationis, si necessitas vel evidens utilitas id postulent, et pretium inde obveniens investiatur loco honesto tuto et fructifero, favore Ecclesiae seu causae ad quam bona pertinebant.

VIII. Ut designatis, ubicumque fieri poterit a singulis Ordinariis in propria dioecesi nonnullis paroeciis principalioribus, quae Sacerdotibus maturae aetatis, probatae vitae, non communi scientia et pietate praeditis, in titulum ad tramitem iuris de regula ordinaria conferantur, ceterae omnes paroeciae, imo et superius recensitae, si adiuncta (prudenti Ordinarii iudicio aestimanda) id exigant, conferri possint absque concursu et ad nutum, salvis tamen privilegiis ab Apostolica Sede concessis, et cauto ut facultate transferendi aut removendi paroeciarum rectores, Episcopi nonnisi moderate et ex iusta causa utantur; onerata super hoc eorumdem Episcoporum conscientia.

IX. Ut Episcopi conferre possint absque concursu omnes Canonicatu de officio, quoties expedire iudicaverint.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, die, mense et anno praedictis.

R. CARD. MERRY DEL VAL

a Secretis Status.

IV.

INDULTUM EXTENSIONIS LITTERARUM APOSTOLICARUM " TRANS OCEANUM " ET CONSTITUTIONIS " ROMANOS PONTIFICES " AD INSULAS PHILIPPINAS.

Ex Audientia SSmi
die 1ª Ianuarii 1910.

SSmus D. N. Pius Div. Prov. Papa X, referente me infrascripto Cardinali a Secretis Status, de speciali benevolentia, ad Provinciam Ecclesiasticam Manilensem seu ad universam regionem Insularum Philippinarum extendere dignatus est privilegia Americae Latinae, per Litt. Apost. *Trans Oceanum,* die 17ª Aprilis 1897, a sa. me. Leonis Papae XIII ad triginta anno s concessa; ita tamen ut, quousque dicta privilegia pro America Latina perdurent, eodem tempore pro Insulis Philippinis vigeant, ut tum in America Latina tum in praefatis Insulis eadem sit privilegiorum duratio.

Insuper in perpetuum ad easdem Insulas Philippinas extendit Constitutionem *Romanos Pontifices* ab eodem Leone XIII octavo Idus Maii 1881 editam.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, die, mense et anno praedictis.

R. CARD. MERRY DEL VAL
a Secretis Status.

EPISTOLAE.

I.

AD R. P. EMMANUEL M. NUÑES, O. M., DEFINITOREM GENERALEM IN HISPANIA, OB DEVOTIONIS OBSEQUIUM NOMINE ETIAM AUCTORITATUM ECCLESIASTICARUM LUCENSIUM AUGUSTO PONTIFICI EXHIBITUM.

Muy Rev. Padre:

El devoto Mensaje que con fecha 5 del pasado Febrero, mandan las autoridades eclesiásticas de Lugo al Santo Padre, ha sido del agrado de Su Santidad, como no podía menos de suceder; porque estimando tanto el fomento y desarrollo del espíritu franciscano entre los fieles,

como lo prueban multitud de documentos pontificios de tiempos aun recientes, le es sumamente grato el ver que las ilustres *Familias Franciscanas* multiplican su celo, no solo para aumentar el número de Terciarios sino también en hacer mas lozano y vigoroso el plantel de ellos, con las piadosas asociaciones de jóvenes católicos, que bajo el nombre de *Juventud Antoniana, Juventud Seráfica,* y otras semejantes, se van instituyendo á la sombra del frondoso árbol del Serafín de Asís.

Su Santidad concede muy de corazón una especialísima Bendición Apostólica á todas las Juventudes mencionadas, con los Religiosos y Autoridades que las fomenten y sostengan.

Me es grato ofrecerme de V. atento seguro servidor,

10 Marzo 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

L. © S.

II.

AD PERILLUSTREM VIRUM EUGENIUM DUTHOIT, PROFESSOREM OECONOMIAE POLITICAE IN UNIVERSITATE CATHOLICA INSULARUM IN GALLIA, OB GRATIARUM ACTIONEM PRO OPERE "VERS L'ORGANISATION PROFESSIONNELLE" BEATISSIMO PATRI REVERENTER EXHIBITO.

Monsieur,

Le Saint Père a agréé avec une satisfaction toute spéciale l'exemplaire de l'ouvrage intitulé: « Vers l'Organisation professionnelle », fruit de votre enseignement à l'Université catholique de Lille, et que votre piété a voulu Lui offrir en filial hommage.

Parmi les moyens de servir aujourd'hui efficacement la cause de Dieu, on ne saurait mettre en doute que l'un des premiers et des plus puissants ne soit l'action sociale, à la condition que l'on entende d'abord par là un constant effort vers la perfection chrétienne, et un large rayonnement de cette -perfection autour de soi. A ce prix seulement une ère de justice et de charité pourra se lever sur le monde, avec l'intelligence des vrais intérêts économiques.

Ainsi que vous le remarquez très justement, c'est le faux libéralisme e l'individualisme antichrétien, joints à une autonomie absolue de la personne humaine qui ont entraîné la société civile au bord de l'abîme qui s'ouvre aujourd'hui devant elle. C'est aussi cette téméraire utopie, qui rêve de supprimer radicalement des inégalités que la nature même des choses rend à jamais irréductibles. Soucieux d'épargner au peuple

chrétien ces funestes illusions, les Souverains Pontifes ont eu à cœur de formuler les doctrines et d'établir les constitutions d'un mouvement social catholique, inspirant de la sorte pour ces graves problèmes, dans la mesure où il dépendait d'eux, une solution prompte et assurée.

Aussi bien Sa Sainteté, dès les. premiers temps de Son Pontificat, a convié l'action catholique à proposer sa solution aux problèmes sociaux de notre époque, et à la faire valoir pratiquement selon les principes chrétiens.

Votre étude, Monsieur, vient donc à son heure en répandant une lumière nouvelle sur l'un des côtés les plus intéressants et les plus féconds de ce grand objet.

En vous envoyant, ainsi qu'à votre famille, la bénédiction apostolique, Sa Sainteté me charge de vous exprimer Ses paternels encouragements, auxquels je joins mes remercîments personnels pour l'exemplaire du même ouvrage que vous m'avez gracieusement adressé.

Veuillez agréer, Monsieur, l'expression de mes sentiments très distingués.

Le 12 Mars 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

L. $ S.

III.

AD STANISLAUM MEDOLAGO ALBANI, COMITEM, PRAESIDEM UNIONIS OECONOMICO-SOCIALIS PRO CATHOLICIS ITALIAE, DE REGULARUM SCHEMATE BEATISSIMI PATRIS ADPROBATIONI PROPOSITO.

Il Santo Padre ha preso conoscenza dello schema di Regolamento che V. S. ha teste presentato alla sovrana Sua approvazione. Tale Regolamento, compilato da codesta Presidenza per stabilire una più stretta unità d'indirizzo ed un migliore coordinamento di forze tra i minori e maggiori Centri federativi sorti in seno all'Unione Economico-Sociale e l'Unione istessa, per i criteri di pratica efficacia ai quali è informato, si presenta sommamente utile allo scopo, ed è riuscito di vivo gradimento a Sua Santità.

La necessità di tale Regolamento, richiesto, giova riconoscerlo, dal progressivo moltiplicarsi delle Associazioni aderenti all'Unione Economico-Sociale e da un salutare movimento federativo tra i sodalizi similari, costituisce per se stesso il più bell'elogio per l'attuale Presidenza, la quale, chiamata a militare nel campo dell'azione cattolica, è giunta,

con felice successo, a radunare numerose intorno a sè le Istituzióni cattoliche di natura economico-sociale e di raggrupparle in distinti centri, ' per favorire in un più rapido e fecondo sviluppo delle singole parti la vita rigogliosa del tutto.

L'augusto Pontefice è stato ben lieto di constatarlo, traendone argomento di conforto per sè e di ben meritata lode per codesta Presidenza, la quale ha così bene corrisposto alle comuni aspettative;

L'approvazione pertanto che Ella implora dal Santo Padre non può farsi desiderare, ed io ho l'onorifico incarico di parteciparglìela accompagnata dai migliori auguri che il nuovo Regolamento, col contribuire efficacemente a vieppiù stringere e rinsaldare i vincoli tra il Centro maggiore e le aggregate Federazioni, renda tra esse più copiosa la comunicazione di energia e di vita reciproca e sia alle Istituzioni non ancora federate, salutare eccitamento per una santa e desiderata emulazione.

Ove poi il cresciuto numero delle Federazioni e le nuove esigenze, che ne potrebbero derivare, rendessero necessarie saggie modificazioni ai rapporti dell'Unione colle Federazioni istesse, la Presidenza *pro tempore,* traendo dai nuovi bisogni occasione di nuovi ed efficaci criteri direttivi, potrà portare al presente Regolamento opportune innovazioni od aggiunte, lasciando però sempre inalterato all'Unione quel carattere che la distingue e che le è impresso dal fine pel quale è sorta nel campo dell'azione cattolica.

È però desiderio vivissimo del Santo Padre che una calda e costante carità renda fratelli, in Gesù Cristo, i cuori di tutti gli aderenti alla Unione Economico-Sociale, e che tutte le Federazioni, diocesane o generali, già sorte o che sorgeranno tra i sodalizi similari appartenenti all'Unione istessa, rimangano a questa sempre e docilmente unite e congiunte, come a quel centro che ha per proprio compito di unificare e coordinare tutta l'azione economica sociale dei cattolici italiani.

Il « *non erubesco evangelium* » poi, che con tanta franchezza ripeteva già S. Paolo nella sua lettera ai Romani, sia impresso a grandi ed indelebili caratteri sulla bandiera di tutte le Istituzioni cattoliche, ed una aperta e franca professione cristiana formi la loro gloriosa divisa e la sintesi luminosa del carattere che le informa e le distingue. Sua Santità ebbe già occasione di dichiararsi esplicitamente a questo riguardo nel venerato autografo non ha guari indirizzato a V. S.; oggi, profittando di questo incontro, ritorna sullo stesso argomento per inculcare di nuovo ed a tutte indistintamente le Associazioni, che militano nel campo cattolico, di essere e mostrarsi cattoliche a tutta prova, non solo nell'ombra delle proprie riunioni, ma ancora alla luce delle grandi manifesta-

zioni sociali; non solo nel silenzio della vita privata, ma anche nel rumore della vita pubblica, sì che ognuna possa applicare a se stessa e ripetersi con gioia « *in ipso* (Christo) *vivimus, movemur et sumus* ».

E perchè la parola del Pontefice trovi eco fedele nell'animo ossequioso di tutti e singoli gli aderenti all'Unione Economico-Sociale, il Santo Padre, Pio X, imparte ad essi di gran cuore T apostolica benedizione.

15 Marzo 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

L. SB s.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI.

Il giorno 5 Aprile p. v. nel Palazzo Vaticano si terrà la Congregazione dei Riti Preparatoria, per discutere il dubbio sopra i miracoli della Ven. Serva di Dio Anna Maria Taigi, del terzo Ordine della SSma Trinità.

NECROLOGIO.

18 Marzo 1910. — Mons. Francesco Augusto Labeuche, Vescovo di Belley.

Annus II. - Vol. II. Die 15 Aprilis 1910. Num. 6.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

MOTU PROPRIO

DE CONCESSIONIBUS INDULGENTIARUM
A SUPREMA S. CONGREGATIONE S. OFFICII RECOGNOSCENDIS.

Cum per Apostolicas Nostras Litteras *de Romana Curia* quae incipiunt « *Sapienti Consilio* », III Kal. Jul. an. MDCCCCVIII datas, *universam rem de indulgentiis,* ideoque et curam circa rectam et prudentem earum moderationem et onus invigilandi super earumdem publicatione et impressione, *uni* Supremae Sacrae Congregationi Sancti Officii devolutam voluerimus; ad praecavendas dubitationes quascumque quae exconcessionibushac in materia aliter quam per praefatam Sacram Congregationem forte obtentis facile oriri possent, utque omnibus plane constet de earumdem authenticitate et efficacia, Suprema Nostra Auctoritate, motu proprio atque ex certa scientia, declaramus ac decernimus:

1.° Indulgentias quascumque, sive generales sive particulares, quae non respiciant ipsas personas petentium tantum, a supradicta Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii esse recognoscendas;

2.° Idem dicendum de facultatibus concessis quibusvis sacerdotibus cuiuscumque gradus et dignitatis benedicendi pia obiecta eisque adnectendi indulgentias et privilegia pro quocumque vel quibuscumque christifidelibus;

3.° Concessionem indulgentiarum et facultatum, de quibus supra, vim habere tantum postquam Sacra Congregatio Sancti Officii illas authentice recognoverit;

4.° **Quoad praeteritas, demum, confessiones, eas efficaciam tantum habituras, si intra sex menses ab huius Nostri Decreti publicatione eidem Sacrae Congregationi exhibitae ab eaque recognitae fuerint;**

5.° **Idcirco impetrantes posthac huiusmodi concessiones teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earumdem dictae Supremae Sacrae Sancti Officii Congregationi exhibere, ut rite recognosci ac ratae haberi possint.**

Haec edicimus, declaramus, sancimus, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VII **Aprilis** MCMX, **Pontificatus Nostri anno septimo.**

PIUS PP. X.

LITTERAE APOSTOLICAE

CONCEDITUR INDULGENTIA PARTIALIS PERPETUA PRO INSULARUM PHILIPPINARUM FIDELIBUS RECITANTIBUS ORATIONEM IN HONOREM B. M. VIRGINIS IMMACULATAE.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae ad fidei pietatique praesertim in longinquis regionibus satius consulendum pertinent, quaeque Nobis sacri Antistites proponunt, utpote qui dominici sui cuique commissi gregis necessitates exploratas habeant, eisque summa ope prospiciant, Nos, pro altissimo officio Nostro libenti quidem animo concedimus atque impertimus. Cum vero Venerabiles Fratres Apostolicus Delegatus in Insulis Philippinis extraordinarius, Archiepiscopus de Manila et Episcopi Insularum Philippinarum, in prima Synodo provinciali Manilana congregatio enixe a Nobis petierint, ut indulgentiam septem annorum largiri dignaremur fidelibus universis earumdem Insularum Philippinarum vel in his commorantibus, qui infrascriptam orationem in honorem SS. Trinitatis, divini Iesu Cordis, Deiparae Virginis Immaculatae et S. Ioseph devote recitaverint, Nos vi precationum maxime freti, piis loculentisque huiusmodi votis, quantum in Domino possumus, censuimus obsecundandum.

Quare omnibus ac singulis utriusque sexus Christifidelibus Insularum Philippinarum, vel in Insulis Philippinis commorantibus, si corde saltem contrito, quae sequuntur preces, quocumque idiomate ad verbum pronunciaverint, septem annos de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. Preces hae sunt:

« Gratiarum actio et petitio pro fidelibus et populis Insularum Philippinarum. Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto in saecula saeculorum. Amen. Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde confitemur, laudamus atque benedicimus: Tibi gloria in saecula: Tibi gratias in aeternum: confirma hoc Deus quod operatus est in Nobis; salva nos et populos nostros. Sit laus divino Cordi, per quod Nobis porta salus. Ipsi gloria et honor in saecula. Cor Iesu sacratissimum, o Cor, voluptas caelitum, Cor fida spes mortalium, Tui sumus, Tui esse volumus, salva nos et populos nostros: reconde nos in dulcissimo habitaculo caritatis tuae. Suavis enim es, Domine, et in aeternum misericordia tua. Parce igitur, o Cor Iesu suavissimum, parce civitati nostrae, quae in fide Ecclesiae tuae enutrita, verae fidei thesaurum, Te auctore, mirabiliter servavit, et contra omnis generis insidias custodivit. Suscipe ergo, o Cor Iesu sacratissimum, gratiarum actiones Cleri et populi Insularum Philippinarum, quae in abundantia beneficiorum tuorum salvae factae sunt. O Beatissima Virgo Maria, ab originali labe praeservata, peramantissima Insularum Philippinarum Patrona potentissima, sit Tibi etiam laus perennis, veneratio sempiterna et gratiarum actio in Christo Iesu. O Immaculata Mater nostra, o benignissima Mater nostra, o dulcissima et augustissima Regina nostra, misericordias tuas grato animo decantamus, sub tuum praesidium confugimus. O Domina, quae rapis corda hominum dulcore, Tu rapuisti cor nostrum, Tu rapuisti corda populorum nostrorum, Tu primitias fidei nostrae, benignissimo patrocinio tuo in tot pietatis tuae monumentis per universas regiones nostras obfirmasti, amplificasti et confirmasti. O Domina, o Mater nostra, quae serpentis caput virgineo pede contrivisti, libera populos nostros a venenatis impiorum et haereticorum iaculis. Tu quae Nutrix fuisti atque Educatrix populorum nostrorum in fide dilectissimi Filii tui, Tutrix etiam, Vindex et Propugnaculum esto. Tui sumus, Tui esse volumus, monstra te esse Matrem et Patronam nostram, custodi nos, salva nos potentissimis precibus tuis. Ioseph sanctissime, Deiparae Sponse castis-

sime, qui Insulis Philippinis Protector semper extitisti dilectissimus, Tibi laus et veneratio in Christo Iesu. Virginum Custos, quem laeta celebrant agmina coelitum, quem cuncti resonant Christiadum chori, intercede pro nobis, suscipe corda nostra, dulcissimo Cordi Sponsae tuae Immaculatae perpetua donatione dicanda, donanda, tradenda. Amen ».

In contrarium non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, die iv Martii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. *yfa* S. *a Secretis Status.*

EPISTOLA

AD R. P. D. IOACHIMUM CANTAGALLI, FAVENTINORUM EPISCOPUM, QUINTUM ET VICESIMUM ANNUM AB ADEPTA FAVENTINA SEDE PERAGENTEM, GRATULATIONIS ERGO.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Novimus te Sacerdotem pium iisdemque perpolitum litteris quae te a pueritia maxime delectarunt, et iure optimo probavimus; novimus Episcopum dominici gregis amantissimum et hunc prudentia regiminis et auctoritate virtutum naviter diligenterque pascentem, teque dileximus et tulimus in oculis; novimus autem nuper te, exacto sexagesimo Sacerdotii natali, aetate gravem, graviorem meritis, peragentem annum quintum et vicesimum |ab adepta Faventina Sede, perfunctum iam laudabiliter Calliensi et Pergulano Pontificatu, et magnopere laetamur atque ex animo gratulantes fausta quaeque ab Omnipotente Deo, bonorum omnium largitore, tibi enixe adprecamur. Ne quid vero desit Nostrae in te pietati, officiis hisce Apostolicam libenter addimus Benedictionem, qua cum tibi, Venerabilis Frater, tum universae tuae ditionis Clero populoque coelestium gratiarum opes suppliciter contendimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xv Martii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

i.

DE COMPETENTIA CONCEDENDI FACULTATEM CELEBRANDI TRES MISSAS NATIVITATIS DOMINI IN SACELLIS PUBLICIS ET ECCLESIIS.

Proposito dubio « utrum post Constit. *Sapienti Consilio* spectet ad S. Congr, de disciplina Sacramentorum concedere facultatem legendi tres Missas Nativitatis Domini, noctu, in sacellis publicis et Ecclesiis, quae ad hoc privilegio apostolico indigent, cum distributione SSmae Eucharistiae; an potius hoc tribuendum sit Sacrorum Rituum Congregationi » Emi Patres sacrae Congregationi Consistoriali praepositi, re mature considerata, respondendum censuerunt: « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ».

In audientia autem infrascripto Card. Secretario die 11 martii 1910 concessa, SSmus D. N. resolutionem ratam habuit et confirmavit.

Die 14 Martii 1910. ^

C. CARD. DE LAI, *Secret.*

L. © S.

Scipio Tecchi, *Adsessor.*

II.

DE COMPETENTIA CONCEDENDI FACULTATEM ACQUIRENDI BONA ORDINIBUS AUT CONGREGATIONIBUS RELIGIOSIS USURPATA.

Sacra Congregatio Concilii, cum ipsi oblatae essent preces a Vicario Capitulari cuiusdam dioecesis circa emptionem aedificii Ordinis Regularis, cui a gubernio civili iamdudum ablatum fuerat, huic Sacrae Congregationi Consistoriali proposuit dubium « utrum, post Constitutionem *Sapienti Consilio,* spectet ad S. C. Concilii, vel potius ad S. C. de disciplina Religiosorum, facultas permittendi christifidelibus, ut bona acquirant Ordinibus aut Congregationibus religiosis usurpata ».

Re autem mature perpensa et praehabito consultorum voto, Emi Patres respondendum censuerunt: « spectare ad Sacram Congregationem « Concilii ».

In audientia autem die 11 martii 1910 infrascripto Cardinalis Secretario concessa, SSmus D. N. resolutionem probavit.

Die 14 Martii 1910.

C. CARD. DE LAI, *Secret.*

L. % S.

Scipio Tecchi, *Adsessor.*

III.

ROMANA

CIRCA SOCIETATEM MISSIONARIORUM AFRICAE.

Quaesitum nuper est a Superiore Societatis Missionariorum Africae, vulgo « Pères Blancs » nuncupatorum, utrum haec Societas etiam post Constit. *Sapienti Consilio* subiecta maneat S. Congregationi de Propa¬paganda Fide.

Et S. Congr. Consistorialis, re mature perpensa, respondendum censuit: *Affirmative,* iuxta resolutionem huius S. Congreg. in *Romana,* diei 9 Decembris 1909, relate ad quasdam alias Missionariorum societates.

Die 15 Martii 1910.

Carolus Perosi, *Substitutus.*

IV.

NOMINATIONESEPISCOPORUM:

Decreto S. Congr. Consistorialis nominati sunt:

21 martii 1910. — R. P. Iosephus Gregorius Castro, Ordinis Fratrum Minorum, Praeses residentiae Ayacuquensis ad Ecclesiam cathedralem Cuschensem (Cuzsco) in Peruviana republica.

21 martii 1910. — R. D. Franciscus de Paula Grozo, parochus S. Catharinae in civitate Cajamarca, ad Ecclesiam cathedralem de Caja¬marca in Peruviana republica. ,

21 martii 1910. — R. D. Carolus Garcia Irigoyen, canonicus metro¬politanae ecclesiae Limanae, ad cathedralem Ecclesiam de Truxillo (Trujillo) in republica Peruviana. **

28 martii 1910. — R. P. Tiburtius Hajdu, 0. S. B., confirmatus est Archiabbas S. Martini in sacro monte Pannoniae (S. Martino di Monte Pannonia).

1 aprilis 1910. — Rmus D. Petrus La Fontaine, episcopus Cassanensis (Cassano all'Ionio), ad Ecclesiam titularem episcopalem Charystiensem (Caristo).

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

I.

EX AUDIENTIA SSMI

diei 5 Aprilis 1910.

DECLARATIONES CIRCA DECRETUM " ECCLESIA CHRISTI ", EDITUM DIE 7 SEPTEMBRIS 1909 " DE QUIBUSDAM POSTULANTIBUS IN RELIGIOSAS FAMILIAS NON ADMITTENDIS ".

Circa Decretum *Ecclesia Christi* d. d. 7 Septembris 1909 *De quibusdam Postulantibus in Religiosas Familias non admittendis,* ab hac Sacra Congregatione Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, sequentium dubiorum solutio expetita fuit:

I. An postulantes ad Novitiatum admissi ante publicationem decreti et in ipso comprehensi, valide ad professionem admitti queant, absque venia Apostolicae Sedis.

II. An ii, qui in aliqua Familia Religiosa primam tantum professionem emiserant ante publicationem decreti, valide admitti possint ad alteram professionem, scilicet solemnem in Ordinibus Regularibus, et perpetuam in ceteris Institutis, si in decreto comprehensi fuerint.

III. An valide et licite ad Novitiatum admitti possint postulantes, qui a Seminariis vel a Collegiis sive ecclesiasticis sive religiosis, vel a Novitiatu dimissi quidem non fuerunt *formaliter,* sed *aequivalenter,* id est, quos Superiores induxerunt vel hortati sunt, ut sponte discederent ne dimitterentur.

IV. An recipi valeant ii, qui professionem votorum temporaneorum in aliqua Congregatione emiserunt, sed, peracto tempore, eamdem sponte non renovarunt.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X respondendum mandavit:

Ad I. Negative.

. Ad II. Affirmative; sed Superiores sub gravi obligatione tenentur: *a)* opportunas, secretas iuratasque informationes exquirere Superiorum Seminarii, vel Collegii, vel Instituti religiosi *a quo,* circa veras causas exitus alumnorum, de quibus agitur; *b)* moraliter aliunde certos fieri et de bonis eorum religiosis moribus, et de solidae vocationis argumentis, et, si agatur de clericis candidatis, etiam de idoneitate litteraria. Et Superiores *a quo,* graviter onerata eorum conscientia, tenentur sincere et sub iuramento secretas huiusmodi informationes a Superioribus *ad quos* exquisitas transmittere.

Ad III. Valide quidem per se, sed omnino illicite. Et ad fraudes vel abusus e medio tollendos in re tanti momenti, Superiores nullum ex huiusmodi candidatis admittant, antequam per accuratas et secretas informationes a Moderatoribus Seminariorum, vel Collegiorum ecclesiasticorum sive religiosorum, vel religiosi Instituti, in quo novitii fuerunt, sub fide iuramenti habitas, certi omnino fuerint, candidatos, de quibus agitur, neque formaliter dimissos fuisse, neque aequivalenter. Quod si de candidatis clericis agatur, pariter constare debet de eorum idoneitate litteraria.

Ad IV. Affirmative, praehabitis tamen iuratis informationibus, ut supra, in responsione ad II et III.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Fr. J. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

L. © S.

D. L. Janssens, 0. S. B., *Secretarius.*

II.

EX AUDIENTIA SSMI

diei 5 Aprilis 1910.

DECLARATIO ET EXTENSIO DECRETI " QUUM MINORIS "

DIE 15 IUNII 1909 EDITI.

Quum in aliquibus Congregationibus et Institutis Religiosis non habeatur professio votorum perpetuorum, sed tantum vel temporalium, vel etiam merum iuramentum perseverantiae, aut peculiares quaedam promissiones, quibus alumni, peracta probatione, Instituto vel Congre-

gationi ligantur; et quum decretum Sacrae Congregationis de Religiosis d. d. 15 Iunii 1909, quo nonnullae praescribuntur clausulae, Rescriptis saecularizationis perpetuae vel temporaneae ac dispensationis votorum inserendae, expresse respiciat sacerdotes et clericos, in sacris constitutos, qui professionem votorum perpetuorum emiserunt; hinc dubium exortum est, utrum eisdem clausulis servandis teneantur sacerdotes et clerici in sacris constituti, qui non quidem professionem votorum perpetuorum, sed vel temporalium tantum, vel iuramentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones, ad normam suarum Constitutionum, ediderant et ab eisdem dispensationem obtineant.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X respondendum mandavit:

Affirmative, si Religiosi votis temporaneis, vel iuramento perseverantiae vel supradictis promissionibus per sex integros annos ligati fuerint.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Fr. J. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

h. PB s.

I). L. Janssens O. S. B., *Secretarius.*

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

Brevi Apostolico nominati sunt:

8 Ianuarii 1910. — Rmus P. Bernardinus Slaku, Ordinis Fratrum Minorum, Episcopus tit. Tiberien. et Coadiutor cum futura successione Rmi D. Episcopi Pulatensis (Pulati) in Albania.

15 Februarii 1910. — Rmus P. Eugenius Massi, Ordinis Fratrum Minorum, Episcopus tit. Ioppensis et Vicarius Apostolicus de Scian-si Sept. in Sinis.

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

ORDINIS FRATRUM MINORUM
SEU
CUSTODIAE TERRAE SANCTAE

SANCTUARIO GETHSEMANI IN TERRA SANCTA CONCEDITUR MISSA VOTIVA DE ASSUMPTIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS.

Frater Robertus Razzoli, Ordinis Fratrum Minorum Sacerdos et Sanctorum Palaestinae Locorum Custos, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X humillime exposuit quod a Summo Pontifice Pio Papa IX per decretum Sacr. Rit. Congregationis sub die 31 Augusti 1865, in una *Ordinis Minorum Sancti Francisci,* inter Missas votivas in Sanctuariis sic vocatis maioris ordinis seu classis, reperitur indulta: *IX. Super Sepulchrum Beatae Mariae Virginis in Valle Iosaphat; Missa votiva de Assumptione Beatae Mariae Virginis.* Tunc utique temporis spes effulserat, nondum penitus amissa, ne in praesenti quidem tempore, ut hoc celeberrimum atque Sanctissimum Deiparae Monumentum, saeculo XVIII a schismaticis in Catholicorum iniuriam violenter ereptum, vel uti exclusivam vel uti saltem cum acatholicis communem proprietatem, iidem Catholicae Ecclesiae filii possent Divinis Officiis ac praesertim Missae celebratione iterum frequentare. Attamen, quamvis a mane ad vesperam liberum omnino sit omnibus ac singulis fidelibus Christi ipsum Beatae Mariae Virginis Sepulchrum invisere, ibique Indulgentiam Plenariam *toties quoties* acquirere a Sede Apostolica concessam atque eidem Sacro Loco firmatam, Sacerdotes illic nequeunt ac praesertim peregrini, prouti avidius usque ad explendam suam devotionem alioquin optarent, Missam ulla hucusque ratione celebrare. Itaque, ut ingeminatis Sacerdotum piorumque fidelium votis fiat satis, idem humilis Orator, enixe postulat, ut Missa votiva de Assumptione Beatae Mariae Virginis, concessa per decretum die 31 Augusti anno 1865 editum, et prouti ea legitur in Missali votivo in Terrae Sanctae locis adhibito atque anno 1898 Hierosolymis edito, ab omnibus ac singulis Sacerdotibus dici valeat in continenti Sanctuario Gethsemani seu Cappella publica, quae parvo lapideo spatio disiungitur a Sepulchro ipso Beatae Mariae Virginis in eodem Gethse-

mani fundo, usquedum Sanctuarium istud ex acatholicorum utcumque manibus redimatur. Sanctitas porro Sua his precibus Rmi Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum commendationis officio communitis et ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatis, attentis expositis peculiaribus circumstantiis, iisque perdurantibus, expetitam Missam votivam de Assumptione Beatae Mariae Virginis ab omnibus et singulis Sacerdotibus celebrari in enunciata Cappella publica seu Sanctuario Gethsemani benigne concessit cum iisdem privilegiis, quae Sanctuario Sepulchri Beatae Mariae Virginis iuxta suum gradum atque ordinem competerent; servatis Rubricis ceterisque servandis. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Die 9 Martii 1910.

FR. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

Philippus Can. Di Fava, *Substitutus.*

II.

ASTURICEN. *(Astorga).*

DUBIA CIRCA QUASDAM CONSUETUDINES
IN ECCLESIA CATHEDRALI ASTURICENSI VIGENTES.

R. D. Antonius Fernandez Nistal, hodiernus Caeremoniarum Magister Ecclesiae Cathedralis Asturicensis, de sui Rmi Dñi Episcopi mandato, Sacrae Rituum Congregationi humillime quae sequuntur proposuit dubia; nimirum:

I. A priscis iam inde temporibus viget in Ecclesia Cathedrali Asturicensi consuetudo solemniter benedicendi Fontem Baptismalem in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes; sed cum nulla sit in ea Parochia nec Parochus proprium habens territorium, absoluta Fontis benedictione, effunditur aqua in piscinam.

II. In Dominicis aliisque Festis solemnioribus Ceroferarii, dum canitur Evangelium a Diacono, non se sistunt a lateribus Subdiaconi, sed a lateribus Clerici, qui in cornu Epistolae et versus ipsum Subdiaconum sustinet Crucem Processionalem.

III. Ex immemorabili consuetudine Canonicus hebdomadarius manet omnibus diebus ad Vesperas, Festis, solemnioribus exceptis, in habitu chorali usque ad Canticum *Magnificat,* quo inchoato, medius inter duos Beneficiatus discedit in Sacrarium et, assumpto ibi Pluviali, revertitur

in chorum, cantat Orationem vel Orationes Officii, et, quin dimittat Pluviale, facit Officium ad Completorium usque ad primum versum primi Psalmi, quo incoepto, iterum discedit in Sacrarium et, deposito Pluviali, revertitur in chorum, ut absolvat Completorium.

Quaeritur: An praedictae consuetudines sint continuandae, vel saltem tolerendae ?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad L II. et III. prouti exponitur, *negative.*

Atque ita rescripsit, die 16 Martii 1910.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. © S .

Philippus Can. di Fava, *Substitutus.*

III.

MELITEN. *(Malta).*

DE QUIBUSDAM IN ORDINE PRAEDICATORUM CONSUETUDINIBUS.

R. D. Emmanuel Vassallo, Magister Caeremoniarum Dioeceseos Melitensis, de consensu Rmi sui Ordinarii, Sacrorum Rituum Congregationi haec quae sequuntur dubia exposuit; scilicet:

I. An Fratres Ordinis Praedicatorum teneantur genuflectere coram Episcopo dioecesano, dum in eorum Ecclesiis assistit ad sacras functiones ?

II. An decretum S. R. C. n. 3874 *Meliten.* 30 Novembris 1895, vi cuius iidem Fratres Ordinis Praedicatorum possunt in processionibus Crucifixi imaginem ad se conversam tenere, habeat locum etiam in processionibus in quibus intervenit Episcopus dioecesanus ?

III. An liceat Praelatis Regularibus privilegium habentibus, uti palmatoria, quando celebrant coram Episcopo dioecesano ?

IV. An cui tenentur ad processiones Litaniarum S. Marci videlicet et Rogationum, possint, processione peracta, relinquere Ecclesiam; vel debeant expectare donec celebrans preces post Litanias dicendas concludat?

Et Sacra eadem Congregatio, audita informatione Rmi P. Procuratoris Generalis Ordinis Praedicatorum, et exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus accurato examine perpensis, quaestionibus propositis ita respondendum censuit:

Ad I. Quum in ritu Ordinis Praedicatorum ministri et clerus infe¬rior non genuflectant ad Crucem, sed caput profunde inclinent, neque ad Episcopum dioecesanum in casu genuflectere debent.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative, dummodo tamen Episcopus non assistat throno.

. Ad IV. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, et consuetudinem contrariam esse eliminandam.

Atque ita rescripsit, die 9 Aprilis 1910.

Fr. S. CARD. MARTINELLI,. *S. B. C. Praefectus.*

L. © S.

Ph. Can. di Fava, *Substitutus.*

SACRA ROMANA ROTA

GAUDISIEN. *(Gozo).*

UNIONIS ET ADMINISTRATIONIS.

Pio PP. X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno septimo, die 10 Ianuarii 1910, BR. PP. DD. Gulielmus Sebastianelli, Seraphinus Many et Franciscus Heiner, Ponens, *Auditores de turno, in causa* Gaudisiensi - Unionis et Administrationis - *inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis Gaudisiensis, repraesentatum per legitimum procuratorem N. Ferrata advocatum, et Clerum ac Archipresbyterum Ven. Ecclesiae S. Georgii, repraesentatum per legitimum procuratorem F. Solieri advocatum, sequentem tulerunt sententiam.*

Anno 1688, die 27 Aprilis, per decretum Episcopi Melevitani Cocco¬Palmerii, a parochiali Ecclesia collegiata sub titulo B. M. V. sideribus receptae in insula Gaudisiensi (Gozo) sita, et serius in Ecclesiam cathedralem erecta, quatuor regiones cum Ecclesiis filialibus propter earum distantiam dismembratae et in proprias parochias erectae fuerunt.

Ut autem hoc damnum dismembratione praefatae Ecclesiae allatum repararetur, eidem per dictum decretum Episcopi Melevitani unita est contigua Ecclesia parochialis S. Georgii. En verba decreti ad rem spe¬ctantia: «Et ne per huiusmodi dismembrationem sive verius disiun-

ctionem, separationem et divisionem.... ipsa Matrix Ecclesia collegiata eiusque Archipresbyteratus detrimentum aliquod patiatur.... loco ipsarum quatuor regionum, sive contradarum in parochias sic noviter erectarum postquam praefata Ecclesia parochialis S. Georgii per cessum, sive decessum actualis eius parochi, vel aliter quomodocumque et qualitercumque vacaverit, et nunc pro tunc eamdem Parochialem S. Georgii, Parochialitatis statu tamen prout in praesentiarum reperitur firmo semper remanente, eoque minime suppresso, nec immutato, unico contextu eidem Archipresbyteratui Matris Ecclesiae unimus, sive verius subrogamus, ac subiicimus curae, gubernio, rectoratui, regimini hodierni Reverendi Archipresbyteri, eiusque successorum in perpetuum et cunctis futuris temporibus cum omnibus eius Parochianis, attinentiis, proventibus, altarium Ecclesiae praedictae festivitatibus, juribus sepulturarum aliisque emolumentis universis, et singulis ad eamdem Ecclesiam Parochialem S. Georgii spectantibus, exceptis.... et pro unita, seu verius subrogata, et subiecta in perpetuum esse volumus et mandamus, ad instar Parochialis Ecclesiae S. Pauli A. extra moenia Civitatis Notabilis insulae Melitae curae, gubernio, rectoratui, et regimini admodum Reverendi Archipresbyteri nostrae Cathedralis Ecclesiae subiectae.... ».

Haec unio per beneplacitum Apostolicum ex Rescripto S. C. C. sub die 26 Maii 1689 confirmata est.

Cum anno 1864 Pius IX per bullam « *Singulari amore* » insulam Gaudisiensem in novam dioecesim erexerit, dicta Ecclesia collegiata in cathedralem evecta est, sed quoad factam unionem Ecclesiae S. Georgii in eadem nihil novi constitutum fuit, ita ut prior status permanserit usque ad annum 1895, quo Clerus Ecclesiae S. Georgii tractare coepit cum Abbate Generali Capituli regularis Lateranensis, ut in praefata Ecclesia institueretur Collegium honorarium canonicorum Lateranensium et Ecclesia ipsa ad dignitatem Ecclesiae collegiatae elevaretur. Quamvis autem Abbas Generalis precibus cleri - servatis servandis - annuisset et etiam Episcopus Gaudisiensis consensum praebuisset, Capitulum cathedrale acriter sese opposuit postulatis cleri S. Georgii, contendens, fieri non posse, propositam institutionem sine consensu ipsius Capituli.

Re delata ad Curiam episcopalem, Episcopus, postquam tota causa a duobus suis delegatis discussa fuit, protestationes omnes Capituli non solum reiecit, sed et per decretum die 13 Novembris 1901 erectioni Collegii canonicorum in Ecclesia parochiali S. Georgii nihil obstare declaravit. Verba Decreti sunt haec: « Attentis relatis declaramus nihil

obstare, quin Collegium honorarium canonicorum Lateranensium erigatur in Ecclesia parochiali Divi Georgii M. huius civitatis Victoriae. Ideoque consensum Nostrum praebemus, ut perficiatur erectio de qua in precibus ».

Huic rescripto Episcopi Capitulum se opposuit et detulit totam causam ad S. Congregationem Concilii, excipiens quod unio Ecclesiae S. Georgii cum Ecclesia cathedrali minus principaliter facta fuisset et proinde necessarius esset consensus Capituli cathedralis pro erectione Ecclesiae S. Georgii ad Ecclesiam collegiatam, dum e contra clerus Ecclesiae S. Georgii per multa argumenta contendit, unionem duarum Ecclesiarum esse aeque principalem.

Quare per procuratores ambarum partium sequentia dubia apud S. Congregationem Concilii proposita sunt:

1. An constet de unione aeque principali vel minus principali inter Ecclesiam parochialem S. Georgii et Ecclesiam parochialem et cathedralem Gaudisiensem in casu ?

% An Decretum Episcopi Gaudisiensis die 13 Novembris 1901 sustineatur in casu ?

S. Congregatio sub die 29 Iulii 1905 unicum dedit responsum ad duas quaestiones seu rescripsit: « Attentis omnibus, locum non esse erectioni « Capituli regularis Lateranensis ad honorem in Ecclesia S. Georgii ».

Sed huic decisioni partes contendentes non acquieverunt. Clerus Ecclesiae S. Georgii petiit beneficium novae audientiae, ut S. Congregatio decideret, an Ecclesia S. Georgii sit unita cathedrali aeque vel minus principaliter. At S: Congregatio sub die 23Augusti 1905 iterum rescripsit:

« Non esse respondendum et partes acquiescant, idque notificetur « Episcopo, qui hac de re sacerdotes suos opportune ac graviter moneat, « ut a similibus contentionibus abstineant ».

Non obstante hac stricta monitione prosequebantur ambae partes inter se disputare de natura unionis; quare S. Congregatio Concilii precibus annuens statuit rem disceptare de novo, remisit autem causam sub die 19 Novembris 1908 ex mandato expresso Summi Pontificis ad recenter restauratam S. R. Rotam, in quo tribunali haec duo dubia concordata sunt:

1. « *An unio inter Ecclesiam cathedralem insulae Gaudisii et Ecclesiam S. Georgii eiusdem civitatis sit aeque principalis vel minus principalis seu subiectiva ?* »

2. « *Cui competit ius administrationis praedictae Ecclesiae S. Georgii?* »

Quoad primum dubium RR. PP. censuerunt, constare de unione minus principali seu subiectiva inter Ecclesiam cathedralem insulae Gau-

disii et Ecclesiam S. Georgii eiusdem civitatis, ita ut haec illi tamquam accessoria seu filialis Ecclesia subordinata sit.

Praemittendum est, effectum unionis accessoriae non esse, uti aliqui incorrecte docent, exstinctionem ac suppressionem nominis et tituli Ecclesiae unitae; imo et bona huiusmodi Ecclesiae in suo statu separato conservanda esse ita ut confundi non debeant cum bonis Ecclesiae principalis. Siquidem hoc conditioni vel statui Ecclesiae unitae accessoriae contradicit, cum notio huiusmodi Ecclesiae praesupponat obiectum separatae existentiae; aliter non esset unio sed plena exstinctio. An in tali unione duarum Ecclesiarum, Ecclesia unita qua talis uti separata existere maneat et parochus Ecclesiae matricis in ea omnes, uti in casu, vel tantum singulas functiones parochiales sive per se sive per vicarios pro incolis filialibus adimplere debeat, hoc Episcopus in Decreto unionis distincte determinabit. Quod si deficit haec ordinatio, praesumendum est, curam animarum in suo complexu in tali Ecclesia filiali uti antea exercendam esse, quia officia spiritualia unitae Ecclesiae per dictam unionem non minuuntur.

Ita et Ecclesia S. Georgii ex voluntate Episcopi Cocco-Palmerii in decreto erectionis munera parochialia expresse retinebat seu « *firmo semper Parochialitatis statu* » prout reperiebatur, quamvis « *omnes eius parochiani, attinentia, proventus, altarium Ecclesiae praedictae festivitates, iura sepulturarum aliaque emolumenta universa et singula ad eamdem Ecclesiam parochialem S. Georgii spectantia Archipresbyteratui* » unita fuerint.

Quod autem haec unio modo subiectivo facta fuerit vel aeque principali, est verius quaestio historica quam iuris positivi, et dependet in casibus singulis sive a documentis fundationis sive ab observantiis vel consuetudinibus cuiuscumque Ecclesiae. Discutiendum est igitur in casu instrumentum unionis Ecclesiae S. Georgii cum Ecclesia collegiata per Episcopum Cocco-Palmerium confectum. Ad cognoscendam in eo naturam seu speciem huius unionis sunt iuxta iurisprudentiam in primis *formulae*, quibus unio facta est, inspiciendae. In casu Episcopus in unionis decreto parochiae S. Georgii et Ecclesiae collegiatae seu archipresbyteralis utitur his verbis.... « *eamdem parochiam S. Georgii,.... eidem Archipresbyteratu matris Ecclesiae unimus, sive verius subrogamus ac subiicimus curae.... et pro unita, seu verius subrogata et subiecta in perpetuum esse volumus et mandamus ad instar parochialis Ecclesiae S. Pauli A. extra moenia Civitatis Notabilis insulae Melitae curae, gubernio, rectoratui et regimini Admodum Reverendi Archipresbyteri nostrae cathedralis Ecclesiae subiectae....* ».

Regula prima interpretationis legum ac rescriptorum est verba accipere iuxta propriam significationem et communem iurisprudentiae usum. Si igitur dicatur in unionis instrumento: « *Unimus Ecclesiam S. Georgii Archipresbyteratu* », hac locutione clare exprimitur Episcopum voluisse parochiam S. Georgii vere subordinare Archipresbyteratui; aliter dictum esset: unimus Ecclesiam S. Georgii *et* Archipresbyteratum vel *cum* Archipresbyteratu. Casus dativus satis significat unam partem subiici alteri. Hic sensus firmatur per verba: « *sive verius.... subiicimus* », quae locutio nihil aliud exprimere potest quam Ecclesiam S. Georgii *subiectam* fuisse Archipresbyteratui Ecclesiae collegiatae. Idem roboratur per verba: « *subrogamus* » vel « *necnon matrici Ecclesiae eiusque Archipresbyteratui vicinam parochialem S. Georgii unire seu verius loco quatuor regionum subrogare ac subiicere excogitavimus atque deliberavimus* », sicut etiam ex verbis: « *ne Ecclesia matrix collegiata eiusque Archipresbyteratus detrimentum patiatur loco quatuor regionum dismembratarum vicinam Ecclesiam S. Georgii unire, subrogare ac subiicere decrevimus* ». Respicienda est praecipue appositio: subrogamus « *loco* » ipsarum quatuor regionum, quarum Ecclesiae erant vere filiales, ergo vere subiectae et subordinatae Ecclesiae collegiatae. Cum autem « *loco* » harum Ecclesiarum subrogatur Ecclesia S. Georgii, haec per consequens reponitur in eadem conditione subiectiva, in qua illae existebant. Idem apparet ex comparatione unionis Ecclesiae S. Pauli cum Ecclesia cathedrali in insula Melitensi, nam notio « *ad instar* » nihil aliud exprimere potest quam: Ecclesiam S. Georgii unitam esse Ecclesiae collegiatae *eodem modo* quo Ecclesiam S. Pauli constat esse coniunctam cum Ecclesia cathedrali Melitensi. Quod autem haec unita illi fuerit unione minus principali seu accessoria, patet ex relatione ad limina Episcopi Cocco-Palmerii anno 1714:

« Accessit Episcopus ad Ecclesiam parochialem sub titulo divi Pauli « Apostoli, quae est in perpetuum unita dignitati Archipresbyteratus dictae « Cathedralis. Haec Ecclesia non constituit parochiam ex se, bene tamen « semper una et eadem cum cathedrali fuit habita.... Ex quo Archipre- « sbyter est utriusque Ecclesiae Rector ».

Ut definiatur an unio in casu sit minus aut aeque principalis, inspiciendae sunt etiam *collationes* Archipresbyteratus Ecclesiae collegiatae, prout S. Rota (in Melev. *Benef. 11 Dec. 1690* coram Caccia) docet: « *collationes attendi debent ad dignoscendam qualitatem beneficiorum* ». Profecto in omnibus bullis collationis dicti Archipresbyteratus sive a S. Sede sive ab Episcopis expeditis *nunquam* facta est mentio Ecclesiae S. Georgii, quod omni iuri obstaret, si haec Ecclesia aeque principaliter unita fuisset.

Hoc ex doctrina eiusdem S. Rotae probatur adesse: « *unionem aeque principalem, cum sit facta mentio utriusque* ». Quia in nullo collationis instrumento nominatur Ecclesia S. Georgii, decidendum est de eius unione minus principali seu subiectiva iuxta principium iuris: « *de Ecclesia pedissequa non curatur, nec de ea expedit facere mentionem* ».

Porro notissimum est omnibus parochum duarum Ecclesiarum aeque principaliter unitarum duas missas diebus Dominicis et festivis de praecepto applicare pro populo utriusque parochiae sub gravi obligatum esse. In facto vero, uti ex protocollo visitationis Episcopi Rull anno 1760 eruitur, constat de *unius* tantum missae celebratione pro *utraque* Ecclesia. Ex hac unicitate missae concludendum est de parochiae unicitate, i. e. de subiectione Ecclesiae S. Georgii quoad Ecclesiam collegiatam.

Eodem modo Archipresbyteri Ecclesiae collegiatae obstricti essent recitare officium Titularis ac festum celebrare Dedicationis Ecclesiae S. Georgii sub ritu duplicis primae classis cum octava, si haec unita fuerit Ecclesiae collegiatae seu Archipresbyteratui aeque principaliter. At neque unum neque alterum revera factum est. De dicta obligatione non est dubitandum. Ita scribit A. Carpo in suo Kalendario perpetuo *(c. 2, n. 18): « Si quis Episcopus existat vel parochus duarum Ecclesia- « rum cathedralium vel Parochialium unitarum, recitare debet officium « sub ritu duplicis primae classis cum octava de ambarum Titulari (et « idem sentiendum de Dedicatione) (S. R. G. '5 Iul. 1698, et 6, 12 Se- « ptembris 1842* in Nucerina) ». « *Quod tamen vim obtinet, dummodo prae- « fata unio huiusmodi sit ut Episcopus vel Parochus unius sit etiam « seorsim Episcopus vel Parochus alterius, non autem si ex duabus cathe- « dralibus vel parochialibus facta fuerit una, quia tunc minime foret « Episcopus vel Parochus duarum ecclesiarum, sed unius dumtaxat* ».

Ex hac ratione subiectionis Clerus Ecclesiae S. Georgii in relationibus visitationum fere semper habetur uti appendix Cleri Ecclesiae collegiatae, sicut et idem clerus non propria cruce in processionibus utitur, sed sub cruce Ecclesiae collegiatae ex mandato Episcopi incedit. In ordinatione processuali Episcopi anno 1714 Ecclesia S. Georgii sub Ecclesiis parochialibus numquam nominatur, quinimo in litteris petitoriis populi Gaudisiensis ad Pontificem Gregorium XVI Ecclesia S. Georgii inter Ecclesias filiales enumeratur.

Praedictis omnibus adiicere praestat, hodiernum maioris Ecclesiae Archipresbyterum iurato testimonio, aliis omissis, haec declarasse: 1. ° pro omnibus parochialis sive matricis, sive intra veteres limites S. Georgii existentibus, indistincte unam tantum missam pro populo^

uti a nobis iam supra dictum est, celebrari; 2. ° semel pro omnibus indistincte in Ecclesia tantum S. Georgii Evangelium et catechismum explicari; 3. ° promulgationes omnes sive pro matrimoniis sive pro ordinibus, indistincte pro omnibus tum matricis tum Ecclesiae S. Georgii fieri tantum in hac postrema Ecclesia, et de omnibus indistincte promulgari *« qui ad hanc Ecclesiam pertinent»* sine distinctione duarum parochiarum.

Sed maioris momenti est pro approbanda unione subiectiva Ecclesiae S. Georgii, quod in relationibus visitationum Episcoporum ad Sedem Apostolicam, directis, ubi parochiae dioecesis enumerantur, de Ecclesia S. Georgii vel plerumque nulla fit mentio vel aliquoties etiam vice-parochialis dicitur. Ita Episcopus Cocco-Palmerius, qui *ante* unionem in sua relatione ad Sedem Apostolicam Ecclesiam S. Georgii enumerat inter parochias dioecesis, eamdem *post* unionem non commemorat, solum referens: «*in insula Gaudisii extat Castrum cum suburbio et aliis sex regionibus habitatis, una Ecclesia matrix atque Collegiata, et aliae sex parochiales, quarum quatuor ego erexi* ». Cum duae parochiae a suo antecessore conditae fuerint, quatuor autem ipse erexerat, Ecclesia S. Georgii ex numero parochiarum exclusa manet, et tamquam una eademque cum parochia Ecclesiae collegiatae ab ipso auctore unionis consideratur. Idem saepissime testantur aliae relationes ipsorum Episcoporum usque ad nostros dies. Eodem modo cum an. 1864 collatio Archipresbyteratus, erectionis novae dioecesis causa, ad tempus suspensa fuit, nulla mentio habita est de Ecclesia S. Georgii, quamvis in facto collatio huius quoque Ecclesiae esset suspensa, quod nullo modo omitti potuisset, si unionem aeque principaliter factam esse, auctoritatibus ecclesiasticis persuasum fuisset. Idem deducitur ex facultate Archipresbytero Ecclesiae collegiatae in decreto erectionis concessa, possessionem capiendi Ecclesiae S. Georgii, *« vacatione secuta per cessum sive decessum actualis eius parochi »*, nam decidit S. Rota (coram Muto Vicen. *parochialis seu Vicariae, 24 Nov. 1694)* ad hanc rem: « *accedit insuper in comprobationem huiusmodi subiectionis facultas concessa in dicto unionis instrumento, capiendi possessionem corporalem parochialis Ecclesiae, de qua agitur, quae talem unionem subiectivam ostendit ».*

Si posterius sine tali facultate fere omnes Archipresbyteri immissi sint in possessionem realem parochiae S. Georgii, id non est intelligendum de actu canonico verae immissionis in possessionem, sed tantum de actu exercitii iurisdictionis iam habitae. Eodem modo irrito conatu instrumenta et documenta proponuntur, in quibus Ecclesia S. Georgii parochialis nominatur. Quamvis vero saepissime vice-parochia dicatur, nil mirum quod aliqua Ecclesia etiam parochialis vocetur vel hoc nomen

retinuerit, etiamsi vera parochia non sit; quod saepissime contingit ex eo quod sacramenta ibi ministrantur et parochialia munera exercentur.

Pari modo probat unionis naturam subiectivam in casu facultas attributa Archipresbytero curam animarum exercendi in Ecclesia S. Georgii per vice-parochum ad nutum amovibilem uti docet et in hac re S. Rota (coram Millino, Bossanen. *Vicariae, 29 Apr. 1739): «Non omnis ac quaelibet unio ius tribuit deputandi Vicarium ad nutum amovibilem, sed solum plenaria et subiectiva ».*

Non obstat, quod in textu unionis Archipresbyter quandoque nominetur, ita ut ipsi potius videatur, tamquam privatae personae, unio esse peracta. Archipresbyter enim Ecclesiam habet nunquam ut privata persona, sed ut persona archipresbyteralis seu uti caput collegii.

Ita et Pignatelli *(tom. IX, Consult. 150, n. 3). « Nec dicas quod cura « animarum potius spectat ad Archipresbyterum vel ad aliam dignitatem. « Nam id recte procedit in illis Ecclesiis, in quibus presbyteri divina mini- « strantes non faciunt collegium, secus vero in Ecclesiis collegiatis, Prior » sive decanus, aliusve, est non uti parochus, sed uti caput collegii, seu uti « minister capituli et collegii* ». Ceterum reiicitur illa obiectio deducta ex formulis unionis instrumenti, ubi praeter Archipresbyterum vel Archipresbyteratum etiam « *Ecclesia matrix* » vel « *Ecclesia collegiata* » nominatur; quamobrem pro prima sententia nullum argumentum deduci posse RR. PP. Auditoribus visum est.

Perperam autem clerus S. Georgii ad ius suum tuendum ad citati decreti verba confugit, quibus statuitur *«parochialitatis statu tamen, « prout in praesentiarum reperitur, firmo semper remanente, eoque minime « suppresso, nec immutato ».*

Ex facta enim reservatione nonnisi consequitur quod unio non fuerit extinctiva et quod Ecclesiae unitae conservatus fuerit solus « *status* » parochialitatis. Quid autem sub statu parochialitatis iure nostro intelligatur, sat constat, cum nonnisi sacramenta administrandi ius comprehendat et munia parochialia exercendi; ea omnia nempe peragendi, quae Archipresbytero matris Ecclesiae per Decretum expresse commissum fuit seu « *in ea sacramenta omnia parochianis ministrare, « cetera omnia parochialia per seipsum sive per eius vice-parochum ab « Ordinario approbandum exercere ».*

Cum affertur igitur, pro unione aeque principali, reservatio huius parochialitatis status Ecclesiae S. Georgii, dici potius debet hanc reservationem probare contrarium, nam non fuisset revera necessarium reservare dictum parochialitatis statum, si Ecclesia S. Georgii aeque principaliter unita fuisset cum Ecclesia collegiata. Verba « *minime tamen*

«immutato» etc. solummodo eum sensum habere possunt: Ecclesia S. Georgii subiicitur quidem Ecclesiae collegiatae eiusque Archipresbyteratui, *attamen* non supprimitur, sed in suo statu parochialitatis remanere debet, ita ut, non obstante eius subiectione, in eadem sicut antea sacramenta administranda aliaeque functiones parochiales pro populo procurandae sint.

Neque pariter obstat, quod Capitulum non praestiterit suum a iure requisitum consensum, ut exinde concludatur unionem non factam Capitulo; nam contra dicendum est hunc consensum dedisse nomine Capituli solum Archipresbyterum, quod sufficit pro validitate actus uti et S. Rota decernit: « *Archipresbyterum contrahendo sub nomine dignitatis, « tamquam Capituli caput et nomine Ecclesiae contrahere censeri » (in rec. Tit. 1, part. 5, n. 7-8).* Ceterum subsecutus est de facto Capituli consensus, nam cum ageretur de executione decreti unionis in eius instrumento legitur, « *Viso decreto.... super erectionem quatuor parochialium « et super unionem parochialis S. Georgii .... Ecclesiae collegiatae eius « Archipresbyteratui..... Archipresbyterum in vacuam, liberam ac realem « et corporalem possessionem Ecclesiae parochialis S. Georgii nuper unitae « eidem Matrici collegiatae Ecclesiae committimus »*. Tandem defectus consensus, etsi adfuisset, per confirmationem sanatus est ex parte S. Congregationis Concilii sub die 5 Martii 1689, uti statim videndum est.

Unio equidem minus principalis roboratur per decretum S. Congregationis Concilii. Episcopus Cocco-Palmerius nempe timens ne dispositiones suae forsan obstare possent decreto Concilii Tridentini c. *19, sess. 24, de reform.*, prohibenti uniones Parochialium Cathedralibus seu collegiatis Ecclesiis, « *pro maiori robore dictae erectionis et* SUBIECTIONIS *respective, in vim praefatae reservationis supplicat pro illius approbatione, et quatenus opus sit, etiam pro assensu apostolico* ». Proponebatur igitur dictae Congregationi hoc dubium: « *An nova erectio dd. quatuor Parochialium et respective unio Ecclesiae parochialis Sancti Georgii Collegiatae et Archipresbyterali Ecclesiae Insulae Gaudisii sit confirmanda »*.

Ad hoc dubium S. Congregatio sub die 5 Martii 1689 respondit « *affirmative* ». In hac igitur decisione authentica seu suprema approbatione, S. Congregatio Concilii unionem approbat expressis verbis *subiectionem* nuncupatam, ita ut dicendum sit rem iudicatam haberi.

Ex his omnibus argumentis, aliis omissis, censuerunt RR. Patres constare de unione *subiectiva* seu *minus principali* Ecclesiae S. Georgii cum Ecclesia collegiata seu cathedrali Insulae Gaudisii.

Sed non obstante hac Ecclesiae S. Georgii unione subiectiva Eccle-

siae collegiatae seu cathedrali, competit ius administrationis praedictae Ecclesiae S. Georgii non Capitulo cathedrali, sed Episcopo una cum Archipresbytero Ecclesiae cathedralis. Residet quidem cura habitualis non modo Ecclesiae cathedralis, sed etiam eiusdem subiectae Ecclesiae S. Georgii penes capitulum, prout ex bulla Pii IX « *Singulari amore* » anni 1864 apparet, ubi expresse dicitur: « *animarum habitualis cura erit penes Capitulum; actualis vero ab Archipresbytero, prima Capituli dignitate exercenda est* », ita ut ex hoc proprie competeret dicto Capitulo etiam administratio bonorum eiusdem subiectae Ecclesiae S. Georgii. Hoc principium iuris pacificum est apud Canonistas. Attamen Capitulum ipsum sibi imputet, si praefatam administrationem tum ante erectionem Gaudisiensis dioecesis, tum post hanc peractam nunquam exercuit.

Constat enim, quousque insula Gaudisiensis dioecesi Melevitanae incorporata mansit, i. e. usque ad annum 1864, ob inductam consuetudinem, omnes Ecclesias a solo Episcopo una cum parochis per procuratores ab eo nominatos administratas fuisse, simulque cum illis ipsam etiam matricem et collegiatam Ecclesiam. Cum hoc ius administrationis ab eius Capitulo impugnatum fuerit, decidit S. Rota contra hoc tentamen: «*quoniam Episcopus reperitur in antiquissima consuetudine explendi administrationem bonorum ac redituum de quibus est quaestio . . . . haec enim antiquissima consuetudo debet pro lege servari praesertim in materia administrationis bonorum Ecclesiae, quae non ita iudicari valet in Capitulo aut alio quolibet inferiori, quin facile redire valeat ad Episcopum tamquam caput ac partem totius ecclesiae gubernationis* » (coram Emerix, Melevitan., 28 Novembris 1692).

Quod autem praedicto iure Episcopus Gaudisiensis gaudeat, roboratur ipso tenore bullae Pii IX « *Singulari amore* », qua nova fuit dioecesis erecta, per quam enim bullam tribuitur Episcopo facultas « *omnia et singula iura, officia, et munia episcopalia exercendi iuxta sacros canones et legitimam consuetudinem* ». Cum igitur Episcopus Melevitanus vi consuetudinis exerceret administrationem bonorum Ecclesiarum omnium suae dioecesis, idem ius, vi eiusdem consuetudinis, possidet successor eius in certa parte *eiusdem* dioecesis a Pio IX in propriam dioecesim erecta. Siquidem hic est una eademque persona moralis seu iuridica cum antecessore suo in tota dioecesi, ita ut omnia iura ab hoc ad illum transierint.

Ex quo sequitur, tempore erectionis novae dioecesis Gaudisiensis anno 1864, Episcopum iam in possessione legitima administrationis fuisse, quam adhuc una cum Archipresbytero per procuratores quoad bona Ecclesiae S. Georgii exercuit usque ad hunc diem et quidem

semper sine contradictione Capituli Ecclesiae cathedralis. Quomodocumque igitur torqueri velint praedicta verba bullae Pii IX, ob novam saltem inductam praescriptionem ab anno 1864 incoeptam, dicendum est Episcopum consistere in possessione sui iuris. Compertum est enim, post erectionem quoque Gaudisiensis dioecesis nullum ius sibi vindicasse nec exercuisse Capitulum cathedrale super administratione Ecclesiae S. Georgii, ab Episcopo simul cum Archipresbytero pacifice gesta usque ad annum 1907, quo Capitulum S. Congregationem Concilii adivit ad suum hoc ius vindicandum. Expleta proinde est in favorem Episcopi Gaudisiensis quadragenaria praescriptio. Nec dicatur bullam « *Singulari amore* » Pii IX exstinxisse omnes consuetudines etiam futuras, per clausulas derogatorias. Nam primum hae non pertinent ad iura Episcopi, quae expresse in dicta bulla, uti iam possessa, praeservantur, quod iam supra demonstratum est. Deinde ex sententia communi doctorum per clausulas derogatorias non derogatur consuetudini futurae seu in posterum introducendae, nisi consuetudo sit reprobata uti irrationabilis, quod tamen profecto de administratione bonorum ecclesiasticorum ex parte Episcopi exercitata dici non potest.

His omnibus perpensis Christi nomine invocato, et solum Deum prae oculis habentes, nos infrascripti Auditores, pro tribunali sedentes, dicimus, declaramus et definitive sententiamus, respondendo ad proposita dubia:

Ad I. *Constare de unione minus principali vel subiectiva Ecclesiae S. Georgii.*

Ad II. *Spectare ad Episcopum et Archipresbyterum prout hucusque factum est, excluso prorsus Capitulo.*

Expensas vero, quarum taxationem Nobis reservamus, inter partes contendentes compensamus, ita nempe ut summa pro expeditione sententiae debenda ab utraque parte pro medietate solvenda sit.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinario loci et ministris tribunalium ad quos spectat, ut executioni mandent hanc nostram sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim *cap. 3, sess. XXV, de reform.,* Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, die 10 Ianuarii 1910.

Gulielmus Sebastianelli.

L. S. Seraphinus Many.

Franciscus Heiner, *Ponens.*

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

SECRETARIA STATUS

DICHIARAZIONE

SULLE MODALITÀ DEI CONCORSI NELLA PROVVISTA DEGLI UFFICI DELLA CURIA ROMANA.

Con decreto della S. Congregazione del Concilio *Anteactis temporibus,* del 22 Dicembre 1894, si stabiliva che « nullus ex clericis et sacerdotibus alienae dioecesis ad ecclesiasticum officium, quodcumque sit, aut ad aliud munus quod residentiam in Urbe requirat, eligi a quoquam in posterum poterit, nisi praeter testimoniales commendatitias sui Episcopi litteras, exhibeat quoque veniam a Summo Pontifice iam obtentam Romae manendi ». — Con lettera poi del 6 Agosto 1905, diretta all'Emo Cardinale Vicario, il S. Padre disponeva quanto segue: « Ad evitare che i sacerdoti dimoranti provvisoriamente in Roma assumano uffici, che importano una stabile o lunga dimora, vogliamo che, come è stabilito per i sacerdoti appartenenti al Clero Romano, così i forestieri non possano essere ammessi a concorsi di sorta, nè ottenere uffici, benefici o qualsiasi altra occupazione, senza l'esplicito consenso del Vicariato. Qualora mancasse questo consenso, si debbono tenere come irrite e nulle così le ammissioni a qualunque concorso, come le nomine a benefici, uffici od a qualsiasi altro impiego. Tali disposizioni debbono valere in ogni caso e per qualunque autorità, anche degna di specialissima menzione, senza eccettuarne alcuna ».

Ora nel Regolamento della Curia Romana, *part. I, cap. II,* è stabilito che per la provvista degli uffici minori si apra un concorso con esame, e fra gli approvati quanto a scienza si faccia la scelta con un duplice scrutinio.

Nulla però si dice degli attestati da richiedersi dagli Ordinari dei concorrenti, nè del consenso del Vicariato per stabilirsi in Roma, di cui nei documenti sopra indicati.

Si è quindi sollevato il dubbio se ed in quale modo le disposizioni accennate, e particolarmente quelle del 1905, continuino ad aver vigore nella provvista degli uffici della Curia Romana.

Roma, 11 Marzo 1910.

Sottoposto al S. Padre il dubbio superiormente riferito, Sua Santità, ponderata attentamente ogni cosa, ha ordinato che si dichiari ché riman-

gono in pieno vigore le disposizioni sopra ricordate anche nei concorsi per la provvista degli uffici della Curia Romana.

Ed in conformità di ciò dispone e stabilisce:

1. ° che niuno sia ammesso all' esame nei detti concorsi se non presenti ai Superiori del rispettivo dicastero l'attestato dell' Ordinario proprio di origine o di domicilio, da cui consti essere il candidato immune da censure, e nulla ostare per la sua ammissione alla prova;

2. ° che niuno sia definitivamente scelto negli scrutini, e proposto al Sommo Pontefice per l'approvazione, se con lettere segrete non si abbiano prima chieste notizie particolari del candidato al suo Ordinario sia di origine sia di domicilio, nonché al Vicariato di Roma; e non si abbiano avute risposte del tutto rassicuranti sulla vita e condotta del medesimo;

3. ° che l'interpolazione al Vicariato, di cui al n. 2, non debba omettersi neanche nel caso che il soggetto non abbia mai dimorato in Roma;

4° che tanto le lettere d'interpolazione come le risposte date e gli allegati aggiunti debbano rimanere sempre e del tutto segreti;

5. ° infine che le nomine avvenute colla preterizione di queste regole siano e debbano considerarsi come irrite e nulle.

Per mandato speciale di Sua Santità Pio Papa X

R. CARD. MERRY DEL VAL.

EPISTOLAE.

I.

AD R. P. BENEDICTUM IOSEPHUM RODRIGUEZ, S. I., COMMENTARII CUI TITULUS " MENSAGEIRO DO CORAÇÃO DE JESUS " MODERATOREM, OB FILIAL E DEVOTIONIS OBSEQUIUM OCCASIONE TRIGESIMI ANNIVERSARII AB INITIO SUPRADICTAE EPHEMERIDIS BEATISSIMO PATRI EXHIBITUM.

Reverende Pater,

Epistola tua multa Beatissimo Patri attulit suavia. Significasti enim ephemeridem quae lusitane inscribitur « *Mensageiro do Coração de Jesus* » triginta exegisse iam anno s a quo primum in vulgus prodiit, eosdemque nec desides effluxisse neque fructu vacuos, utpote in fovendam

augendamque erga Sacrum Cor Iesu pietatem et Ecclesiae doctrinas vulgandas celebrandasque naviter collatos. Addidisti te nactum nuper eiusdem commentarii curam, haud minori studio acceptae a praedecessore tum tuendae religiosae causae, tum dari nominis haereditatem diligenter servaturum et in maius provecturum. Utrinque Beatissimo Patri et laetandi et gratulandi et bene sperandi facultas. Cui quidem alendae spei plurimum conferant, quos declarasti, in Christi Vicarium addictae devotaeque mentis sensus.

Istum erga Se animum, istos, quos prodiit epistola tua, iucundos gratosque nuntios Sanctitas Sua amplectitur libentissime, teque, quem religioni et Ecclesiae egregie navantem operam hortatur ut erecto semper alacrique animo propositum tibi decus assequi contendas, Apostolica recreat Benedictione, quam et iis omnibus patere desiderat, qui tibi praesto sunt commentario eidem sive scribendo, sive vulgando, sive utcumque iuvando.

Hanc ego nactus occasionem, existimationem in te meam confirmo, meque tibi profiteor

Romae, die 7 Martii 1910.

Addictissimum

R. CARD. MERRY DEL VAL.

II.

AD NOBILEM DOMINAM MARIAM PIEDAD DE ARANA, MARCHIONISSAM DE UNZA DEL VALLE, DE INSTITUTA SOCIETATE " UNIÓN DE DAMAS ESPAÑOLAS DEL. SDO. CORAZÓN DE JESÚS ", GRATULANDI CAUSA.

He dado cuenta á Su Santidad de la carta y del interesante opúsculo que contiene el Reglamento y aprobaciones de la *Unión de Damas Españolas del Sdo. Corazón de Jesús,*

El Santo Padre celebra mucho la prosperidad con que va desarrollándose esta obra y la buena acogida que ha merecido no solamente entre las piadosas Damas Españolas, sino hasta en la misma Familia Real, que no desmiente nunca, con altos ejemplos, el glorioso título de católica.

Ha dado encargo Su Santidad, de felicitar á V. especialmente por el éxito lisonjero obtenido en el establecimiento de la Junta Central de Madrid y manda una especial Bendición Apostólica para V. como

Presidenta General y para todas las Juntas establecidas y que se establezcan según lo que tan sabiamente dispone el citado Reglamento.

Con este motivo me es grato reiterarme de V. Señora Marquesa, atento seguro servidor,

Roma 18 Marzo 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI.

Il giorno 19 del corrente mese di Aprile, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si terrà la Congregazione Ordinaria dei Sacri Riti, per discutere le seguenti Cause:

I. Introduzione della Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Venerabile Servo di Dio Pasquale Attardi, Sacerdote Secolare della Archidiocesi di Napoli.

II. Conferma del culto prestato *ab immemorabili* al Servo di Dio Bartolo Buonpedoni della diocesi di Colle in Toscana e del Terzo Ordine di S. Francesco.

III. Concessione ed approvazione dell'Officio e Messa propria, nonché dell'Elogio da inserirsi nel Martirologio dell'Ordine di S. Benedetto, in onore del Beato Uttone primo Abate Mettense e del Beato Gamalberto parroco.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Il Santo Padre, con biglietto della Segreteria di Stato, si è degnato di nominare:

23 Marzo 1910. — L'Emo Sig. Cardinale Giuseppe Calasanzio Vives y Tuto, Protettore delle Suore Terziarie Cappuccine di Loano.

2 Aprile 1910. — L'Illmo e Rmo Mons. La Fontaine, Vescovo titolare di Caristo, Segretario della Sacra Congregazione dei Riti.

5 *Aprile.* — L'Illmo e Rmo Mons. Giuseppe Alberti, Canonico teologo della Cattedrale di Acquapendente, Uditore della Sacra Romana Rota.

11 Santo Padre, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve pontifìcio, si è degnato di nominare:

Protonotari apostolici ad instar participantium:

2 Marzo 1910. — Mons. Vincenzo Ferreira Galvào, Vicario Generale della diocesi di S. Luigi del Maragnano;

— Rev. Can. Pietro Sincich, Decano del Capitolo della Cattedrale di Trieste.

Prelati domestici:

26 Febbraio 1910. — Rev. D. Luigi Evrard, Canonico della metropolitana di Malines;

— Mons. Emilio Tieraerts, Canonico della metropolitana di Malines, Elemosiniere di Corte;

— Il Rev. Can. Paolino Ladeuze Rettore Magnifico della Università cattolica di Lovanio.

14 Marzo 1910. — Mons. D. Stefano Rada, Canonico della Cattedrale di Veszprimia.

15 Marzo. — Il Rev. Can. Emilio Chiarini, Vicario Generale della diocesi di Grosseto.

ONORIFICENZE

Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnata conferire le seguenti onorificenze:

La Gran Croce dell' Ordine Piano:

14 Marzo 1910. — Al Sig. Giuliano Davignon, Ministro degli Affari Esteri nel Belgio.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

9 Marzo 1910. — Al Sig. Francesco Mulier, dell'Archidiocesi di Colonia.

Il Cavalierato dello stesso Ordine:

1 Marzo 1910. — Al Sig. Giovanni Terrei, dell'archidiocesi di Lione,

— Al Sig. Abele Waldmann, dell'archidiocesi di Lione.

12 Marzo. — Al Sig. Dott. Giuseppe Franz, della diocesi di Breslavia.

Il Cavalierato dell' Ordine di S. Silvestro Papa:

18 Marzo 1910. — Al Sig. Francesco Rosa, di Roma.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari:

8 Marzo 1910. — Il Rev. D. Vincenzo Porrisini, della Archidiocesi di Ravenna;

— Il Rev. D. Gioacchino Reyes Mendez, della diocesi di Siviglia;

— Il Rev. D. Carlo Schnabl, della diocesi di Vienna.

14 Marzo. — Il Rev. D. Giuseppe Mössmer, della Archidiocesi di Strigonia;

— Il Rev. D. Giovanni Dib;

— Il Rev. D. Giuseppe Trikál, della Archidiocesi di Strigonia.

23 Marzo. — Il Rev. D. Francesco Fisauli, della diocesi di Acireale.

Camerieri segreti di spada e cappa soprannumerari:

10 Marzo 1910. — Il Sig. Conte Francesco Vitali, della Archidiocesi di Fermo.

14 Marzo. — Il Sig. Antonio Swane Jurgens, della diocesi di Bois-le-duc.

Camerieri d'onore in abito paonazzo:

8 Marzo 1910. — Il Rev. D. Ignazio Dubowski, della diocesi di Luceoria.

14 Marzo. — 11 Rev. D. Augusto Giorgini, della diocesi di Senigallia.

NECROLOGIO

24 Marzo 1910. — Mons. Simone Millinovic, dei Minori, Arcivescovo di Antivari.

5 Aprile 1910. — Mons. Venceslao Giannuzzi, Canonico della Basilica Vaticana.

6 Aprile. — Mons. Bernardino di Milia, dei Minori Cappuccini, Vescovo di Larino.

APPENDIX

Edito in n. [o] *praecedenti p. 220 indulto extensionis Litterarum Apostolicarum* ". Trans Oceanum " *et constitutionis* " Romanos Pontifices " *ad Insulas Philippinas, placet ad commodum lectorum ipsas constitutiones ex integro heic referre.*

I.

CONSTITUTIO

QUA NONNULLA CONTROVERSIARUM CAPITA INTER EPISCOPOS ET MISSIONARIOS REGULARES ANGLIAE ET SCOTIAE DEFINIUNTUR.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Romanos Pontifices Decessores Nostros paterno semper caritatis affectu inclytam Anglorum gentem fovisse, et monumentis suis testatur historia, et felicis recordationis Pius IX in Litteris *Universalis Ecclesiae* in kalend. Octobris anno Incarnationis Dominicae MDCCCL datis, graviter ac diserte demonstravit. Quum autem per eas Litteras episcopalem hierarchiam idem Pontifex inter Anglos restitueret, cumulavit quodammodo, quantum temporum ratio sinebat, ea benefacta quibus Apostolica Sedes nationem illam fuerat prosequuta. Ex dioecesium enim restitutione pars illa dominici gregis ad nuptias Agni caelestis iam vocata, ac mystico Eius corpori sociata, pleniorem veritatis atque ordinis per Episcoporum gubernationem et regimen rursus adepta est. *Episcopi quippe,* inquit S. Irenaeus[1], *successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt;* atque inde fit, quemadmodum S. Cyprianus monet% *ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem Praepositos gubernetur.*

Huic sane sapienti consilio mirifice respondit eventus; plura nimirum Concilia provincialia celebrata, quae saluberrimis legibus religiosa

[1] *Adv. haer.* lib. IV, cap. 26, n. 2.

[2] Epist. 29 *ad lapsos.*

dioecesium negotia ordinarunt: latius propagata in dies catholica fides, et complures nobilitate generis et doctrina praestantes ad unitatem Ecclesiae revocati: clerus admodum auctus: auctae pariter religiosae domus non modo ex regularibus ordinibus, sed ex iis etiam recentioribus institutis, quae moderandis adolescentium moribus, vel caritatis operibus exercendis optime de re christiana et civili societate meruerunt: constituta pia laicorum sodalitia: novae missiones novaeque Ecclesiae quamplures erectae, nobili instructu divites, egregio cultu decorae; permulta etiam item condita orphanis alendis hospitia, seminaria, collegia et scholae, in quibus pueri et adolescentes frequentissimi ad pietatem ac litteras instituuntur.

Cuius quidem rei laus non exigua tribuenda, est Britannicae gentis ingenio, quod prout constans et invictum est contra vim adversam, ita veritatis et rationis voce facile flectitur, ut proinde vere de ipsis dixerit Tertullianus *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo subiecta* [1]. At praecipuum sibi laudis meritum vindicant cum assidua Episcoporum vigilantia, tum Cleri universi docilis ad parendum voluntas, prompta ad agendum sollertia.

Nihilominus quaedam ex ipsa rerum conditione ortae difficultates dissensusque inter sacrorum Antistites et sodales ordinum religiosorum obstiterunt, quominus uberiores fructus perciperentur. Illi enim, cum praescripta fuisset per memoratas Litteras Praedecessoris Nostri communis iuris observantia, rati sunt se posse omnia decernere quae ad ipsius iuris executionem pertinent, quaeve ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum potestati permissa sunt. Plures contra gravesque causae prohibebant, ne peculiaris missionum disciplina, quae iam inveteraverat, repente penitus aboleretur. Ad has propterea difficultates avertendas et controversias fundendas Angliae Episcopi, pro sua in hanc Apostolicam Sedem observantia, Nos adiere rogantes, ut suprema auctoritate Nostra dirimerentur.

Nos vicissim haud gravate eam postulationem excepimus, tum quia nobilem illam nationem non minore quam Decessores Nostri benevolentia complectimur, tum quia nihil Nobis est antiquius, quam ut sublatis dissidii causis stabilis ubique vigeat mutua cum caritate concordia. Quo gravius autem et cautius a Nobis iudicatio fieret, non modo iis quae ultro citroque adducebantur iuribus et auctoritatibus diligenter animum adiecimus, sed etiam sententiam perrogavimus Congregationis specialiter deputatae aliquot S. R. E. Cardinalium a duobus sacris Consiliis, quo-

[1] Lib. *adv. iudaeos,* cap. 5.

rum alterum Episcoporum et Regularium negotiis expediendis praeest, alterum christiano nomini propagando. Hi cunctis accurate exploratis quae in deliberationem cadebant, et rationum momentis, quae afferebantur utrinque, religiose perpensis, fideliter Nobis exposuerunt quid aequius melius de singulis quaestionibus decernendum sibi videretur in Domino. Audito itaque memoratorum Cardinalium consilio, causaque probe cognita, supremum iudicium Nostrum de controversiis ac dubitationibus quae praepositae sunt per hanc Constitutionem pronunciamus.

Multiplex licet varieque implexa sit congeries rerum quae in disceptationem vocantur, omnes tamen ad tria potissimum capita commode redigi posse arbitramur, quorum alterum ad familiarum religiosarum exemptionem pertinet ab episcopali iurisdictione; alterum ministeria respicit, quae a regularibus missionariis exercentur; tertium quaestiones complectitur de bonis temporalibus deque usu in quem illa oporteat converti.

Ad regularium exemptionem quod attinet, certa et cognita sunt canonici iuris praescripta. Scilicet quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est *divina ordinatione* constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur [1]; tamen quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfezioni *religiosae conversationis* [2] consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potè" state regundos adtribuere, Clerum Regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt. Cuius rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem; sed quod earum domus habitae fuerint iuris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est ut religiosae familiae, quas iure communi et Episcopis propter hieraticum principatum, et Pontifici maximo propter primatum Pontificium immediate subesse oporteret [3], in Eius potestate esse porrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. Quum autem se ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae.

[1] Concil. Trid., sess. 23, ***de sacram, ord.,*** can. 7.

[2] S. Gregor. M., ***Epist. III,*** lib. IX. — Bened. XIV, ***Epist. Decret., Apostolicae servitutis,*** prid. Idus Mart. 1742.

[3] Concil. Vatic. Constit., ***Pastor aeternus,*** cap. 3.

De hoc itaque privilegio exemptionis dubitatum est, num eo muniantur religiosi sodales, qui in Anglia et Scotia missionum causa consistunt: hi enim ut plurimum in privatis domibus terni, bini, interdum singuli commorantur. Et quamvis Benedictus XIV in Constit. *Apostolicum ministerium, III* kalend. Iunii anno Incarnationis Dominicae MDCCLIII, memoratos missionarios regulares privilegio perfrui declaraverit, subdubitandum tamen Episcopi rursus in praesens existimabant, eo quod, restituta episcopali hierarchia, rem catholicam ad iuris communis formam in ea regione gubernari oportet. Iure autem communi [1] constitutum est, ut domus, quae sodales religiosos sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant. Insuper ipse Constitutionis Auctor visus est ponere privilegii causam in « publici regiminis legibus.... quibus coenobia quaecumque prohibentur »; hanc vero causam compertum est fuisse sublatam, quum plures iam annos per leges liceat religiosis sodalibus in collegia coire.

Nihilominus haec tanti non sunt, ut reapse privilegium defecisse iudicemus. Nam quamvis hierarchiae instauratio faciat, ut res catholica apud Anglos ad communem Ecclesiae disciplinam *potentialiter* revocata intelligatur; adhuc tamen res ibi geruntur eodem fere modo atque in missionibus geri solent. Iamvero sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries declaravit, Constitutiones Clementis VIII *Quoniam* ix kal. Iulii MDCIII, Gregorii XV *Cum alias* xvi kal. Septemb. MDCXXII, Urbani VIII *Romanus Pontifex* v kal. Septemb. MDCXXIV, itemque Constitutiones Innocentii X non esse de domibus atque hospitiis missionum intelligendas [2]. Ac merito quidem; nam quum dubium iamdudum fuisset propositum Clementi VIII, utrum religiosi viri ad Indos missi in culturam animarum existimandi essent quasi vitam degentes extra coenobii septa, proindeque Episcopis subesse Tridentina lege iuberentur, Pontifex ille per Constitutionem *Religiosorum quorumcumque* vi Idus Novembris MDCI decreverat eos « reputandos esse tamquam religiosos viventes intra « claustra » quamobrem « in concernentibus curam animarum Ordinario « loci subesse: in reliquis vero non Ordinario loci, sed suis superioribus « subiectos remanere ». Neque aliud sensit iudicavitque Benedictus XIV in suis Constitutionibus *Quamvis* v kal. Martii MDCCXLVI; *Cum nuper* VI I US Novembris MDCCLI, et *Cum alias* v Iunii MDCCLIII. EX quibus omnibus liquet, etiam hospitia ac domos quantumvis incolarum pauci-

[1] Innocent. X, Constit. *Instaurandole,* die 15 Octob. 1652. Constit. *Ut in parvis,* die 10 Februar. 1654.

[2] S. Cong. de Prop. Fide 30 Ianuarii 1627; 27 Martii 1631; 5 Octobris 1655; 23 Septembris 1805; 29 Martii 1834.

tate infrequentes huius, de quo agitur, privilegii iure comprehendi, idque Don in locis solum ubi Vicarii apostolici, sed etiam ubi Episcopi praesunt; de Episcopis enim in Constitutionibus, quas memoravimus, agebatur. Apparet insuper rationem potissimam exemptionis missionariorum regularium in Anglia non esse exquirendam in legibus civilibus, quae coenobiis erigendis obessent; sed magis in eo salutari ac nobilissimo ministerio, quod a viris apostolicis exercetur. Quod non obscure Benedictus XIV significava inquiens, « regulares Anglicanae missionis destinatos illuc proficisci in bonum sanctae nostrae religionis ». Eamdemque causam pariter attulerat Clemens VIII, cum de sodalibus religiosis ad Indos profectis docuerat, ipsos antistitum suorum iussu illuc concessisse, ibique sub disciplina praefecti provinciae versari « ad praedicandum « sanctum Dei evangelium et viam veritatis et salutis demonstrandam ». Hinc post sublatas leges sodalitiis regularibus infensas, et hierarchia catholica in integrum restituta, ipsi Britannorum Episcopi in priori Synodo Westmonasteriensi testati sunt, rata sibi privilegia fore, « quibus viri religiosi suis in domibus vel extra legitime gaudent » quamvis extra monasteria ut plurimum degant ».

Quamobrem in praesenti etiam Ecclesiae catholicae apud Britannos conditione declarare non dubitamus: Regulares, -qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac regulares intra claustra viventes, praeter quam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem.

Praecipuam hanc quam definivimus controversiam altera excipiebat affinis, de obligatione qua teneantur Rectores missionum creditam habentes animarum curam, eorumque vicarii, aliique religiosi sodales, facultatibus praediti quae missionariis conceduntur, ut intersint iis Cleri conventibus, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, neque non Synodis dioecesanis. Cuius quaestionis vis et ratio ut intelligatur, praestat memorare quod in Concilio Westmonasteriensi Provinciali iv praecipitur his verbis: « Si duo vel plures sint sacerdotes in eadem missione, unum tantum primum designandum, qui gerat curam animarum et administrationem Ecclesiae.cet

cum dependentia a primo exercere »[1]. Comperta itaque natura facti de quo agitur, et semota tantisper ea quaestionis parte quae Synodos respicit, ambigi nequit, quin Rectores missionum adesse debeant iis Cleri coetibus, qui *collationes* dicun

« Dec. 10, n. 10.

parochorum; parochos autem etiam regulares ea obligatione adstringi et docuit Benedictus XIV Const. *Firmandis,* § 6, VIII Idus Novemb. MDCCXLIV, et sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis pluries declaravit Recte igitur in praedicta Synodo Westmonasteriensi fuit constitutum « Ad suam collationem tenentur convenire, respondere parati omnes « sacerdotes saeculares et regulares, salvis eorum iuribus, qui curam «habent animarum». Aliter dicendum videretur de vicariis, aliisque religiosis viris apostolica munia obeuntibus. His enim integrum quidem est de *iure constituto* a memoratis collationibus abstinere, prout alias fuit a sacra Congregatione Concilii declaratum [2]. At Nos ' minime praeterit Concilium Romanum habitum anno MDCCXXV [auctoritate Benedicti XIII iussisse confessarios omnes etiam ex ordinibus regularibus intra fines provinciae commorantes coetus illos celebrare « dummodo « morales in eorum conventibus lectiones non habeantur ». Quum autem quod sine effectu geritur id geri nullo modo videatur, sacrum Consilium christiano nomini propagando merito existimans domesticas regularium collationes in quibusdam missionum locis parum fructuosas ob exiguum sodalium numerum futuras, cunctis et singulis illic munere perfungentibus imperavit, ut Cleri conventibus interessent. Hisce igitur rationibus permoti declaramus, omnes missionum rectores Cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decernimus ac praecipimus ut iisdem intersint vicarii quoque, aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia, parvasque missionum domos incolunt.

De officio conveniendi ad Synodum explorata Tridentina lex est [3]: « Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere tenentur. Ratione autem parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum etiam adnexarum, debent ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse ». Quam legem egregie illustravi! Benedictus XIV [4]. Neque vero putamus cuiquam negotium facessere decretum Alexandri VIII, III kal. Aprilis MDCXCI quo cavetur, ut ad synodum accedant Abbates, Rectores, Praefecti, omnes antistites domorum religiosarum quas Innocentius X Episcoporum potestati subiecerat. Quum enim Innocentianae Constitu-

[1] *Forosempronien.* 5 Septemb. 1650, Lib. 19 Decret.

[2] *Forosempronien.* 12 Maii 1681, Lib. 53, Decr. fol. 258. *Aquipendien.* VV. SS. LL. 12 Martii 1718.

[3] Sess. 24, cap. 2, *de reform.*

[4] *De Synod. dioec,* lib 3, cap. 1, § 11.

tiones viros apostolicos, qui in sacris missionibus versantur, non attingunt, facile intelligitur, neque decretum Alexandri VIII ad eos, de quibus modo apud Nos agitur, pertinere. Quare huic posteriori quaestionis parti hoc unum respondemus: standum esse decretis Synodi Tridentinae.

Proxima est quaestio quae respicit appellationem ab interpretatione, quam Episcopi ediderint, decretorum synodalium. Namque hisce decretis pareant oportet etiam religiosi sodales in iis quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem referuntur [1], ceterisque in rebus « in « quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipiunt « instituta » [2]. Profecto dubitare non licet quin ab iis interpretationibus ad Sedem Apostolicam provocatio sit; « siquidem, Gelasio I[3] et Nicolao I[4] auctoribus, ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt: ab illa autem nemo sit appellare permissus ». Quare huius appellationis tantummodo vis et effectus potest in dubitationem adduci. At haec dubitatio facile tollitur, si apta fiat causarum distinctio. Fas est nimirum Regularibus appellare *in devolutivo* tantum, quoad interpretationem decretorum, quae de iure communi, sive ordinario*sive delegato, Regulares etiam afficiunt; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum etiam *in suspensivo.* Authentica namque interpretatio quae manat ab Episcopis, qui Synodorum auctores sunt, tanti profecto est, quanti sunt ipsa decreta. Ex quo illud omnino est consequens, licere religiosis sodalibus a primo decretorum genere appellare eo iure et modo, quo licet cuilibet e dioecesi appellare a lege communi, scilicet *in devolutivo*[5]. At vero ad reliqua decreta quod attinet, ea certa lata contra regulares vim rationemque legis amittunt: quare constat illos sic exemptionem a iurisdictione episcopali possidere uti ante possederint; donec Pontificis maximi auctoritate indicetur, iure ne an secus cum iis actum sit.

Hactenus de exemptionis privilegio; nunc de iis quaestionibus dicendum, quibus ministeria quaedam per regulares exercita occasionem praebuerunt. Excellit inter haec munus curationis animarum, quod saepe, ut innuimus, religiosis viris demandatur intra fines ab Episcopis praestitutos; locus autem iis finibus comprehensus *missionis* nomine designatur. Iamvero de his missionibus disceptatum fuit, an et quomodo fieri possit ab Episcopis earum divisio, seu, ut dici solet, dismembratio.

[1] Conc. Trid., sess. 25, cap. 11, *de regular.*
[2] Innoc. IV, cap. I, *de privileg.*, in 6.
[3] Epist. 7, *ad Episc. Dardanen.*, an. 495, tom. 2, *Collect. Harduini.*
[4] Epist. 8, *ad Michael. Imperai.*, tom. 5, *Collect. Harduini.*
[5] Bened. XIV, *de Synod. Dioec*, lib. 13, cap. 5, § 2.

Nam qui Regularium iura tuebantur, negabant hanc divisionem fieri posse nisi legitimis de causis, adhibitisque iuris solemniis quae praescripta sunt ab Alexandro III[1] et a Concilio Tridentino[2]. Alio vero erat Episcoporum opinatio.

Profecto si divisio fiat paroeciae veri nominis, sive antiquitus conditae, sive recentiore memoria iure constitutae, dubitandum non est quin nefas sit Episcopo canonum praescripta contemnere. At Britanni eae missiones generatim in paroecias ad iuris tramites erectae non sunt: idcirco sacrum Consilium christiano nomini propagando anno MDCCCLXVI officium applicandi missam pro populo ad Episcopum pertinere censuit, propterea quod dioecesium Britannicarum non ea sit constitutio, ut in veras paroecias dispositae sint. Itaque ad divisionem missionis simplicis ea iuris solemnia transferenda non sunt, quae super dismembratione paroeciarum fuerunt constituta: eo vel magis quod propter missionum indolem et peculiares circumstantias, numero plures ac leviores causae possint occurrere, quae istarum divisionem suadeant, quam quae iure definitae sint ut fiat paroeciarum divisio. Neve quis urgeat similitudinem quam utraeque inter se habent; cum enim obligatio servandi solemnia iuris libertatem agendi coerceat, ad similes causas non est pertrahenda. Silentibus itaque hac super re generalibus Ecclesiae legibus, necesse est ut Concilii Provincialis Westmonasteriensis valeat auctoritas, cuius hoc decretum est: « Non obstante rectoris missionarii deputatione, licebit Episcopo de consilio Capituli, intra limites missionis cui praeponitur, novas ecclesias condere ac portionem districtus iis attribuere, si necessitas aut utilitas populi fidelis id requirat ». Quae cum sint ita, ad propositam consultationem respondemus: licere Episcopis missiones dividere, servata forma sancti Concilii Tridentini[3], quoad missiones quae sunt vere proprieque dictae paroeciae; quoad reliquas vero, ad formam Synodi I Provincialis Westmonasteriensis[4]. Quo melius autem missioni, quae dividenda sit, eiusque administris prospiciatur, volumus ac praecipimus, ut sententia quoque rectoris exquiratur, quod iam accepimus laudabiliter esse in more positum: quod si a religiosis sodalibus missio administretur, Praefectus Ordinis audiatur; salvo iure appellandi, si res postulet, a decreto episcopali ad Sanctam Sedem *in devolutivo* tantum.

Peracta missionis, cui regulares praesint, dismembratione, alia nonnunquam quaestio suboritur: utrum nempe Episcopus in praeficiendo

[1] Cap. *ad audientiam, de Eccles, aedific.*
[2] Sess. 21, cap. 4, *de reform.*
[3] Cap. 4, sess. 21, *de reform.*
[4] *De regimine congregationum* seu *missionum,* n. 5.

Rectore missioni, quae nova erigitur, ipsos religiosos sodales ceteris debeat praeferre. — Quamvis illi hanc sibi praerogativam adserant, obscurum tamen non est, haud leves exinde secuturas difficultates et offensiones. Ceterum in ea de qua sermo est, nova erectione necesse est alterutrum contingere; nimirum ut paroecia veri nominis, aut mera missio constituatur. Si primum fieret, per quam alienum esset ab Ecclesiae disciplinae religiosa familia arcessitum parochum praeferri; sic enim iure quod modo viget arcentur regulares a parochi munere, ut illud suscepturi venia Apostolica indigeant. Ad rem Benedictus XIV in Constit. *Cum nuper,* VI Idus Novembris MDCCLI. « Quemadmodum, inquit, negari nequit ex veteri canonum lege, monachos et regulares ecclesiarum parochialium regiminis capaces fuisse, ita certum nunc est ex recentiori canonica disciplina interdictum esse regularibus parochiarum curam adsumere sine dispensatione Apostolica ». Hinc sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis [1] ad dubium « an annuendum sit precibus Patrum Augustinianorum de nova paroecia iisdem concedenda » rescripsit - negative et amplius -. Sin autem, quod secundo loco posuimus, mera missio erigitur, ius certe non obest religiosis viris ne inter eos eligatur rector; ast ne iis quidem praeferri optantibus suffragatur. Rem itaque integram et in sua potestate positam aggrediens Episcopus, libertate sua utatur oportet; ubi enim iura silent, loco legis et Praesulis auctoritas; praesertim vero quod, ut doctorum fert adagium, Episcopus *intentionem habet in iure fundatam* in rebus omnibus, quae ad dioecesim suam administrandam attinent. Quamobrem praelatio quoad novam missionem, a Regularibus expetita, aut nullo iuris subsidio fulcitur, aut in disertam iuris dispositionem offendit.

Officium curationis animarum sedulitati Regularium commissum alias etiam dubitationes gignit; eaeque loca spectant finibus comprehensa missionum quae ab ipsis reguntur. Coepit enim ambigi utrum coemeteria et pia loca, intra fines illarum sita, Episcopus visitare possit. Ast in coemeteriis facilis ac prona suppetit distinctionis adeoque finiendae controversiae ratio. Nam si de coemeteriis agatur quae solis religiosis familiis reservantur, ea plane ab Episcopi iurisdictione, proindeque a visitatione exempta sunt; cetera vero fidelium multitudini communia, quum uno ordine haberi debeant cum coemeteriis paroecialibus, iurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo iure ab Episcopo visitantur, quemadmodum statuit Benedictus XIV in Constit. *Firmandis* VIII Idus Novembris MDCCXLIV. Haud absimili distinctione de

[1] In *Ianuen., dismembrationis,* XXV Ianuarii MDCCCLXXIX.

locis piis quaestio dirimitur, ea secernendo quae exempta sunt ab iis quibus praeest Episcopus sive ordinario iure, sive delegato. De utrisque igitur, tum coemeteriis tum piis locis, sententiam Nostram paucis complectimur pronunciantes: sacrorum, canonum et constitutionum Apostolicarum praescripta esse servanda.

Superioribus dubiis arcto iungitur nexu illud quo quaeritur an Episcopis subesse debeant scholae pauperum, quae *elementares* etiam, *primariae, puerorum* nuncupantur; est enim sanctissimum docendi ministerium, et proximum piis locis ordinem tenent scholae de quibus agendam est. Quo illae pertineant ex ipso nomine dignoscitur; intendunt nimirum ad puerilem aetatem primis litterarum elementis primisque fidei veritatibus, ac morum praeceptis apte instituendam: quae quidem institutio omnibus est temporibus, locis et vitae generibus necessaria, ac multum habet momenti ad universae societatis humanae, nedum singulorum hominum incolumitatem; ex puerili enim institutione pendet, ut plurimum, qua quis ratione sit reliquae aetatis spatium acturus. Itaque quid a docentibus eo loci praecipue praestandum sit, sapienter Pius IX significavit scribens, « In hisce potissimum scholis omnes cuiusque e populo classis pueri vel a teneris annis sanctissimae nostrae religionis mysteriis ac praeceptionibus sedulo sunt erudiendi et ad pietatem morumque honestatem, et ad religionem civilemque vivendi rationem accurate formandi, atque in iisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium in institutione et educatione locum habere ac dominari debet, ut aliorum cognitiones, quibus iuventus ibi imbuitur, adventitiae appareant »[1]. — Nemo exhinc non intelligit istam puerorum institutionem in Episcoporum officiis esse ponendam, et scholas, de quibus agitur, tam in urbibus frequentissimis, quam in pagis exiguis inter opera contineri quae ad rem dioecesanam maxime pertinent.

Insuper quod ratio suadet lux historiae confirmat. Nullum quippe fuit tempus quo singularis non eluxerit Conciliorum cura in huiusmodi scholis ordinandis ac tuendis, pro quibus plura sapienter constituerunt. Eorum nempe decretis prospectum est ut illas Episcopi in oppidis et pagis restituì et augeri curarent[2], puerique ad discendum admitterentur, quaibet, si fieri posset, impensa remissa [3]. Eorumdem auctoritate dictae

[1] Epist. ad Archiep. Friburgen., *Cum non sine maxima,* xiv Iulii MDCCCLXIV, *Acta,* vol. 3.

[2] Synod. I Provincial. *Cameracen.,* tit. *de scholis,* cap. 1. - Synod. Provincial. *Mechlinien.,* tit. *de scholis,* cap. 2.

[3] Synod. *Namurcen.,* an. 1604, tit. 2, cap. 1.

leges, quibus alumni religioni ac pietati operam darent[1], definitae dotes et ornamenta animi, quibus magistros praeditos esse oporteret[2], iisque imperatum, uti iurarent iuxta formulam catholicae professionis[3]: demum scholarum curatores constituti qui eas adirent, ac circumspicerent ne quid inesset vitii aut incommodi, neve quid omitteretur ex iis rebus, quas de illarum disciplina leges dioecesanae sanxissent[4]. Ad haec, quum Patres Conciliorum probe intelligerent parochos etiam pastoralis ministerii compotes esse, partes haud exiguas iisdem tribuerunt in scholis puerorum, quarum cura cum animarum curatione summa necessitate iungitur. Placuit igitur in singulis paroeciis pueriles scholas constitui[5], quibus nomen est *parochialibus* impositum[6]: iussi sunt parochi munus docendi suscipere, sibique adiutricem operam magistrorum et magistrarum adsciscere[7]: iisdem negotium datum scholas regendi et curandi diligentissime[8]: quae omnia si non ex fide integreque gesserint, officium deseruisse arguuntur[9], dignique habentur in quos Episcopus animadvertat[10]. In unum ergo collineant argumenta ex ratione et factis petita, ut scholae, quas pauperum vocant, institutis dioecesanis et paroecialibus praecipuo iure adnumerandae sint; eaque de causa Britannorum Episcopi ad hanc usque aetatem in missionibus tam saecularibus quam regularibus easdem pro potestate sua visitare consueverunt. Quod et Nos probantes declaramus: Episcopos ius habere quoad omnia visitandi huiusmodi scholas pauperum in missionibus et paroeciis regularibus aeque ac in saecularibus.

Alia profecto causa est ceterarum scholarum et collegiorum, in quibus religiosi viri secundum ordinis sui praescripta iuventuti catho-

[1] Synod. *Antuerpien.,* sub Mireo, tit. 9, cap. 3.

[2] Synod. *Cameracen.,* an. 1550.

[3] Synod. II Provinc. *Mechlinien.,* tit. 1, cap. 3.

[4] Synod. II Provinc. *Mechlinien.,* tit. 20, cap. 4. — Synod. Provinc. *Pragen.,* an. 1860, tit. 2, cap. 7.

[5] Synod. *Valensien.,* an. 529, can. 1. — Synod. *Nanneten.,* relat. in cap. 3, *de vit. et hon. clericor.* — Synod. *Burdigalen.,* an. 1583, tit. 27.

[6] Synod. I Provinc. *Mechlinien.,* tit. *de scholis,* cap. 2. — Synod. Provinc. *Colocen.,* an. 1863, tit. 6. — Synod. Provinc. *apud Maynooth,* anno 1875.

[7] Synod. *Nanneten.,* sup. cit. — Synod. *Antuerpien.,* sup. cit. — Synod. Provinc. *Burdigalen.,* an. 1850, tit. 6, cap. 3.

[8] Synod. Provinc. *Viennen.,* an. 1858, tit. 6, cap. 8. — Synod. Provinc. *Ultraiecten.,* an. 1865, tit. 3, cap. 2.

[9] Synod. Provinc. *Colocen.,* an. 1863, tit. 6, cap. 5. — Synod. Provinc. *Colonien.,* an. 1860, tit. 2, cap. 23. — Synod. Provinc. *Ultraiecten.,* an. 1863, tit. 9, cap. 5.

[10] Synod. I Provinc. *Cameracen.,* tit. *de scholis,* cap. 2.

licae instituendae operam dare solent; in hisce enim et ratio postulat, et Nos volumus firma atque integra privilegia manere quae illis ab Apostolica Sede collata sunt, prout aperte est declaratum anno MDCCCLXXIV a sacro Consilio christiano nomini propagando, quum acta expenderentur Concilii Provincialis Westmonasteriensis IV

Quum res in vado sit quod ad scholas attinet et collegia regularium iam constituta, adhuc tamen est in ancipiti, si de novis erigendis agatur. De his enim quaeritur; an et cuius superioris venia sit impetranda? Porro cum latius ea dubitatio pateat et ecclesiarum quoque ac coenobiorum erectionem pertingat, omnia haec unius quaestionis et iudicii terminis complectimur. Atque hic primo occurrunt Decretales veteres, quibus est cautum ne quid huiusmodi quisquam institueret absque Sedis Apostolicae licentia speciali [2]. Postmodum Tridentina Synodus in eodem genere quidquam operum fieri prohibuit « sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta [3] »: quo tamen Concilii decreto haud est superioribus legibus derogatum, veniam ab Apostolica Sede impetrari habentibus. Quapropter cum ea in re Uberius passim ageretur, Urbanus VIII [4] pravam consuetudinem emendaturus, opera eiusmodi improbavit tam quae sine venia Episcopi, quam quae sola illius auctoritate susciperentur, et veterum canonum simul Conciliique Tridentini leges omnino in posterum servari decrevit. — Huc etiam spectavit Innocentius X in "Constitut. *Instaurandole* idibus Octobris MDCLII, qua praecepit ut nemo ex familiis regularibus « domos vel « loca quaecumque de novo recipere vel fundare praesumat absque Sedis « Apostolicae licentia speciali ». Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri [5]. Iisdem insistens vestigiis sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries decrevit, veniam Apostolicae Sedis et Episcopi aut Vicarii Apostolici ecclesiis collegiisque erigendis, etiam in missionibus, ubi religiosi sodales domos sedesque

[1] Decret. 26.

[2] Cap. ***Religiosorum, § confirmatus, de relig. domib.*** et cap. ***Ex eo*** de excess. praelat. in 6.

[3] Conc. Trident., sess. 25, cap. 3, ***de Regular.***

[4] Constit. ***Romanus Pontifex,*** XIII Kalend. Septembris 1624.

[5] Bened. XIV, ***de Synod. dioeces.,*** lib. 9, cap. 1, num. 9. — Monacelli, ***formul. legai.,*** part. 1, tit. 6, form. 19, num. 31.

habeant, esse omnino necessariam[1]. His ergo de causis ad propositum dubium respondemus: sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere.

Fieri solet utique subtilior inquisitio, an duplex ea venia sit impetranda, si non prorsus novum opus regularis familias moliatur; sed ea quae sunt instituta velit in alios usus convertere. Verum neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis serio dubitet, an ea quae pietatis religionisque causa instituta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere ? Restat itaque ut de tribus hisce dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat dimovere de loco instituta alioque transferre: aut immutare in usum consentaneum, qualis esset si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur; aut demum, priore usu retento, novam causam sive usum inducere. Iam vero quominus duo illa prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat decretum Bonifacii VIII, qui eos vetuit « ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, « seu hactenus recepta mutare »[2]. Rursus qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam « Monasteriorum, « Collegiorum, domorum, conventuum et aliorum Regularium locorum « huiusmodi ? » Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII per Constitutionem *Romanus Pontifex,* nisi « servata in omnibus et per omnia sacrorum « canonum et Concilii Tridentini forma ». Sic unum superest de quo contendatur; num priore usu retento, nova causa vel usus adiici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispicere, utrum ea inductio alterius usus ad interiorem administrationem, disciplinamque domesticam spectet, velut si tirocinium aut collegium studiorum causa iunioribus sodalibus in coenobio constituatur; an fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibì schola fiat aut collegium quod pateat etiam alienis. Plane si dictos fines excesserit, res redit ad alterutram illarum, quae a Bonifacio VIII et Urbano VIII fieri pro lubito, ceu diximus, prohibentur. Sin autem intra limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe iure Regulares utentur; nisi forte leges fundationis obsistant. Ex quibus singillatim perpensis manifesto colli-

[1] Sac. Congreg, de Prop. Fide in coetibus habitis diebus 22 Mart. 1669; 3 Nov. 1688, 1704, 1768; 23 Aug. 1858; 30 Maii 1864; 17 Iulii 1865.

[2] Cap. *Cum ex eo,* de excess. praelat., in 6.

gitur: Religiosis sodalibus non licere ea quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem.

Nunc ad illud progredimur controversiae caput, in quo de temporalibus missionum bonis disputatum est. Ex liberalitate fidelium ea parta bona sunt, qui cum sua sponte et voluntate dona largiantur, vel intuitu missionis id faciunt, vel eius qui missioni praeest. Iam si missionis intuitu donatio contigerit, ambigi solet, an viri religiosi quibus donum sit traditum, accepti et expensi rationem reddere Episcopo teneantur. Atque istud quidem fieri oportere, sacrum Consilium christiano nomini propagando super dubio proposito ob missiones Britannicas religiosis Ordinibus sive Institutis commissas die XIX Aprilis MDCCCLXIX, rescripsit in haec verba: « 1° Missionarii regulares bonorum temporalium, ad ipsos *qua regulares* spectantium, rationem Episcopis reddere non tenentur. 2° Eorum tamen bonorum, quae missioni, vel regularibus *intuitu missionis* tributa fuerunt, Episcopi ius habent ab iisdem missionariis regularibus, aeque ac a Parochis cleri saecularis, rationem exigendi ». Quo vero tabulis accepti et expensi ratio constaret, sacer idem Coetus die x Maii anno MDCCCLXVIII, in mandatis dederat ut bona missionum diligenter describerentur, ea secernendo quae propria missionum essent ab iis quae ad sodalitia sodalesve singulos ve pertinerent.

Nihil enimvero in his decernendis vel praecipiendis est actum, quod iuris communis doctrinis vulgatissimis apprime non congruat. Nam quaevis oblatio parocho aut alteri Ecclesiae Rectori data piae cuiusdam causae intuitu, ipsimet piae causae acquiritur. Ex quo fit, ut qui rem pecuniamve oblatam accepit administratoris loco sit, cuius est illam erogare iuxta mente et consilium largitoris [1]. Quoniam vero administrantis officio incumbit rationes actus sui conficere, eique reddere cuius res gesta fuit [2], ideo parochus vel Ecclesiae Rector facere non potest quin rationes reddat Ordinario loci, cuius est iurisdictio et causae piae tutela [3]. At missiones, de quibus apud Nos actum fuit, pieno iure ad Episcopum pertinent; huic ergo cuiusque oblationis earum intuitu collectae rationes oportet exhibere. Neque haec ex eo infirmantur, quod

[1] Fagnan. in cap. *Pastoralis, de his quae fiunt a Praelatis,* n. 29. — Card. de Luca *in Conc. Trid.,* discur. 18, n. 5. — Reiffenst., Lib. 3, *Decret.,* tit. 30, n. 193.

[2] L. 1 *§ officio* ff. *de tutelae et rat. distr.* — L. 2 *§ et sane* ff. *de negot. gest.* L. *Curator.,* L. *Tutor,* Cod. *de negot. gest.*

[3] Sac. Cong. Concilii *Nullius,* seu *Nonantulan. iurium parochialium,* 27 Iunii 1744 ad dub. XII.

Urbanus II in Concilio Claromontano, aliique post eum Romani Pontifices decreverunt[1] circa Ecclesias parochiales, quoad temporalia Monasteriis iunctas, teneri vicarios respondere Episcopis *de plebis cura, de* temporalibus vero non ita, cum monasterio suo sint obnoxii; siquidem seposita etiam ratione historica unde ea profecta est iuris dispositio[2], certum exploratumque est, in iis pontificiis decretis ac litteris appellatione temporalium, beneficii fructus et quae beneficiati personae adhaerent compendia significari.

Quocirca ea confirmantes quae a S. Congregatione de Propaganda Fide rescripta et mandata sunt, statuimus, religiosos sodales, redditis Episcopo rationibus, docere debere de pecunia, intuitu missionum sibi aliata, et quantum de ea et quos in usus impenderint aeque ac missionarios Cleri saecularis, iuxta praedictas resolutiones eiusdem Congregationis die XIX Aprilis MDCCCLXIX, et Instructionem diei X Maii MDCCCLXVIII.

Tandem ne quis obrepat error aut dissensus in his quae modo iussimus exequendis, definiendum censemus, quae pecuniae, quaeque res viris religiosis oblatae intuitu missionum intelligantur. Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largiter voluerit; quod si non appareat, placuit, parocho vel rectori ecclesiae collatam donationem praesumi[3]. At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem, quam quidam ecclesiastici iuris periti fere communem evasisse docent, cuius vi « hodie pene solae oblationes quae in Ecclesia sub missis ad altare fiunt et quae pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro exequiis et sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectat; consuetudine reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis aut aliis certis finibus applicante »[4]. Praeterea si in parochum rectoremve, a quibus spiritualia adiumenta fideles accipiunt[5], apud inconcinne praesumi potest collata liberalitas, ubi Ecclesia bonis praedita sit, per quae religionis decori et ministrorum tuitioni prospiciatur, longe aliud iudicium esse debet ubi eam bonorum copia Ecclesia non habeat,

[1] Lucius II *ad Priorem S. Pancratii in Anglia,* Alexander III *ad Monaster. S. Arnulphi,* Lucius III *ad Superior. Praemonstr. et ad Abbatissam S. Hilarii in dioecesi Fesulana.*

[2] Gonzal. *Comment.,* in cap. I, *de Cappel. Monach.*

[3] Argum. ex cap. *Pastoral.* 9 *de his quae fiunt a Praelat.* cap. *Transmissa, de Verb. sign.,* ac praesertim cap. I, *de Statu Monach.*

[4] Reiffenst. *L. 3 Decretai,* tit. 30, n. 193, Van Espen *ius eccles, univ.,* part. 2, sect. 4, tit. 2, cap. 10, nn. 20 et 21.

[5] Argum. ex cap. *quia Sacerdotes* 13, caus. 10, quaest. 1.

ac liberalitate fidelis populi unice aut potissimum sustentetur. Tunc enim largitores putandi forent voluisse consulere cultus divini splendori et religionis dignitati, ea ratione et modo quem ecclesiastica auctoritas decerneret. Ideo apud christianos primaevos lege cautum fuerat ut pecunia omnis dono accepta, inter Ecclesiam, Episcopum, Clericos et egenos divideretur. Legis porro sese interponens auctoritas, si largitionum tempora et causas praestituat, illud efficit quoque, ne fideles semper pro arbitrio possint modum et finem designare in quam oblatam stipem erogari oporteat; nequit enim facere privatorum voluntas, ut quod a legitima potestate in bonum commune praecipitur certo destituatur effectu. Haec Nobis considerantibus visi sunt prudenter et opportune egisse Patres Concilii Provincialis Westmonasteriensis II, cum partim interpretantes piam et aequam donantium voluntatem, partim ea, quae Episcopis inest, utentes potestate imperandi pecuniae collationes decernendique quo tempore et qua de causa conferri oporteat, statuerunt in capite *de bonis ecclesiasticis,* quid censendum sit intuitu missionis collatum. Iubet igitur ratio, itemque Nos constituimus, hac in re religiosos ad leges Westmonasteriensis Synodi sese affatim accommodare oportere.

Sublatis controversiis cognitioni Nostrae propositis, confidimus, curam a Nobis in iis componendis adhibitam eo valituram, ut ad tranquillitatem et incrementum rei catholicae in Anglia non leviter conferat. Equidem pronunciationes Nostras ad iuris et aequitatis regulam studiose religioseque exegimus, nec dubitamus quin in iis exequendis par diligentia et religio eniteat illorum inter quos iudicium protulimus. Sic enim fiet, ut Episcoporum ductu et prudentia religiosi sodales de Anglicis missionibus apprime meriti, strenue et alacriter e laboribus suis fructus salutis ferre pergant laetissimos, atque utrique (ut voce utamur Gregorii Magni ad Angliae Episcopos) *communi... consilio, concordique actione quae sunt pro Christi zelo agenda disponant unanimiter, recte sentiant, et quae senserint, non sibimet discrepando perficiant*[1]. Concordiam hanc postulat paterna caritas Episcoporum in adiutores suos et mutua Cleri in Episcopos observantia; hanc concordiam flagitat finis communis qui situs est in salute animarum iunctis studiis ac viribus quaerenda; hanc eamdem exigit necessitas iis resistendi qui catholico nomini infensi sunt. Haec vires gignit et infirmos quoque pares efficit ad grandia quaeque gerenda; haec signum est quod sinceros Christi discipulos ab iis disterminat qui se tales esse mentiuntur. Ad hanc igitur singulos et universos enixe cohortamur in Domino, rogantes cum Paulo ut impleant gaudium

[1] Apud Bedam, *Histor. Angl.*, II, 29.

Nostrum, ut idem sapiant eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes [1].

Demum ut firmiter ea consistant quae constituimus, volumus atque decernimus, praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti religiosi sodales et alii quicumque in praemissis interesse habentes cuiusvis status, gradus, ordinis et dignitatis existant, seu alias specifica mentione digni iis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, causaeque propter quas praesentes emanaverint sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum aliudve quodcumque iuris remedium intentari vel impetrari; sed ipsas praesentes Litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas ad effectum impediendi vel retardandi earum executionem quovis modo vel quavis de causa opponi possent minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus obtinere, easque propterea, omnibus et singulis impedimentis penitus reiectis, ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter servari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere, ac irritum fore et inane si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula *de iure quaesito non tollendo,* aliisque Apostolicis ac m Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum et Societatum, etiam Iesu, et quarumvis Ecclesiarum et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus etiam immemoralibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis et factis ac licet pluries iteratis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum derogatione specialis forma servanda foret,

[1] *Philip.*, II, 2.

tenores earumdem praesentibus pro plene ac sufficienter expressis habentes ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Quocumque autem modo earumdem praesentium Litterarum exempla in Anglia publicata fuerint, volumus ut statim post huiusmodi publicationem omnes et singulos quos concernunt vel concernent in posterum perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae ac notificatae fuissent.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrarum decisionum, declarationum, decretorum, praeceptorum et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolo, rum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Dominicae Incarnationis millesimo octingentesimo octuagesimo primo octavo Idus Maii, Pontificatus Nostri anno quarto.

G. CARD. SACCONI, *Pro-Datarius.* - TH. CARD. MERTEL.

VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco X *Plumbi.*

Reg. in Secret. Brevium.

I. CUGNONIUS.

II.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE PRIVILEGIIS AMERICAE LATINAE

LEO PP. XIII

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Trans Oceanum Atlanticum ad alteram orbis partem divinae providentiae benigna dispositione per Christophorum Columbum aperto itinere, Ecclesia Dei multa ibi mortalium millia reperit, quos, ut suum munus atque opus erat, a latebris et fero cultu ad humanitatem et mansuetudinem traduceret, ab errore et superstitione ad communionem bonorum omnium, quae per Iesum Christum parta sunt, ab interitu ad vitam revocaret. Quod quidem salutare munus, ipso vivente adhuc repertore Columbo, ab Alexandro VI Pontifice Maximo decessore Nostro inchoatum, perpetuo caritatis tenore ita Ecclesia insistere perrexit, pergit, ut temporibus Nostris ad extremam usque Patagoniam sacras suas expeditiones auspicato protulerit. Campus enim spatio interminatus cessatione ipsa atque otio ferax, si diligenter subigatur et colatur, fructus edit laetos atque uberes, cultorumque laboribus atque industriae optime respondet.

Quamobrem Romani Pontifices decessores Nostri nullo non tempore destiterunt ad Americae culturam novos operarios summittere, quos ut acrius elaborarent praestantioresque ab opere suo fructus demeterent, singularibus facultatibus et privilegiis auxerunt, atque extraordinaria auctoritate et potestate corroborarunt. Quibus freti Missionarii, lumine religionis catholicae per Americae regiones longe lateque diffuso, brevi interiecto annorum spatio, in iis praesertim locis ubi novi incolae ab Europa commigrantes, nominatim Hispani, domicilium sibi sedemque stabilem collocaverant, tempia excitarunt, monasteria condiderunt, paroecias, scholas aperuerunt, dioeceses ex potestate summorum Pontificum constituerunt. Ex quo factum est ut Americae magna pars ab avita religione novorum incolarum et ab origine eorum linguae haberi et dici possit America Latina.

At illud proprium est humanarum institutionum et legum, ut nihil sit in eis tam sanctum et salutare quod vel consuetudo non demutet, vel tempora non invertant, vel mores non corrumpant. Sic in Ecclesia

Dei, in qua cum absoluta immutabilitate doctrinae varietas disciplinae coniungitur, non raro evenit, ut quae olim apta erant atque idonea, ea labens aetas faciat vel inepta, vel inutilia, vel etiam contraria.

Quare antiquis privilegiis temporis decursu vel ex parte abrogatis, vel alias ut plurimum insufficientibus, singulari maximorum Pontificum largitione, aliae adiectae sunt facultates sub determinatis formulis, vel singulis Americae Latinae Episcopis deinceps delegari solitae, vel pro extraordinariis quibusdam casibus et determinatis regionibus concessae, quarum series si antiqua privilegia numero et extensione superat, difficultates tamen quae sunt circa naturam, vigorem et numerum eorumdem e medio non tollit. Ad haec amovenda incommoda decessor Noster sanctae memoriae Pius IX, datis ad id similibus litteris die i Octobris anni MDCCCLXVII, plura ex antiquis privilegiis pro Republica Aequatoris ad triginta annorum spatium confirmavit, seu quatenus opus fuerat denuo concessit.

Quum vero ex monumentis ecclesiasticis Americam Latinam respicientibus, quae magna peritorum diligentia collecta atque investigata sunt, probe constet multa ex privilegiis Indiae Occidentali concessis partim haud vigere, partim in dubium esse revocanda; Nos qui Americanas gentes egregie de Ecclesia Romana meritas singulari amore prosequimur, ad tollendas in re tanti momenti perplexitates et angustias animi, quae Episcopos illarum dioecesium aliosque, quorum interest, non raro exagitant, totum dictorum privilegiorum negotium deferri iussimus speciali Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium; qui, post maturam deliberationem, novorum privilegiorum catalogum, exclusis catalogis, summariis et recensionibus in conciliis provincialibus vel aliter editis, conficiendum censuerunt, confectumque Apostolica auctoritate probandum.

Nos igitur, re mature perpensa, pro ea, quam gerimus de omnibus Ecclesiis sollicitudine, eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, ne clerus et populus illarum regionum anteactorum privilegiorum memoria et usu penitus privati maneant, sententiam tenuimus, et quae infra recensentur privilegia pro omnibus Americae Latinae singulisque dioecesibus et ditionibus de Apostolicae potestatis plenitudine ad proximum triginta annorum spatium hisce ipsis litteris concedimus. Quare, quod bonum, felix, faustumque sit, et universae Americae Latinae Ecclesiae benevertat, mandamus, edicimus:

I. Ut eiecti Episcopi in Americae Latinae ditionibus commorantes, postquam promotionis litteras Apostolicas acceperint, nisi aliter in prae-

fatis litteris praescriptum sit, a quocumque maluerint catholico Antistite, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, accitis et assistentibus, si alii Episcopi assistentes absque gravi incommodo reperiri nequeant, duobus vel tribus presbyteris in ecclesiastica dignitate constitutis, vel Cathedralis Ecclesiae Canonicis, consecrationis munus accipere valeant.

II. Ut Concilii Provincialis celebratio ad duodecim annos differri possit, reservato Metropolitae iure illud frequentius, prout necessitas postulaverit, celebrandi, nisi aliter per Sedem Apostolicam postea ordinatum fuerit.

III. Ut Episcopi Sacrum Chrisma, quod ex indico etiam, vero tamen balsami liquore fieri potest, et Olea Sacra conficere possint, iis sacerdotibus adstantibus qui adstare potuerint, et, urgente necessitate, extra diem Coenae Domini.

IV. Ut adhiberi possint Sacra Olea etiam antiqua, non tamen ultra quatuor annos, dummodo corrupta ne sint, et peracta omni diligentia, nova vel recentiora Sacra Olea haberi nequeant.

V. Ut pro omnibus et solis regionibus seu locis, in quibus, magnae distantiae causa vel ob aliud grave impedimentum, perdifficile sit Parochis vel Missionariis ad Baptismum conferendum aquam Sabbato Sancto et Pentecoste benedictam ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secum circumferre, Ordinarii, nomine Sanctae huius Sedis, concedere possint Parochis et Missionariis supra dictis facultatem benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula, qua Missionarios in Peruvia apud Indos summus Pontifex Paulus III uti concessit, quaeque in appendice ad Rituale Romanum legitur.

VI. Ut si propter defectum temporis, improbamque defatigationem, aliisque gravibus de causis perdifficile sit omnes adhibere caeremonias pro Baptismo adultorum praescriptas, parochi et Missionarii, de praevio Ordinarii consensu, uti possint solis ritibus, qui in Constitutione Pauli III *Altitudo,* diei i Iunii MDXXXVII designantur. Insuper ut in iisdem rerum adiunctis Ordinarii nomine Sanctae Sedis concedere valeant Parochis et Missionariis usum ordinis Baptismi parvulorum, onerata in usu huiusmodi facultatis eorumdem Ordinariorum conscientia super existentia gravis necessitatis.

VII. Ut in omnibus et singulis ditionibus Americae Latinae, nulla excepta, omnes sacerdotes tam saeculares quam regulares, quamdiu in praefatis ditionibus moram duxerint, et non alias, singulis annis die secunda Novembris seu die sequenti, iuxta rubricas Missalis Romani, qua nempe commemoralo omnium fidelium defunctorum ab Ecclesia univer-

sali recolitur, tres Missas singuli celebrare possint et valeant, ita tamen ut unam tantum eleemosynam accipiant, videlicet pro prima Missa dumtaxat, et in ea quantitate tantum, quae a Synodalibus Constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit; fructum autem medium secundae et tertiae Missae non peculiari quidem defuncto, sed in suffragium omnium fidelium defunctorum omnino applicent, ad normam Constitutionis Benedictis XIV Pontificis Maximi *Quod expensis,* diei XXVI Augusti MDCCXLVIII.

VIII. Ut omnes fideles annuae Confessionis et Communionis praecepto satisfacere possint a dominica Septuagesimae usque ad octavam diem sollemnitatis Corporis Christi inclusive.

IX. Ut omnes fideles lucrari possint indulgentias et iubilaea, quae requirunt Confessionem, Communionem et ieiunium, dummodo, servato ieiunio, si loco inhabitent ubi impossibile prorsus vel difficile admodum sit Confessarii copiam habere, corde saltem contriti sint cum proposito firmo confitendi admissa quam primum poterunt, vel ad minus intra unum mensem.

X. Ut Indi et Nigritae intra tertium et quartum tam consanguinitatis quam affinitatis gradum matrimonia contrahere possint.

XI. Ut Indi et Nigritae quocumque anni tempore nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo iis temporibus, quibus ab Ecclesia prohibentur nuptiae, pompae apparatum non adhibeant.

XII. Ne Indi et Nigritae ieiunare teneantur praeterquam in feriis sextis Quadragesimae, in Sabbato Sancto, et in pervigilio Natalis Domini Nostri Iesu Christi.

XIII. Ut praeterea Indi et Nigritae absque ullo onere seu solutione eleemosynae, uti possint indulto, quod Quadragesimale dicitur, et quo fideles respectivae dioecesis seu regionis ab Apostolica Sede donantur; ideoque carnibus, ovis et lacticiniis vesci possint omnibus diebus ab Ecclesia vetitis, exceptis quoad carnes diebus in superiori paragrapho xii notatis.

XIV. Ut quandocumque in causis tam criminalibus, quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si prima sententia ab Episcopo lata fuerit, ad Metropolitanum; si vero prima sententia lata sit ab ipso Metropolitano, ad Ordinarium viciniorem absque alio Sedis Apostolicae rescripto appelletur: et si secunda sententia primae conformis fuerit, vim rei iudicatae obtineat, et executioni per eum, qui eam tulerit, demandetur, quacumque appellatione non obstante; si vero illae duae sive ab Ordinario et Metropolitano, sive^ a Metropolitano et Ordinario viciniore latae, con-

formes non fuerint, tunc ad alterum Metropolitanam vel Episcopum ei a quo primo fuit lata sententia, viciniorem eiusdem provinciae appelletur, et duas ex ipsis tribus sententias conformes, quas vim rei iudicatae habere volumus, is, qui postremo loco iudicaverit, exequatur, quacumque appellatione non obstante. Cum autem recursus ad Apostolicam Sedem, etiam omisso medio, sive ante sive post sententias iudicum inferiorum, semper integer manere debeat, ad normam iuris, in usu huius privilegii omnino servandae erunt sequentes conditiones: 1° Ut in singulis causis salva maneat cuique litiganti facultas ad hanc Apostolicam Sedem etiam post primam sententiam recurrendi; 2° Ut in singulis actibus expressa fuit Apostolicae delegationis mentio; 3° Ut causae maiores sint eidem Apostolicae Sedi reservatae ad normam Sacri Concilii Tridentini; 4° Et quoad causas matrimoniales ea custodiantur, quae in Constitutione Benedicti XIV, cuius initium *Bei miseratione*, praestituta sunt.

Abrogatis deletisque Auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis Indiarum Occidentalium privilegiis quocumque nomine vel forma ab hac Sancta Sede prius concessis. - Contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die solemni Paschae XVIII Aprilis MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

A. CARD. MACCHI.

Annus II. - Vol. II. Die 30 Aprilis 1910. Num. 7.

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

CONSTITVTIO APOSTOLICA

DE SVBVRBICARIIS DIOECESIBVS

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Apostolicae Romanorum Pontificum sollicitudinis, vel ab ipsis Ecclesiae primordiis, praecipua pars fuit ut christiani populi salus efficaci et constanti ministerio illorum esset commendata, de quibus scriptum est: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Inter hos principem sane locum obtinent qui, e numero Patrum Cardinalium, sedes occupant Urbi propiores, quibus proinde nomen inditum est Suburbicariis.

Hi Antistites et amplitudine dignitatis et excellentia doctrinae, non minus quam ceteris virtutibus, praesertim liberalitate, munificentia, studio provehendae fidelium salutis, quantum splendoris et opis in loca contulerint ipsorum iurisdictioni subiecta, ad haec usque tempora historiae monumenta testantur. Verum recentius rerum hominumque adiuncta longe immutata, ipsorum regimen effecerunt in dies difficilius. Hinc enimvero memoratae dioeceses graviore in necessitate versantur et impensiorem curam vigilantiamque desiderant. Nam qui ante-

actis temporibus suburbani populi, colendis agris plerique dediti, quietam vitam tutamque ducebant, hodie, multiplicatis commerciis, expeditioribus itineribus, auctoque proinde numero confluentium hominum, in quotidianum vocantur Fidei morumque discrimen. Ex altera vero parte obeunda Cardinalibus in Urbe negotia adeo sunt multiplicata, ut eorum paene mole obruantur, praesertim ob tot tantasque quibus Ecclesia nunc premitur necessitates. Quo fit ut suppeditandis auxiliis et impendendis curis, quibus, commissae iisdem dioeceses in praesenti rerum conditione maxime indigent, ac praestandae operae in negotiis quae apud Apostolicam Sedem pertractantur, ingravescente praesertim aetate, tempus et vires interdum non sufficiant. His de causis Apostolicae Sedi opportunum et necessarium visum est suburbicariis dioecesibus eorumque regimini aliquam temperationem afferre, qua Cardinales Episcopi Suburbicarii, sarcta tectaque eorum dignitate in dioecesibus sibi commissis, per efficacius Suffraganeorum ministerium suppetias haberent, atque ita et pastoralis sollicitudo ipsis fieret aliquanto levior et suarum dioecesum spiritualibus necessitatibus melius consuleretur.

Quare omnia matura deliberatione complexi, adhibitisque in consilium pluribus S. R. E. Cardinalibus, quos inter Suburbicariis, firmo manente iure constituto de optione et nominatione Patrum Cardinalium ad suburbicarias dioeceses, vi praesentium Litterarum constituimus ac praecipimus ut circa Episcopos Cardinales Suburbicarios eorumque Suffraganeos legum capita, quae infra scripta sunt, perpetuo inviolateque serventur.

I. Cardinalis, ad Sedem suburbicariam promotus, ipse verus est Episcopus dioecesis, cuius possessionem inibit eadem ratione qua ceteri episcopi residentiam habentes.

II. Disciplina quae huc usque viguit ut Emis Episcopis Sabinensi et Veliterno adiutor daretur suffraganeus Episcopus, ad omnes extenditur Cardinales Suburbicarios, quibus idcirco

singulis suus erit in posterum suffraganeus Episcopus cum sede titulari.

III. Suffraganeus a Summo Pontifice nominabitur et sui officii possessionem capiet, litteras nominationis exhibendo Episcopo Cardinali.

IV. Cardinalis Suffraganeo adtribuat et vi praesentis Constitutionis irrevocabiliter adtribuisse praesumitur, omnia ad regendam dioecesim necessaria ita ut uni Suffraganeo sint in dioecesi gubernanda eadem iura et officia ac Episcopo residenti, quae hisce litteris contraria non sint.

V. Suffraganeus dioecesim gubernat nomine et vice Cardinalis.

VI. Cardinali vita functo vel renuntiante vel ad aliam dioecesim translato, Suffraganei iurisdictio non cessat, sed ipse dioecesim tunc regit nomine Sanctae Sedis ad instar Administratoris Apostolici.

VII. Ipse debet quotannis de statu dioecesis etiam oeconomico ad, Cardinalem referre.

VIII. Ubi fieri poterit pars aedium episcopalium a Sancta Sede destinabitur Suffraganeo et Curiae.

IX. Ad unum Cardinalem pertinent solemnes oleorum benedictiones et pontificalia in festis anni maioribus, prout in *Caeremoniali episcoporum* descripta sunt; nisi forte Cardinalis ipse velit ea Suffraganeo committere.

X. Cardinalis debet Missam, sicuti ceteri episcopi residentes, pro populo applicare.

XI. Insigne tantum Cardinalis domui episcopali, cathedrali aedi, aliisque templis, piisve de more locis et actis Curiae apponatur.

XII. Solium in dioecesi et nomen in canone Cardinali uni competit.

XIII. Cardinalis, etiam absens, facultate pollet per universam dioecesim largiendae indulgentiae dierum biscentum

XIV. Uni Cardinali, quo tempore in dioecesi commoratur, ius est pontificalia in eadem peragendi aut permittendi.

XV. Beneficia Capitulorum sive cathedralium sive collegialium et beneficia parochialia Sanctae Sedi non reservata, nequeunt a Suffraganeo, servatis servandis, conferri absque Episcopi Cardinalis consensu.

XVI. Cardinalis ius est vigilandi dioecesim, et, si opportunum duxerit, etiam lustrandi, ne quid fides aut ecclesiastica disciplina detrimenti patiatur.

XVII. Potest in sua dioecesi Cardinalis matrimoniis assistere et reliqua sacramenta ministrare omnia. Candidati tamen ad tonsuram et ad ordines doctrinae periculo subiiciantur et probentur a Suffraganeo; cui ceterum non licet ordines conferre, aut conferendos alii committere absque venia Cardinalis.

XVIII. Synodus haberi nequit sine consensu Cardinalis; eiusque nomine convocanda est. Synodi autem decreta antequam promulgentur, Cardinali cognoscenda deferantur, eiusque nomine promulgari debent.

XIX. Beneficia etiam parochialia in dioecesi ne uniantur, dividantur, dismembrentur, inaudito Cardinali.

XX. Idem Cardinalis audiri debet, antequam Seminarii rector, professores, oeconomus nominentur.

XXI. Vita functo Suffraganeo vel renuntiante vel ad aliam dioecesim translato, Cardinalis per vicarium dioecesis administrationi providebit, donec a Sancta Sede nominetur successor.

XXII. Vita functo Cardinali eadem debentur iusta funebria quae Cardinali Episcopo residenti.

Igitur quaecumque his Litteris decreta, declarata, sancita sunt ab omnibus ad quos pertinet servari volumus ac mandamus,

eaque rata, valida, firma in omnes partes esse ac fore decernimus, contrariis non obstantibus quibuslibet, etiam specialissima mentione dignis. Cardinales autem qui modo Suburbicariis dioecesibus praesunt, eas regere pergant, ut ante, nisi velint ac petant praesenti Constitutioni se accommodare.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo decimo, die 15 Aprilis, Pontificatus Nostri anno septimo.

A. CARD. AGLIARDI
E. E. Cancellarius.

G. CARD. DE LAI
S. C. Consistorialis Secretarius.

VISA

Loco Plumbi.

M. RIGGI G. A., *Not.*

Reg. in Canc. Ap. N. 556.

MOTU PROPRIO

CONFIRMANTUR CONSOCIATIO SACRI CORDIS IESU AD SCHOLAM PIAM, CONCREDITURQUE AULA PIA SODALIBUS MARIANIS A MISERICORDIA.

Quum disciplinae christianae atque eruditioni puerorum ex vico, qui a ponte Aelio initium capit et ad Vaticanum porrigitur, consultum vellet decessor Noster sanctae memoriae Pius IX, anno MDCCCLIX scholas elementorum ad aream Piam instituit, earumque curationem ac regimen Sodalibus Marianis a Misericordia dedit: quodque instituerat, id ipsum anno MDCCCLXI chirographo confirmavit. Tam longo spatio, sodales eo semper studio mandatum sibi munus administrarunt, ut exspectationi Pontificis cumulate satisfecerint. Quin etiam, gnari temporum, quae ad instituendam rite iuventutem novas usque opes requirunt, ii, ne adolescentulos, qui primordia studiorum supergressi essent, in illo aetatis aestu indefensos ab illecebris corruptelarum relinquerent, optimo sane consilio Consociationem iuvenum, a Sacro Corde Iesu appellatam, apud suas ipsorum scholas condiderunt. Orta autem haec est Consociatio sub initio Pontificatus Nostri, Nobis quidem valde probantibus: qui, ut consociatis proprius esset locus, quo convenirent, atque ubi pro suo instituto versarentur, impensa Nostra et ex munifica piorum hominum

collatione, in horto scholae adiacente aedificium exstruximus, cui de nomine Nostro *Aulae Piae* nomen adhaesit. Iam rei tam salubriter institutae placet auctoritatis Nostrae pondus addere, quo confirmata stabilitatem obtineat. Nos itaque motu proprio et certa scientia Consociationem Sacri Cordis Iesu ad Scholam Piam, quae consociatio in bonum alumnorum veterum condita, tamen aliis quoque adolescentulis viciniae patet, ratam habemus et confirmamus. Praeterea Sodalibus Marianis a Misericordia uti cura et gubernatio Scholae Piae demandata est, ita Consociationem hanc iuvenum curandam, regendam administrandamque in perpetuum tradimus. Item Aulam Piam cum omni aedificiorum accessione, quae vel iam facta est vel postea fiet in complementum Operis, eorumdem Sodalium custodiae et curae concredimus. Denique interdicimus, ne quis hanc Aulam et haec aedificia ad alios usus convertat, quam quibus iam nunc a Nobis, ceterisque beneficii auctoribus, destinata sunt.

Atque omnia, quae his Nostris litteris decreta sunt, rata esse volumus in perpetuum, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

LITTERAE APOSTOLICAE

ERECTIO SODALITII SUB TITULO MISSAE REPARATRICIS IN ARCHISODALITATEM PRO UNIVERSA HELVETIA CUM FACULTATE AGGREGANDI ET CUM COMMUNICATIONE INDULGENTIARUM.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Refert ad Nos dilectus filius Ioannes Ev. Kleiser, protonotarius apostolicus et canonicus B. Mariae Virginis Friburgi, per decretum sub die xxiv Novembris mensis, anno MDCCCCIX, ab Ordinario dioecesis Lausannensis et Genevensis editum in instituto Societatis Marienheim appellatae, Friburgi Helvetiorum, canonice erectam fuisse piam sodalitatem sub titulo Missae Reparatricis, ipsumque Ioannem sive alium sacerdotem ab eodem delectum atque in munere successorem, confraternitatis illius. Rectorem fuisse designatum. Finis sodalitatis enunciatae est honorem Dei a christianis omissione Missae festivis diebus laesum per alterius Missae auditionem piare, ita ut sodales iidem praeter Missam consuetam, diebus dominicis ac de praecepto

festis, quasi locum christifidelium negligentium obtinentes, alteram Missam audire teneantur, et si gravi de causa impediantur, quominus ad alterum sacrum illis diebus assistant, fas sit ipsis vel se Eucharisticis dapibus eadem illa dominica reficere, vel intra hebdomadam Sacro adstare.

Verum cum praedictae Sodalitates iam in Gallia, Belgio, Hollandia, Austria, Britannia, Hispania ac Germania institutae sint respective Nationales, id est in unaquaque natione Archisodalitas existat, reliquarum centrum et caput; et supradicto Friburgensis sodalitii Moderatori, in votis admodum sit, ut societatem eandem Friburgi erectam, ad gradum ac dignitatem archisodalitii pro tota Helvetia evehere dignaremur, additis peculiaribus indulgentiis, quae iam concessae sunt similibus archisodalitatibus, et nuperrime archisodalitio dioecesis Argentinensis per similes apostolicas litteras die xxv Iunii mensis, anno MDCCCCVI datas; Nos votis his annuendum, quantum in Domino possumus, existimamus. Itaque ut frugifera huiusmodi societas potiora capiat incrementa, illi omnes et singulas indulgentias conferimus quibus Argentinensis archisodalitas pollet. Nimirum omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu qui ipsam Friburgensem a Missa Reparatrice nuncupatam societatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi Sacram Synaxim sumpserint, plenariam; ac tum inscriptis quam in posterum inscribendis eadem in societate sodalibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si item vere poenitentes et confessi, vel, quatenus id facere nequiverint, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium submisso animo susceperint, etiam plenariam; denique iisdem nunc et posterum similiter existentibus societatis eiusdem sociis, si item admissorum confessione expiati ac coelestibus epulis refecti, singulis annis die festo Perdolentis Virginis ab ortu, et die festo Sanctae Annae Deiparae Virginis Matris, dominica infra octavam sollemnitatis SS. Corporis Christi Domini, et feria quinta in Coena Domini, a primis vesperis ad occasum solis dierum huiusmodi, propriam respectivae societatis ecclesiam, si extet in locis ubi ipsi sodales degunt, secus cuiusque curiale, aut aliud quodvis publicum templum visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo ex iis die id agant similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper iisdem confratribus sive sororibus, quoties corde saltem contrito, iuxta societatis tabulas pietatis quodvis sive charitatis

opus exerceant, de numero poenalium dierum in forma Ecclesiae consueta expungimus sexaginta. Sed largimur fidelibus iisdem si malint fas sit, excepta plenaria in mortis articulo lucranda indulgentia, reliquis plenariis sive partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Praeterea cum maxime peropportunum Nobis videatur, ut etiam in Helvetia centrum constituatur pro huiusmodi Sodalitio, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum Sodalitatem superenunciatam a Missa Reparatrice nuncupatam Friburgi Helvetiorum erectam in Instituto Societatis *Marienheim* appellatae in Archisodalitatem cum propriis privilegiis erigimus atque instituimus.

Archisodalitatis autem sic erectae Moderatori potestatem facimus nominandi zelatores atque zelatrices facultate gaudentes legitime ac valide recipiendi atque aggregandi sodales. Ipsi denique moderatori, et memoratis zelatoribus et zelatricibus praesentibus et futuris similiter perpetuo, apostolica Nostra auctoritate concedimus, ut ipsi alias quascumque eiusdem nominis atque instituti societates in tota Helvetia existentes, canonice sibi aggregare queant; illisque omnes et singulas indulgentias, relaxationes ipsi Archisodalitati a Sede Apostolica concessas, dummodo aliis communicari possint, in forma Ecclesiae consueta communicare valeant, servatis tamen Clementis PP. VIII Nostri Praedecessoris Constitutione, aliisque apostolicis ordinationibus desuper editis. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, die vi Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. £g S. *a Secretis Status.*

EPISTOLA

AD R. D. SEBASTIANUM CORRADI CANONICUM, PRAEPOSITUM AEDIS METROPOLITANAE GENUENSIS, OB CENT
RINAE FLISCAE.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod ex tuis litteris intelleximus, te lectisque viris curantibus, celebres istic app arari honores Catharinae Fliscae, cuius a beato exitu propediem plenum erit quartum saeculum, id quidem Nobis non accidit mirum, qui singularem Genuensium pietatem probe cognitam haberemus. Etenim fieri non poterat, ut tam religiosa civitas sibi deesset hoc tempore, nec vellet omni studio memoriam celebrare sanctissimae feminae, quae tantum ipsius lumen et decus extitisset. At, si non mirum, id tamen pergratum accidit, nempe vestra ipsorum causa, quibus omnibus sacra ista solemnia valde ad salutem profutura confidimus. Nam et praeclara virtutum exempla recolentes, quae in vita elucent maximae civis, animos sumatis oportebit ad retinendam avitam Fidem, atque ad vivendum congruenter, et piae voluntatis significationibus eam prosequentes, ipsius certe de caelis patrocinium vobis et civitati vestrae magis magisque conciliabitis. Nos autem Deum benignum quaesumus, hos velit, quos exspectamus fructus, esse uberrimos; atque auspicem divinorum munerum, tibi, dilecte fili, et Genuensibus universis apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xi Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I.

DECRETUM

DE SECRETO SERVANDO IN DESIGNANDIS AD SEDES EPISCOPALES IN FOEDERATIS STATIBUS AMERICAE SEPTENTRIONALIS.

Recta ecclesiasticae disciplinae ratio postulat, ut nomina eorum qui ad provisionem sedium episcopalem in *Foederatis Statibus* Americae Septentrionalis a cleri consiliis, iuxta leges ibi vigentes, S. Sedi proponuntur, secreta omnino serventur. Hoc exigit decus ecclesiasticae electionis et gravitas negotii, reverentia erga supremum Romani Pontificis iudicium quod invocatur, ipsaque iustitia candidatis debita. Nam cum horum nomina, ut saepe accidit, patefiunt, hoc ipso publicae discussioni exhibentur, quae pro varia hominum ac diariorum acceptione aliquando aequa est, saepius iniusta et iniqua. Quod, cum honori candidati, et aliquando absque facili plenaque reparatione, detrahit, tum etiam sereno S. Sedis iudicio et iustae electionis libertati impedimentum affert. Unde fit ut optimi plures ne in candidatorum album referantur totis viribus refragentur, non solum ob iustissimum tanti officii timorem, sed etiam ne in vulgi ore versentur et in varias vituperationes incurrant.

Quae considerantes aliquot Rmi huius regionis Praesules aliique etiam praeclarissimi viri, S. Sedem pro opportuno remedio rogaverunt.

SSmus autem D. N. Pius PP. X ut in re tanti momenti cognosceret quae iusta quae opportuna statui possent, omnes et singulos *Statuum Foederatorum* Americae Antistites audiri iussit.

Modo vero, de consulto Emorum Patrum S. G. Consistorialis, iuxta vota ferme concordia omnium illius regionis Antistitum, ea quae sequuntur statuit, et ut ab omnibus ad quos spectat adamussim serventur mandavit:

1. Convenientibus dioecesanis consultoribus et parochis qui ius habent suffragium ferendi pro prima candidatorum propositione, vulgo *tema,* ab initio sessionis omnes et singuli coram Praesule praesidente iusiurandum dabunt de secreto servando circa nomina quae in discussionem veniunt, et circa ea quae ex maiore suffragiorum numero probata manent, ut Episcoporum iudicio subiiciantur.

% Si quis consultor, quod Deus avertat, iuramento desit, praeter alias poenas quibus obnoxius evadere potest, statim a consultoris officio removendus erit: si parochus, poena erit perpetua privatio iuris ad suffragium ferendum.

3. Episcopi idem secretum servare *sub gravi* obligantur: et ab initio sessionis in qua de candidatorum scrutinio agitur, Praeses de hac obligatione eos opportune admonebit. -

4. Ad idem secretum *sub gravi* tenentur Apostolicae Delegationis administri, iuxta iuramentum quod ab iisdem praestari solet; et ii quoque ad quos forte Apostolicus Delegatus se diriget ut opportunas notitias de candidatis habeat: qua de re sive verbis, sive litteris aliquem interpellet, ipse tenetur de gravi

5. Exemplar huius decreti in singulis curiis episcopalibus servetur, ut omni tempore singulis ad quos spectat norma et regula sit.

Praesentibus valituris contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 30 Martii 1910.

G. CARD. DB LAI, *Secretarius.*

L. i$is.

S. Tecchi, *Adsessor.*

II.

NOVA APOSTOLICAE CANCELLARIAE REGULA PRO SUBSCRIPTIONE CONSTITUTIONUM APOSTOLICARUM.

De novis Apostolicis Constitutionibus edendis post ea quae in Apostolica Constitutione « *Sapienti consilio* » statuta sunt, SSmus Dominus Noster|Pius PP. X, audito quorumdam Emorum S. R. E. Cardinalium consilio, decernere dignatus est, ut Constitutionibus huiusmodi in posterum una subscribant Cardinalis S. R. E. Cancellarius, et Cardinalis qui officio praeest ad cuius competentiam res pertinet in eadem Constitutione pertractata; et ut duplex earumdem Constitutionum exemplar, alterum a Summo Pontifice, alterum a memoratis patribus Cardinalibus subscriptum in Apostolicae Cancellariae tabulario custodiatur et servetur.

Die 15 Aprilis 1910.

De speciali mandato SSmi D. N. Pii Papae X.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

III.

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis, elegit:

18 martii 1910. — R. P. D. Salvatorem Scanu, episcopum S. Marci et Bisiniani, in Administratorem Apostolicum dioecesis Cassanensis ad nutum S. Sedis durante sedis vacatione.

2 aprilis 1910. — R. P. D. Ioannem Baptistam Gorordo, episcopum titularem Nilopolitanum, in episcopum ecclesiae cathedralis Caebuanae (Cebù).

R. D. Ioannem Bernardum Mac Ginley, presbyterum dioecesis Philadelphiensis, in episcopum ecclesiae cathedralis de Cáceres (Nueva-Càceres).

7 aprilis 1910. — R. D. Vincentium Kluczynski, dioecesis Vilnensis, in archiepiscopum ecclesiae metropolitanae Mohiloviensis (Mohilew).

R. P. D. Gasparem Felicianum Cyrtowt, episcopum titularem Castoriensem, in episcopum ecclesiae cathedralis Samogitiensis (Samogizia).

R. P. D. Antonium Karas, episcopum titularem Dorylensem, in episcopum ecclesiae cathedralis de Sejna seu Augustoviensis (Seyna).

R. D. Augustinum Losiñski, canonicum poenitentiarium metropolitanae ecclesiae Mohiloviensis, in episcopum ecclesiae cathedralis Kielcensis (Kielce).

R. D. Marianum Ryx, parochum loci *Wierzbica,* in episcopum ecclesiae cathedralis Sandomiriensis (Sandomir).

R. D. Longinum Zarnowiecki, rectorem academiae ecclesiasticae Petropolitanae, in episcopum titularis ecclesiae Mosynopolitanae et] in suffraganeum episcopo Luceoriensi et Zytomeriensi deputatum.

9 aprilis 1910. — R. D. Timotheum Corbett, rectorem cathedralis ecclesiae Duluthensis, in episcopum ecclesiae cathedralis Crookstoniensis (Crookston).

R. P. D. Vincentium Wehrle, O. S. B., abbatem monasterii S. Mariae apud Richardson, in episcopum ecclesiae cathedralis Bismarckiensis (Bismarck).

R. D. Iosephum F. Busch, moderatorem Missionariorum dioecesanorum S. Pauli de Minnesota, in episcopum ecclesiae cathedralis Leadensis (Lead).

12 aprilis 1910. — R. D. Iosephum Petrelli, secretarium Delegationis Apostolicae in Philippinis insulis, in episcopum ecclesiae cathedralis Lipensis (Lipa).

R. D. Paulum Singzon, vicarium generalem episcopi Cebuani, in episcopum ecclesiae cathedralis Calbayoganae (Calbayog).

Postulante Rmo Archiepiscopo Turritano ob suam infirmam vale¬iudinem ut relevaretur ab onere actualis curae suae archidioecesis et administrationis dioecesum Ampuriensis et Templensis, SSmus D. curam actualem earumdem dioecesum commisit R. P. D. Bernardo Pizzorno, •episcopo titulari Comanensi, auxiliari Turritani Archiepiscopi.

13 aprilis 1910. — R. D. Ioannem Arthurum Chollet, professorem in Universitate Insulana, in episcopum ecclesiae cathedralis Virdunensis (Verdun).

R. D. Adolphum Manier, vicarium generalem episcopi Augustodu¬nensis, in episcopum ecclesiae cathedralis Bellicensis (Belley).

R. D. Petrum Chatelus, parochum S. Francisci Salesii in civitate Lugdunensi, in episcopum ecclesiae cathedralis Nivernensis (Nevers).

15 aprilis 1910. — R. D. Iosuè Signori, pro-vicarium generalem episcopi Bergomensis, in episcopum cathedralis ecclesiae Fossanensis {Possano).

R. D. Georgium Gusmini, parochum ecclesiae S. Alexandri in civitate Bergomensi, in episcopum cathedralis ecclesiae Fulginatensis (Foligno).

R. D. Nicolaum Gola, canonicum metropolitanae ecclesiae Cameri¬nensis, in episcopum ecclesiae cathedralis Marsorum (Marsi).

R. D. Emmanuelem Virgilio, vicarium generalem episcopi Venusini, in episcopum Oleastrensem (Ogliastra).

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

IV.

ERECTIONES DIOECESUM.

SSmus Dominus Noster Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis, erexit:

11 novembris 1909. — Sedem episcopalem Natalensem (Natal) provinciae ecclesiasticae S. Salvatoris de Bahia in statu reipublicae Bra«ilianae.

15 decembris 1909. — Sedem episcopalem Aracayuensem (Aracayù) pariter provinciae ecclesiasticae S. Salvatoris de Bahia in statu reipublicae Brasilianae.

31 decembris 1909. — Sedes episcopales Crookstoniensem (crookston) et Bismarckiensem (Bismarck) provinciae ecclesiasticae S. Pauli de Minnesota in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis.

21 ianuarii 1910. — Sedes episcopales Corrientensem (Corrientes) et de catamarca provinciae ecclesiasticae Bonaêrensis in republica Argentina.

10 martii 1910. — In metropolitanam evexit sedem episcopalem Cuiabensem (Cuyabà) eique suffraganeas constituit duas novas sedes episcopales S. Aloisii de Cáceres et Corumbensem (Corumbà) in statu *Matto Grosso* reipublicae Brasilianae.

10 aprilis 1910. — Erexit in Insulis Philippinis quatuor novas sedes episcopales: Lipensem (Lipa), Calbayoganam (Calbayog), Tuguegaraoanam (Tuguegar fecturam apostolicam Palawanam easque suffraganeas constituit metropolitanae ecclesiae Manilanae.

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

S. CONGREGATIO CONCILII

THEANEN. *(Theano).*

MISSARUM PRO POPULO

Die 9 Aprilis 1910.

SYNOPSIS DISPUTATIONIS. — In oppido Gallutii dioecesis Theanensis sex numerantur paroeciae, quarum quinque iam a remoto tempore unitae sunt paroeciae principali, quae insimul Collegiata est sub titulo S. Stephani protomartyris. De his quinque paroeciis disceptatur an verae paroeciae sint a principali distinctae, et an earumdem rectores oneri celebrandi Missam pro populo diebus festis subesse debeant. Cum enim hodiernus Episcopus praefatos parochos monuisset ut,

iuxta indultum sibi a Sacra Congregatione concessum, in festis suppressis Missam ad Episcopi mentem litarent in bonum seminarii, parochi nonnisi ad tempus et in obsequium Episcopi iussa ipsius facere declaraverunt, asserentes in vim u ciam existere, et proinde « che non sono obbligati a celebrare *ad mentem « Episcopi* le Messe nei dì festivi abrogati, come hanno sèmpre praticato « a non celebrarle sino alla venuta dell' Amministratore Apostolico « Mons. Caracciolo. Che se per questo applicarono le poche Messe, fu « perchè in Curia si disse che ciò era *ad tempus* per supplire alle spese « straordinarie dallo stesso sostenute e che si sostenevano per la stessa « amministrazione. Che se al venerato ordine dell'E. V. Rma i sottoscritti « pure si sono finora uniformati, lo è stato per lo stesso intendimento, « cioè delle spese non lievi dall'E. V. sopportate, e non perchè siano « tenuti ». Instabant itaque apud Episcopum, ut « voglia confermare la « pratica da essi poveri parroci sempre tenuta, di celebrare cioè le sole « annue Messe ventitré per ognuno e sgravarli da altro peso non dovuto ». Ut autem statim intelligatur quare de obligatione celebrandi tantum annuas Missas 23 parochi loquantur, referam Capitulum Collegiatae S. Stephani, cui sex parochi adnumerabantur, ob imminutos reditus, anno 1850, obtinuisse a S. Congregatione EE. et RR. sanationem et condonationem praecedentium omissionum et pro futuro « usque dum *le risaie* ad pristinum statum restituantur » reductionem onerum Missarum ad annuas 270, quae ex fundatione 1135 erant. Porro, suppressa Collegiata, cum ex canonicis tantum sex parochi supersint, hi suae obligationi satisfaciunt applicando annuatim unusquisque Missas 23, scilicet eam partem quae unicuique canonico obtigeret pro rata reditus. Notandum praeterea in precibus S. C. EE. et RR. oblatis anno 1850 additum non fuisse elenchum legatorum quorum reductio postulabatur; verum ceu de more munus rescriptum exequendi et conficiendi novam tabellam Episcopo commissum fuit, qui hoc postremum negotium Capituli Primicerio concredidit. Porro in nova tabella a Primicerio confecta, quam modo exhibent parochi et de cuius authenticitate Episcopus dubium non movet, primo loco ponuntur: *Missae pro populo,* quae ex 365 ad annuas 91 reductae fuerunt. Haec est quaestio, quam Episcopus resolvere non audet et quam proinde S. V. O. definiendam proposuit.

Cum autem quaestionis solutio praecipue desumenda videatur ex natura quinque paroeciarum, quae nunc sub titulo sunt S. Mariae dei Casale, S. Iacobi Apostoli, S. Bartholomaei Apostoli, S. Laurentii et SS. Clementis et Donati, praestat documentum antiquius quod habetur unionis ecclesiarum Gallutii ecclesiae S. Stephani referre. Huiusmodi

documentum est Bulla quaedam Iulii II, anno 1505 nono calendas Februarii data, in qua haec inter cetera leguntur: « Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim b. m. Angelo tit. S. Laurentii in Damaso Presb. Card. in Regno Siciliae et Terra citra pharum dictae Sedis Legato pro parte tunc archipresbyteri dictae ecclesiae S. Stephani et praefatorum Capituli exposito, quod ecclesiae S. Andreae de Carpulo et S. Mariae de Sipicciano ac S. Donati de Sancto Donato, necnon S. Reparatae de Sancta Reparata, et S. Clementis de Sancto Clemente ac S. Honuphrii de Sancto Honuphrio, necnon S. Quiri de Sancto Quiro et S. Mariae de Casali parochiales, ac S. Blasii de Sancto Biasio, nec non S. Silvestri de Sancto Silvestro... sine cura ecclesiae territorii sive districtus terrae Gallutii dictae dioecesis a tempore fundationis earumdem ecclesiarum et per tantum tempus, cuius initii memoria hominum non existebat, fuerant et esse consueverunt ac tunc existebant immediate subiectae dictae ecclesiae S. Stephani ac eidem Capitulo, etc. Idem Angelus Cardinalis et Legatus tunc archipresbyteri et Capituli S. Stephani praedictorum in ea parte supplicationibus inclinatus, praefatas ecclesias... cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem ecclesiae Sancti Stephani, seu illius mensae Capitulari, auctoritate suae legationis perpetuo univit, concessit et incorporavit, ita quod iiceret eidem archipresbytero et Capitulo S. Stephani per se, vel alium seu alios corporalem possessionem unitarum ecclesiarum et cappellaniae iuriumque et pertinentiarum praedictorum propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere illarumque fructum redditus et proventus in suos ac mensae et unitarum ecclesiarum et cappellaniae huiusmodi usus et utilitatem convertere, etc... Cum autem sicut eadem petitio subiungebat ut ipse archipresbyter et Capitulum S. Stephani in pacifica possessione tam parochialium quam sine cura ecclesiarum et cappellaniae unitarum praedictarum a tanto tempore, cuius memoria hominum non existit, fuerint et sint, illarum curam et gubernationem canonicis, presbyteris et clericis dictae ecclesiae S. Stephani committendo, ita ut fructus earumdem unitarum ecclesiarum et cappellaniae inter omnes canonicos, presbyteros et clericos ac alias personas ipsius ecclesiae S. Stephani, ac aliis unitis ecclesiis praedictis ita divinis officiis deservientes distribuantur et dividantur, ac ratione divisionis huiusmodi singuli canonici, presbyteri et clerici eiusdem ecclesiae S. Stephani unam congregationem sive societatem inter se facere videantur, sintque etiam ipsi Capitulum et canonici S. Stephani in pacifica possessione, vel quasi, eligendi ad archipresbyteratum, etc... Nobis fuit humiliter supplicatum ut unioni, annexioni, incorporationi et consuetudini praedictis, pro illarum subsistentia firmiori,

robur Apostolicae confirmationis adiicere, ac pro potiori cautela singulas parochiales et sine cura, per dictum Angelum Cardinalem et Legatum unitas de novo, ac post unionem huiusmodi fundatas ecclesias praedictas praefatae mensae perpetuo unire, adnectere et incorporare aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur... huiusmodi supplicationibus inclinati, unionem, annexionem, incorporationem et consuetudinem praedictas auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, supplemusque omnes et singulos defectus si qui forsan intervenerint in eisdem, et nihilominus pro potiori cautela parochiales et sine cura, ut praefertur, unitas ac post unionem huiusmodi fundatas singulas ecclesias praedictas, quibusvis modis et ex quorumcumque personis seu per literas resignationes, etc... cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem mensae capitulari de novo respective perpetuo auctoritate et tenore praedictis unimus, adnectimus et incorporamus, ita quod liceat eisdem archipresbytero et Capitulo per se vel alium seu alios corporalem possessionem per dictum Legatum unitarum continuare... proviso quod propter unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi parochiales et sine cura ecclesiae unitae singulae praedictae debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in dictis parochialibus ecclesiis nullatenus negligatur, sed illarum ac sine cura ecclesiarum singularum praedictarum congrua supportentur onera consueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, etc. ». Sequuntur suetae clausulae irritantes.

Adest praeterea vetus exemplar sessionis Synodi Provincialis Capuanae in qua coram Archiepiscopo et Episcopis comparuit archipresbyter oppidi Gallutii qui, postquam superius exposita commemoravit et Bullam Iulii II exhibuit, retulit: « Datum est nuper intelligi Reverendissimum Ordinarium Theanensem velle aliquid supradictis innovare, et Capitulo suas ecclesias parochiales praedictas ad libitum conferre, et desuper Bullam praedictam, ut superius dictum est, expeditam et concessam dictis Capitulo et canonicis, ut dictat, observari petit comparens ipsi nomine, quo in dicta Provinciali Synodo per Illmos et Rmos DD. Archiepiscopum et Episcopum ordinari et decerni dictos canonicos et Capitulum S. Stephani praedicti esse manutenendos in eorum pacifica possessione nihilque innovari circa unionem praedictam et perceptionem et divisionem fructuum ac potestates eligendi personas in dicta ecclesia S. Stephani ad archipresbyteratum et primiceriatum iuxta etc, et nihil innovari, cum omni qua decet reverentia, tenorem Bullae praedictae, et ita petit et supplicat omni modo meliori ». Subditur autem: « Cura animarum sit apud Collegium, exercitium vero cum sit approbatarum

personarum a Rmo Episcopo secundum formam S. Concilii Tridentini ex eodem tamen Collegio, sine Bullis illius. Provisum per Illmum et Rmum D. Archiepiscopum Capuae de voto et concilio Rmorum Episcoporum ibidem praesentium. Capuae die 10 Novembris 1577 ».

His praemissis ad facta enucleanda, referam parochos oppidi Gallutii instare ut declarentur immunes ab onere Missae pro populo sequentes ob rationes:

« Perchè la natura del benefìcio, che ciascuno di essi parroci possiede, ha carattere non di vera parrocchia ai sensi del S. C. di T. *(sess. XXIV, cap. 13, de Reform.),* ma di una vera economia. In altri termini il beneficio che ciascun parroco possiede non è originariamente di istituzione parrocchiale. Esso non rappresenta che una prebenda del patrimonio collettivo della Collegiata.

Che a comprovare meglio la natura del benefìcio, essi parroci presentano al loro Eccmo O. D. l'originale Bolla di Giulio II, 9 Febbraio 1505... nonché un manoscritto antico di pag. ed una decisione del Sinodo Provinciale di Capua del 10 Nov. 1577 sull'indole e natura della Collegiata di S. Stefano, che cioè: *Cura animarum sit apud Collegium, exercitium vero cum sit approbatarum personarum a Revmo Episcopo, secundum formam Concilii Tridentini, ex eodem tamen Collegio sine Bullis illius.* E da ciò risulta chiaro, che, secondo la costituzione della Collegiata, i par stessa.

In qual modo poi debba intendersi la unione delle parrocchie alla Collegiata di S. Stefano, oltre che risulta dalla stessa Bolla, in virtù della quale, come collettiva ed unica è la cura *apud collegium,* collettivo ed unico è pure il peso, si fa chiaro ancora:

a) dai libri delle Messe, dai quali risulta (si presenta all' Ordinario Diocesano il libro dal 1805 al 1830) che le Messe *pro populo* e Pii Legati si portavano dal Collegio Capitolare, ripartite per 12 Canonici e 4 Porzionarï, compresi i Canonici Parroci; quale ripartizione non avrebbe avuto luogo se le Parrocchie fossero state autonome e la cura non fosse stata collettiva;

b) dal fatto che presso niuna Parrocchia, ma solo presso la Collegiata, trovasi il libro delle Messe *pro populo* e dei Pii Legati.

Perchè, venuta la soppressione della Collegiata, ogni Canonico non Parroco ebbe dal Demanio, per la prebenda soppressa, un assegno di circa L. 200, e ai Canonici Parroci, ai quali sono successi gli attuali parroci, fu fatta salva la sola prebenda in grazia della cura. Sicché i 6 Parroci, successori dei 6 Canonici Parroci della Collegiata,

posseggono, ognuno, quella prebenda che possedeva il Canonico Parroco, la quale essendo spoglia della quota-corale e cultuale, già in potere del Demanio, appena dà, al netto, L. 200 annue, giusta la liquidazione fatta dal Fondo per il Culto.

Infine giova far osservare per ragione che, *similia similibus,* anche nei Comuni limitrofi di Mignano, diocesi di Teano, di circa 3600, e di Roccadevandro, diocesi di Monte Cassino, di circa 3500 abitanti, vi sono delle Chiese Collegiali soppresse, nelle quali pure unica era la cura e collettiva la Messa *pro populo,* e con questa differenza, che mentre in ciascuno dei detti due Comuni la popolazione è uguale a quella del Comune di Galluccio, forse pure superiore; la prebenda, fatta salva per cura, in quella di Roccadevandro tiene un reddito netto sopra le L. 1000, ed in quella di Mignano sopra le L. 800 ».

Afferunt praeterea rescriptum S. C. EE. et RR. et elenchum Missarum, de quibus supra, ex quibus confirmari contendunt onus applicandi Missas *pro populo* Capitulo Collegiatae S. Stephani inesse, ideoque ab eo sex parochos, qui non sunt nisi Capituli vicarii amovibiles, exemptos esse declarandos.

Ex alia vero parte Episcopus rationem dubitandi habet ex eo quod, quidquid de antiqua unione sit, in facto modo sex parochi « hanno avuto Bolla propria, hanno chiesa propria con propri redditi, indipendente l'uno dall'altro nel ministero parrocchiale, hanno popolazione propria, e ciascuno è fornito di separata prebenda ed hanno anche il supplemento di congrua ».

Ceterum observari posset haud bene perspectum esse ex superius relatis documentorum verbis per unionem ecclesiarum parochialium ecclesiae Collegiatae Sancti Stephani immutatam fuisse earum naturam ita ut ex pluribus paroeciis una tantum efformanda esset. Siquidem in Bulla Iulii II semper exstinctio manet et repetitur inter ecclesias parochiales et ecclesias sine cura animarum quae Collegiatae unitae fuerunt, ac de omnibus expresse cavetur: « provisio quod propter unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi parochiales et sine cura ecclesiae unitae singulae praedictae debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in dictis parochialibus ecclesiis nullatenus negligatur, sed illarum . . . . congrua supportentur onera consueta ». Quoad reliqua tandem animadvertendum videtur rescriptum S. C. EE. et RR. et elenchum Missarum allatum evidenter ad rem non facere: factum vero quod hucusque parochi se non obligari putarunt ad Missas *pro populo* et illas non applicarunt, non posse in re, de qua agimus, argumentum constituere ad illos ab onere eximendos, eum non constet non esse abusum, et quia contra Tridentini decreta vim non haberet consuetudo, etsi legitima admitteretur.

Hisce habitis, ad propositum dubium:

An parochi oppidi Gallutii exempti sint ab obligatione applicandi Missam pro populo *in casu;*

Emi Patres S. G. Concilii, in plenis comitiis die 9 aprilis 1910, respondendum censuerunt: *Non constare.*

C. CARD. GENNARI, *Praefectus.*

L. j$j S.

Basilius Pompili, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO RITUUM

SECOVIEN. *(Seckau).*

DE USU KALENDARII PRO REGULARIBUS, QUI PAROECIAM IN DIOECESI ADMINISTRANT.

Hodiernus Rmus Dnus Episcopus Secoviensis, a Sacra Rituum Congregatione reverenter petiit solutionem sequentis dubii:

An Regulares, qui Paroeciam in dioecesi administrant, sive Ecclesia Parochialis sit Monasterio incorporata sive non, teneantur in Missis servare Kalendarium Ordinis, an Kalendarium Dioecesanum?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, proposito dubio ita respondendum censuit: Si Paroecia sit Monasterio vel Domui Religiosae incorporata, aut eiusdem Monasterii seu Domus curae in perpetuum vel indefinitum tempus concredita, vel Communitas apud ipsam Parochialem Ecclesiam Divina peragat Officia, in Missis Kalendarium Religiosorum semper adhibeatur; secus item in Missis Kalendarium Dioecesanum semper servetur; iuxta Decreta num. 4051 *Urbis,* 15 Decembris 1899, et *Canonicorum Regularium Lateranensium Congregationis Austriae,* 11 Februarii 1910.

Atque ita rescripsit, die 22 Aprilis 1910.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *S. R. C. Praefectus.*

L. © S.

Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

RAVENNATEN. *(Ravenna).*

NULLITATIS MATRIMONII - RINALDI-GENNARI.

Pio PP. X regnante, Pontificatus Dominationis suae anno septimo, die 19 Ianuarii 1910, RR. PP. DD. Gustavus Persiani, Gulielmus Sebastianelli et Antonius Perathoner, Auditores de turno, in causa Ravennaten. Nullitatis matrimonii, *inter Sanctem Franciscum Rinaldium, repraesentatum per Rev. Dnum Henricum Pezzani, advocatum, et Adam Gennari, interveniente et disceptante in causa Vinculi Defensore ex officio, sequentem tulerunt sententiam.*

Sanctes Franciscus Rinaldi qu. Francisci, domo Luceria in Provincia Fodiana, cum Ravennae stipendia uti *Guardia di Finanza* mereretur, domum Adae Gennari, viventis Friderici filiae, frequentare coepit, eique consentienti et vicem rependenti amoris sui signa non dubia manifestavi!.

Sed, qui hinc inde fovebatur, amor malo fato honestatis limites excessit, et Sanctes vesana victus libidine Adam suam matrimonii promissione deceptam turpiter cognovit, quae ex hoc illicito commercio concepit.

Mense Iulio 1900 cum Sanctes Ravenna discessisset et Barium, superioribus suis ita disponentibus, adiisset, Ada eiusque parentes instanter petierunt, ut ipse promissam matrimonii celebrationem festinaret, ne illa, praegnantia publice cognita, fama periclitaretur: quibus Sanctes morem gessit, et sub die 8 Augusti 1900 epistolam dedit, quam altera secuta est die. 10 eiusdem mensis et anni, quibus voluntatem suam ostendit. Et cum utraque epistola, secunda praesertim, Parochi et Vicarii Generalis iudicio visa fuisset apta scribentis exprimendo consensu! de praesenti, in Ecclesia S. Nicandri Ravennae, die 15 Augusti 1900 Parochus, facta sibi a Vicario Generali facultate, utrumque matrimonio coniunxit.

Vir, parentibus suis auctoribus, cum alia muliere matrimonium contrahere cupiens Sacratissimum Principem, supplici dato libello non semel aut bis, sed quatuor, enixe rogavit, ut matrimonii sui cum Ada nullitas declararetur.

Re ad S. C. G. die 15 Octobris 1905, delata, omnia quae de iure et stylo Curiae erant explenda, nulla interposita mora, fuerunt peracta. Sed processus confectio fuit dilata, praesertim propter difficultates excutiendi testes, plurimasque investigationes domicilii coniugum, qui pluries (disiunctim vel simul) in diversas, et etiam extremas, Italiae regiones se transtulerunt; unde orta necessitas auxilium invocandi Curiae Novariensis et Messanae: ideoque acta processus a Ravennatensi Antistite die 30 Ianuarii 1909 fuerunt transmissa ad S. Congregationem Concilii, quae inde a die 26 Decembris 1908, ad S. Congregationem de Sacramentis remiserat positionem, cui etiam acta processus successive fuerunt unita. Haec autem acta a S. Congregatione de Sacramentis fuerunt transmissa ad S. Romanam Rotam, praevia facultate obtenta ex Audientia Sanctissimi, decreto diei 27 Martii 1909.

Quare, expletis actis, mediante instructoria suppletiva apud Curiam Ecclesiasticam Panormitanam absoluta, omnibusque peractis a iure requisitis, H. S. T. quaestio solvenda hac die proponitur sub dubio: *An constet de nullitate matrimonii in casu?*

Factum quod spectat. — Voluit Sanctes Rinaldi conscientiae suae consulere, et Adae bonam famam sartam tectamque servare antequam huius praegnantia exterius appareret. Quare cum in eo esset, ut Ravenna discederet Barium aditurus, una cum Ada ipsa se coram Vicario Generali praesentavit, petiitque, parocho absente, matrimonio cum eadem copulari. Haec scimus a parocho S. Nicandri, qui sciscitanti iudici num sciret, coniuges Rinaldi-Gennari coram Vicario Generali se praesentassent, ut coram illo matrimonium contraherent, respondit: *sì che lo so; e lo seppi da Mons. Beppi Vicario e dalla famiglia Gennari.* Quod Vicarius ipse et Ioanna Sarti, mater Adae, iudicialiter excussi fassi sunt.

Verum cum Sanctes hoc non obtinuisset, et discessum differre non potuisset usque ad parochi reditum in civitatem, die 12 Iulii 1900 obligatione scripto consignata et ab ipso subscripta atque a testibus subsignata, spopondit se cum Ada quamcitius fieri posset, immo proximo Augusto mense, matrimonium initurum, et etiam, expleto militari servitio, coram civili magistratu actum a lege praescriptum executurum: « Dichiaro io qui sottoscritto e mi obbligo di sposare la Signorina Ada Gennari al più presto possibile e con tutte le formalità della Chiesa, e, terminato il tempo, mi obbligo di fare gli atti civili. Mi obbligo ancora di consumare le formalità della Chiesa per la fine di Agosto ». Quod etiam Iulio Ricci Sanctes ipse manifestavit; ille enim dixit se a Rinaldio scivisse matrimonium suum cum Ada proximo Augusto mense contractum iri.

Adae intererat huius obligationis festinare implementum, cum diutius praegnantiae signa occultare non posset sine bonae famae suae iactura; et ideo mediantibus epistolis diei 16 et 19 Iulii 1900 enixis precibus Sanctem exoravit, ut quae matrimonio celebrando necessaria erant, quamcitissime pararet. « Ti raccomando, se mi vuoi bene, di far presto « quello che mi hai detto, cioè quello di farti fare le carte dello stato « libero, quello che mi bisogna per maritarci. Mi raccomando per carità, « e te lo chiedo, fa più presto che puoi, poiché sai anche che non posso « star tanto perchè si conosce già adesso che io divento madre, figurati « se debbo stare ancora per un altro mese ». Cui tamen ex actis non constat Sanctem respondisse.

Illud hic non est omittendum, Rinaldium agnovisse prohibitionem nubendi sibi factam a legibus disciplinaribus militiae quoadusque militari servitio fuisset adscriptus; ideo, ne puniretur, omnia voluisse perfici secreti lege servata. « Ada mia vuoi, che io ti sposi in Chiesa? « Ebbene sono pronto a farlo qualora la cerimonia religiosa viene « consumata secretamente. Voglio che nessuno sappia, che io ti sposo « in Chiesa, se no i miei Superiori, se lo vengono a sapere, mi mandano « alla compagnia di disciplina » (Epist. 21 Aprii. 1900).

Tunc pater Adae, mediante epistola diei 2 Aug. 1900 apud Sanctem institit, ut assumptam adimpleret obligationem matrimonium contrahendo: immo, quo facilius hoc assequeretur, difficultatibus omnibus remotis, misit ad eum formulam a Parocho S. Nicandri exaratam ab ipso subscribendam, et subscriptam restituendam, qua consensum de praesenti exprimeret pro matrimonio per epistolam rite celebrando, iuxta ea, quae Sanctes ipse Adae significaverat, cui dixerat matrimonium per epistolam contrahi posse. Etiam Iulius Ricci per epistolam diei 7 Augusti 1900 instantius rogavit Sanctem, ut matrimonii celebrationem diutius non differret et formulam consensus restitueret.

Sanctes utrique respondit die 8 Augusti; et uni Ricci Iulio die 10 eiusdem mensis: per eas epistolas, quin formulam ei propositam subscriptam restituisset, consensum suum expressit: quo posito, die 15 Augusti 1900 in parochiali Ecclesia S. Nicandri Ravennae, matrimonium Sancti Rinaldi cum Ada Gennari fuit celebratum, sicut utrique erat in votis.

Nonnullis a celebrato matrimonio diebus elapsis, Ada Barium se contulit, ad virum suum, a quo fuit recepta et veluti uxor retenta. Immo Rinaldium Messanam profectum secuta est, ibique etiam ut vir et uxor simul vixerunt. Haec vitae maritalis consuetudo ad sex fere per annos fuit servata, licet interim gravissimae inter ipsos fuissent ortae dissensiones etiam coram laico Iudice actione poenali propositae.

Tandem, Sancti parentibus auctoribus ex una parte, et ex altera prae oculis habita celebratione alterius matrimonii cum muliere melioris conditionis, Sanctes repudiavit Adam suam et ab se reiecit.

Ius quod attinet. Iamvero matrimonium licet ad esse Sacramenti a Christo Domino fuerit elevatum, tamen contractus naturam non amisit; et ideo, sicut contractus ceteri, partium consensu perficitur. Proinde nihil impedit quominus matrimonium per epistolam contrahatur.

Et hoc revera ante Concilium Tridentinum, et etiam post illud, illis in locis in quibus Decretum *Tametsi (Sess. 24, c. I, de reform, matrim.)* non fuit promulgatum, absque dubio retinebatur verum, cum epistola scribentem repraesentaret, quae nudum eius consensum exprimeret *(L. mulierem ff. de ritu nuptiarum).* Haec eadem doctrina, etiam post dicti decreti promulgationem, hodie retinetur vera et in praxi sequenda, licet nonnulli aliter senserint.

Sane « *in omnibus fori quaestionibus decidendis non verborum formalitas, minusque legalium propositionum generalitas attendi debent, sed substantia veritatis, atque ratio vel finis ob quem lex prodierit ac ordinata sit* ». *(Card. De Luca, Theatrum verit. et iust., de matrim., Disc. XVI,* Romana). Sed finis, quem Concilium Tridentinum sibi proposuit, est ut matrimonium sit notum Ecclesiae et possit probari ne aliud publice, aliud occulte celebretur; ac insuper ne matrimonium celebretur ab aliquo quam a proprio parocho (Rota, *Fiorentina inter Consilia Menoch. cons. 368, n. 4, et Seraph. decis. 957, p. 1, ver. Nam praesentia parochi):* huic fini satisfit cum epistola coram parocho et testibus lecta scribentem repraesentet, eiusque absentis consensum de praesenti in matrimonium exprimat. Quare forma contrahendi per epistolam sufficiens est retinenda. Eo vel magis si attendatur, a iure antiquo non esse recedendum absque textu expresso, cum correctio iuris sit odiosa et omnino vitanda *(l. Praecipimus, C. de appetì)).* Quare lex correctoria, per quam reducimur ad ius commune, est favorabilis et extendenda; atque ita omnis intellectus per quem reducimur ad ius commune favorem continet et extendi debet *(Gloss. c. Statum verb. Numerandum de praeb. in 6),* quamvis a propria verborum significatione recedatur *(Vid.* Sanchez, *I, disp. XII, n. 2, XVII, n. 6; II, disp. XI, n. 20).* Iamvero intelligendo decretum Tridentinum eo sensu, ut non irritet matrimonium contractum per epistolam, reducimur ad ius commune, quo validum retinebatur; et ideo haec interpretatio tamquam favorabilis est retinenda.

Hoc principio fundatur doctrina, quae retinet matrimonii per procuratorem initi validitatem, et qua reditur ad ius commune, et eius

correctio vitatur, licet aliquantisper impropriari verba videantur; coniux enim *absens* per procuratorem habetur *praesens.*

Quare sicut matrimonium per procuratorem initum post Conc. Trid. retinetur validum, ita et validum retinetur contractum per epistolam.

Neque dicatur hac in hypothesi concipi non posse utriusque coniugis praesentiam coram eodem parocho iisdemque testibus a Tridentino requisitam. Epistola enim mediante, nedum utriusque coniugis praesentia haec verificatur, sed etiam consensus utriusque partis satis superque exprimitur. Etenim in nova et correctoria lege cum correctionum et exorbitationum numerus non sit permittendus, verius est ut contrahentium praesentia *demonstrative,* non autem *taxative,* in conciliari decreto praesupponatur (Cardin. De Luca, 1. c), et ideo sicut procurator absentem coniugem praesentem facit, ita et epistola illum coram Parocho et testibus repraesentat. Aliunde autem matrimonium perficitur unius pollicitatione quin ulla repromissione opus sit; neque enim potest vir esse nisi sit uxor, neque uxor nisi sit vir; hinc non est necesse ut duplex distinctus eliciatur actus, alter quo ius alteri datur, et alter quo ius ab altero traditum acceptatur; unus enim idemque actus traditionis virtualiter continet acceptationem, et unus idemque actus acceptationis traditionem. Epistola igitur, quae coram parocho et testibus absentem repraesentat in pollicitatione, virtualiter et consequenter eius etiam exprimit traditionis acceptationem alterius partis, quae traditionem repraesentati per epistolam acceptat.

Hinc est quod, S. Congregatio Concilii diei 30 Septembris 1673 *(Lib.* Decret. S. C. C. *vol. XXVIII, p. 184)* matrimonium initum per epistolam validum retinuit. Porro Rota Romana *in opinionum discrepantia illam sequitur, quae roboratur auctoritate et sapientia Eminentissimorum Patrum, quibus ipsa Congregatio constat* (Recens, *p. XV, decis. 162, n. 10); cuius Congregationis determinationes non est ambigendum quin pro lege servari debeant ad tradita per Hond. cons. 36, n. 26, 2; Garz. de Bene f. in praef. et propterea Bota illas semper reverenter suscipit atque observat absque ulla discussione* (Recens, *p. X dec. 321,* coram Meltio *n. 2, 3; p. XI, dec. 373, n. 1, 2).* Cuius praxis rotalis ratio redditur a Cardinali De Luca (Relat. Rom. Cur. *disc. 32, n. 67)* qui dicit: *Solis declarationes Sacrarum Congregationum Cardinalium ista praerogativa* (ut faciant auctoritatem tamquam decisiones papales) *conceditur, quod eadem Bota (multo magis alia inferiora Tribunalia) reverenter illas suscipiat.*

De validitate igitur matrimonii initi per epistolam ex parte iuris

nullimode potest dubitari; atque ideo supervacanea prorsus habenda sunt quae in contrarium actoris Patronus satis copiose disceptavit.

Quaestio igitur matrimonii in casu est tota quaestio facti, quae huc demum reciditi num Sanctes Rinaldi consensum praestiterit a iure requisitum.

Iamvero constat ex actis, Parochum Soprani, die 15 Augusti 1900, Sanctem Rinaldi qu. Francisci e Luceria per epistolam repraesentatum, et Adam Gennari filiam viventis Friderici e Ravenna in matrimonium coniunxisse; et cum matrimonium gaudeat favore iuris, ita ut, eius admissa celebratione, etiam validitas semper sustineatur quoadusque nullitas plene non probetur, sequitur matrimonium, de quo agitur, ut supra contractum, validum esse retinendum, saltem quoadusque non probetur contrarium.

Porro de huius matrimonii validitate dubitari non potest. Sanctes enim scripsit in sua epistola diei 8 Augusti 1900: « Io giuro Con fedeltà ed ancora in presenza del nostro buon Signore di sposarmi la Signorina Ada di questa città »: sed cum haec non satis clara visa fuissent, mentem suam clarius aperuit in alia epistola sequenti data die 10 eiusdem mensis et anni: « Io sottoscritto dichiaro di sposarmi Ada Gennari qui a Ravenna, mediante questa mia lettera e replico alla mia in data 8 corr. mese. Oggi 10 Agosto giuro sulla tomba di mio padre di sposarmi Ada e replico al giuramento di cui sopra ». Sanctes igitur apertissime ostendit intentionem suam ducendi Adam, mediante epistola 10 Augusti, seu eo temporis momento, quo haec coram Parocho et testibus legeretur; hoc enim indicant apertissime verba adhibita: « Dichiaro di « sposarmi Ada Gennari qui a Ravenna mediante questa mia », ecc.

Et hoc etiam fit clarius ab adiunctis. Extant in actis epistolae diei 8 Augusti 1900 et diei 10 eiusdem mensis et anni, quibus, praesertim illa diei 10, Sanctes respondit petitioni sibi factae ab Adae patre, Friderico Gennari, et a Julio Ricci; et cum responsionem inter et petitionem analogia intercedere debeat, eo sensu Sanctes in responsione sua intelligendus est locutus, quo Fridericus et Iulius se in petitione expresserunt. Iamvero uterque petiit ut Sanctes consensum de praesenti, epistola mediante, exprimeret, quo matrimonium contraheretur. Fridericus enim in epistola diei 2 Augusti ait: « Io intendo che vi sbrighiate a mandare questo foglietto come il presente, che ha fatto di suo pugno il sig. Parroco. Voi dovete recarvi da un parroco di Bari, che attestate di accettare il matrimonio con Ada come il presente foglietto. Credete voi che l'Ada possa rimanere in Ravenna nello stato in cui si trova e prima che essa sia sposata in Chiesa ? . . . . Vi prego di far ciò il più

« presto possibile. Pensate che chi fa il bucato lo deve anche asciugare. « Se siete una persona come si deve e un galantuomo dovete compiere « il vostro dovere ».

Tenor folii, de quo loquitur est: « Bari.... Parrocchia di.... 3 Agosto « 1900.... Colla presente intendo di manifestare la mia attuale costante « volontà di contrarre matrimonio religioso con Gennari Ada, figlia di « Federico, della Parrocchia di S. Nicandro in Ravenna. In fede....

« Sante Rinaldi figlio di.... Firma del Parroco ».

Iulius Ricci autem in epistola diei 7 Augusti, cui Sanctes respondit die 10, ait: « Ora vedo che non ti dai alcun pensiero di spedire questo « foglietto, che ti spedirono, e come siamo rimasti d'accordo. Io ti prego « caldamente di spedirlo al più presto possibile.... Come tu sai spedisci « quel foglio preciso, che ti hanno spedito.... ».

Sanctes igitur consensum de praesenti per epistolam diei 10 Augusti dicendus est expressisse ad effectum matrimonii contrahendi; et hoc eo magis est retinendum, si advertatur, formulam a Friderico ad Sanctem missam et a Parocho S. Nicandri exaratam, a Sancte ipso fuisse requisitam: « come siamo rimasti d'accordo.... come tu sai, spedisci quel « foglio preciso, che ti hanno spedito.... », qui ceteroquin sciebat, matrimonium per epistolam contrahi posse, sicut ipse Adae declaraverat, quae hoc affirmat iuramento: « Il Rinaldi mi disse che il matrimonio poteva « celebrarsi per lettera; ignoro come l'abbia saputo ».

Deinde Sanctes eadem epistola diei 10 Augusti 1900 Iulio Ricci mandavit, ut Adam, quam citissime fieri potuisset, Barium ad se adduceret: « Ti prego di fare il più presto possibile, desidero che tu stesso « l'accompagni a Bari ». Iamvero, omnibus fatentibus, hoc non poterat evenire, nisi celebrato prius matrimonio coram Ecclesia. Nam Parochus requisitus a Iudice: « può Ella citare testimonianze comprovanti la espressa volontà del Rinaldi di celebrare *de praesenti* il suo matrimonio con la Gennari PRIMA che questa partisse da Ravenna per andare a raggiungerlo a Bari? » respondit: « Persone della famiglia Gennari e il teste Ricci Giulio mi hanno testificata questa sua volontà decisa ». Qua de re Adae mater interrogata dixit: « Sono certissima. Lo ha ripetuto Sante le mille volte ». Idem Iulius Ricci etiam affirmat. Ea igitur epistola mediante, Rinaldius voluit matrimonium contrahere, quo contracto, mandatum Iulio Ricci datum concipitur et explicatur.

Denique sensus epistolae ab omnibus, ex circumstantiis, fuit intellectus pro veri consensus de praesenti expressione. Parochus enim percontatus a iudice: 1. ° Qua ratione retinuerit ea in epistola consensum de praesenti expressum fuisse? respondit: « In forza delle espressioni

« contenute nelle lettere e dal complesso delle circostanze ». 2° An *a)* sponsa epistolae notitiam habuerit, et *b)* indubitanter cognoscere potuisset « che la sposa interpretasse la lettera quale consenso *de praesenti* e che accettasse con reciprocanza di tale consenso ? » respondit: « *a)* Sì, le fu letta avanti l'altare, testimoni Ricci Giulio e Ricci « Giuseppe, figli di Paolo: « *b)* sì, indubbiamente », seu consensum de praesenti intellexit et « con reciprocanza d'affetto » .... acceptavit. 3. ° An etiam testes hoc idem retinuerint ? respondit: « Sì, indubbiamente, specie rispetto a Giulio incaricato dallo sposo Rinaldi a condurgli poi la sposa a Bari ». Et hic revera in testem matrimonii assumptus percontatus a iudice dixit: « Ho creduto di andare alla Chiesa per assistere ad un vero matrimonio sul serio ».

Constat itaque Sanctem, epistola mediante, matrimonium cum Ada voluisse contrahere, cum epistola diei 10 Augusti 1900 consensum de praesenti vere expresserit; et cum de cetero alia requisita non defuerint, de matrimonii sic contracti validitate dubitari non potest. Et hoc Sanctes ipse retinuit, non solum enim Adam recepit et cum ea sex annos maritalem vitam duxit, sed verbis etiam apertissimis uxorem suam coram Deo eam declaravit: « là mia famiglia se sapesse una cosa simile, non solo non vorrebbe più prendere me in casa, ma quanto non vorrebbe nemmeno vedere quella donna, che davanti a Dio *è mia moglie* » (Epist. 15 Oct. 1900).

Neque dicatur cum actoris patrono « *consensus qui erat de praesenti die 10 Augusti non poterat amplius tamquam de praesenti manifestari coram Parocho et duobus testibus die 15 Augusti* ». Qui enim die 10 Augusti fuit expressus consensus, non revocatus perseveravit *virtualiter,* sicut mandatum non re vocatum, non obstante temporis decursu, virtualiter perseverat: et hoc sufficit ut epistola Sancti die 15 Augusti eamdem habuerit efficaciam, quam habuisset die 10. Sane consensus virtualiter perdurans sufficit ad quoslibet humanos actus constituendos, contractibus non exclusis; non enim mora interposita impedit eorumdem stipulationis validitatem, modo consensus unius non fuerit revocatus quo tempore alter consentit. Hoc etiam matrimoniis convenit post Concilium Tridentinum celebratis, « quando alter coram parocho et testibus consentit, altero nihil respondente, et post 15 dies iterum coram eodem parocho iisdemque testibus, praesenteque eodem contrahente, hic, qui prius tacuerat, consentit, erit matrimonium, quia durat in virtute prior consensus verbis expressus » (Sanchez, *II disp. 32, n. 17).*

Neque obstat omissio solemnitatum, hae enim adhibentur in matrimoniis ordinario modo fieri solitis: earum omissio nullitatem non

secumfert. Exemplo sint ' matrimonia clandestina celebrata antequam Decretum « *Ne temere* » diei 2 Augusti 1907 ederetur; et quae etiam nunc, instante mortis periculo, celebrantur ad prolem legitimandam, et. ad morituri conscientiae consulendum, in quibus formalitates omnes omittuntur, et nihilominus de "eorumdem validitate nemo umquam dubitavit quando fuit forma Tridentina observata.

Sed Rinaldius haec omnia susque deque habet, et iurat:

1. ° Se nunquam habuisse intentionem Adam ducendi: etenim *a)* Adae ipse declaravit, sibi a militari lege vetitum esse matrimonium; 6) post factum conceptionis ad molestias vitandas petiit alio transferri; c) praesens, si voluisset, contraxisset, non discedens, vel ad hoc rediens quin epistola uteretur; *d)* supplicationibus iteratis sive Adae sive huius parentum, vel non respondit vel respondit aequivoce. Quae omnia intentionem matrimonio contrariam faciunt praesumere. Hinc:

2. ° in litteris diei 8 Augusti 1900 et 10 eiusdem consensum finxit, et hoc ex condicto cum Ada peregit ad senescentem patrem decipiendum: sicut coram Vicario Generali eadem fictione usus est, cum petiit ab eo matrimonio copulari: « lo chiamai in disparte.... e gli rivelai che non era mia intenzione di sposare Ada Gennari ».

Verum consensus externe rite praestitus verus semper praesumitur quamdiu contrarium evidenter non probetur. Sed nullatenus plene probatur quod Sanctes affirmat ad consensum praestitum infirmandum; immo probatur contrarium.

Quoad intentionem contrahendi, quam Sanctes dicit se nunquam habuisse, quae hactenus sunt discussa affirmationis huius ostendunt falsitatem; quin potius statuunt absque dubio intentionis huius realem et continuarli existentiam.

Neque aliquid concludunt exposita in contrarium; ex iis enim nonnisi coniecturae et praesumptiones desumuntur, quae nullo positivo fulcitae argumento cedere debent veritati luculentissime demonstratae.

In specie vero et directe: *a)* Contrarium resultat ex litteris diei 21 Aprilis 1900 et ex obligatione scripta diei 12 Iulii 1900, cui altera accessit obligatio diei 17 Maii 1902, quae praecedentem ratam habuit et confirmavit; *b)* translatio non fuit a Sancte petita; hic enim fatetur, *se valde timere* ne familia sua ad matrimonium cum Ada impediendum, ipso reluctante, secreto ageret ut alio transferretur: « Il ritardo dei miei mi fa martire: mi ammazza.... mi fa dubitare che forse supponendo ciò che io e tu vogliamo fare, *cooperatisi per il mio traslocamento,* ma non mi scriveranno mai più, solamente quando io sarò distante da Ravenna » (Epist diei 24 Iunii 1900); c) Sanctes ipse Adae proposuit,

absentia sua praesupposita, matrimonii celebrationem per epistolam; *d)* Sancti intererat matrimonium secreto contrahere ne a Superioribus suis ob violatam militiae disciplinam puniretur (Epist. 21 Aprii. 1900); et hoc explicat quare matrimonium in forma ordinaria celebrare noluerit, et formalitates requisitas non curaverit contentus in epistola diei 10 Augusti exprimere, quae in formula a Parocho S. Nicandri exarata continebantur, *substantia tantum retenta,* quemadmodum Ada ei suggesserat: « Giurami in un foglio, come quelli che mi scrivi da per te solo, « senza andare dal tuo parroco »; e) iteratis supplicationibus Adae eiusque patris et amici Ricci, responsum non negavit, sed distulit tantum; non solum enim diebus 8 et 10 Augusti 1900 illis respondit, sed etiam voluntatem suam celebrandi matrimonium apertissime manifestavit. Et dilationis ratio aderat; non enim oeconomicae Sancti conditiones erant adeo floridae ut familiae necessitatibus consulere ei permitterent. Quod deducitur ex litteris Friderici Gennari, diei 2 Augusti 1900, et Adae Gennari, diei 19 Iulii 1900 ad Sanctem missis, et ex epistola ipsius Sancti sub die 15 Octobris 1900 ad Fridericum expedita: « Io congedandomi « debbo dire ai miei fratelli date a mangiare, vestite e pagateci la pigione « tanto a me che a mia moglie.... se io vivessi di una rendita non mi « sarei fatto promettere da voi le 15 lire al mese. Capite ».

Fictio vero consensus inutiliter allegatur. Etenim « veritas actus ex publico instrumento, aliisque etiam coniecturis resultans, non obumbratur ex aliquo tractatu simulandi inter partes secuto.... Simulatus qui praetenditur actus, si fuit celebratus ex causa vera et reali non potest de aliqua simulatione redargui » (Rota, *In sum. decis. 591, par. XVIII, vol. II, n. 7 et 11).* Sed matrimonium, de quo agitur, fuit initum *ex causa vera et reali;* fuit enim initum implendae obligationis causa, quae orta ex illicito commercio, solemniter firmata fuit chirographo diei 12 Iulii 1900, implenda quam primum, et non ultra mensem Augustum proximum: quaeque die 15 Augusti fuit impleta. Igitur matrimonium non potest de simulatione redargui. Provocat actor ad quamdam laciniam epistolae ab Ada conscriptae ab eaque recognitae: « Sancte, te ne prego in ginocchio, se non vuoi sposarmi in Chiesa.... giurami in un foglio, come quelli che mi scrivi da per te solo, senza andare dal tuo parroco, almeno per farci leggere al mio babbo che mi hai sposato ». Sed cum huiusmodi documentum non sit integrum, et etiam data careat, cuius quis sit integer sensus ex toto scripturae contextu nequit intelligi, probandi vi destituitur. Hoc primum; sed deinde dicendum est: Sanctem Epistola diei 10 Augusti 1900, non Adae, sed Iulio Ricci, iuxta huius petitionem expressam die 7 Augusti, respondisse: et cum respon-

sio analoga esse debeat petitioni, quae in casu consensum verum requisiva, sequitur dictam epistolam diei 10 Augusti quamlibet exclusisse fictionem.

Ceterum Ada ipsa verum consensum in matrimonii celebratione exprimendum et voce et scripto, praesertim litteris 16 et 19 Iulii 1900 instantissime et serio postulavit; sed cum hinc Sanctes necteret moras, et hinc diffamationis suae immineret periculum, anxietatibus pressa ut remedium extremum simulationem cogitavit, si alias infamiae notam vitare non potuisset. Sanctes primum et principale acceptavit, et expressit in epistola diei 10 Augusti; cum Patronus actoris nullimode ostenderti alterum selegisse.

Nec meliori fato sustinetur fictio consensus coram Vicario Generali r hic enim sciscitanti Iudici: num Rinaldius *veram ostendisset voluntatem contrahendi cum Ada?* respondit: « Mi sembra che la visita di cui ho « parlato sopra, fosse diretta a questo scopo, poiché si lamentò che il « Parroco era assente, e che egli doveva partire . . . . Assicuro che non è « mai stata mia abitudine surrogare il Parroco nelle sue attribuzioni,, « e quindi son ben sicuro, che anche pregato dai surricordati ad assi- « stere al loro matrimonio, mi sarò rifiutato »; quae verba ventati non respondissent, si quae a Sancte insinuatur secreta confidentia, immo expressa supplicatio praetextum inveniendi matrimonio contrarium, facta revera fuisset. « Quando andai da lui con la Gennari, lo chiamai in « disparte e gli rivelai che non era mia intenzione di sposare la Gen- « nari, pregandolo nel contempo di trovare qualche ragione per farmi « partire per Bari prima di sposarla ».

Denique unus Sanctes exponit in actis fictionem consensus in contrahendo matrimonio cum Ada. Sed nullius actoris affirmatio sufficit ad matrimonii nullitatem declarandam, quando, ut in casu, affirmationis non concludatur probatio. Adde etiam, Sancti attendi non debere affirmationem, quia in pluribus peierasse deprehenditur: aliis omissis certo certius mentitus est cum affirmavit coram Iudice sub iuramenti lege, se celebrati matrimonii fidem lacerasse: « dopo due o tre giorni mi fece « vedere il certificato di matrimonio ed io glielo lacerai », ut excluderet se Adam tamquam uxorem suam recepisse; etenim illa fides ab Ada fuit consignata Panormitano iudici, et servatur in actis.

Ab hoc mendacio purgare Sanctem studet patronus, qui potius mendacem Adam putat ostendere, dicens: « Vinculi defensor debuerat potius investigare, quomodo Ada habere potuit illam fidem matrimonialem, saltem sub die illa, dum Parochus iuramento testatur non concessisse illam fidem nisi post tres menses de licentia Ordinarii ad bonam

famam Adae tuendam ». Perperam tamen. Primo enim Parochus non bene dicitur iuramento testatus se matrimonialem fidem non concessisse nisi post tres menses de licentia Ordinarii; sed anno 1905 requisitus ab Ada ut Sancti Superioribus acta manifestaret honoris sui tuendi gratia, petita venia a Vicario Generali, hic: « neh" interesse di proteggere « *Y* onore della Gennari gli autenticava le copie da consegnarsi ai Su- « periori del Rinaldi e gliele trasmetteva in data 13 Settembre 1905 ». Sciendum deinde est Parochum Soprani tres dedisse fides celebrati matrimonii, primam die 15 Augusti 1900; alteram mense Septembri 1905; et tertiam die 13 Martii 1906. Iamvero fides, quae ab Ada praesentata dicitur, et a Sancte lacerata, est illa quae sub die 15 Augusti 1900 a Parocho relaxata fuit, quamque Ada secum tulerat, ne mulier suspecta videretur: et haec fides integra servatur in actis. Fides quae serius data apparet, et de qua Parochus loquitur, et ad quam Patronus actoris appellat, est illa, quae concessa fuit mense Septembri 1905. Sanctes igitur mendacio non liberatur, et e contra Ada hoc crimine rea non convincitur, cum revera verum deposuerit.

Ceterum Sanctes a se Adam repulit ne familiae suae displiceret et ut cum muliere melioris conditionis societatem iniret. Huius separationis causam, Parochus percontatus a Iudice sic exponit: « Perchè inna- « morato di altra ragazza che tentò di sposare a Lucerà.... Altra ragione -« potrebbe essere il malcontento della famiglia ». Quod nedum Ada confirmat « i congiunti del Rinaldi non volevano che questi sposasse « me, perchè senza dote.... egli ha rivolto i suoi affetti verso una certa « Caterina Coretti »; sed Rinaldius ipse apertissime admittit « non solo « non vorrebbe (la mia famiglia) prendere me in casa, ma quanto non « vorrebbe nemmeno vedere quella donna », et die 14 Februarii 1904 a Curia Luceriae postulavit expeditionem actorum pro matrimonio cum alia muliere contrahendo. Et gravissima sunt quae a quodam Sancti fratre epistola diei 27 Februarii 1901 ei minitantur nomine familiae: « Concezio « ha giurato, che se tu immediatamente non la fai ritornare a Ravenna, « egli inesorabilmente ti rovinerà ».... Dum Catharina Coretti e S. Agatha in provincia Novariensi huius iudicii exitum spectat, a quo pendet matrimonii sui cum Rinaldio celebratio.

Haec omnia aequo ac deliberato animo perpendentes, Nos infrascripti Auditores de Turno, invocato Christi nomine, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus ac sententiamus *non constare de nullitate matrimonii in casu,* seu proposito dubio: *negative,* respondemus. In expensis Sanctem Rinaldi con- •demnamus, quarum taxationem Nobis vel cui de iure reservamus.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat adversus reluctantes procedant ad normam Sacrorum canonum et praesertim c. *3, sess. XXV, de Reform.* Concilii Tridentini, iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis extitura sint.

Romae, die 19 Ianuarii 1910.

Gustavus Persiani, *Ponens.*
L. ✠ S. Gulielmus Sebastianelli.
Antonius Perathoner.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

SECRETARIA STATUS

EPISTOLAE.

I.

AD R. D. ACHILLEM RATTI, ADLECTUM INTER ANTISTITES DOMUS PONTIFICIAE ET AMBROSIANA E BIBLIOTHECAE PRAESIDEM, OB VOLUMEN RECOLENDAE MEMORIAE ANTONII CERIANI EDITUM ET BEATISSIMO PATRI REVERENTER EXHIBITUM.

Rem porro fecisti quae et perillustris decessoris tui et tuam ceterorumque absolutissimi operis scriptorum pietatem exornat egregie. Quod sane Beatissimo Patri misisti volumen, recolendae celebrandaeque memoriae Antonii Ceriani optimo consilio destinatum, facile praestat utrumque. Libet enim in eo summam desideratissimi Ambrosianae Bibliothecae Praesidis laudem iisdem artibus testatam intueri quas ipsemet et fovit impense ac mirabiliter provexit. Libet una simul in officio huiusmodi summum intueri studium summamque observantiam quibus clarissimi doctissimique viri eum vita functum censuere honestandum quem vivum et dilexerunt et coluerunt cultu pene singulari.

Sed dono missum volumen tuam etiam declarat pietatem erga Beatissimum Patrem, Quem iucundissima pii doctique Sacerdotis recordatione et ipsa tua humanitate delectare voluisti. Quam quidem voluntatem Sanctitas Sua amplectitur libentissime, eam Apostolica rependit Benedictione qua te coelestibus muneribus augendum ditandumque desiderat.

Ea qua par est observantia me tibi profiteor

Romae, die 1 Aprilis 1910.

Addictissimum

R. CARD. MERRY DEL VAL.

L. © S.

IL

AD PERILLUSTREM VIRUM COMITEM KELLER, PRAESIDEM COMITATUS CATHOLICI PRO DEFENSIONE RELIGIONIS, OB ANNUAM RELATIONEM DE OPERIBUS AB EODEM COMITATU EXANTLATIS.

Je me suis expresse de porter à la connaissance du Saint-Père le très intéressant compte-rendu annuel des travaux du Comité Catholique de Défense Religieuse, que vous avez bien voulu m'envoyer.

Sa Sainteté a éprouvé un vif plaisir à constater tout le bien réalisé par vos efforts personnels et ceux de vos si dévoués collaborateurs.

Les nombreuses consultations juridiques données, les traits, brochures et bulletins publiés et largement répandus, et tout spécialement la propagande si efficace résultant des 500 conférences populaires organisées par vos soins, sont une preuve manifeste du zèle et de l'activité du Comité que vous présidez si dignement, en vous inspirant des exemples de votre illustre Père.

Le Souverain Pontife qui se plaisait, il y a quelques mois, à vous témoigner Sa haute satisfaction, à l'occasion du discours que vous aviez prononcé lors de l'Assemblée annuelle de la Société d'Education, espère vivement que la continuation de vos efforts contribuera largement à amener les catholiques à s'unir et à s'organiser sur le terrain religieux, en même temps qu'à les orienter, avec une parfaite discipline, dans la voie du succès final.

Gomme gage de Sa paternelle bienveillance, le Saint-Père vous accorde de tout cœur à vous-même, aux membres du Comité et à vos travaux, la bénédiction apostolique.

Je vous prie d'agréer, Monsieur, l'expression de mes sentiments de haute estime et d'entier dévouement en Notre-Seigneur.

Le 13 Avril 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

L. © S.

III.

AD ILLUSTREM VIRUM ALOYSIUM DURAND, PRAESIDEM UNIONIS MENSARUM AD RURICULARUM ET OPIFICUM MUTUATIONES, OB PETITAM APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

C'est avec une douce consolation que le Saint-Père a reçu la supplique, transmise et recommandée par Monseigneur l'Evêque de Nantes, et dans laquelle vous exprimez finalement à Sa Sainteté le désir de recevoir Sa bénédiction et Ses encouragements pour votre Union de„s Caisses rurales et ouvrières, à laquelle vous imprimez de plus en plus un caractère ouvertement catholique, inspiré par votre foi et reposant sur les instructions du Saint-Siège en matière sociale.

Vous voulez très justement que les procédés d'action sociale, vraiment capables de réaliser un grand bien par le maniement des intérêts économiques et par la formation des élites, s'écartent résolument du pernicieux principe de la neutralité religieuse et revêtent un caractère catholique plein de précision et de netteté, dans une union disciplinée.

En effet, c'est en vain qu'on prétendrait restaurer la société et améliorer réellement le sort des peuples en évitant de mettre à la base de l'action sociale l'inspiration de la Religion et de la charité chrétienne.

Le Saint-Père a appris avec un vif intérêt que votre Union renferme des groupements qui peuvent servir très efficacement de modèles aux autres, tant au point de vue de l'organisation économique, qu'au point de vue de l'organisation religieuse.

Sa Sainteté vous félicite particulièrement du recours aux moyens surnaturels, notamment de la pratique des retraites qui, à d'autres époques, ont produit des merveilles de foi et de sanctification, en faisant rayonner la perfection chrétienne de la vie personnelle à la vie familiale et à la vie sociale.

C'est avec effusion de cœur que le Souverain Pontife vous envoie, avec Ses félicitations et Ses encouragements, la bénédiction apostolique.

Le 17 Avril 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Il giorno 3 Maggio p. v., presso 1' Emo e Rmo Sig. Cardinale Domenico Ferrata, Ponente della Causa, avrà luogo la Congregazione Antipreparatoria dei Sacri Riti sopra le virtù in grado eroico del Venerabile Marcellino Giuseppe Champagnat, Sacerdote della Società di Maria, Fondatore dell' Istituto dei Piccoli Fratelli Maristi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato, si è degnata di nominare:

19 Aprile 1910. — L'Emo Sig. Cardinale Sebastiano Martinelli, protettore della Società *o f the Holy Child Jesus* di Mayfield nel Sussex (Inghilterra) e delle Suore della Carità del *Verbo Incarnato* di S. Antonio nel Texas.

La stessa Santità Sua, con biglietto della Segreteria di Stato, si è benignamente degnata di nominare Consultori della Sacra Congregazione della Disciplina dei Sacramenti:

20 Aprile 1910. — Rev. D. Federico Fofi, Canonico Regolare Lateranense;

— Mons. Giovanni Willemsens, già professore dell'Università di Lovanio;

— Il Rev. P. Placido Angelo Rey Lemos, dei Frati Minori dell'Unione Leoniana;

— Il Rev. P. Carlo Maria Giuseppe Lotter, della Congregazione del Santissimo Redentore;

— Il Rev. D. Arturo dirotte, professore di Dommatica nell' Un i versila di S. Apollinare;

— Il Rev. P. Giuseppe Civra, dell'Ordine dei Servi di Maria.

Il Santo Padre, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnato di nominare:

Prelati domestici di S. S.:

5 Aprile 1910. — Rev. Can. Prof. Lorenzo Lauri, Sostituto del Reggente della Cancelleria Apostolica, della diocesi di Roma.

7 Aprile. — Rev. Mons. Giuseppe Sardi, Arciprete e Vicario Foraneo in S. Damiano d'Asti.

ONORIFICENZE

Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnata conferire le seguenti onorificenze:

La Gran Croce dell' Ordine Piano:

2 Aprile 1910. — Sig. Hakki Pacha, Gran Visir del Governo Ottomano.

La gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

6 Aprile 1910. — Sig. Enrico de Himmel-Agisburg, Generale a riposo nell'esèrcito austriaco, residente a Bressanone,

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

22 Marzo 1910. — Sig. Mehemed Alì-Aimi, Governatore della Siria.

Il Cavalierato dello stesso Ordine, classe civile:

22 Marzo 1910. — Sig. Edgardo Geoffroy, Agente consolare in Siria.

31 Marzo. — Sig. Francesco Prokisch, Direttore della filiale della Cassa di Risparmio Austro-Ungarica in Csanàd.

2 Aprile 1910. — Sig. Alfredo Lacombe, dell'archidiocesi di Lione;

— Sig. Arturo Doal, Presidente generale della Gioventù Cattolica Piecarda in Amiens.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

30 Marzo 1910. — Sig. Milone Andreewitch.

7 Aprile 1910. — Sig. Raffaele Latronico, della diocesi di Policastro.

8 Aprile. — Sig. Ing. Ernesto Galeazzi, di Torino.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rina Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari:

6 Aprile 1910. — Sig. D. Giovanni Freiseisen, della dioc. di Bressanone;
— Sig. D. Guendalino Haidegger, della medesima diocesi.
12 Aprile.* — Sig. D. Alessio Amadio, dell'archidiocesi di Udine.
15 Aprile. — Sig. D. Antonio Saverio de Paira, della dioc. di Parahyba;
— Sig. D. Francesco Saveriano de Aranjo, della medesima diocesi;
— Sig. D. Andrea Werdenich, della dioc. di Giavarino;
— Sig. D. Ansgaro Borsiczky, della medesima diocesi;
— Sig. D. Adalberto Berkij, della medesima diocesi;
— Sig. D. Michele Takáts, della diocesi di Vacia.
18 Aprile. — Sig. D. Francesco Sass, della diocesi di Rosnavia.

Camerieri segreti di spada e cappa soprannumerari:

11 Aprile 1910. — Sig. Conte des Enffans d'Avernas, della dioc. di Secovia.
12 Aprile. — Sig. Visconte Giorgio Vilain XIV.

Camerieri d'onore in abito paonazzo:

6 Aprile 1910. — Sig. D. Giovanni Raffi, della diocesi di Bressanone;
— Sig. D. Federico Moli, della medesima diocesi.
15 Aprile. — Sig. D. Domenico Abrade, dell'archidiocesi di Torino.

Camerieri d'onore di spada e cappa soprannumerari:

12 Aprile 1910. — Sig. Raimondo Leonarte Olmos, dell'archidiocesi di • Valenza.

Cappellano d'onore extra urbem:

15 Aprile 1910. — Sig. D. Zoltáno Viz, della diocesi di Vacia.

Cappellano segreto d'onore:

18 Aprile 1910. — Sig. D. Giovanni Payer, della diocesi di Rosnavia.

NECROLOGIO

15 Aprile 1910. — Mons. Remigio Guido Barbieri, della Congregazione benedettina Cassinese, Vescovo titolare di Teodosiopoli e Vicario Apostolico di Gibilterra (Gibraltar).

Mese di Aprile. — Mons. Antonio Emanuele de Castilho Brandao, Vescovo di Alagóas.

Annus II. - Vol. II. Die 15 Mai 1910. Num. 8.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

I.

CAPELLANIS BASILICAE LAPURDENSIS (LOURDES), DIOECESIS TARBIENSIS, INSIGNIA CHORALIA CONCEDUNTUR.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — E Lapurdensi Basilica in honorem Immaculatae Beatae Virginis immani structura ac mirificis artis operibus intra fines dioecesis Tarbiensis erecta atque ornata, quasi e fonte perenni in universum terrarum orbem caelestia charismata manant. Huc innumerae fidelium turmae gratiarum sequestrae Virginis opem implorantium, non intermissa peregrinatione confluunt tam flagranti germanae pietatis studio, ut ibidem praesenti tempestate veterum christianorum religio reviviscere videatur. Quare cum idem templum inter insigniora catholici nominis sanctuaria iure meritoque recenseatur, consentaneum rationi existimamus, clerum qui eadem in Basilica divino cultui inservit, sacrorum etiam insignium ornamento renidere, ut simul et christianae plebis obsequium sibi magis magisque conciliet, et ipso habitu prodat quantum amplitudine ac dignitate ceteris antecellat. Hoc consilio cum venerabilis frater Franciscus Xaverius Schoepfer, Episcopus Tarbiensis, preces Nobis exhibuerit, gravissimo commendationis officio suffultas Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationi Praefecti, ut Capellanis titularibus ipsius Basilicae Lapurdensis peculiaria quaedam choralia insignia de benignitate Apostolica largiri dignaremur, Nos votis his annuendum libenti quidem animo censuimus. Quare ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuumque in modum concedimus, ut

capellani titulares Basilicae B. Mariae Virginis Immaculatae vulgo de *Lourdes* appellatae, intra fines sitae dioecesis Tarbiensis, nunc et in posterum existentes, induere queant lineum amiculum manicatum sive rochetum, nec non desuper mozetam sericam nigri coloris cum subsuto, ocellis, globulis ac fimbriis coloris violacei. Largimur insuper ut gestare queant chordulam coloris caerulei e collo pendentem cum numismate quod ex adversa parte Lapurdensis Virginis Imaginem referat, aversa autem effigiem nostram, hoc inscripto titulo « Pius X Pont. Max., instante Francisco Xaverio Schoepfer, Episcopo Tarbiensi, anno Iubilaei Apparitionis expleto, concessit, MCMIX ». Verum concedimus, ut Capellanis titularibus memoratae Basilicae Lapurdensis liceat deferre insignia huiusmodi intra lirnites dioecesis Tarbiensis: Capellani vero ad honorem B. M. V. Lapurdensis, id est sacerdotes extra-dioecesani, annuente eorundem Ordinario, a venerabili fratre Episcopo Tarbiensi absque numeri limitatione ad hanc dignitatem nominati, tantum in templo Deo sacro in honorem B. M. V. in oppido Lapurdensi uti possint vestibus et signis Capellanis ordinariis in dicto templo inservientibus concessis. Decernentes praesentes litteras firmas, validas atque efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die v Iulii MCMIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

L. *ffc* S.

II.

CONSOCIATIONI SACERDOTUM IN HONOREM SANCTISSIMI CORDIS IESU CONCEDUNTUR PLENARIAE ET PARTIALES INDULGENTIAE IN PERPETUUM.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Laeto accepimus animo in plures dioeceses propagatam esse sacerdotum in honorem SSmi Iesu Cordis Consociationem, quam presbyteri saeculares, ab ipso SSmo Iesu Corde nuncu-

pati, ubique de Ordinariorum consensu instituere hoc consilio student, ut cultus erga illud divinae caritatis principium et fontem magis magisque crescat in dies, atque Ei frequentes amoris ac reparationis actus offerantur. Huiusmodi igitur Sodalitatem, quo maiora in Deo incrementa suscipiat, precibus dilecti filii Leonis Dehon, supremi Moderatoris eiusdem Congregationis, benigne exceptis, caelestibus Ecclesiae thesauris libentes locupletamus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus ac singulis sacerdotibus, qui dictam Consociationem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi Sacram Synaxim sumpserint, plenariam; ac tam descriptis quam pro tempore describendis in eadem Consociatione sodalibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperint, etiam plenariam; nec non iisdem nunc et pro tempore existentibus sodalibus, vere item poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui Ecclesiam vel publicum oratorium feria sexta post octavam sollemnitatis SSmi Corporis Christi, et festis purissimi Cordis Mariae, S. Ioseph Eius castissimi Sponsi, S. Michaelis Archangeli ac S. Ioannis Apostoli et Evangelistae a primis vesperis, pariterque omnibus feriis sextis, quae primis singulis mensibus recurrunt, ab ortu ad occasum solis diei huiusmodi, devote quotannis visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea eisdem sacerdotibus sodalibus quoties formalem actum caritatis et reparationis erga SSmum Iesu Cor expleverint, septem annos totidemque quadragenas; quoties denique, hac eadem amoris et reparationis mente, quemvis pietatis actum peregerint, trecentos dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse misericorditer in Domino largimur, plenaria tamen indulgentia excepta in mortis articulo lucranda. In contrarium non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae mu-

nitis^ eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae ve] ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die ix Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

De speciali mandato SSmi D. N. Pii Pp. X.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

L. S.

III.

AD D. MARIAM STILTZ, MODERATRICEM GENERALEM SOCIETATIS FILIARUM A SANCTO FRANCISCO SALESIO, GAUDET SUMMUS PONTIFEX DE HUIUS SOCIETATIS INCREMENTO EXOPTATQUE UT IN DIES AUGEATUR AC FLOREAT.

PIUS PP. x.

Dilecta in Christo filia, salutem et apostolicam benedictionem. — Inter gravissimas Pastoralis muneris curas quibus quotidie detinentur, illud maxime gratum ac iucundum est Nobis, ut omni ope, illisque omnibus praesidiis queis Nos ditavit Altissimus, spirituale fidelium bonum promoveamus atque animos adiuvemus, ut in dies perfectiorem vitae rationem sequi et ad sanctimoniam carissimum christianae Ecclesiae pignus contendere satagant.

Procul dubio ad hunc summae perfectionis finem religiosa vita potissimum intendit; quam quidem vitam Ecclesia, auctore et auspice divino fondatore, constituit ac sitam voluit in professione aeque exercitatione votorum castitatis, paupertatis atque obedientiae, sub certa praestituta regula. Verum cum, uti liquet e sacra Scriptura, *multi sint vocati, pauci vero eiecti,* neque omnibus datum sit complecti religiosam vitam, quae quidem paucorum est, quumque de cetero, omnes homines, pro sua quisque ratione, propriae debeant perfectioni studere, cui acquirendae ab ipso Deo invitantur, sequitur ut Nobis qui Pastoris aeterni vices in terris gerimus, ea etiam pro viribus instituta provehenda sint, quae, licet ad religiosam vitam non spectent, faciliorem tamen fidelibus viam ad virtutem sternunt. Hoc quidem sapienti consilio institutae, praeter vitam religiosam proprie dictam, extant associationes, confraternitates ac tertii ordinis societates, quas Ecclesia fovet, probat et concelebrat utpote spirituali emolumento perutiles; harum enim ope operaque fidelium animi ad certum aeternae salutis iter capessendum diriguntur. Has inter associationes, pluribus nominibus optime de re sacra meritas, hono-

rificentissimum pro certo locum obtinet illa, cui tu, dilecta in Christo filia, tam naviter, tamquam generalis moderatrix praees. Frugifera haec associatio Parisiis anno millesimo octingentesimo septuagesimo secundo instituta a pio sacerdote Henrico Chaumont et a muliere, cui nuper in introducenda beatificationis causa titulum venerabilis Dei famulae decrevimus, scilicet a Barbara Carolina Colchen Carré de Malberg, caelestem sibi elegit patronum Franciscum Salesium, Episcopum Genevensem, nempe perillustrem illum sanctum qui prae ceteris verae pietatis spiritum intellexit eumque ad assequendam gentibus pervium reddidit. Eadem consociatio non solum in sodalium numerum inserit virgines ac viduas, sed mulieres etiam, in coniugali statu viventes, idque illam ab omnibus religiosis congregationibus penitus absoluteque distinguit. Duplex eidem societati finis est, uniuscuiusque sanctificatio et constans apostolatus, qui fines apprime cordis Nostri optatis respondent. Ad proposita vero huiusmodi uberius assequenda, efficacibus non minus quam legitimis modis utitur consociatio. Et sane ad uniuscuiusque sodalis sanctificationem, multum conferant probationes, seu methodicum illud examen quo, sub ecclesiastici viri directione, cuique sociae fundamentales christianae virtutes vitae, per aliquod temporis spatium ad meditationem successive proponuntur, ut ipsae sodales in earumdem plena doctrina iuxta verum ac legitimum Ecclesiae sensum inspiciant, atque ita per diuturnum laborem quotidianos si quos noverint defectus reformare paulatim studeant. Quod attinet ad apostolatum, hic praecipue continetur primum bonis exemplis intra domesticos parietes consanguineis et propinquis exhibendis; dein piis operibus quae proximos attingant, etiam in longo terrarum marisque tractu dissitis regionibus commorantes. Opera ista quae numerare longum est, variae naturae sunt, sed locorum et personarum necessitatibus accommodata. Horum operum exercitatio adscriptas omnes constituit, tamquam dignas ac devotas cleri coadiutrices, idque tum in tradenda catechesi, tum in tuendis fide ac moribus, tum in temporalibus necessitatibus levandis, tum denique in. fovendo christianae vitae] spiritu. Usque a primordiis societas sodalium numero mirandum in modum redundavit. Singularis haec [prorsus sociarum frequentia, auspicata sodalitii ipsius diffusio, luculentissima Sacrorum Antistitum suffragia, qui societatem debito laudis praeconio prosequuntur illiusque utilitatem atque opportunitatem verbis amplissimis apud Nos commendant, haec omnia mirifice testantur, vere spiritum Dei huic societati inchoandae praefuisse, eundemque in ipsa spiritum adhuc aperte perseverare et florere. Quapropter et Nos abstinere non possumus, quin meritas Deo gratias agamus, ob tot salutares fructus, quos ipsa asso-

ciatio ad hanc usque diem percepii., ac spem prope certam fovemus, futurum ut eadem in dies feliciter aucta, uberiora spiritualia emolumenta comparet et praesentibus malis opportunam ac validam medelam afferat. Quare omnes et singulas sodales peculiari laude cohonestantes, illas paterna sollicitudine hortamur, ut in primitivo fervore studeant persistere, debitam exhibeant Praepositis suis obedientiam ac modestiam et humilitatem in exemplum praeseferant. Quod si ipsarum vocatio religiosae vitae sublimitate caret, nihilominus grata Deo est, propterea que Apostolica Nostra approbatione digna, atque ideo sodalibus singulis maxime cara esse debet. Accedant igitur ad hanc societatem frequentiori in dies numero piae animae, quae, licet diversas ob causas a statu religioso complectendo impediuntur, nihilominus ad meliorem christianae vitae semitam decurrendam vocantur et opportunos quaerunt omni diligentia modos, ut optato fine potiantur. Efformetur utinam pacifica in christianis castris haec acies, cuius arma sunt oratio et sacrificium, cuius tessera peculiaris et proprii muneris implementum et unicus finis salus animarum ad maiorem Dei gloriam. Quotquot tali imbutae spiritu in hac consociatione animae reperiantur, pro certo habeant se in spiritu Ecclesiae vivere, Nobis summopere esse acceptas magnumque Sacratissimo Iesu Cordi solatium afferre. Ut autem singulari propensae Nostrae voluntatis significatione, piam ipsam associationem Filiarum a S. Francisco Salesio decoramus, eiusdem associationis inscriptas, sapienti ac prudenti Episcoporum directioni committimus, ut ita certos vigilesque moderatores et custodes singulae nanciscantur: deinde societati universae cui tu, dilecta in Christo filia, tanto studio ac tanta sollertia praees, tibique, et singulis sororibus tuis ac sacerdotibus directoribus, caelestium munerum auspicem apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xiii Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

De speciali mandato SSmi D. N. Pii PP. X.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

L. i© S.

IV.

ECCLESIA PAROCHIALIS PAGI VULGO " BONSECOURS ", DIOECESIS TORNACENSIS, TITULO BASILICAE MINORIS DECORATUR.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Conspicua tempia Dei, quae tum vetustate, tum insignibus Sanctorum simulacris, tum etiam summa fidelium religione celebrantur, amplissimis honoribus ac privilegiis de more institutoque Romanorum Pontificum propensa voluntate cohonestamus. Inter ea merito est sacra aedes recensenda, quae in loco vulgo *Bonsecours,* intra fines dioecesis Tornacensis, iam usque ab anno MDCXXXVII in honorem veteris ac celeberrimi Simulacri Deiparae Virginis de bono Succursu exaedificata, eidem pago nomen dedit. Quo cum in dies semper maiore numero fideles sive e Belgicis, sive e finitimis Galliarum regionibus confluerent, tantae Matris opem experti et imploraturi, ipsum templum paulo post in ampliorem formam productum fuit.

Anno denique MDCCCXCV novum aedificium, funditus erectum, tanta molis amplitudine ac tam pulchris artis operibus exornatum veteri successu, ut illud inter clariora monumenta, superiore saeculo in Belgico regno extructa, optimo sit iure adnumerandum. Neque in sacro huiusmodi templo supellectile abunde instructo, frequens deest clerus, dignitate spectatus, qui cum parocho duce non minus in divinum cultum, quam in spirituale christianae plebis emolumentum intendit. Huc accedit quod Romani Pontifices Decessores Nostri celebratam hanc Ecclesiam indulgentiis ditaverint, ac rec. mem. Pius Papa IX sodalitatem, sub eodem B. M. Virginis de bono Succursu titulo ibidem institutam, in archisodalitatem inde ab anno MDCCCLXXII erexerit, facta ei potestate sibi ceteras eiusdem nominis sodalitates intra Belgii lirnites aggregandi. Nos autem ipsi, erga vetustissimum signisque claram Simulacrum veneratione adducti, illud per similes Nostras litteras, die quarto et vigesimo Martii anno MCMV datas, aureo diademate sollemni ritu coronandum decrevimus. Quae cum ita sint, precibus venerabilis fratris Caroli Gustavi Walravens, episcopi Tornacensis, benigne exceptis, Mariale hoc templum novo perhonorifico titulo exornantes, novo splendore libenti quidem animo locupletamus. Quare vi praesentium Apostolica auctoritate Nostra parochialem ecclesiam Deiparae Virgini de bono Succursu dicatam, atque in Tornacensis dioecesis pago, ab eadem Deipara Virgine vulgo *Bonsecours* nuncupato, positam, ad Basilicae minoris dignitatem perpe-

tuum in modum evehimus, illique una cum hoc honorificentissimo titulo omnia et singula conferimus iura, privilegia, praerogativas, honores, indulta, quae minoribus huius almae Urbis Nostrae Basili eis de iure competunt. Decernentes praesentes litteras firmas, validas atque efficaces semper existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIII Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. ✠ S. *a Secretis Status.*

EPISTOLAE.

I.

AD R. P. D. IOANNEM BAPTISTAM RESSIA, EPISCOPUM VICODUNENSEM (MONDOVÌ), OB CELEBRANDUM TRECENTESIMUM CARDINALIS IOANNIS BONAE NATALEM.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Ioannis Bonae trecentesimum celebrare natalem, non vos anno superiore fugit, quicumque Vicodunensium glorias, uti domesticas, colitis; neque enim in vobis defuit, qui, te auspice, Venerabilis Frater, de hominis laudibus in concione scite commemoraret: sed, cum conversi vulgo essent animi ad admirationem beati Anselmi, cui saeculares honores tum habebantur, consulto propria quaedam solemnia revocandae memoriae clarissimi civis in proximum tempus distulistis. Omnino, significationibus hunc honestari gratae posteritatis, aequum est: quem si negaveris Doctori Augustano comparandum videri, ipsum tamen subalpinae gentis decus et benedictinae familiae ornamentum, atque etiam Ecclesiae lumen iure dixeris. Nam, quod ad eruditionem et doctrinam attinet, quis dubitet, inter eos, qui saeculo septimo decimo, alii in alio genere, admira-

biles extiterunt, singularem quemdam locum tribuere Cardinali Bonae ? Qui quidem incredibile est quanta in suis studiis varietate et copia fuerit: sed praecipue deditus iis, quae in caerimoniis Ecclesiae et in disciplina christianae vitae versantur, adeo scientiae pervestigatione profecit, ut ceterorum qui deinceps eas theologiae partes ratione et via tractarunt, diu princeps haberetur. Haec autem, quae sibi meditando paraverat, tanta doctrinae praesidia, in communem fructum scribendo protulit, idque necessario sane tempore, cum praesertim haeresis Ian¬seniana per Ecclesiae ordines late serperet, et, quacumque virus inie¬cisset suum, omnem religionis fervorem exstingueret. Itaque ad illu¬strandam catholicae professionis veritatem de iis rebus omnibus, quibus divinus cultus continetur, atque ad refovendam christiani populi pieta-tem non parum valuerunt, quae hic vulgavit scripta et multa et prae-clara: 'atque ex his unum et alterum volumen, in quibus ad divinarum rerum contemplationem legentes rapit, sic novimus probari prudentibus, ut aureo *de imitatione Christi* libello non multum cedere videantur. Sed enim non solum ingenii et doctrinae hoc fuit, ut aliis tam esset fru¬ctuosus: fuit etiam animi et sanctitudinis, qua is quidem inter aequales eminuit. Iam, qua esset indole virtutis, insigne documentum dederat adolescentulus, cum, detrimentum pudicitiae ne faceret, e paterna domo in coenobium se proripuit. Postquam autem ad Mariae Vicanae auspi-cato initium est orsus religiosae vitae, quid aliud egit in reliquum tem-pus, nisi ad omnem excellentiam virtutis contendit ? Ita, si litteris disci¬plinisque colendis multum operae semper dedit, plurimum christianae perfectioni animi dedit; atque in iis non tam versatus est, ut sitim scientiae expleret, quam ut gloriam Dei quaereret et salutem animarum. Hoc spectavit unice; huc retulit omnia: non igitur mirum, si quidquid ille scripsit communis religionis fovendae causa, eam habet eloquentiae vim, quae a caritatis calore proficiscitur. Ceterum, quoniam perfectio absolutioque christianarum virtutum habitu animi modesto et humili, tamquam fundamento, nititur, existimari potest ad celsum quemdam sanctimoniae gradum pervenire hunc debuisse, qui, cum omnium com-mendatione floreret, ut accepimus, ipse se unus contemnere, atque hono-res aut oblatos mirabili sollicitudine defugere, aut impositos pari mo-destia gerere consueverit. — Iamvero talis viri excitare memoriam, eique venerationem iustam et meritam conciliare hominum, id quod vobis propositum est, opportunum equidem hodie arbitramur: praesertim cum videamus usu venire, ut solida Ecclesiae decora nostri saepe negligant, iique apud externos umbras omnes etiam falsae gloriae consectentur; nec pauci adolescentes, quod magis dolendum est, ex ipso Clero, alie-

norum auctoritatem in studiis rationemque secuti, misere a veritate et ab officio discedant. Itaque vestrum illud valde placet consilium, quidquid latuerit adhuc scriptorum Bonae, sedulo conquirere in lucemque proferre; nam refert omnia huius in promptu esse ingenii studiorumque munera: quae quidem etiamnum, cum in omni litterarum genere tanta progressio facta est, praeclaro possunt esse usui. Nec minus probamus, quod cogitatis magno ei vi et optimo monumentum ex collatione civium ponere in publico; decet enim qui nomen patriae in perpetuum illustravit, eum perpetuo patriae ornari praeconio. Sed illud praesertim e re fore videmus, quod ipsum vos intelligimus velle, vitae morumque huius effigiem, vestris ingeniis expressam et politam, proponere huic saeculo ad contemplandum. Etenim cum alia multa catholicis maximeque studiosis e sacro ordine licebit inde discere, tum haec praecipue: ut libere se exercentes in omni cognitione rerum, immoti consistant in obsequio Fidei; ut calentes ad optima quaeque studia, nihil de pietatis ardore remittant; ut denique scientiam plurimarum rerum cum humili opinione sui atque adeo cum innocentiae vitae et sanctitate coniungant. — Quare ista vos solemnia in honorem Ioannis Bonae, Nostra etiam auctoritate permoti, alacres agite. Ille vero, etsi testamento cavit ne quid unquam de se mortuo praedicaretur, tamen suas a vobis celebrari laudes facile patietur, quandoquidem celebritas huiusmodi non nullam habet spem communis boni, quo quidem ipse, quamdiu vixit, intendit. Nos autem tibi, Venerabilis Frater, ceterisque egregiis viris, qui rei apparendae praesunt, auspicem divinorum munerum apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxv Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

II.

AD R. P. D. AMBROSIUM AGIUS, ARCHIEPISCOPUM TIT. PALMYRENUM, DELEGATUM APOSTOLICUM PER INSULAS PHILIPPINAS, DE RESTITUENDO COLLEGIO IOSEPHIANO IN CIVITATE MANILA SODALIBUS SOCIETATIS IESU.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Paternam curam providentiamque Nostram de prosperitate ecclesiae Philippinae multis iam rebus nulli quidem non cognitam, maturum arbitramur testari denuo et efficere, ut Collegium Sancti Iosephi, quod Athenaeo urbis Manilae, quasi quaedam huius accessio, recenti memoria adiunctum est,

restituitur in statum pristinum, atque ita fructus salutis uberrimos populo christiano ferat. Quamquam, ut id faciamus, non tam causa Nos utilitatis communis movet, quam aequitatis: quae nimirum postulat, ut ante omnia ratio habeatur, quid hac de re pius rei auctor constituerit. Neque enim est obscurum, hac mente Rodericum de Figueroa, qui Iosephianum Collegium condidit, fuisse, ut sacrum exsisteret Seminarium ministris Evangelii excolendis in usum illius regionis: eumdemque testamento cavisse, ut in perpetuum quicumque sodalibus Societatis Iesu Manilae consistentibus foret praepositus, penes ipsum huius administratio regimenque Collegii esset. Huic optimi et munifici viri vel proposito vel praescripto cum diu esset et feliciter obtemperatum, scimus varios postea intervenisse casus temporum qui, ne idem deinceps fieret, prohibuerunt. Nunc igitur, cum, quae iam obstabant auctoris voluntati, nulla sunt, rem, quantum potest, in integrum restituì, consentaneum est. Quare Nos velle scias, ut sodales Dominiciani ex Athenaeo Sancti Thomae urbis Manilae, qui Collegio Sancti Iosephi iam dudum praesunt, eiusdem Collegii administratione cedant sodalibus e Societate Iesu, eamdem urbem incolentibus: hique reditus bonorum Collegii lectis istius regionis adolescentibus, in quibus indoles ad sacerdotum esse videatur, alendis riteque instituendis impendant. Haec vero ut adducantur ad effectum, tu, Venerabilis Frater, pro tua fide prudentiaque curabis. Simul autem, quo magis pateat Nos hac in re soli paruisse iustitiae, mandamus tibi, ut, Nostris verbis, grati animi studium in luce ecclesiae Philippinae profiteare Dominicianis sodalibus, qui sua in istos populos promerita praeclare auxerint, dum Collegium Sancti Iosephi, cum insigni Religionis artiumque optimarum emolumento, gubernarunt. Ceterum, de sodalibus Societatis Iesu sperare Nobis licet atque adeo confidere, eos, cum huius Collegii, quod ipsis educatoribus adolevit, iterum curam susceperint, in eiusdem commodum vetera diligentiae solertiaeque exempla renovaturos. Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, atque utrique religiosae familiae apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die III Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

III.

AD R. P. D. VALERIUM LASPRO, SALERNITANUM ARCHIEPISCOPUM, QUINQUAGESIMUM EPISCOPALIS MUNERIS ANNIVERSARIUM CELEBRANTEM, GRATULATIONIS ERGO.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Vide quae sit Nostra in te benevolentia. Vix enim Nobis nuncium allatum est te integre naviterque gesti episcopalis muneris propediem celebraturum natalem quinquagesimum, nihil sane habuimus antiquius quam tibi per hasce litteras adesse, fausta felicia cuncta adprecaturi. Quin etiam alterum addimus pietatis argumentum. Neque enim ad te solum patere cupimus cor Nostram, sed et ad universos tecum una laetantes fideles; ut quos eadem sociat domestica laetitia, eadem omnes complectatur pontificia caritas. Tibi igitur die octava Maii, Sacrum ad aras, ut Nobis fertur, sollemniter iteraturo, facultatem concedimus Papalem Benedictionem cum Indulgentia Plenaria iis impertiendi adstantibus qui, admissis expiatis, Sancta de altari libaverint. Hanc demum paterni animi significationem pleniorem facimus apostolica benedictione, quam tibi, Venerabilis Frater, et tuae concredito vigilantiae Clero populoque peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die III Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I.

COMMUTATIONIS FINIUM DIOECESUM.

Preces oblatae fuerunt huic Sacrae Congregationi Consistoriali ut pars quaedam paroeciae S. Gabrielis de Brandon a dioecesi Ioliettensi seiungeretur atque paroeciae S. Caroli de Mandeville in dioecesi Trifluvianensi adderetur.

Porro eadem Sacra Congregatio, rebus omnibus perpensis et per Emum infrascriptum Secretarium facta de his omnibus SSmo Domino relatione, de Eiusdem mandato eam territorii partem quae hisce limitibus vulgari sermone continetur: « au Nord-Est, par les limites actuelles « du diocèse des Trois-Rivières; au Sud-Est, par la rivière Maskinongé; « au Sud-Ouest, par le lac Maskinongé, le terram numero cent-trente- « quatre de la paroisse St-Gabriel de Brandon et la paroisse St-Damien; « au Nord-Ouest, par la ligne qui séparé le Canton de Peterborough des « terres du Gouvernement de la Province de Quebec » et quae nunc ad paroeciam S. Gabrielis de Brandon, dioecesis Ioliettensis, pertinet, a praefatis paroecia et dioecesi avellit et paroeciae S. Caroli de Mandeville, dioecesis Trifluvianensis, in omnibus attribuit.

Die 9 Aprilis 1910.

C. CARD. DE LAI, *Secretarius.*

L. © S.

Scipio Tecchi, *Adsessor.*

II.

DE COMPETENTIA CIRCA TAXAS CURIARUM EPISCOPALIUM.

Propositum fuit huic Sacrae Congregationi Consistoriali dubium: « Utrum post Const. *Sapienti Consilio* adhuc spectet ad S. C. Concilii adprobare taxas Curiarum Episcopalium, nec non dirimere quaestiones omnes, quae ad eas referuntur; an vero haec facultas reservanda sit huic S. C. Consistoriali ».

Re autem mature considerata et praehabito Consultorum voto, Emi PP. respondendum censuerunt: « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ».

SSmus Dominus, in audientia diei 15 Aprilis 1910 Emo infrascripto Secretario benigne concessa, resolutionem probavit.

Die 21 Aprilis 1910.

C. CARD. DE LAI, *Secretarius.*

L. $ S.

Scipio Tecchi, *Adsessor.*

III.

CIRCA PRIVILEGIUM DEFERENDI PILEOLUM VIOLACEI COLORIS EPISCOPIS CONCESSUM.

Propositum fuit S. Congr. Consistoriali dubium utrum Episcopi, etiam in sacris functionibus, absque speciali indulto, uti possint privilegio deferendi pileolum violacei coloris concesso a f. r. Pio IX per apostolicas litteras 17 Iunii 1867 incipientes « *Ecclesiarum* ».

Facta hac de re ab Emo Cardinali Secretario relatione SSmo Domino Nostro in audientia diei 22 Aprilis 1910, Sanctitas Sua, de consulto etiam Sacrarum Congregationum de *disciplina Sacramentorum* ac *Rituum*, mandavit ut declaretur, eos posse a die in qua a Summo Pontifice eiecti sunt, quamvis consecrationem episcopalem nondum susceperint; idque dum sacris operantur, non tamen a Praefatione usque ad susceptum Corpus et Sanguinem Christi Domini, ac dum divinis officiis sacrisque ritibus intersunt.

Die 2 Maii 1910.

C. CARD. DE LAI, *Secretarius.*

L. £g S.

Scipio Tecchi, *Adsessor.*

IV.

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

SSmus D. N. Pius Papa X, decreto Sacrae huius Congregationis, elegit:

10 martii 1910. — R. D. Pacificum Fiorani, episcopum titularem Charystiensem, in episcopum cathedralium ecclesiarum unitarum Cornetanae et Centumcellarum (Corneto Tarquinia e Civitavecchia).

12 martii. 1910. — R. D. Apollonium Maggio, episcopum titularem Lystrensem, in Administratorem Apostolicum dioecesis Asculanae in Piceno (Ascoli).

15 aprilis 1910. — R. D. Gabrielem Vettori, parochum ecclesiae vulgo *S. Salvi,* in civitate Fiorentina, in episcopum ecclesiae cathedralis *Tiburtinae* (Tivoli).

18 aprilis 1910. — R. D. Iosephum Gross, presbyterum archidioecesis Pragensis ibique parochum et decanum Falkenaviensem, in episcopum cathedralis ecclesiae Litomericensis (Leitmeritz).

22 aprilis 1910. — R. P. D. Thomam Valeri, O. F. M., moderatorem collegii seraphici in loco Figline, dioecesis Fesulanae, in archiepiscopum metropolitanae ecclesiae Brundusinae (Brindisi) cum perpetua administratione episcopalis sedis Ostunensis (Ostuni).

29 aprilis 1910. — R. P. D. Arthurum Marchi, episcopum cathedralis ecclesiae Regiensis in Aemilia, in archiepiscopum ecclesiae archiepiscopalis Lucanae (Lucca).

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

V.

ERECTIONES DIOECESUM.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis, erexit:

15 aprilis 1910. — Sedem episcopalem Toletanam in America, provinciae ecclesiasticae Cincinnatensis, in Statibus Foederatis Americae Septentr.

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

S. CONGREGATIO RITUUM

S. CHRISTOPHORI DE HABANA.

DUBIA CIRCA SOLEMNITATEM EXTERNAM IN DOMINICAM TRANSFERENDAM.

Rmus Dnus Petrus Gonzalez y Estrada, Episcopus Sancti Christophori de Habana in Insula Cuba, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter expostulavit; nimirum:

Per Decretum S. Congregationis Supremae Inquisitionis approbatum a SSmo Dno Pio Papa X., Dioecesibus Provinciae Ecclesiasticae Sancti Iacobi de Cuba concessum fuit ut, retentis quibusdam festis, alia non penitus auferantur sed transferantur, quoad externam solemnitatem, in Dominicam proximam non impeditam. Eiusmodi vero festa transferenda sunt sequentia: Epiphaniae Domini, Purificationis B. M. V., S. Ioseph Conf. Sponsi B. M. V., Annuntiationis B. M. V., S. Iacobi Apost. atque Nativitatis B. M. V. Circa translationem vero externae solemnitatis liturgice consideratae praedictorum festorum, sequentia orta sunt dubia:

I. Solemnitas externa festorum, de quibus supra, poteritne celebrari in Dominica sequenti, quando haec fuerit primae vel secundae respective classis ac festum transferendum ?

II. Solemnitas externa Purificationis B. M. V. celebrari fas erit in Dominica Septuagesimae, Sexagesimae vel Quinquagesimae?

III. Solemnitates externae festorum S. Ioseph atque Annuntiationis B. M. V. poteruntne celebrari in Dominica Passionis?

IV. Solemnitas extema festi Nativitatis B. M. V. transferendam in Dominicam proximam, in qua recolitur festum SSmi Nominis Mariae, ita celebranda erit, ut dicantur duae Missae, una de SSmo Nomine Mariae et altera de Nativitate eiusdem B. M. V.; vel potius unica est Missa celebranda maiori cum solemnitate; an melius transferenda erit praedicta solemnitas Nativitatis B. M. V. in Dominicam quartam Septembris?

V. Quid tandem faciendum, si Dominica prima post festum S. Iacobi Apostoli transferendum quoad externam solemnitatem fuerit dies festus S. Annae, eiusdem ritus ac festum S. Iacobi, nempe secundae classis?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. II et III. Negative, sed fiat tantum commemoratio ad normam decreti num. 3754 *Declarationis Indulti pro solemnitate festorum transferenda, 2* Decembris 1891 ad III.

Ad IV. Ob intimam connexionem festorum Nativitatis B. M. V. et SSmi Nominis Mariae, satis est ad finem indulti ut canatur unica Missa de SSmo Nomine eiusdem B. M. V.

Ad V. Celebretur Solemnitas festi S. Iacobi Apostoli utpote dignioris, cum unica Missa de eodem Sancto, ad mentem decreti n. 3754 ad V.

Atque ita rescripsit, die 29 Aprilis 1910.

FR. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ffi S.

f Petrus La Fontaine, Ep. Charystien, *Secretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

i.

NEAPOLITANA.

CREDITI.

Pio Papa X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno septimo, RR. PP. DD. Ioannes Prior, Aloisius Sincero Ponens *et Ioseph Mori, Auditores de Turno, in causa* Neapolitana - Crediti, *inter sacerdotem* Bonaventuram Spavone, *Parochum S. Erasmi, vulgo* ai Graniti, *actorem appellantem, repraesentatum per legitimum procuratorem* Vincentium Sacconi *advocatum, et Sacerdotem* Philippum Savarese, *parochum S. Michaelis Archangeli ad Arenavi, repraesentatum per legitimum procuratorem Angelum D'Alessandri, advocatum, die 22 Ianuarii 1910 sequentem definitivam tulerunt sententiam.*

Causa haec vertitur inter adm. Rev. Dnum Bonaventuram Spavone, Parochum S. Erasmi vulgo *ai Graniti,* Neapolitanae dioecesis ac civitatis, et adm. Rev. Dnum Philippum Savarese, Parochum S. Michaelis Archangeli ad Arenam, eiusdem civitatis ac dioecesis, atque pro obiecto habet obligationem impositam Paroeciae S. Michaelis Archangeli, seu ipsius Parocho, solvendi paroeciae S. Erasmi, seu eius Parocho, portionem subsidii *pro cultus expensis* a Municipio soluti.

Causa agitata est in prima instantia apud Rmam Curiam Neapolitanam, quae sententiam adversam Parocho S. Erasmi tulit. Quum iste legitime appellationem interposuerit apud Sanctam Sedem, huic sacro Ordini, pro novo examine, subiicitur controversia, proposito dubio:

« An et qua mensura subsidium a Municipio solutum paroeciae « Sancti Archangeli *all'Arena,* debeatur paroeciae S. Erasmi *ai Graniti* « in casu ».

FACTUM QUOD SPECTAT.

Illmus et Revmus Dnus Ioseph Carbonelli, Vicarius Generalis Emi ac Revmi Cardinalis Gulielmi Sanfelice, Archiepiscopi Neapolitani, speciali mandato, per litteras sub die 20 Decembris 1883, eiusdem Archiepiscopi munitus, atque servatis de iure servandis, quantum ex actis constat, definitivam die 18 Decembris 1884 tulit sententiam de quatuor paroeciarum, quas inter paroecia S. Michaelis Archangeli, divisione ac de ecclesia S. Erasmi vulgo *al Ponte della Maddalena,* seu *ai Graniti,* ex eadem erectione.

Vi huius sententiae, novae Paroeciae S. Erasmi adsignata fuerunt loca, territorium, numerus incolarum, cura animarum, cappellaniae, pia legata, et congruus reditus, reservata Ordinario facultate omnia dubia solvendi, omnesque controversias dirimendi, quae exoriri potuissent, tum circa praedictorum legatorum onerumque Missarum adsignationem, tum circa territorii divisionem, et finium descriptionem.

Quoad cultus vero expensas, quum omnibus et singulis Neapolitanae Civitatis Paroeciis Municipium Neapolis ex antiquissima consuetudine certam summam pro eisdem cultus expensis solvere consuesceret, idcirco ipsemet Vicarius Generalis Carbonelli auctor fuit apud Municipium, ut idem subsidium novae Paroeciae tribueret.

Quod quum facere detrectaret auctoritas tunc temporis Municipium regens, idem Vicarius Generalis, in sua sententia divisionis ac erectionis,, decrevit ut summa menstrua libellarum 105. 19 veteri Paroeciae S. Archangeli ad Arenam a Municipio pro cultus expensis dari solita, in quatuor partes divideretur, quarum unam in libellis 26. 30 paroeciae S. Erasmi noviter fundatae attribuit, ab eodem Parocho S. Archangeli ex memoratis libellis 105. 19 sibi adsignatis subtrahendam, novaeque Paroeciae S. Erasmi singulis mensibus persolvendam.

At anno 1893 Paroecia S. Erasmi et ipsa, sicut antiquae paroeciae, subsidium centum libellarum in singulos menses a Municipio Neapolis obtinuit: quare inter paroecias S. Archangeli et S. Erasmi, sicut inter caeteras eiusdem conditionis, controversia agitari coepta est, utrum obli-

gatio quoad cultus expensas Paroeciae S. Archangeli per sententiam divisionis imposita adhuc sustineretur, necne.

Quaestio aliquatenus composita fuit per quamdam transactionem die 27 Novembris anni 1893, coram Revmo Provicario Generali, Canonico Aloisio Caruso initam, vi cuius summa libellarum 26. 30 de qua disputabatur, iterum in duas partes divisa fuit, quarum una tantum, in libellis 13. 15, adsignata est Paroeciae S. Erasmi.

Verum quum haec conventio non fuisset, ut ceterum ex dicendis melius patebit, vera et propria transactio, neque rem definitive diremisset, nam, praeter alia in ipsa conventione legitur: « che scopo della riunione era quello di trovare un mezzo onde conciliare la vertenza », atque « senza entrare nel merito giuridico della controversia », ideo controversia iterum exarsit post mortem adm. Rev. Ianuarii Russo, Parochi S. Erasmi, qui illam transactionem acceptaverat.

Quum enim Parochus Sancti Archangeli solvere detrectasset novo Parocho adm. Rev. Bonaventurae Spavone summam libellarum 13. 15, Parochus Spavone Parochum Savarese in ius coram Tribunali Ecclesiastico Rmae Curiae Neapolitanae vocavit, suae paroeciae iura defensurus, iudicialiter postulando, ut, remissa vel posthabita supradicta conventione anni 1893, Parochus S. Archangeli sententia definitiva condemnaretur ad solvendam in perpetuum paroeciae S. Erasmi summam libell. 26. 30, per sententiam divisionis statutam.

IUS QUOD ATTINET.

I. Tria distinguuntur genera proventuum in decreto divisionis Paroeciae S. Archangeli et erectionis Paroeciae S. Erasmi, nempe:

1. ° Congrua, seu congruus redditus pro Parocho.

2. " Cappellaniae, dotes pro puellis nubilibus et alia pia legata.

3. ° Expensae cultus, scilicet subsidium quoddam a Municipio Neapolitano dari solitum Paroeciae S. Archangeli, cuius subsidii quarta pars per decretum supradictum tributa fuit novae Paroeciae S. Erasmi. In casu nostro agitur tantum - quod probe est notandum - de expensis cultus, et definitive de hac subsidii portione assignata Paroeciae Sancti Erasmi.

En verba decreti:

« Finalmente l'assegno mensile, che il Municipio paga per spese di « culto, in L. 105. 19 alla Parrocchia di S. Arcangelo all'Arena, Noi decre- « tiamo che si divida in quattro parti eguali, ciascuna di L. 26. 30 men- « sili, delle quali tre parti in L. 78. 90 mensili restano alla Parrocchia « di S. Michele Arcangelo all'Arena, ed un'altra parte in lire mensili 26. 30

« viene attribuita alla Parrocchiale Chiesa di S. Erasmo. La quale con- « tinuerà ancora a percepire L. 34 mensili, che il Municipio sinora le « ha pagato come succursale dell'antica Parrocchia di S. Michele Arcan- « gelo all'Arena. Sicché il Parroco di S. Erasmo riscuoterà in ogni « mese complessivamente L. 60. 30 per spese di culto, cioè L. 34 diret- « tamente dal Municipio, e L. 26. 30 dal Parroco di S. Michele Arcangelo « all'Arena ». -

Porro, ut ex dictis liquet, summa quaestio, in qua tota causa vertitur, haec est: num ista partitio subsidii a Municipio concessi Paroeciae S. Archangeli, eiusdemque partis assignatio Paroeciae S. Erasmi ita facta sit in decreto divisionis ob denegationem similis subsidii novae Paroeciae a Municipali auctoritate tunc temporis factam, tamquam *ob causam proximam, directam, praecipuam et velut substantialem,* ita ut veluti insit ex natura rei decreto *tacita conditio resolutiva..*

Iam vero quamvis verba decreti in se et praecisive spectata clara sint, tamen hanc quaestionem quod attinet, decretum nil prorsus dicit. Alio igitur ex capite, quaestio est dirimenda.

Quaesitum itaque praecipue est inter Partium procuratores num haec partitio municipalis pecuniae, per decretum peracta, censenda sit perpetua, idque quia natura, et qualitas legis est ut sit perpetua et semper vigeat; item, an talibus in adiunctis, legis interpretationis ex legislatoris mente aliunde coniectae locus sit; atque ex ad verso iuxta praecepta de interpretatione legum et testamentorum potissimum investigata fuit mens legislatoris.

Verum quaestio haec non equidem dirimenda est praecise ex principiis de natura legis, num perpetua sit necne, vel utrum investiganda potissimum semper sit ipsius legislatoris mens; nam sententia, seu decretum, de quo agitur, non est vera et propria lex'. Neque item ex principiis de interpretatione testamentorum vel contractuum res praecise est dimetienda; nam decretum istud non est vere et proprie negotium quoddam iuridicum, sive testamentum sive contractus intelligatur.

Quaestio igitur intimius spectanda est atque ad suos genuinos terminos redigenda. Nempe prius dignoscenda est ac determinanda vera et propria natura seu essentia praesentis sententiae seu decreti, scilicet definienda prius est ipsius forma seu *figura iuridica,* ut aiunt; deinde illi applicanda erunt principia sui iuris propria, si quae sint, et si haec deficiant, dispositiones quae regulant casus similes vel materias analogas, atque ad ultimum generalia iuris principia quaerenda sunt et applicanda.

Iam vero sententia ista *vere* et *proprie* est *decretum in re admi-*

nistrativa, seu in re, quae pertinet ad ius administrationis Ecclesiae Catholicae, vel ad ius constitutionis ipsius, ut aliis, ex. gr. Wernz, magis placet *{Ius. Decr., Tom. II, Tit. XIII).*

Quare ob eamdem rationem qua Vicarius Generalis Curiae Neapo¬litanae hac in re non ex arbitrio, sed iuxta leges et normas ab Ecclesia latas decernere, statuere debuit, et de facto statuisse censendus est, quum secus ipsius decretum legitimum non esset, ita iuxta has leges et normas universales Ecclesiae decretum illud est intelligendum vel ad ipsas redigendum omnino; idque quia si, vel ipso « in dubio, omne factum praesumitur recte factum », id quam maxime obtinet in re nostra, ut ex dicendis patebit.

Obiectum vere huius decreti est *divisio* Paroeciae: quemadmodum igitur iuxta normas seu leges ab Ecclesia circa divisionem beneficiorum et paroeciarum a Vicario Generali condendum fuit hoc decretum, ita iuxta easdem leges illud est a iudice intelligendum et authentice inter¬pretandum.

a) Age vero iuxta *veterem iurisprudentiam* canonicam, divisio, et a fortiori dismembratio beneficiorum, cui continens est casus noster de vera et propria beneficii divisione, vel species quaedam erat alienationis rerum ecclesiasticarum, vel vera et propria alienatio. Iuxta Pirhing enim *(Ius. Can., Lib. III, Tit.* V, *sect. VI, n. CCXXXI1I)* divisio est: « species quaedam alienationis » et « dismembratio beneficii censetur esse quae-dam alienatio perpetua » *(ib., Sect. V, n. CCXXIV).* Iuxta Pichler vero *(Ius Can., Lib. III, Tit. V, § III, n. 29)* cui consonat Reiffenstuel *(Ius Can., Lib. III, Tit. XII, § II, n. 27)* « dismembratio est vera alienatio rerum ecclesiasticarum ». - Non equidem hac in re silentio praetereundum est « eiusmodi canonicam iurisprudentiam ab elapso saeculo declinare paulisper incoepisse » (Mühlbauer, *Thes. Resol. S. C. C. Dismembratio, pag. 1103, n.* 5), atque ex quam plurimis exemplis relatis in *Thesauro Resolutionum S. C. C.* « iurisprudentiam antiquorum temperamentum acce¬pisse » *(ib., pag. 1230-1231),* eo quod Tridentina dispositio « non consi-derava paroeciarum dismembrationem ut rerum ecclesiasticarum (alie-nationem), in qua solemnitates illae sunt ex iure servandae... sed potius praescripsit specialem formam et modum, quo facilius Ordinarii consu-lere possint spiritualibus populorum indigentiis in illis paroeciis... *(ib., pag. 1114).* - Attamen etsi divisio paroeciae non sit vera et propria alie-natio rerum ecclesiasticarum, certe tamen ut casus huic similis vel ma-teria analoga omnino habenda est.

Quare non omnino deficere dicendae sunt hac in re normae vel leges Ecclesiae, iuxta quas, ut docet Pirhing *(Ius Can., Lib. III, Tit. V,*

§ VI, n. CCXXVI), reditus dividendi sunt « secundum proportionem », nec « Episcopus vel alius simili iurisdictione praeditus... potest res et iura unius Ecclesiae pro suo arbitrio transferre ad aliam Ecclesiam », sed tantum « *ex iuxta causa,* si videlicet *una* Ecclesia abundet reditibus et bonis, *alia vero indigeat » (Ib., Tit XIII, Sect. I, n. VI).* Et ratio est: « Quia Praelati et Rectores Ecclesiarum... non sunt domini, sed dispensatores tantum seu administratores rerum et bonorum ecclesiasticorum », *cap. 2, De donat. (Ib., n. II),* idcirco, ut boni administratores se gerere debent iuxta leges et normas generales Ecclesiae, scilicet disponere debent de rebus ecclesiasticis ex iusta vel aequa causa, et servata proportione inter beneficia divisa.

Iam vero in casu nostro nulla alia iusta vel aequa causa suberat vel subesse poterat transferendi quartam partem subsidii Municipalis ab Ecclesia S. Archangeli ad Ecclesiam Sancti Erasmi, praeterquam quod Ecclesia S. Archangeli quoad expensas cultus sat provisa erat per subsidium libellarum 105. 19, Ecclesia vero S. Erasmi, quae nonnisi lib. 34 a Municipio obtinebat, vere, ut verbis Pirhing utamur, quoad easdem cultus expensas, *indigebat.* Quum vero haec indigentia in casu procederet vel existeret ex denegatione auctoritatis Municipalis, de qua supra diximus, iusta vel aequa causa illius divisionis non alia fuit, vel esse potuit quam denegatio subsidii ab auctoritate Municipali tunc temporis facta.

Qua causa posita, in decreto Vicarii Generalis, vi normam m et legum ecclesiasticarum, ideoque tacite inesse dicenda est conditio resolutiva, scilicet usque dum Ecclesia S. Erasmi quoad cultus expensas indigens esset, vel donec idem subsidium, sicut et aliae Paroeciae, a Municipio forte acciperet.

Quod si fingamus Vicarium Generalem simpliciter et absolute, absque ulla iusta causa, in perpetuum et pro omni in posterum casu, etiamsi nempe Paroecia S. Erasmi idem vel fere idem subsidium obtineret, ipsi tribuisse quartam partem subsidii S. Archangeli, aequum et par omnino dicendum esset eum habuisse, ut Ecclesia S. Archangeli, quodammodo matrix novae Ecclesiae, haberet pro cultus expensis libellas 78. 90, Ecclesia vero S. Erasmi libellas 126. 36, quod certe non fuisset boni administratoris, qui secundum proportionem et iuxta leges Ecclesiae de bonis ecclesiasticis disponeret. Quae autem secundum leges Ecclesiae non fiunt, « nec facere, ut verbis Papiniani utamur, nos posse credendum est » *(fr. 1, pr. Big. 12, 5).*

b) Quod autem *ex materia decreti ipsius* et *ex vi legum ecclesiasticarum* eruitur, *res ipsa eiusque circumstantiae* demonstrant vel confirmant. Nam in ipsa transactione, vel potius conventione, inita die

27 Novembris anni 1893 Provicarius Generalis Can. Caruso declaravit atque exposuit: « che in questi ultimi tempi, essendosi erette alcune « nuove parrocchie, nel decreto di erezione delle medesime, *non essen-* « *dosi potuto ottenere dal Municipio di Napoli un assegno annuo a favore* « *di esse, fu stabilito che* la Parrocchia d'onde veniva dismembrata la « nuova, dall' assegno ricevuto mensilmente dal Municipio per le spese « di culto, avesse staccata una determinata somma da corrispondere al « Parroco *pro tempore* della nuova parrocchia ». Emus vero Cardinalis Prisco, hodiernus Ordinarius Neapolitanus, definitius exprimens causam rei et consecutionem in suo voto, declaravit: « E *poiché* il Municipio non « diede alcun assegno per le spese di culto, come aveva fatto per le altre « fondazioni di Parrocchie, fu ordinato col medesimo decreto di stac- « carsi dalla matrice parrocchia una porzione delle spese di culto, che « questa godeva dal Municipio, a favore della filiale in L. 26 mensili ».

c) Idem vero confirmatur ex testium depositionibus, quae etsi dici non possunt « declarationes ipsius legislatoris », tamen in aperto ponunt quinam fuerit *finis decreti,* quaenam fuerit *causa directa, proxima* et *determinans,* ob quam Vicarius Carbonelli partitionem subsidii munici- palis, in casu, fecit suo decreto. Nam Exmus Dominus Ianuarius Trama, Episcopus Lyciensis, olim in Revma Curia Neapolitana Fisci Patronus, testis iuratus ex officio inductus in causa, quique conventioni adstiterat tamquam Pauperum advocatus seu *fiscale aggiunto,* ut aiunt, haec depo- suit: « H Cardinale Sant'elice fece del tutto per fare ottenere a queste « (nuove) Parrocchie erigende l'assegno municipale per spese di culto, « che si percepisce da tutti i parroci di Napoli; ma una lettera del Sin- « daco di allora, Nicola Amore, che forse si conserva ancora nell'Ar- « chivio della Segreteria del Vicariato, fece noto all'Emo Arcivescovo « che il Municipio, pur rispettando l'assegno alle parrocchia antiche, « non intendeva concedere assegno alle nuove. Perduta quindi ogni spe- « ranza di ottenere tale assegno, Mons. Vicario Carbonelli nel decreto « di erezione delle nuove parrocchie, servendosi di un diritto conferito « agli Ordinari dal Concilio di Trento, in considerazione che le parroc- « chie antiche con lo smembramento venivano a risparmiare lo stipen- « dio d'un Coadiutore di più, dispose che l'assegno municipale pagato « alle parrocchie antiche venisse diviso a metà con le nuove ». Et quam- vis testis non satis distinguat in re nostra stipendium Coadiutoris, con- gruam parochialem, qualitatem et numerum parochianorum, Archivia et domus parochiales, - quae tamen in casu praesenti probe distinguenda sunt - ab expensis cultus, de quibus tantum agitur, quamvis item non sileat ipsum fuisse tunc temporis « personalmente, facendo astrazione

« dalla questione di diritto, internamente . . . favorevole ai Parroci « delle nuove Parrocchie in base alia questione di fatto . . . .» aperte, declarat: « Io però ritengo da tutto l'insieme della questione, che se le « nuove Parrocchie all'epoca della erezione *avessero ottenuto V assegno « Municipale, giammai Mons. Carbonelli avrebbe ad esse attribuito la « metà dell'assegno* delle Parrocchie antiche ». Quidquid autem sentiendum sit in re praesenti de vi huius interpretationis mentis seu voluntatis Vicarii Carbonelli, certo certius manifeste patet hanc unam fuisse causam huius partitionis subsidii municipalis, nempe denegationem auctoritatis tunc temporis Municipium regentis. Item Parochus Iannelli, iuramento praestito, haec deposuit: «Mons. Carbonelli mi rispose: " Caro « Parroco, non ve ne affliggete, perchè questa porzione di assegno, « che darete al Parroco di Sant'Anna è *temporanea e transitoria.* Un « altro sindaco, od un'altra Amministrazione municipale in appresso, « consentirà a dare anche al Parroco di S. Anna il proprio assegno per « le spese di culto; ed in tal maniera non lo pagherete più voi „. Questa « ultima parte almeno l'argomentai io dalle sue parole ». Iamvero ut praetermittamus quaestionem num haec ultima verba explicite et reipsa protulerit Vicarius Generalis, clara et explicita sunt ea, quae Parochus Iannelli ipsum inducit dicentem: « Questa porzione di assegno, che « darete al Parroco di S. Anna, è temporanea e transitoria ». Nec omnis vis adimitur huic depositioni ex eo quod observatum fuerit ex adversa parte testem istum in re quodammodo 'sua testimonium fecisse; nam ipse Parochus est, testis iuratus est, causa supra quam deposuit, non est vere et proprie causa suipsius, sed continens tantum, ceterumque ipsius depositio ab aliorum depositione apprime coadiuvatur. Quinimmo Parochus Corbi haec quodammodo contra se, nam est parochus Ecclesiae filialis, iuramento praestito deposuit: « In seguito all'ufficio, col « quale il Municipio di Napoli sotto il sindaco Amore rifiutò di dare « un assegno mensile alle parrocchie, che si dovevano erigere nuove, il « Vicario di quel tempo (1884) Mons. Carbonelli, ordinò che il Parroco « di Tutti i Santi, dalla cui parrocchia si smembrava quella di S. Anna « al Trivio, avesse date dalle spese di culto che egli riceveva dal Muni« cipio, L. 32, in ogni mese a me, che ero il primo parroco di S. Anna. « Non essendo nel decreto di erezione delle nuove Parrocchie accenno « alcuno in riguardo al tempo, pel quale avrebbe dovuto durare questo « pagamento mensile da farsi dal Parroco di Tutti i Santi, ritengo che « tale pagamento fosse *precario e transitorio,* cioè avrebbe dovuto durare « fino a che la Parrocchia non avesse ottenuto dal Municipio l'assegno « per le spese di culto ». Et inferius: « In quell'occasione (scilicet - occa-

« sione controversiae exortae ob subsidium novis Parochis concessum) « parlandone col Vicario dell'epoca, Mons. Carbonelli, questi si mostrò « addolorato della interpretazione data al detto decreto dai Parroci nuovi, « i quali pretendevano di continuare a percepire dagli antichi l'assegno « stabilito nel decreto curiale di erezione; perchè *riteneva che non ave- « vano più il diritto dal momento che essi avrebbero ottenuto le spese « di culto dal Municipio* ». Neque vero rationabiliter dubitari potest quod hac definita in re testis memoria vacillaverit, nam, praeter cetera, de vexata quaestione agebatur, quae ipsum quodammodo tangebat. Ceterum ne in illa quidem inani re, in qua inducitur memoria vacillasse « nou fui chiamato » (ut nempe conventioni interesset) contra rei veritatem vel saltem aequivoce affirmatur ipsum conventui in Curia habito interfuisse, nam constat ex depositione Episcopi Trama, Parochi Iannelli et ex ipso documento conventionis ipsum a conventu et a conventione ineunda se recepisse. Item Parochus Franciscus Popolo testis et ipse quodammodo contra se, haec sub iuramento deposuit: « Mons. **Carbo-** « nelli trovò che malamente si era regolato il Parroco dei Sette Dolori « sospendendo il pagamento di sua privata iniziativa, senza essere auto- « rizzato dall'Autorità Diocesana; ma d'altra parte *soggiunse che io non « aveva il diritto ad insistere avendo ottenuto per altra via V assegno « municipale* ». - Neque opponatur ex his testium depositionibus causam partitionis subsidii in casu nempe denegationem Municipii esse tantum simplex motivum, quod in consideratione iuris non cadit, iuxta doctrinam quoad ius romanum enunciatali! a Ferrini, *Pandette n. 123:* « I negozii, la « cui tipica struttura è determinata esclusivamente o particolarmente « dal contenuto, si dicono dai moderni *causali;* ciò che costituisce il tipo « forma il *motivo prossimo,* la *causa diretta* per cui le parti addivengono « al negozio medesimo... Dalla " causa „ così intesa si distinguono i « *semplici motivi,* che sono le rappresentazioni intellettuali generanti la « serie degli atti volitivi, che mettono capo alla causa strettamente deter- « minata... Tali motivi, che non sono capaci come la causa di una rap- « presentazione obbiettiva e tipica, non sogliono venire in considerazione « per diritto... ». Item Bonfante, *Ist. Diritt. Rom., § 27;* et perbelle Pacchioni, C*ors. Diritt. Rom., Vol. II, p. 146* etc.

Nam primo quidem decretum, de quo agitur, non est negocium iuridicum stricte sumptum, sed decretum administrativum, dein vero ex ipsis depositionibus et ex substrata materia evidenter patet denegatum subsidium Municipale novae Paroeciae in casu fuisse veram causam directam, proximam et velut essentialem ipsius decreti, seu partitionis municipalis subsidii in casu. Iam vero, ut docet Barbosa in *axiom. 40,*

n. 4, « haec est regula generalis in legibus, contractibus et *aliis dispositionibus,* ut, cessante causa, super qua fundatur dispositio, cesset et ipsa dispositio; Dyn. *cons. 6,* ex testamento Domini, *n. 2, vers.,* praeterea, ubi quod in pacto, cessante causa finali, cessat effectus; Angel. *consti. 346,* Titius, ubi ampliat *in omni dispositione* sive legali, sive testamentaria, sive inter vivos, *quia dispositio a causa regolatur, restringatur et ampliatur;* Angel., *Consti. 86, Hereditas materna, in fin... ».* Et *num. 18* prosequitur: « Sive causa respiciat privatam sive publicam utilitatem, quia si ea cessat, cessare debet effectus et dispositio; ex Ioanne de Imola, *consil. 87 vers.,* praeterea secundo Card. Tusch. d. *conci. 202, n. 42 ».*

Concludendum igitur tum

a) ex natura ac materia decreti in casu, et ex vi legum ecclesiasticarum hanc circa rem; tum

b) ex re ipsa et ex rei circumstantiis; tum

c) ex testium depositionibus defectum subsidii municipalis pro cultus expensis Ecclesiae S, Erasmi, sive eius denegationem ex parte auctoritatis Municipium tunc temporis regentis, fuisse causam directam et velut conditionem resolutivam tacitam partitionis subsidii municipalis Ecclesiae S. Archangeli, eiusque portionis assignatae Ecclesiae S. Erasmi. Quare cessante causa defectus municipalis subsidii in Ecclesia S. Erasmi, et verificata conditione concessionis ipsius ex parte Municipii, cessasse omnino dicendum partitionem et assignationem statutam per decretum Curiae Neapolitanae.

II. Quoad argumenta vero aliata in favorem Paroeciae S. Erasmi, en breviter expedienda sunt; nam ad rem nostram apprime non faciunt.

Primo quidem assignationem in favorem Ecclesiae S. Erasmi perpetuam esse deducitur tum ex eo quod clare et sine ulla temporis definitione facta fuit, tum ex iuris principiis. At verba decreti sunt quidem clara in se, praecisive spectata et velut in abstracto; sed in concreto seu ad casum> et ad controversiam, in qua causa tota vertitur, nil dicunt, ut iam notatum est. Item temporis definitio non adest quidem in verbis abstracte spectatis, sed inest decreto ipsi tacite tum ex materia decreti, scilicet cultus expensis, tum ex circumstantiis, tum praecipue ex ratione motiva, ob quam haec assignatio facta fuit, ut iam supra demonstravimus. Iuris autem principium « natura et qualitas legis est ut perpetua sit et semper vigeat » non recte applicatur. Nam haec perpetuitas obtinet in lege proprie dicta, quatenus est « ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata » (D. Thom., *1, 2, 90. 4)* et hoc sensu definitur: « Iussum legitimi Principis propter bonum subditorum, commune, perpetuum sufficienter promulgatum » (D'An-

nibale, *Summ. Theol. Mor., I, 160);* sed haec perpetuitas hoc potissimum significat, quod lex non cessat resoluto iure eam ferentis, et subditos tenet sive praesentes sive futuras *(Ib. 161, not. 15;* Suarez, *De leg., lib. 1, c. 70, n. 7),* minime vero quod perduret etiamsi ex. gr. finis legis adaequate cesset. Ad rem Reiff., *Ius Can., lib. I, tit. I,* § *2, n. 34:* « Coeterum ista perpetuitas legis, eiusque obligationis non accipitur pro aeternitate non habente principium nec finem (alioquin nulla daretur lex positiva), sed accipitur pro duratione indefinita, quatenus lex proprie dicta debet ferri non pro uno dumtaxat die, vel anno, aut solummodo ad vitam legislatoris, sed in perpetuum. Intellige, quantum est ex primaeva intentione legislatoris, quamvis postmodum, iustis de causis... ». At, quemadmodum iam adnotavimus, in casu nostro non agitur de lege proprie dicta, sed de decreto particulari. Quod si omnis lex fertur « rebus ipsis dictantibus et necessitate exigente », id quam maxime obtinet in decreto nostro; nam res dictantes et necessitas exigens, seu indigentia Paroeciae S. Erasmi et defectus Municipalis subsidii erant quid temporaneum et mutationibus prorsus obnoxium. Item non bene quadrant in rem nostram illa iuris principia « lex generaliter loquens generaliter debet intelligi » et « ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus ». Ad rem enim Pirhing *(Ius Can., lib. I, tit. I, sect. III,* § *1, n. CIV):* « lex universalis et generalis sive generatim et indefinite loquens etiam generaliter et universaliter est intelligenda, *ita ut locum habeat in omnibus, quae sub tali genere in propria verborum significatione continentur;* v. gr. lex loquens de filiis etiam filias comprehendit, ubi enim lex non distinguit nec nos distinguere debemus, Suarez, *I. 6, de legib., c. 2, n. 3 et 4,* nisi lex generalis per specialem priorem vel posteriorem limitetur sive *in ea aliquis casus excipiatur, gl. in I. de pretio 8, v. pretium ff. de publiciana in rem actione* ». Iamvero cum decretum nostrum respexerit casum defectus Municipalis subsidii pro expensis cultus, profecto non potest intelligi et locum habere in casu, in quo hoc Municipale subsidium concessum sit. Quare ad summum hic potius obtineret regula illa iuris *(LXXXI in sext.),* iuxta quam: « In generali concessione non veniunt ea quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus » Reiff., *ib. n. 3.* - Neque iterum apte afferuntur verba illa decreti nostri: « quam divisionem (i. e. paroeciae), dismembrationem (i. e. redituum) et novae paroeciae erectionem semper in posterum observandam volumus ». Quam circa rem docet Pirhing *(Ius Can., lib. III, tit. V, sect. VI, § V, n. CCXXII):* « Discrimen esse inter Beneficii dismembrationem seu diminutionem, et inter Beneficii divisionem seu sectionem; dismembratio, seu diminutio Beneficii tunc fieri dicitur, quando unitas Beneficii non tollitur, sed pars bonorum vel fructuum

sive redituum Beneficii ab eo separatur et aufertur, v. g. si in Ecclesia aliqua sint duae Cappellaniae collativae, quarum una abundantes reditus habeat, altera vero tenues, ex illa pars redituum dematur atque huic applicetur; vel si pars aliqua ex fructibus abundantibus ad Fabricam Ecclesiae deputetur, tunc dicitur fieri dismembratio... At vero divisio seu sectio Beneficii dicitur quando ex uno fiunt duo vel plura beneficia, et si ex una Ecclesia parochiali fiunt duae... ita, ut, divisis fructibus duo in posterum Parochi... instituantur... ». Itaque vox dismembratio in Decreto nostro debet intelligi minus proprie de *divisione* ipsa Paroeciae S. Archangeli seu novae Paroeciae S. Erasmi erectione, non vero definite de assignatione portionis subsidii Municipalis.

Aliud argumentum desumitur in favorem Ecclesiae S. Erasmi ex eo quod decreti interpretationi ex legislatoris mente aliunde coniectae locus non sit, quia « in claris nulla interpretatio est facienda ».

Verum primo quidem observandum est in themate non esse quaestionem de interpretatione decreti, sed potius de cessatione eius quoad vim obligandi, relate ad solutionem factae assignationis libellarum menstruarum 26-30 praestandam a Parocho Matricis Ecclesiae S. Archangeli in favorem noviter erectae paroeciae S. Erasmi. In iure enim vulgatum est principium quod, cessante causa motiva et fine legis, cesset et ipsa lex. In casu autem cessavit et quidem adaequate finis legis; nam causa motiva fuit denegatio subsidii municipalis novae Ecclesiae, finis vero ut praecise occurreretur huic denegationi et consequenti indigentiae Ecclesiae S. Erasmi quoad cultus expensas. Neque opponi potest legis finem cessasse in casu particulari tantum; nam lex praesens seu, melius, decretum, de quo agitur, latum definite fuit pro casu particulari. Per concessum vero subsidium a Municipio an. 1903 libellarum menstruarum 100 favore paroeciae S. Archangeli res incidit in casum, a quo incipere non potuisset: quinimo casus prorsus diversus et oppositus factus est. - At et si interpretationi legis inhaerere velimus, in primis notandum est fieri petitionem principi! quando affirmatur in claris nullam interpretationem esse faciendam. Nam, ut minimum dicamus, num lex in concreto, seu res ipsa clara sit an non, est id quod quaeritur. Dein vero legem seu decretum in concreto, scilicet assignationem portionis subsidii factamne fuisse pro omnibus casibus, rebus etiam in oppositum mutatis, an non, id non modo claram non est, sed immo claram et manifestum est contrarium, ut ex dictis liquet, et transactio seu conventio inita anno 1903, vel ipsa, demonstrat. Nam quamvis haec conventio dici non possit, nec sit proprie et stricte transactio « prout Transactio vi nominis idem importat ac Transitum sive recessum ab actione » (Reiff.,

Ius Can., lib. I, tit. XXXVI, § 1, n. 2), sed in casu vox transactio accipiemia sit « large et improprie... pro omni actu, quo ab obligatione rece¬ditur et negocium aliquod inter quosdam componitur, sive id fiat litis componendae causa, sive non » (Reiff., *ib.,* Pirhing, *Ius Can., lib. I, tit. XXXV, § 1, n. 2),* tamen, analogice saltem, valet et in re nostra illud iuris principium ex *leg. 1 ff. h. tit. De transact.:* « Qui transigit, quasi de re dubia et lite incerta transigit ». Ad rem Santi *(Prael. Iur. Can., lib. 1, tit. XXXVI, n. 1):* « Transactio est decisio rei dubiae. Haec verba duplicem vim habent: 1. ° nempe posse transigi in re dubia *non-dum incoepto iudicio',* dum scilicet timor est actualis litis *futurae;* 2. ° obiectum transactionis dubium aliquod offerre debere... ». Et Reiff, *ib., § II, n. 18: «* Certum nihilo minus est, quod generaliter transactio fieri non possit, nisi super re dubia, de qua timetur Iis movenda... ». Quod ex circumstantiis transactionis seu compositionis ipsius adhuc confirmatur. Quidquid enim dicendum sit de privata tunc temporis agendi ratione Revmi Carbonelli, - non enim hic quaeritur et investigatur voluntas in mente Revmi Carbonelli retenta, quae ceteroquin «nil operatur aut mutat » *(Ex I. 62, § Locator horrei, 5, Locati, ibiqu.* Bartol. Sancii., *M. I, 18, 2),* sed ipsius legislatoris intentio quae « partim ex subiecta materia partim ex aliis circumstantiis desumatur oportet » (Arg. ex Reiff., *Ius Can., lib. I, tit. II,* § IX, *n. 205* et Pirhing, *Ius Can. lib. I, tit. II, sect. III, § I, n. CIV), -* certum omnino est tum partes in transactione ineunda, tum Curiam Neapolitanam eidem adsistendo facto et reipsa, existimasse et duxisse rem esse, minimum, obscuram, nam, si « in manifestis non « est opus interpretatione, sed executione » (D. Thom., *2. 2ae 120. 1. ad 3um),* tanto minus opus est transactione.

Quae cum ita se habeant, profecto verba decreti in casu intentioni legislatoris debent deservire. Ad rem Pirhing *(Ius Can. Lib. I, Tit. II, Sect. III, § I).* « Prima (regula) est in interpretatione legum non tam verba spectanda sunt, quam mens et voluntas seu intentio legislatoris, quae est veluti anima legis, a qua haec omnem vim obligandi habet, 1. scire. 17 ff. *de legib.* 1. non dubium, 5 c. eadem reg. ult. *in 6, c. in his. 15,* ibi: cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire, de verb. signific. c. humana, *11 causa 22 qu. 5.* Suarez *(I. 6 de legib. cap. 1)* n. 12. Colligitur autem ea *mens et voluntas* tum ex *materia legis,* tum ex *circumstantiis,* praecipue vero *ex fine et causa sive ratione motiva,* ob quam lex fertur, Layman. *I. I, Tract. 4, c. 18, n. 4»:* quod quidem per singulas partes supra n. I factum est. Et D'Annibale, *Summ. Th. Mor. I, 184* « lex est quod legislator voluit » et « si a recta ratione alienum videatur metiri voluntatem legislatoris ex verbis, *non oportet ius*

calumniari et verba captare, sed, quae mens legislatoris fuerit, animadvertere *(185 ib.).* In casu autem metiri voluntatem ex verbis non tantum esset alienum a ratione, sed ab ipsis normis ecclesiasticis seu iuris communis, ideoque revera esset calumniari decretum.

Neque iterum apte applica tur casui nostro: « legislator quod voluit expressit, quod noluit tacuit » et « casus omissus habetur pro omisso », nam, ne eadem repetamus, id sufficit animadvertere quod « neque leges (neque canones et decreta) ita scribi possunt ut omnes casus qui quandoque inciderint comprehendantur ». *(LL. 10, 12, Tit. III. De Legibus; S. Thom. 1, 2™ 96, 6).*

Multo minus quid probant argumenta ex absurdis aliata in favorem Ecclesiae S. Erasmi. Si talia darentur (nempe si pro mutata rerum conditione, ex Episcopi coniecta mente pateret aditus novae partitioni faciendae quoad reditus ad parochum filialis Ecclesiae sustentandum, quoad dotem filialis Ecclesiae, quoad legata) an ulla, obiicitur, esset firma paroeciae constitutio? — Verum haec ad rem nostram nil referunt. Nam in praesenti causa non agitur de congrua, de legatis nec de assignatione territorii, locorum, numeri incolarum, curae animarum, cappellaniarum, coeterisque huiusmodi, sed definite tantum agitur de illo menstruo subsidio pro expensis cultus a Municipio soluto Ecclesiae S. Archangeli. Ratio differentiae ex dictis patet, magisque elucescit si consideretur Vicarium Generalem Carbonelli suo decreto minime tribuisse nec ceterum tribuere potuisse ius ad portionem subsidii Municipalis (nam quomodo consistit hoc ius, si pendet a concessione Auctoritatis municipalis?), sed tantum tribuisse portionem subsidii, quod pro quolibet mense Municipium solvebat Ecclesiae S. Archangeli. Iamvero hoc subsidium seu pensionem pro rerum hominumque adiunctis mutationi obnoxium esse, et etiam cessare posse id adversarius ipse insinuare videtur ex pensione novis paroeciis assignanda, quae ut obtineretur satis fuisset, ait, victoriam a nostris reportari in comitiis.

Item opponitur Parochum S. Erasmi insudavisse et alsisse ut subsidium a Municipio obtineret, atque ex ipsius labore ingenti sane et assiduo praemium habuisse Parochum S. Archangeli. Verum Parochus S. Archangeli non praemium tulit, sed id tantum obtinuit, ut sibi totum, quod suum erat, retineret et cessaret ab onere sibi imposito, et a quasi quodam suo damno.

III. Postremo non omnino silendum esse censemus in hac causa de ratione aequitatis, quam, ut ait clarus iurisconsultus neapolitanus, Card. Tuschius *(Concl. 312, n. 4, 34)* iudex semper prae oculis habere debet tamquam lapidem angularem: « In omnibus causis, ad rem docet

Reiff. *(Ius. Can. Lib. I, Tit. II, § -XVI, n. 415)* potior debet esse ratio aequitatis, quam stricti iuris: desumitur haec regula ex 1. *Placuit c. de Iudiciis,* ibi: *Placuit in omnibus rebus praecipuam esse iustitiae aequLtatisque scriptae, quam stricti iuris rationem:* Et 1. In omnibus ff. de Reg. Iur. ibi: « *In omnibus quidem, maxime tamen in iure, aequitas spedando, est* ». Et 1. Quod si Ephesi § *Interdum,* ff. De eo, quod certo loco etc. ibi: « *In summa aequitatem ante oculus habere debet iudex* ». Qui textus quotidie allegatur ad hoc, quod iudex debeat habere aequitatem ante oculos: et idem habetur in cap. Ex parte 13 *de Offic. Deleg.,* ibi: *Et in causa iuxta iuris aequitatem procedere.* Unde ubi sunt diversae opiniones, semper opinio magis aequa attendi debet... Iamvero aequum non est quod Ecclesia matrix ex eodem cespite et ob eamdem rationem minus accipiat quam filiana, aequum omnino non est ut Ecclesia matrix adhuc ferat diminutionem proprii subsidii, postquam Ecclesia filiana idem vel fere idem subsidium obtinuit.

Quibus omnibus, tum quod factum, tum quod ius spectat, perspectis ac mature perpensis:

Christi nomine invocato, solumque Deum prae oculis habentes, Nos infrascripti Auditores, pro Tribunali sedentes, ad propositum dubium definitive respondemus: Negative ad utramque partem, statuentes praeterea expensas esse compensandas inter partes.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut executioni mandent hanc sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim *cap. 3, sess. XXV, de Reform. Concilii Tridentini,* iis adhibitis mediis executivis et coercitivis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis extitura sint,

Romae, die 22 Ianuarii 1910.

Ioannes Prior.
L. £g S. Aloysius Sincero, *Ponens.*
Ioseph Mori.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

II.

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII - ALEXANDR1-**BAL.**

Regnante feliciter Pio PP. X, Pontificatus Dominationis suae anno septimo, die 26 februarii anno 1910, BR. PP. DD. Seraphinus Many, Franciscus Heiner et Ioannes Prior, Auditores de Turno, in causa Parisiensi - Nullitatis Matrimonii - *instante pro appellatione Defensore Vinculi Parisiensi adversus sententiam Curiae Parisiensis, inter Catharinam Alexandri, repraesentatum per Procuratorem Nazarenum Ferrata, Advocatum, et Georgium Bai contumacem, interveniente et disceptante in causa Vinculi Defensore ex officio, sequentem definitivam tulerunt sententiam.*

Die 30 Martii 1875 Catharina Alexandri et Georgius Bal in Ecclesia parochiali dicta « S. Honore d'Eylau», Parisiis, matrimonium contraxerunt; dicebatur autem Catharinam non libere in matrimonium consensisse, sed sub influxu matris. Revera matrimonium tristes exitus habuit. Brevi coniuges ab invicem de facto discesserunt, et anno 1883, sic dictum divortium civile petitum et pronunciatum fuit. Anno autem 1908, Catharina Alexandri matrimonium coram Curia Archiepiscopali Parisiensi impugnavit uti nullum ex capite vis et metus, et sententiam suae libertati faventem obtinuit. A qua sententia cum Vinculi Defensor Parisiensis ad H. S. O. appellaverit, hic, ad instantiam Catharinae Alexandri, absente altera parte contumaci, sacra autem matrimonii iura tuente Defensore Vinculi, concordatum est dubium, ut sequitur:

« An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Cui dubio RR. PP. DD. Auditores respondendum censuerunt:

« Affirmative ».

In iure, celebre extat in Corpore Iuris Caput *Cum locum, 14, De Sponsalibus,* in quo haec dicuntur: « Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intervenit, necesse est, ut ubi assensus
« cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem
« solo consensu contrahitur; et ubi de ipso quaeritur, plena debet secu-
« ritate ille gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat
« sibi piacere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis
« provenire ». Similia leguntur in cap. *Veniens, 15, cod. tit.:* « Manda-
« mus quatenus, si inveneris quod primam post fidem praestitam cogno-
« verit, ipsum cum ea facias remanere; alioquin secundae (nisi metu
-« coactus qui posset in virum constantem cadere eam desponsaverit)

« adhaerere facias ut uxori ». Quae loca Doctores interpretantes dicunt, saltem de iure ecclesiastico, metum esse impedimentum dirimens matrimonium, si sit gravis, etiam tantum relative, iniustus, et in ordine ad extorquendum consensum matrimonialem incussus; quod extendunt etiam ad metum reverentialem, id est, ad metum quo reformidamus indignationem eius, in cuius potestate constituti sumus, modo tamen accedat aliquid aliud, v. g,, preces importunae et instantissimae, iurgia, vexationes etc, ita ut metus sit revera gravis. Quo in sensu, saepius S. Congregatio Concilii matrimonium nulliter contractum fuisse declaravit.

In facto, omnia haec elementa in celebratione matrimonii de quo agitur concurrunt: quod facile demonstratur, habita prae oculis Instructione Congregationis S. Officii, feria IV, die. 20 iunii 1883: «Con-
« siderandum est, utrum qui de illata vi metuve accusantur, patria
« potestate et auctoritate pollerent, an qui vim metumve passi sunt,
« nullatenus iisdem subiecti fuerint; quae ratio vis inferendae, magnane
« ex matrimonio propriae domui utilitas aut decus obventurum; quae
« indoles inferendum, quae conditio, qui mores; qua ratione familiam
« regere consueverint; utrum ad iracundiam et violentiam ita essent
« proclives, ut facile quod minabantur perficerent, et animo ita essent
« duro atque obstinato, ut a nemine sibi contradici aut consiliis suis
« impedimenta obiici paterentur........Ratio habenda erit primum sexus
« personae, quae violentiam passa dicitur; facilius enim animus puellae
« commovetur quam viri; deinde aetatis, educationis, indolis, utrum
« nempe mitis ac timida fuerit, an fortis et constans; qua ratione in
« familia vivere consueverit, utrum sub custodia et vigilantia parentum,
« ita ut ab eorum imperio semper et in omnibus penderet ».

Ex una parte, Domina Alexandri, mater puellae, omnino et absolute matrimonium illud volebat; propter enim prodigalitatem viri, qui minister erat in Romania, propter ingentes sumptus quibus uterque coniux indulgebat, et varias alias causas, fortunae domus non tantum periclitabantur, sed etiam quasi iam in totum deperditae erant. Huic autem ruinae praesto erat certum remedium, nempe matrimonium filiae cum Georgio Bal, iuvene ditissimo, qui non tantum statum puellae erigerei in melius, sed etiam toti familiae, et praesertim matri, large subveniret. Unde tanto fortius mulier ambitiosa matrimonium illud cupiebat, quanto vehementius timebat, ne ruina domus publice innotesceret, et ipsa, e statu deiecta, in Romaniam aut Moldaviam regredi cogeretur.

Ex altera parte, Catharina Alexandri, puella octodecim annos nata, mitis, timida, non minus absolute matrimonium illud abhorrebat, tum

quia ab alio amore, et quidem a pluribus annis, praeoccupata erat, nempe in iuvenem concivem suum, Alexandrum Stériadi, cum quo etiam se desponsatam putabat, tum quia Georgius Bai, tunc praesertim temporis, indecora et turpi facie erat, quo fiebat ut eius aspectus puellae, imo omnibus, ut dicunt testes, fastidium generaret.

Hanc igitur renitentis puellae voluntatem frangere et illam ad sua vota adducere omnino sibi proposuit mater; erat enim, qualem eam inducunt omnes testes, imperiosa mulier, quae, fere semper absente viro, omnem in domo auctoritatem, maternam et paternam exercebat (sunt verba Catharinae Alexandri in sua depositione), nec quemquam sibi non plene subiectum ferre poterat. Unde ad propositum finem attingendum, nihil intentatum reliquit; prius enim amovit Alexandrum Stériadi, filiae sponsum, cui, ut in Romaniam rediret ad parandam sibi fortunam, persuasit; deinde Georgium Bal accersivit et in domum introduxit; cum autem ab ipsis primis initiis, filiam suam his nuptiis reluctantem reperisset, huius voluntatis flectendae media excogitavit et adhibuit; proposuit enim puellae miserandum familiae statum, proximam ruinam, imminentem e statu deiectionem, regressum in Romaniam; unicum autem remedium, nimirum nuptias cum Georgio Bal; quae ratiocinia cum in irritum abirent, alia media excogitavit; hinc frequentes obiurgationes, graves reprehensiones, continua iurgia.

Nec tamen flectebatur puella; unde quoties in conspectum Georgii adducebatur, austera semper et frigida remanebat; non audebat quidem intimos animi sensus, a Georgio alienos et aversos, exterius verbis aut gestibus pandere, quia mater vigilantissima numquam eam cum Georgio solam relinquebat; sed, quod solum in eius potestate erat, frigida perstabat. Quod etiam animadvertit Georgius, ut ipse coram Iudice testatus est.

Hinc, post illos congressus, mater filiam carpebat, obiurgabat et etiam verberabat; quod testes omnes, quasi rem in familia notissimam, referunt; nec deest testis oculatus, nempe Ioannes Duca, qui filiam coram se a matre verberatam refert. « Il y avait des discussions conti-« nuelles, des pleurs; la mère a donne une gifle en ma présence à sa « fille. Sans doute, toutes ces discussions n'étaient provoquées que par « cette histoire du mariage ». Et eo magis patiebatur puella, quod neminem haberet ad quem recurrere posset; pater enim eius erat in Romania, et ceteroquin eadem consilia fovebat, quae mater eius; soror eius natu maior longe aberat, nimirum in civitate Valenciennes; soror eius minor adhuc puellula erat, nec ei ullo modo opem ferre poterat.

Et haec repugnantia perduravit usque ad matrimonium; hoc dicunt

passim testes, v. g. " Sacerdos Vigneron, Domina Oettinger; ceterum hoc erat quasi factum notorium; die enim matrimonii, ut referunt testes, puella videbatur quasi victima ad sacrificium ducta; hanc esse tristem etiam sponsus Georgius animadvertit; qua tristitia pius minusve omnes circumstantes afficiebantur; unde dicebat quaedam famula domus, has non esse nuptias, sed potius officium funebre: « On se serait cru à un « enterrement ». Verum est puellam coram sacerdote consensum matrimonialem expressisse, ut ipsa fatetur; sed hunc consensum non edidit, nisi quia, in hoc extremo momento constituta, non habebat amplius quo se verteret; expressit quidem consensum, sed sub influxu illius metus illiusque moralis coactionis, qua per plures menses oppressam se senserat. Unde etiam Georgius Stériadi, frater Alexandri, prioris Catharinae sponsi, ad matrem, Dominam Alexandri, epistolam gravibus increpationibus et obiurgationibus plenam scripsit, ut illi fidem erga fratrem violatam exprobraret; quod ipse sic testatur: « J'insiste sur le fait, qùe ce « mariage avec M. Bal a été fait contre le gre de la jeune fille, par suite « de la pression de la mère. J'en ai été à ce point touché et révolté « que j'ai écrit à cette epoque une lettre violente à la mère, lettre regret- « table sans doute, mais excusable à cause du chagrin qu'éprouvait « mon frère de ce manque de parole ». Quod etiam supponit notissimum in familia fuisse praefatum matrimonium non libere, sed coacte, a puella contractum fuisse.

Hoc pariter, vix contracto matrimonio, luctuose simul et manifeste rei monstravit eventus. Animi enim aversio, quam Catharina conceperat erga sponsum suum, non solum non deminuta est, sed etiam tanto magis crevit, quanto melius nova uxor intellexit quid esset matrimonium; unde, ut ambo coniuges testantur, Catharina a reddendo debito coniugali abhorrebat, non propter conscientiam (putabat enim se legitime nuptam esse), sed propter fastidium et repugnantiam erga virum, quam superare non poterat. Inde, ut passim referunt testes, increpationes, obiurgationes, gravia iurgia, verbera aliaque huius generis, ita ut, etiam decurrente primo nuptiarum anno, vir voluerit instituere separationem ab uxore; a quo hac tantum ratione deterritus fuit, quod inde omnium admirationem et scandalum timuerit, ut ipse refert. Quae tamen separatio, crescente in dies discordia inter coniuges, post decem circiter et octo menses, de facto instituta est; et tandem sic dictum divortium civile petitum et pronunciatum.

Et haec omnia ex actis et allegatis bene probata remanent. Verum quidem est plerosque testes esse tantum ex auditu; sed haec animadvertenda:

1. ° Cum, propter causam infra afferendam, accusatio matrimonii nonnisi post triginta tres annos a tempore celebrati matrimonii proposita fuerit, mirum non est, in tam longo temporis intervallo, multos testes oculatos mortuos esse; sic mortui sunt pater et mater actricis, ambae eius sorores, maritus sororis maioris, filius huius sororis seu nepos actricis, prior sponsus actricis, scilicet Alexander Stériadi; sic etiam mortuae sunt hae duae famulae, quae quinquaginta annos degerant in domo Alexandri et quasi de familia erant;

%° Licet plerique testes qui in causa deposuerunt, sint tantum de auditu, plenam tamen fidem merentur, tum quia agitur de re, quae in familia notissima erat (quod etiam notat testis Carolina Bouvard), cum Domina Alexandri, mater puellae, etiam praesentibus cognatis aut amicis filiam increparet et verberaret, tum quia plerique hi testes omnia praedicta facta audierunt vel ab ipsa actrice, aut eius matre, vel a testibus oculatis, praesertim a duabus illis famulis, quae tot annos in familia degerant; quae quidem facta audierunt tempore non suspecto, scilicet toto tempore quod intercessit a die celebrati matrimonii usque ad annum 1907, quo primum Catharina Alexandri dubitare coepit de valore sui matrimonii;

3. ° Nec tamen desunt testes oculati, nimirum testis Ioannes Duca, qui propriis oculis vidit puellam a matre coram se verberatam; et inter testes oculares iure meritoque referri potest Domina vidua Oettinger, mulier sexaginta quinque annos nata, quae filia erat unius ex praefatis famulis et continuam cum familia Alexandri necessitudinem fovebat.

Nec dicatur actricem Catharinam Alexandri suspicionem incurrere malae fidei, cum tot annis distulerit matrimonii accusationem. Ratio enim, cur ita distulerit, est in promptu: ignoravit enim matrimonii sui nullitatem usque ad annum circiter 1907, quo, cum interesset concioni catechisticae in Ecclesia S. Honorati, Parisiis, audivit explanationem impedimentorum dirimentium matrimonium, et, in specie, impedimenti vis et metus; qua notitia perculsa, adiit Sacerdotem Vigneron, cuius consiliis utebatur; qui cum peritum consuluisset, et etiam huc Romam consulendi causa venisset, concludit causam de nullitate matrimonii Catharinae Alexandri utiliter proponi posse coram iudice ecclesiastico; quod et statim factum est. Haec autem omnia testatur ipse Sacerdos Vigneron, cui concinit Catharina.

Quibus omnibus consideratis et sedulo perpensis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, confirmata sententia Curiae Archiepisco-

palis Parisiensis, decernimus, declaramus et definitive pronunciamus: « *Constare de nullitate matrimonii inter Catharinam Alexandri et Georgium Bai* » et sic proposito dubio respondemus; statuentes praeterea eamdem Catharinam Alexandri ad omnes iudicii expensas teneri.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut executioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim *cap. S, sess. XXV, De Reform.*, Concilii Tridentini, iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis extitura sint.

Die 26 Februarii 1910.

Seraphinus Many, *Ponens.*
L. £g S. Franciscus Heiner, *Auditor de Turno.*
Ioannes Prior.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

SECRETARIA STATUS

EPISTOLA

AD R. P. D. ARTURUM STANISLAUM TOUGHET, EPISCOPUM AURELIANENSI, OB DEVOTIONIS OBSEQUIUM BEATISSIMO PATRI EXHIBITUM DIE ANNI VERSARI A RECURRENTE EX QUO IOANNA DE ARC IN NUMERUM BEATORUM ADSCRIPTA EST.

C'est avec une toute particulière satisfaction que le Saint-Père a reçu la lettre que Votre Grandeur Lui a adressée à l'occasion de l'anniversaire de la Béatification de Jeanne d'Arc. L'année qui s'achève a été une année de labeurs et de souffrances. Mais, à la suite de Son Divin Fondateur, c'est bien là le rôle et la destinée de l'Eglise ici-bas que d'aller au triomphe à travers les douleurs de la Croix. Pour la Bienheureuse Jeanne également, le Calvaire a précédé la gloire. Et Sa Sainteté fait des vœux ardents pour que la protection de la glorieuse Héroïne d'Arc soit le gage de plus en plus assuré du renouvellement de la Foi dans votre bien-aimée Patrie. Parmi les moyens de ce renouvellement, le Saint-Père Se plaît à encourager la forme d'Apostolat que, sous l'inspiration de votre puissante Protectrice, vous vous efforcez de promouvoir dans votre Diocèse, et, avec vous, Il se réjouit des heureux résultats dont vous Lui faites part et qui sont le fruit de cet Apostolat,

Du meilleur de Son cœur, le Saint-Père vous accorde, ainsi qu'au Chapitre de votre Cathédrale, au clergé et aux fidèles de votre Diocèse la Bénédiction Apostolique.

Je vous prie d'agréer, Monseigneur, l'expression de mes sentiments très dévoués en Nôtres-Seigneur.

Le 27 Avril 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. © S. *a Secretis Status.*

COMMISSIO DE RE BIBLICA

DB AUCTORIBUS ET DE TEMPORE COMPOSITIONIS PSALMORUM.

I. Utrum appellationis *Psalmi David, Hymni David, Liber psalmorum David, Psalterium Davidicum,* in antiquis collectionibus et in Conciliis ipsis usurpatae ad designandum Veteris Testamenti Librum CL psalmorum; sicut etiam plurium Patrum et Doctorum sententia, qui tenuerunt omnes prorsus Psalterii psalmos uni David esse adscribendos, tantam vim habeant, ut Psalterii totius unicus auctor David haberi debeat?

Resp. Negative.

II. Utrum ex concordantia textus hebraici cum graeco textu alexandrino aliisque vetustis versionibus argui iure possit, titulos psalmorum hebraico textui praefixos antiquiores esse versione sic dicta LXX virorum; ' ac proinde si non directe ab auctoribus ipsis psalmorum, a vetusta saltem iudaica traditione derivasse?

Resp. Affirmative.

III. Utrum praedicti psalmorum tituli, iudaicae traditionis testes, quando nulla ratio gravis est contra eorum genuinitatem, prudenter possint in dubium revocari?

Resp. Negative.

IV. Utrum, si consideretur Sacrae Scripturae haud infrequentia testimonia circa naturalem Davidis peritiam, Spiritus Sancti charismate illustratam in componendis carminibus religiosis, institutiones ab ipso conditae de cantu psalmorum liturgico, attributiones psalmorum ipsi factae tum in Veteri Testamento, tum in Novo, tum in ipsis inscriptionibus, quae psalmis ab antiquo praefixae sunt; insuper consensus Iudaeorum, Patrum et Doctorum Ecclesiae, prudenter denegari possit praecipuum Psalterii carminum Davidem esse auctorem, vel contra affirmari pauca dumtaxat eidem regio Psalti carmina esse tribuenda?

Resp. Negative ad utramque partem.

V. Utrum in specie denegari possit davidica origo eorum psalmorum, qui in Veteri vel Novo Testamento diserte sub Davidis nomine citantur, inter quos prae ceteris recensendi veniunt psalmus II *Quare fremuerunt gentes;* ps. XV *Conserva me, Domine;* ps. XVII *Diligam te, Domine, fortitudo mea;* ps. XXXI *Beati quorum remissae sunt iniquitates;* ps. LXVIII *Salvum me fac, Deus;* ps. CIX *Dixit Dominus Domino meo?*

Res. Negative.

VI. Utrum sententia eorum admitti possit qui tenent, inter psalterii psalmos nonnullos esse sive Davidis sive aliorum auctorum, qui propter rationes liturgicas et musicales, oscitantiam amanuensium aliasve incompertas causas in plures fuerint divisi vel in unum coniuncti; itemque alios esse psalmos, uti *Miserere mei, Deus,* qui ut melius aptarentur circumstantes historicis vel solemnitatibus populi iudaici, leviter fuerint retractati vel modificati, subtractione aut additione unius alteriusve versiculi, salva tamen totius textus sacri inspiratione ?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

VII. Utrum sententia eorum inter recentiores scriptorum, qui indiciis dumtaxat internis innixi vel minus recta sacri textus interpretatione demonstrare conati sunt non paucos esse psalmos post tempora Esdrae et Nehemiae, quinimo aevo Machabaeorum, compositos, probabiliter sustineri possit?

Resp. Negative.

VIII. Utrum ex multiplici sacrorum Librorum Novi Testamenti testimonio et unanimi Patrum consensu, fatentibus etiam iudaicae gentis scriptoribus, plures agnoscendi sint psalmi prophetici et messianici, qui futuri Liberatoris adventum, regnum, sacerdotium, passionem, mortem et resurrectionem vaticinati sunt; ac proinde reiicienda prorsus eorum sententia sit, qui indolem psalmorum propheticam ac messianicam pervertentes, eadem de Christo oracula ad futuram tantum sortem populi eiecti praenuntiandam coarctant?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

Die autem 1 Maii 1910, in audientia utrique Rmo Consultori ab actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, 1 Maii 1910.

Fulcranus Vigouroux, P. S. S.
Laurentius Janssens, O. S. B.
Consultores ab actis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Il giorno 24 del corrente mese di Maggio, nel Palazzo Apostolico Vaticano, avrà luogo la Congregazione Preparatoria dei Sacri Riti sopra le virtù in grado eroico del Venerabile Antonio Maria Giannelli, Vescovo di Bobbio e Fondatore delle Figlie della Beata Vergine dell'Orto.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnata di nominare:

15 Marzo 1910. — L'Emo Sig. Cardinale Domenico Ferrata, Protettore dell'Istituto delle Suore Riparatrici del Sacro Cuore del Perù.

7 Maggio 1910. — Il medesimo Emo, Protettore dell'Istituto delle Figlie di S. Francesco di Sales.

Vescovi assistenti al Soglio:

31 Gennaio 1910. — Mons. Giuseppe Altenweisel, Vescovo di Bressanone (Brixen).

18 Marzo. 1910. — Mons. Giuseppe Doubrava, Vescovo di Königgrätz.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari:

25 Aprile 1910. — Il Rev. D. Lorenzo Richen, dell'archidiocesi di Colonia.

30 Aprile. — Il Rev. D. Vincenzo Misuraca.

— Il Rev. D. Filiberto Maria van den Heuvel, della diocesi di Bois-le-duc.

Cameriere d'onore di spada e cappa soprannumerario:

2 Maggio 1910. — Sig. Adamo Konopka, dell'archidiocesi di Leopoli.

NECROLOGIO.

29 Aprile 1910. — Mons. Guglielmo Pifferi, dei Romitani di S. Agostino, Vescovo tit. di Porfireone e Sacrista di Sua Santità.

7 Maggio 1910. — Mons. Bartolomeo Ortolani, Vescovo di Ascoli Piceno.

COMMENTARIUM OFFICIALE

LITTERAE ENCYCLICAE

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS.

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Editae saepe Dei ore sententiae et sacris expressae litteris in hunc fere modum, iusti memoriam fore cum laudibus sempiternam eundemque loqui etiam defunctum [1], diuturna Ecclesiae opera et voce maxime comprobantur. Haec namque sanctitatis parens et altrix, iuvenili robore vigens ac Numinis afflatu semper acta *propter inhabitantem spiritum eius in nobis* [2], quemadmodum iustorum sobolem nobilissimam ipsa una gignit, enutrit, ulnisque complectitur suis, ita materni amoris instinctu de ipsorum retinenda memoria atque honore instaurando se praebet apprime sollicitam. Ex ea recordatione superna quadam suavitate perfunditur et a mortalis huius peregrinationis miseriis contuendis abducitur, quod beatos illos caelicolas *gaudium suum et coronam* esse iam cernat; quod in ipsis eminentem agnoscat Sponsi caelestis imaginem; quod novo testimonio suis filiis antiqua dicta confirmet: *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti* [3]. Horum autem praeclara facinora, non modo sunt ad commemorandum iucunda, sed etiam ad imitandum illustria, et magnus

[1] ***Ps.*** cxi, 7; - ***Prov.*** x, 7: - ***Hebr.*** xi, 4.
[2] ***Rom.*** VIII, U.
[3] ***Rom.*** VIII, 28.

virtutis excitator est concentus ille sanctorum Paullinae resonans voci: *imitatores mei estote sicut et ego Christi* [1]

Ob haec, Venerabiles Fratres, Nos, qui vixdum suscepto pontificatu maximo, propositum significavimus enitendi constanter ut « omnia instaurarentur in Christo »; datis primum encyclicis litteris [2] impense curavimus ut Nobiscum omnes intuerentur in *apostolum et pontificem confessionis nostrae,... in auctorem fidei et consummatorem Iesum* [3]. At quoniam ea fere est infirmitas nostra, ut tanti exemplaris amplitudine facile deterreamur, providentis Dei numine, aliud a nobis est exemplar propositum, quod quum Christo sit proximum, quantum humanae licet naturae, tum aptius congruat cum exiguitate nostra, Beatissima Virgo Augusta Dei Mater [4]. Varias denique nancti occasiones recolendae memoriae sanctorum caelitum, communi admirationi obiecimus fideles hosce servos ac dispensatores in domo Domini, et, prout suus cuique locus est, Eius amicos ac domesticos, qui *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones* [5], ut illorum exemplis adducti, *iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris; veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus* [6].

Altissimum hoc divinae Providentiae consilium in tribus maxime viris perfectum fuisse docuimus, quos magnos pastores eosdemque doctores diversa quidem aetas tulit, sed aeque propemodum Ecclesiae calamitosa. Hi sunt Gregorius Magnus, Ioannes Chrysostomus et Augustanus Anselmus, quorum saecularia solemnia celebrari contigit per hos annos. Binis praeterea Encyclicis Litteris datis iv Idus Martias anno MCMIV et xi Calend. Maia* MCMIX, doctrinae capita et christianae vitae praecepta,

[1] I *Cor.* iv, 16.

[2] Litt. Encycl. « *E supremi* » die iv m. Octobr. MCMIII.

[3] *Hebr.* **III**, 1; - **XII**, 2-3.

[4] Litt. Encycl. « *Ad diem illum* », *die* n m. Februar, MCMIV.

[5] *Hebr.* xi, 33.

[6] *Eph.* iv, 11 seq.

quotquot opportuna cadere in haec tempora visa sunt, e sanctorum exemplis monitisque decerpta, fusius evolvimus.

At quoniam persuasum Nobis est, ad impellendos homines, illustria Christi militum exempla longe magis valitura quam verba exquisitasque, disceptationes [1]; oblata feliciter opportunitate libentes utimur saluberrima instituta ab alio pastore sanctissimo accepta commendandi, quem huic aetati propiorem iisdemque paene iactatum fructibus Deus excitavit, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem, Mediolanensium Antistitem, ante annos ccc a sa. me. Paulo V in sanctorum album relatum, Carolum Borromeum. Nec id minus ad rem; siquidem,, ut memorati Decessoris Nostri verba usurpemus: « Dominus, qui facit mirabilia magna solus, magnificavit novissime facere nobiscum, ac miro dispensationis suae opere statuit super Apostolicae petrae arcem grande luminare, eligens sibi e gremio sacrosanctae Romanae Ecclesiae Carolum, sacerdotem fidelem, servum bonum, formam gregis, formam Pastorum. Qui videlicet multiplici fulgore sanctorum operum universam decorando Ecclesiam, sacerdotibus et populo praeluceret quasi Abel in innocentia, quasi Enoch in munditia, quasi Iacob in laborum tolerantia, quasi Moyses in mansuetudine, quasi Elias in ardenti zelo, quique imitandum exhiberet inter affluentes delicias Hieronymi corporis castigationem, Martini in sublimioribus gradibus humilitatem, Gregorii pastoralem sollicitudine]», libertatem Ambrosii, Paulini caritatem, ac demum videndum ac perspiciendum ostenderet oculis nostris, manibus nostris contrectandum hominem, mundo maxime blandiente, crucifixum mundo, viventem spiritu, terrena calcantem, caelestia iugit lum substitutum, ita etiam mente et opere vitam angelorum in terris aemulantem » [2].

Haec Decessor ille Noster exactis quinque lustris ab obitu Caroli. Nunc vero, expleto anno tercentesimo ab impertitis.

[1] Encycl. « *E Supremi* ».

[2] Ex Bulla « *Unigenitus* » an. MDCX, Cal. Nov.

eidem sacris honoribus, « merito repletum est gaudio os no« strum et lingua nostra exsultatione in insigni die solemnitatis « nostrae,... in qua... Carolo S. R. E., cui, auctore Domino, prae« sidemus, Presbytero Cardinali sacris decernendis honoribus, « unicae Sponsae suae nova imponeretur corona, ornata omni « lapide pretioso ». Communis autem cum Decessore Nostro fiducia Nobis est, ex contemplatione gloriae sancti Viri, multoque magis ex eiusdem documentis et exemplis, debilitari posse impiorum proterviam et confundi omnes qui « gloriantur in « simulacris errorum »[1]. Itaque renovati Carolo honores, qui gregis ac pastorum huius aetatis exstitit forma, sacraeque disciplinae in melius corrigendae impiger fuit propugnator et auctor adversus novos homines, quibus, non fidei morumque restitutio proposita erat, sed potius deformatio atque restinctio, quum solatio ac documento erunt catholicis universis, tum iisdem stimulos addent, ut in opus, cui tam impense studemus, instaurationis rerum omnium in Christo, strenue conspirent.

Exploratum profecto vobis est, Venerabiles Fratres, perpetuo exagitatam Ecclesiam deseri a Deo nunquam omni consolatione destitutam. Eam namque *Christus dilexit... et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret et exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata*[2]. Quin etiam, quo effusior licentia, quo acrior hostilis impetus, quo erroris insidiae callidiores afferre illi supremum videntur exitium, usque adeo, ut filios non paucos de gremio eius avulsos in vitiorum et impietatis gurgitem transversos agant, eo praesentiorem experitur tutelam Numinis. Efficit enim Deus ut error ipse, velint nolint improbi, in triumphum cedat veritatis, cui custodiendae Ecclesia advigilat; corruptio in incrementum sanctitatis, cuius altrix ipsa est atque magistra; vexatio in mirabiliorem *salutem ex inimicis nostris.* Ita fit ut, quo tempore Ecclesia

[1] Ex eadem Bulla « *Unigenitus* ».
[2] *Eph.* v, 25 sqq.

profanis oculis videtur saevioribus iactata fructibus ac paene demersa, tunc nempe pulchrior, validior, purior emergat, maximarum emicans fulgore virtutum.

Sic Dei summa benignitas novis argumentis confirmat, Ecclesiam opus esse divinum; sive quod in causa suscipiendi doloris maxima, ob irrepentes in ipsa eius membra errores et noxas, ei det superandum discrimen; sive quod ratum efficiat Christi verbum: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* [1]; sive quod eventibus illud comprobet: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* [2]; sive denique quod arcanae virtutis testimonium perhibeat, qua promissus a Christo, maturo huius in caelum reditu, *alius Par aditus* in ipsam iugiter effunditur, ipsam tuetur et in omni tribulatione solatur; spiritus, *qui cum ipsa maneat in aeternum; spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum, quia apud vos manebit et apud vos erit* [3]. Hoc ex fonte vita et robur Ecclesiae derivatur; hinc quod eadem, ut Concilium Oecumenicum Vaticanum habet, manifestis notis instructa et « tamquam signum levatum in nationes », a quavis alia societate secernitur [4].

Nec sane absque divinae potentiae prodigio fieri potest ut, diffluente licentia et passim deficientibus membris, Ecclesia, quatenus est corpus Christi mysticum, a doctrinae, legum finisque sui sanctitate nunquam desciscat; ex iisdem rerum causis pares consecutiones et utilitates derivet; ex complurium filiorum fide ac iustitia fructus capiat salutis uberrimos. Nec minus perspicuum haustae a Deo vitae habet indicium, quod in tam foeda pravarum opinionum colluvie, in tanto perduellium numero, in errorum facie adeo multiplici, constans et immutabilis perseveret, *columna et firmamentum veritatis,* in unius professione doctrinae, in eadem communione sacramentorum, in divina sui constitutione, in regimine, in disciplina morum. Id-

[1] MATTH, XVI, 18.

[2] MATTH, XXVIII, 20.

[3] IOAN. XIV, 16 sqq. - 26, 59: - XVI, 7 sqq.

[4] Sessio III, c. 3.

que eo pius habet admirationis, quod ipsa, non solum resistit malo, sed etiam *vincit in bono malum,* nec bene precari desinit amicis atque inimicis, de eo tota laborans idque assequi cupiens, ut et communitas hominum et seorsim singuli christianis institutis renoventur. Est enim hoc proprium eius munus in terris, cuius beneficia vel ipsi eius inimici sentiunt.

Mirabilis hic Dei providentia influxus in instaurationis opus ab Ecclesia provectum luculenter apparet ea maxime aetate, quae ad bonorum solacium dedit Carolum Borromeum. In eo dominatu cupiditatum, omni fere perturbata et offusa cognitione veritatis, perpetua erat cum erroribus dimicatio, hominumque societas in pessima quaeque mens, gravem videbatur sibi conflare perniciem. Inter haec superbi ac rebelles homines consurgebant, *inimici Crucis Christi... qui terrena sapiunt... quorum Deus venter est* [1]. Hi non moribus corrigendis, sed negandis Fidei capitibus animum intendentes, omnia miscebant, latiorem sibi aliisque muniebant licentiae viam, aut certe auctoritatem Ecclesiae ductumque defugientes, pro lubitu corruptissimi cuiusque principis populive, quasi imposito iugo, doctrinam eius, constitutionem, disciplinam in excidium petebant. Deinde, iniquorum imitati morem, ad quos pertinet comminatio: *Vae qui dicitis malum bonum et bonum malum* [2], rebellium tumultum et illam fidei morumque cladem appellarunt instaurationem, sese autem disciplinae veteris restitutores. Re tamen vera corruptores exstiterunt, quod, extenuatis Europae per contentiones et bella viribus, defectiones horum temporum et secessiones maturarunt, quibus uno velut impetu facto, triplex illud, antea disiunctum, dimicationis instauratum est genus, a quo invicta et sospes Ecclesia semper evaserat; hoc est, primae aetatis cruenta certamina; domesticam subinde pestem errorum; denique, per speciem sacrae libertatis vindicandae, eam vitiorum luem ac disciplinae eversionem, ad quam fortasse nec aetas media processerai

[1] *Philip,* in, 18, 19.

[2] ISA i. v, 20.

Decipientium hominum turbae Deus opposuit veri nominis instauratores, eosque sanctissimos, qui aut cursum illum praecipitem retardarent ardoremque restinguerent, aut illata inde damna sarcirent. Quorum labor assiduus et multiplex in restituenda disciplina eo maiori solacio Ecclesiae fuit, quo graviori haec premebatur angustia, comprobavitque sententiam: *Fidelis Deus, qui... faciet etiam cum tentatione proventum* [1]. Iis in adiunctis laetitiam Ecclesiae cumulavit oblata divinitus Caroli Borromei singularis navitas vitaeque sanctitas.

Fuit autem in eius ministerio, Deo sic disponente, propria quaedam vis et efficientia, non solum ad infringendam audaciam factiosorum, sed etiam ad erudiendos Ecclesiae filios atque excitandos. Illorum namque et insanos cohibebat ausus, et inanes criminationes diluebat, eloquentia usus omnium potentissima, suae vitae et actionis exemplo; horum vero spem erigebat, alebat ardorem. Atque illud in ipso fuit plane mirabile, quod veri restauratoris dotes, quas in aliis disiunctas cernimus atque distinctas, ab iuvenili aetate in se omnes recepit in unum collectas, virtutem, consilium, doctrinam, auctoritatem, potentiam, alacritatem, effecitque ut in commissam sibi catholicae veritatis defensionem contra grassantes errores, quod idem erat Ecclesiae universae propositum, singulae conspirarent, intermortuam in multis ac paene restinctam excitans fidem, providis eam legibus institutisque communiens, collapsam disciplinam restituens, cleri populique mores ad christianae vitae rationem strenue revocans. Sic, dum partes instauratoris tuetur omnes, haud minus mature *servi boni et fidelis* fungitur muniis, ac deinde sacerdotis magni, *qui in diebus suis placuit Deo et iuventus est iustus;* plane dignus in quem cuiusvis generis homines tum e clero tum e populo, divites aeque ac inopes, tamquam in exemplar intueantur; cuius excellentiae summa in episcopi atque antistitis laude continetur, qua, Petri Apostoli dictis obtemperans, factus est *forma gregis ex animo* [2]. Nec

[1] I Cor. X, 13.

[2] I *Petr.* V, 3.

minus movet admirationem quod Carolus, nondum exacto anno aetatis suae vicesimo, summos honores consecutus, magnis ac perarduis Ecclesiae negotiis tractandis adhibitus, ad perfectam cumulatamque virtutem, per contemplationem rerum divinarum, qua in sacro secessu animum renovaverat, in dies magis contender et, elucer et que *spectaculum... mundo [et angelis et nominibus.*

Tum vere Dominus coepit, ut memorati Decessoris Pauli V verbis utamur, *mirabilia sua* in Carolo pandere; sapientiam, iustitiam, divini honoris et catholici provehendi nominis studium flagrantissimum, in primisque curam instaurandae Fidei Ecclesiaeque universae, quod opus in augusto illo Tridentino Consilio agitabatur. Cuius habiti laus ab eodem pontifice ab omnique posteritate sic tribuitur Carolo, quasi viro, qui, non ante illius exsequutor exstiterit fidelissimus, quam propugnator acerrimus. Nec enim sine multis eius vigiliis, angustiis, laboribus omne genus, res est ad exitum perducta.

Haec tamen omnia nihil erant aliud nisi praeparatio quaedam vitaeque tirocinium, quo et pietate animus et mens doctrina et labore corpus exercerentur, ita ut modestus iuvenis ac de se demisse sentiens instar esset argillae in manibus Domini eiusque in terris Vicarii. Hanc scilicet rationem ineundae viae novarum rerum fautores illi contemnebant eadem stultitia qua nostri, minime secum reputantes, mirabilia Dei ex umbra et silentio parentis animi pieque precantis in apricum proferri, in eaque exercitatione germen futuri adscensus, haud secus ac in semente spem colligendae messis, includi.

Nihilominus, quod paullo superius attigimus, auspicata tam faustis initiis vitae sanctitas et actio tum se maxime explicuit effuditque fructus uberrimos, quum, « urbano splendore <(et amplitudine relictis, bonus operarius in messem quam su- « sceperat (Mediolanum), discedit, ubi partes suas in dies ma- « gis implendo, agrum illum, malitia temporum, vepribus tur- « piter deformem ac silvescentem, in eum restituit nitorem, ut « Ecclesiam Mediolanensem, praeclarum exemplum redderet

« ecclesiasticae disciplinae »[1]. Tam multa tamque praeclara is est consequutus conformando instaurationis opus ad normas, a Concilio Tridentino paullo ante propositas.

Enimvero Ecclesia, probe intelligens, quam sint *sensus et cogitatio humani cordis in malum prona*[2], cum vitiis et erroribus dimicare nunquam destitit, *ut destruatur corpus peccati et ultra non serviamus peccato*[3]. Qua in contentione, quemadmodum ipsa sibi magistra est et impellitur gratia, quae *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum;* ita cogitandi agendique normam sumit a Doctore gentium, aiente: *Renovamini spiritu mentis vestrae*[4]. - *Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta*[5]. Quam quidem se metam contigisse Ecclesiae filius atque instaurator non rictus, existimat nunquam; ad eam tantummodo niti profitetur cum eodem apostolo; *quae retro sunt obliviscens, ad ea véro quae sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu*[6].

Inde consequitur ut et nos cum Christo in Ecclesia coniuncti *crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex qua totum corpus... augmentum facit in aedificationem sui in charitate*[7], et Ecclesia Mater in dies magis efficiat ratum sacramentum divinae voluntatis, hoc est, *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo*[8].

Ad haec animum non intenderunt auctores illi redintegrandae suo marte fidei ac disciplinae, quorum conatibus restitit Borromeus; nec ea nostri melius vident, quibuscum strenue nobis, Venerabiles Fratres, est dimicandum. Nam et hi Eccle-

[1] Bulla « *Unigenitus* ».
[2] *Gen.* VIII, 21.
[3] *Rom.* vi, 6.
[4] *Ephes.* iv, 23.
[5] *Rom.* xii, 2.
[6] *Philip,* in, 13, 14.
[7] *Ephes.* iv, 15, 16.
[8] *Ephes.* i, 9, 10.

siae doctrinam, leges, instituta subvertunt, habentes in lingua promptum cultioris humanitatis studium, non quod eo de negotio valde laborant, sed quo titulis ad ostentationem paratis pravitatem consiliorum queant facilius obtegere.

Quid autem re agant, quid moliantur, quod iter affectent, neminem vestrum fugit, eorumque consilia denuntiata per Nos fuerunt atque damnata. Proposita namque ipsis est communis omnium ab Ecclesiae fide ac disciplina secessio, eo vetere illa deterior quae Caroli aetatem in discrimen adduxit, quo callidius in ipsis fere Ecclesiae venis delitescit ac serpit, et quo subtilius ab absurde positis extrema deducuntur.

Utriusque pestis origo eadem; *inimicus homo,* qui ad humanae gentis perniciem haud sane exsomnis, *superseminavit zizaniam in medio tritici* *; idem abditum iter ac tenebricosum; eadem progressio, idem appulsus. Etenim, quemadmodum prior illa olim, qua fortuna rem daret eo vires inclinans, optimatium partes aut popularium alteram adversus alteram constabat, ut utramque tandem ludificaret atque pessumdaret; sic recentior ista clades mutuam exacuit invidiam egentium ac locupletium, ut sua quisque sorte non contentus vitam trahat usque miserrimam luatque poenam iis irrogatam, qui non *regnum Dei et iustitiam eius* quaerunt, sed caducis his rebus fluxisque adhaerescunt. Atque illud etiam graviorem facit praesentem conflictationem, quod, quum superiorum temporum turhulenti homines e doctrinae divinitus revelatae thesauro certa quaedam et fixa plerumque retinerent, hodierni non ante quieturi videantur quam excisa omnia conspexerint. Everso autem religionis fundamento, et ipsam civilem coniunctionem disrumpi necesse est. Luctuosum sane spectaculum in praesens, formidolosum in posterum; non quod Ecclesiae incolumitati timendum sit, de qua dubitare divina promissa non sinunt, sed ob impendentia familiis gentibusque pericula, maxime quae pestiferum impietatis afflatum aut impensius fovent aut ferunt patientius.

[1] MATTH, XIII, 25.

In hoc tam nefario stultoque bello, cui commovendo dilatando socii et adiutores potentes accedunt interdum vel ipsi, qui Nobiscum facere Nostrasque tueri res deberent prae ceteris; in forma errorum adeo multiplici vitiorumque illecebris tam variis, quibus utrisque haud pauci etiam e nostris blandiuntur, capti specie novitatis ac doctrinae, aut inani spe ducti, Ecclesiam posse cum aevi placitis amice componi, plane intelligitis, Venerabiles Fratres, nobis esse strenue obsistendum, iisdemque nunc armis excipiendum impetum hostium, quibus olim usus est Borromeus.

Primum igitur, quoniam ipsam, veluti arcem, impetunt fidem, vel eam aperte denegando, vel impugnando subdole, vel doctrinae capita pervertendo, haec a Carolo saepe commendata meminerimus: « Prima et maxima Pastorum cura ver- « sari debet in iis quae ad fidem catholicam, quam S. Romana « Ecclesia et colit et docet, et sine qua *impossibile est piacere « Deo,* integre inviolateque servandam pertinent »[1]. Et rursus: <(In eo genere... nullum tantum studium, quantum certe ma- « ximum requiritur, adhiberi possit »[2]. - Quapropter « haere- « ticae pravitatis fermento », quod nisi cohibeatur *totam massam corrumpit,* hoc est pravis opinionibus ementita specie irrepentibus, quas in unum collectas *modernismus* profitetur, sanitas est opponenda doctrinae et reputandum cum Carolo: « quam summum in haeresis crimine profligando studium et « cura quam longe omnium diligentissima episcopi esse de- <(beat »[3].

Haud opus est equidem cetera verba referre sancti viri commemorantis Romanorum Pontificum sanctiones, leges, poenas in eos antistites constitutas, quibus purgandae dioecesis ab « haereticae pravitatis fermento » esset cura remissior. Nonnihil tamen iuverit ad ea quae inde concludit diligenter attendere. « Proinde, inquit, in ea perenni sollicitudine perpetua-

[1] Conc. Prov. I, sub initium.
[2] Conc. Prov. V, Pars I.
[3] Ibid.

<(que vigilia episcopus versari in primis debet, ut, non modo « pestilentissimus ille haeresis morbus nusquam in gregem « sibi commissum irrepat, sed omnis plane suspicio ab eo quam « longissime absit. Si vero fortasse, quod pro sua pietate et mi- « sericordia Christus Dominus avertat, irrepserit, in eo maxime « elaboret omni ope, ut quam celerrime depellatur: quique ea « labe infecti erunt, vel suspecti, cum illis agatur ad canonum « sanctionumque pontificiarum praescriptum » \

Verum nec propulsar! possunt errorum contagia nec prae¬caveri, nisi in recta cleri populique institutione pars curarum ponatur maxima. Nam *fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi*[2]. Veri autem omnium auribus inculcandi necessitas nunc magis imponitur, quum per omnes reipublicae venas, atque etiam qua minime crederes, serpere cernimus malum virus; adeo ut ad omnes hodie pertineant adductae a Carolo causae hisce verbis: « Haereticis finitimi nisi in fidei fundamentis firmi « fuerint ac stabiles, summopere verendum esset, ne forte ab <(eis in aliquam impietatis ac nefariae doctrinae fraudem facilius adducerentur » [3]. Nunc enim, expeditioribus itineribus, quemadmodum ceterarum rerum, ita etiam errorum sunt aucta commercia, proiectisque ad licentiam cupiditatibus, in prava societate versamur, ubi *non est veritas... et non est scientia Dei* [4]*; in terra quae desolata est... quia nullus est qui recogitet corde* [5]. Quamobrem Nos, ut Caroli verba usurpemus: « mul- « tam hactenus diligentiam adhibuimus, ut omnes ac singuli Christi fideles in fidei christianae rudimentorum institutione « erudirentur » [6]; eademque de re, tamquam de negotio gravissimo scripsimus Encyclicas Litteras [7]. Etsi vero nolumus et illa Nobis aptare, quibus inexplebili desiderio flagrans Borromeus

[1] Conc. Prov. V, Pars I.
[2] *Som.* x, 17.
[3] Conc. Prov. V, Pars. I.
[4] Os. iv, 1.
[5] IEREM. XII, 11.
[6] Conc. Prov. V, Pars. I.
[7] Encycl. « *Acerbo nimis,* » die xxv m. Aprilis MDCCCCV.

queritur, « parum huc usque proferisse tanta in re »; nihilominus eadem, qua ipse, « negotii periculique magnitudine ad<(ducti », addere stimulos velimus omnibus, ut, Caroli similitudinem arripientes, pro suo quisque munere aut viribus, in christianae restaurationis opus conspirent. Quare meminerint patres familias ac domini, quo studio pastor ille sanctissimus eosdem constanter monuerit ut liberis, domesticis, famulis addiscendae christianae doctrinae, non solum. copiam facerent, sed etiam onus imponerent. Clericis pariter memoria ne excidat, in fidei rudimentis tradendis a se operam dandam esse curioni; huic vero studendum, ut eiusmodi scholae suppetant plures, christifidelium numero ac necessitati pares et magistrorum probitate commendabiles, quibus adiutores adsciscantur honesti viri aut mulieres, prout Mediolanensis ipse praescribit antistes [1].

Christianae huius institutionis aucta necessitas, quum ex reliquo nostrorum temporum morumque decursu eminet, tum vero potissimum ex publicis discendi ludis, omnis religionis expertibus, ubi sanctissime quaeque rideri voluptatis loco fere ducitur, aeque pronis ad impietatem et magistrorum labiis et auribus auditorum. Scholam dicimus, quam *neutram,* seu *laicam* per summam iniuriam appellant, quum non sit aliud nisi tenebricosae sectae dominatus praepotens. Novum hoc praeposterae libertatis iugum magna quidem voce et bonis lateribus denuntiastis vos, Venerabiles Fratres, praesertim in locis ubi audacius proculcata sunt iura religionis ac familiae et oppressa naturae vox imperantis ut adolescentium candori fideique parcatur. Cui calamitati ab iis illatae, qui, quam ab aliis obedientiam exigunt, eandem supremo rerum Domino recusant, quantum in Nobis est medendum rati, auctores fuimus ut scholae religionis opportune per urbes institueretur. Quod opus quamquam hactenus, adnitentibus vobis, satis bene prospereque processit, nihilominus magnopere expetendum est ut in dies latius

[1] Conc. Prov. V, Pars. I.

proferatur, hoc est ut eiusmodi magisteria et pateant ubique complura et praeceptoribus abundent doctrinae laude vitaeque integritate commendatis.

Cum hac primordiorum saluberrima disciplina valde coniuncta» est officium sacri oratoris, in quo memoratae virtutes multo magis requiruntur. Itaque Caroli studia et consilia provincialibus in Synodis ac dioecesanis eo potissimum fuere conversa ut concionatores fingerentur, qui *in ministerio verbi* versari sancte atque utiliter possent. Quod idem, ac forte gravius, quae modo sunt tempora postulare a nobis videntur, quum tot hominum nutet fides, nec desint qui, captandae gloriolae cupidine, ' ingenio aetatis indulgeant, *adulterantes verbum Dei,* vitaeque cibum subducentes fidelibus.

Quamobrem summa vigilantia cavendum nobis est, Venerabiles Fratres, ne per vanos homines ac leves vento pascatur grex; sed ut vitali alimento roboretur per *ministros verbi,* ad quos illa pertinent: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos: reconciliamini Deo*[1]*; - per ministros et legatos non ambulantes in astutis, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatane veritatis, commendantes semetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo*[2]*; - operarios inconfusibiles tractantes verbum veritatis*[3]. Nec minus usui nobis erunt normae illae sanctissimae maximeque frugiferae, quas mediolanensis antistes, Paullinis verbis expressas, commendare solebat fidelibus: *Cum accepissetis a nobis verbum, auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis*[4].

Ita *sermo Dei vivus et efficax et penetrabilior omni gladio* \ non solum ad fidei conservatione!» ac tutelam adducet, sed

[1] II *Cor.* v, 20.
[2] II *Cor. iv,* 2.
[3] II *Tim.* II, 15.
[4] I *Thess. n,* 13.
[5] *Hebr. iv,* 12.

etiam ad virtutum proposita mire animos inflammabit; quia. *fides sine operibus mortuo, est* \ et *non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed f actores legis iustificabuntur* [2].

Atque hac etiam in re cernere licet, utriusque instaurationis quam sit ratio dissimilis. Nam qui falsam propugnane ii stultorum imitati inconstantiam, praecipiti cursu solent ad extrema decurrere, sive fidem sic efferentes, ut ab ea recte agendi necessitatem seiungant, sive in sola natura excellentiam omnem virtutis collocantes, remotis fidei ac divinae gratiae praesidiis. Quo fit ut, quae a naturali honestate ducuntur officia nihil sint aliud nisi simulacra virtutis, nec diuturna illa quidem, nec ad salutem satis idonea. Horum igitur actio, non ad restaurationem disciplinae, sed ad fidei morumque eversionem est comparata.

Contra qui ad Caroli exemplum, veritatis amici minimeque fallaces, salutari rerum conversioni student, hi extrema devitant, neque certos excedunt fines, quos ultra nequit instauratio ulla consistere. Etenim Ecclesiae eiusque Capiti Christo firmissime adhaerentes, non modo inde robur vitae interioris' hauriunt, sed exterioris etiam actionis metiuntur modum, ut sanandae hominum societatis opus tuto aggrediantur. Est autem proprium divinae huius missionis, in eos perpetuo transmissae qui Christi legatione functuri essent, *docere omnes gentes,* non solum ea quae ad credendum, sed etiam quae ad agendum pertinerent, hoc est, uti Christus edixit: *servare omnia quaecumque mandavi vobis* [3]. Ipse enim est *via, veritas et vita* [4], qui venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant* \ Quia vero officia illa retineri omnia duce tantum natura est difficillimum, quin etiam multo positum superius quam ut humanae vires ipsae per se consequi possint; idcirco Ecclesia magisterio suo adiunctum habet christianae regimen

[1] *Iacob.* II, 26.
[2] *Rom.* II, 13.
[3] MATTH, XXVIII, 18, 20.
[4] IOAN. xiv, 6.
[5] IOAN. X, 10.

societatis eiusque ad omnem sanctitatem instituendae munus, dum per eos qui pro suo quisque statu et officio sese illi ministros adiutoresve praebent, apta et necessaria salutis instrumenta suppeditat. Quod plane intelligentes verae instaurationis auctores, non ii surculos, praeservandae radicis gratia, coercent, hoc est, non fidem a vitae sanctitate seiungunt, sed utramque aiunt foventque halitu caritatis, quae *est vinculum perfectionis* [1]. Iidem, dicto audientes Apostolo, *depositum custodiunt* [2], non ut gentibus notitiam eius occulant lumenque subducant, sed quo deductos ex eo fonte veritatis ac vitae saluberrimos rivos latius recludant. In eaque copia doctrinam ad usum adiungunt, illa utentes ad praeripiendam *circumventionem erroris,* hoc ad praecepta in mores actionemque vitae deducenda. Quamobrem instrumenta omnia ad finem vel apta vel necessaria comparant, quum ad exstirpatione!» peccati, tum *ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* [3]. Huc sane spectant Patrum et Conciliorum statuta, canones, leges; huc adiumenta illa doctrinae, regiminis, beneficentiae omne genus; huc denique disciplina et actio Ecclesiae universa. Hos fidei virtutisque magistros intentis oculis animoque intuetur verus Ecclesiae filius, cui sua ipsius emendatio proposita est atque aliorum. His auctoribus, quos crebro memorat, in instauranda Ecclesiae disciplina nititur Borromeus; ut quum scribit: « Nos veterem « sanctorum Patrum sacrorumque Conciliorum consuetudinem « et auctoritatem, in primis oecumenicae Synodi Tridentinae « secuti, de iis ipsis multa superioribus nostris Conciliis Pro« vincialibus constituimus ». - Idem ad consilia publicae corruptelae coercendae adductum se profitetur « et sacrorum cano« num iure et sacrosanctis sanctionibus, et Concilii in primis « Tridentini decretis » [4].

[1] *Coloss.* **III**, 14.
[2] I *Tim.* vi, 20.
[3] *Eph.* iv, 12.
[4] Conc. Prov. V, Pars I.

His non contentus, quo sibi melius caveret ne forte ab ea norma unquam discederet, a se statuta in Synodis provincialibus ita fere concludit: « Omnia et singula quae a nobis in hac « provinciali Synodo decreta actaque sunt, qua debemus oboe- « dientia et reverentia, auctoritati ac iudicio Sanctae Romanae « Ecclesiae, omnium ecclesiarum matris et magistrae, semper « emendanda et corrigenda subicimus » [1]. Quam quidem voluntatem ostendit eo propensiorem, quo in dies magis ad actuosae vitae perfectionem grassabatur; nec solum quamdiu cathedram Petri occupavit patruus, sed etiam sedentibus, qui ei successerunt, Pio V et Gregorio XIII, quibus quemadmodum strenue suffragatus est ad pontificatum, sic in rebus maximis validum se socium adiunxit eorumque exspectationi cumulate respondit.

Potissimum vero ipsorum voluntati est obsequutus instruendis rebus ad propositum sibi finem idoneis, hoc est ad sacrae disciplinae instaurationem. Qua in re prorsus abfuit ab illorum ingenio, qui speciem studii fervidioris imponunt contumaciae suae. Itaque, incipiens *iudicium a domo Dei* [2], primum omnium cleri disciplinae ad certas leges conformandae animum adiecit; cuius rei causa sacri ordinis alumnorum Seminaria excitavit, sacerdotum congregationes, queis nomen *oblatis,* instituit, religiosas familias tum veteres tum recentiores adscivit, concilia coegit, quaesitis undique praesidiis coeptum opus munivit auxitque. Mox emendandis populi moribus haud remissiorem admovit manum, sibi dictum reputans quod olim prophetae: *Ecce constitui te hodie... ut evellas et destruas, ut disperdas et dissipes, et aedifices et plantes* [3]. Quare bonus pastor ecclesias provinciae ipse per se nec sine magno labore lustrans, arrepta similitudine divini Magistri, *pertransiit benefaciendo et sanando* gregis vulnera; quae passim deprehenderet incommoda, sive ex inscitia sive ex neglectu legum profecta, tollere atque eradere summa ope contendit; opinionum pra-

[1] Conc. Prov. **VI** sub finem.

[2] **I** *Petr.* iv, **17.**

[3] **IER. I, 10.**

vitati et exundanti coeno libidinum quasi aggerem obierit a se apertos puerilis institutionis ludos et epheborum convictus; auctas, quas in Urbe primum excitatas noverat, consociationes Mariales; reclusa orbitati adolescentium hospitia; mulierculis periclitantibus, viduis, aliisque, tum viris tum feminis, egenis aut morbo seniove confectis, patefacta perfugia; pauperum tutelam ab impotentia dominorum, ab iniquo foenore, ab exportatione puerorum, aliaque id genus quamplurima. Haec autem sic praestitit, ut ab eorum consuetudine toto caelo abhorreret, qui, in renovanda suo marte christiana republica, omnia cient agitantque vanissimo strepitu, divinae vocis immemores: *non in commotione Dominus* [1]

Hac nempe altera nota, prout vos experiendo didicistis, Venerabiles Fratres, veri nominis instauratores distinguuntur a fictis, quod illi *quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi* [2], pronisque auribus excipientes insidiosa dicta ad Magistrum divinum olim conversa: *manifesta teipsum mundo* [3], superbas iterant voces: *Faciamus et ipsi nobis nomen.* Cuius temeritatis causa, quod etiamnunc fieri saepe dolemus, *ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in proelium* [4].

Contra qui societati hominum ad meliora deducendae sincero animo studet, is *non propriam gloriam quaerit, sed gloriam eius qui misit eum* [5]; seque ad Christi exemplum conformans, *non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius; - non erit tristis neque turbulentus* [6], sed *mitis et humilis corde* [7]. Hic et probatus Deo erit et salutis fructus consequetur amplissimos.

[1] III *Reg.* xix, U.

[2] *Philip,* II, 21.

[3] IOAN. VII, 4.

[4] I MACHAB. V, 57, 67.

[5] IOAN. VII, 18.

[6] ISAI. XLII, 2 sq. - MATTH, XII, 19.

[7] MATTH, XI, 29.

In eo quoque secernuntur alter ab altero, quod ille, humanis tantum innixus viribus *confidit in homine et ponit carnem brachium suum* [1]*;* hic vero fiduciam omnem in Deo collocat; ab Ipso et a supernis opibus vim omnem et robur exspectat, iterans Apostoli verba: *Omnia possum in eo qui me confortai* [2].

Has opes, quarum uberem copiam Christus effudit, vir fidelis in media quaerit Ecclesia ad communem salutem, in primisque precandi studium, sacrificium, sacramenta, quae fiunt *quasi fons aquae salientis in vitam aeternam* [3]. Ea omnia inique ferentes qui, transversis itineribus et posthabito Deo, ad instaurationis opus contendunt, nunquam desinunt haustus illos purissimos, sin funditus exsiccare, at certe turbulentos facere, ut christianus grex inde arceatur. Qua in re profecto turpius agunt recentiores ipsorum asseclae, qui speciem quandam religionis nobilioris adhibentes, adminicula illa salutis pro minimo ducunt habentque ludibrio, praesertim sacramenta duo, quibus aut admissa paenitentium expiantur, aut caelesti dape roboratur animus. Quapropter optimus quisque summo studio curabit, ut collata tanti pretii dona maximo in honore habeantur, neve patietur in utrumque divinae caritatis opus hominum studia restingui.

Ita plane se gessit Borromeus, cuius inter cetera hoc scriptum legimus: « Quo maior et uberior est sacramentorum fru-« ctus quam ut eius vis explicari facile possit, eo diligentius <(et intima animi pietate et externo cultu ac veneratione tra-« ctanda ac percipienda sunt » [4]. Illa quoque memoratu dignissima, quibus curiones aliosque sacros concionatores vehementer hortatur, ut caelestis alimenti crebram gustationem in pristinam consuetudinem revocarent; quod idem Nos egimus decreto, cui initium: *Tridentina Synodus.* « Ad saluberrimum illum, ait sanctus Antistes, sacrae Eucharistiae frequenter

[1] IER. XVII, 5.
[2] *Philip,* iv, 13.
[3] IOAN. IV, 14.
[4] Conc. Prov. **I,** Pars **II.**

sumendae usum, parochi... et concionatores item quam saepissime populum cohortentur, nascentis Ecclesiae institutis atque exemplis, et gravissimorum Patrum vocibus et uberrima hoc ipso de genere Catechismi romani doctrina, et sententia denique Tridentinae Synodi, quae optaret quidem fideles, in singulis Missis, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicare »[1]. Qua vero mente, quo animo adeundum sit sacrum convivium, docet his verbis: « Populus, cum ad frequentent SSmi Sacramenti sumendi usum excitetur, tum etiam commonefiat, quam periculosum exitiosumque sit ad sacram divini illius cibi mensam indigne accedere »[2]. Quam quidem diligentiam postulare videntur maxime haec tempora nutantis fidei et languescentis caritatis, ne forte ex frequentare usu debita tanto mysterio reverentia minuatur, sed potius in hoc ipso sit causa cur *prohet seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat*[3].

Ex iis fontibus dives gratiae vena manabit, unde succum trahant et alantur humanae quoque ac naturales industriae. Nec enim actio christiani viri quae usui sunt et adiumenta vitae despiciet, ab uno eodemque Deo, auctore gratiae ac naturae profecta; sed illud valde cavebit, ne in externis rebus bonisque corporis captandis fruendis totius vitae finis et quasi beatitas collocetur. His rebus igitur qui recte ac temperanter uti velit, eas conteret ad animorum utilitatem, Christi obtemperans dicto: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis*[4].

Ordinatus et sapiens hic rerum usus tantum abest ut inferioris ordinis, idest societatis civilis bono adversetur, ut potius huius commoda maxime provehat; nec id inani verborum iactatione, qui mos est factiosorum hominum, sed re ipsa et summa

[1] Conc. Prov. III, Pars. I.
[2] Conc. Prov. IV, Pars II.
[3] I *Cor.* xi, 28.
[4] Luc. XII, 31. - MATTH, VI, 33.

contentione, usque ad bonorum, virium, vitaeque iacturam. Cuius exempla fortitudinis prae ceteris exhibent sacrorum antistites complures, qui, rebus Ecclesiae afflictis, Caroli ardorem aemulati, divini Magistri ratas efficiunt voces: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*[1]. Hi quidem, non gloriae cupidine, aut studio partium, aut privati alicuius commodi causa, ad se devovendos pro communi salute trahuntur, sed caritate illa quae *nunquam excidit.* Hac flamma, quae profanos oculos latet, incensus Borromeus, quum ob praestitam lue correptis operam se in mortis discrimen coniecisset, nihilominus praesentibus occurrisse malis non contentus, de futuris etiam sollicitum se sic ostendit: « Omni rationi plane consen-
« taneum est, ut, quemadmodum parens optimus, qui filios
« unice diligit, cum in praesenti tum in futuro eis prospicit ac
« parat quae sunt ad vitae cultum necessaria; ita nos paternae
« charitatis officio adducti, omni praecautione fidelibus provin-
« ciae nostrae in hoc Concilio provinciali quinto consulamus
« provideamusque deinceps quae experiendo cognovimus, pesti-
« lentiae tempore, salutaria esse adiumenta »[2].

Eadem haec providentis animi studia et consilia, Venerabiles Fratres, per eam quam saepe commendavimus, catholicam actionem, in rem usumque deducuntur. In partem vero ministerii huius amplissimi, quod officia omnia misericordiae, sempiterno donanda regno complectitur[3], selecti etiam e populo advocantur viri. Qui, ubi semel id oneris in se receperint, parati et instructi esse debent ad se suaque omnia plane devovenda pro optima causa, ad obsistendum invidiae, obtrectationi et infenso quoque multorum animo, qui malefactis beneficia repensant, ad laborandum *sicut bonus miles Christi*[4], et currendum *per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum*[5]. Acerbum

[1] IOAN. x, 11.

[2] Conc. Prov. V, Pars II.

[3] MATTH, XXV, 34 sq.

[4] II *Tim.* u, 3.

[5] *Hebr.* XII, 1, 2.

sane luctae genus, sed ad bonum civitatis apprime conducens, etiamsi plenam victoriam remoretur dies.

In his etiam, quae modo dicta sunt, illustria Caroli exempla intueri licet, atque inde sumere quae pro sua quisque conditione imitetur et quibus animum erigat. Etenim quem et singularis virtus et mira solertia et effusa caritas adeo spectabilem effecerunt, nec ipse tamen alienam sibi sensit hanc legem: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur* [1]. Itaque quod asperioris vitae sectaretur genus, quod recta semper et honesta retineret, quod incorruptus legum iustitiaeque vindex exsisteret, hoc ipso primorum in sé invidiam collegit; reipublicae gerendae peritorum vafris artibus est obiectus; magistratus habuit infensos; in optimatium, cleri populique suspicionem venit; flagitiosorum denique hominum capitale odium sibi conflavit, ad necem usque petitus. Quibus omnibus, quamvis miti esset suavique indole, invicto animo resti tit.

Nec modo nihil cessit in iis quae fidei ac moribus exitio forent, sed ne postulationes quidem excepit adversas disciplinae aut fideli populo graves, etiamsi allatas, ut creditur, a rege potentissimo et ceteroquin catholico. Idemque memor verbi Christi: *Redolite quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo* [2], atque apostolorum vocis: *oboedire oportet Deo magis quam hominibus* [3], non de causa tantum religionis optime meruit, verum etiam de ipsa societate civili, quam insanientis prudentiae poenas luentem, commotisque suapte manu seditionum fluctibus paene submersam abduxit certissimae morti.

Eadem sane laus et gratia debebitur catholicis huius temporis viris eorumque strenuis ducibus episcopis, quibus in utrisque nullae officiorum partes, quae civium sunt, desiderari poterunt unquam, sive agatur de servanda fide ac reverentia *dominis etiam dyscolis* iusta praecipientibus, sive de ipsorum iniquis imperiis detrectandis, aeque remota tum procaci

[1] II *Tim.* in, 12.

[2] MATTH, XXII, 21.

[3] *Act.* v, 29.

licentia delabentium in seditiones ac turbas, tum servili abiezione excipientium quasi sacras leges impia statuta pessimorum hominum, qui mentito libertatis nomine iura omnia pervertentes, durissimam imponunt servitutem.

Haec nempe in conspectu terrarum orbis et in media luce praesentis humanitatis geruntur penes quandam potissimum gentem, ubi principem sibi sedem constituisse videtur *potestas tenebrarum.* Quo praepotenti sub dominatu iura omnia filiorum Ecclesiae miserrime proculcantur, exstincto penitus in reipublicae rectoribus omni sensu magnanimitatis, urbanitatis ac fidei, quibus virtutibus eorum patres, christiano titulo insignes, tamdiu inclaruerunt. Adeo liquet, concepto semel in Deum et in Ecclesiam odio, retro sublapsa referri omnia, et ad antiquae libertatis ferociam, seu verius ad crudelissimum iugum, per unam Christi Familiam eiusque invectam disciplinam depulsum cervicibus, fieri cursum praecipitem. Aut, quod idem significavit Carolus, adeo est « certum atque exploratum, nulla alia re Deum gravius offendi, nullaque ad vehementiorem iram, quam haeresum labe provocari; nihilque rursus ad provinciarum regnorumque interitum maiores vires habere, quam teterrimam illam pestem »[1]. Quamquam multo etiam funestior existimanda est hodierna conspiratio ad christianas gentes ab Ecclesiae sinu avellendas. In summa enim dissensione sententiarum ac voluntatum, quae propria nota est aberrantium a vero, in una re inimici consentiunt, hoc est in pertinaci iustitiae ac veritatis oppugnatione; cuius utriusque quia custos est ac vindex Ecclesia, in hanc unam confertis ordinibus impetum faciunt. Cumque se neutris in partibus esse, aut etiam causam pacis fovere dictitent, mellitis quidem verbis, at non dissimulatis consiliis, nihil aliud revera agunt, nisi ut insidias locent, addentes damno ludibrium, fraudem violentiae. Novo igitur certaminis genere per hos dies christianum impetitur nomen; belli moles conflatur longe periculosior ac pugnae antea pugnatae, ex quibus tam amplam collegit gloriam Borromeus.

[1] Conc. Prov. V. Pars. I.

Inde exempla nobis omnibus ac documenta sumentes, pro rebus maximis, quibus et privata et publica salus continetur, pro fide ac religione, pro sanctitate publici iuris, alacri erectoque animo dimicabimus, dolenda quidem necessitate compulsi, sed suavi simul freti fiducia, omnipotentem Deum tam gloriosa in acie militantibus victoriam deproperaturum. Cui fiduciae robur addit Caroliani operis producta ad hanc usque aetatem vis et potentia, sive ad intemperantiam ingeniorum compescendam, sive ad obfirmandum animum in proposito sancto instaurandi omnia in Christo.

Licet nunc, Venerabiles Fratres, iisdem verbis dicendo finem imponere, quibus pluries memoratus Decessor Noster Paulus V Litteras absolvit decernentes Carolo supremos honores: aequum est igitur dare nos gloriam et honorem et benedictionem viventi in saecula saeculorum, qui benedixit conservum nostrum in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, et cum illum dederit nobis Dominus tamquam fulgentem stellam in hac nocte peccatorum, tribulationum nostrarum, adeamus ad divinam clementiam ore et opere supplicantes, ut Carolus Ecclesiae quam vehementer dilexit, prosit etiam meritis et exemplo, adsit patrocinio et in tempore iracundiae fiat reconciliatio, per Christum Dominum, nostrum »[1].

Accedat his votis cumuletque communem spem Apostolicae benedictionis auspicium, quam vobis, Venerabiles Fratres, et vestro cuiusque clero populoque peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xxvi mensis Maii, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri septimo.

PIVS PP. X

[1] Bulla « *Unigenitus* ».

(Traduzione).

LETTERA ENCICLICA

AI VENERABILI FRATELLI PATRIARCHI PRIMATI ARCIVESCOVI VESCOVI ED ALTRI ORDINARI AVENTI PACE E COMUNIONE CON LA SEDE APOSTOLICA

PIO PP. X

VENERABILI FRATELLI SALUTE ED APOSTOLICA BENEDIZIONE

Ciò che la parola divina ricorda più volte nelle sacre Scritture, come il giusto vivrà in memoria eterna di lodi e ch'egli parla anche defunto [1] si avvera sopra tutto per la voce e l'opera continuata della Chiesa. Questa, infatti, quale madre e altrice di santità, ringiovanita sempre e fecondata dal soffio *dello Spirito Santo, che inabita in noi* [2], come è sola a generare, nutrire ed allevare nel suo seno la nobilissima figliuolanza dei giusti, così è la più sollecita, quasi per istinto di amore materno, a conservarne la memoria e a ravvivarne l'amore. Da tale ricordanza ella riceve quasi un divino conforto, e ritrae lo sguardo dalle miserie di questo pellegrinaggio mortale, mentre già **ve4e** nei santi la *sua gioia e la sua corona,* riconosce in essi la immagine sublime del suo Sposo celeste, e inculca ai suoi figli con nuova testimonianza il detto antico: *Per quanti amano Dio, per quelli che secondo il proposito divino sono stati chiamati santi, le cose tutte si rivolgono in bene* [3]. Nè le loro opere gloriose riescono solo di conforto alla memoria, ma di luce all'imitazione e di forte incitamento alla virtù per quella eco unanime dei santi che risponde alla voce di Paolo: *Siate miei imitatori, come io sono di Cristo* [4].

[1] *Ps.* cxi, 7; -*Prov.* x, 7; - *Hebr.* xi, 4.
[2] *Rom.* **VIII,** 11.
[3] *Rom.* **VIII**, 28.
* I *Cor.* iv, 16.

Per queste ragioni, "Venerabili Fratelli, mentre Noi, appena assunto il Sommo Pontificato, significavamo il proposito di adoperarci costantemente perchè « le cose tutte fossero instaurate in Cristo », con la prima nostra Lettera enciclica [1] ci studiammo vivamente di fare che tutti rivolgessero con Noi i loro sguardi a Gesù, *apostolo e pontefice della nostra confessione... autore e consumatore della fede* [2]. Ma poiché la nostra debolezza è tanta che facilmente restiamo sbigottiti dalla grandezza di tanto esemplare, per benefizio della Provvidenza divina un altro modello Noi avemmo da proporre, che pur essendo prossimo a Cristo quanto a natura umana è possibile, è meglio confacevole alla debolezza nostra, cioè la Beatissima Vergine, Augusta Madre di Dio [3]. Infine, cogliendo varie occasioni di ravvivare la memoria dei santi, proponemmo alla comune ammirazione questi servi e dispensatori fedeli nella casa di Dio, e secondo il grado proprio di ciascuno, amici e domestici di lui, come quelli che *per la fede vinsero i regni, operarono la giustizia, ottennero le promesse* [4], affinchè dai loro esempi spronati *non siamo più bambini vacillanti e trasportati da ogni vento di dottrina per raggiri degli uomini, per astuzia usata a circonvenire nell'errore; ma seguitando la verità nella carità, andiamo crescendo per ogni parte in lui, che è il capo, Cristo* [5].

Questo consiglio altissimo della Provvidenza divina mostrammo attuato in tre personaggi massimamente, che quali grandi pastori e dottori fiorirono in età ben diverse ma quasi del pari calamitose per la Chiesa: Gregorio Magno, Giovanni Crisostomo e Anselmo di Aosta, dei quali occorsero in questi ultimi anni solenni feste centenarie. Così più specialmente nelle due Lettere Encicliche, date il'12 di marzo 1904 e il 21 aprile 1909, spiegammo quei punti di dottrina e precetti di vita cristiana, quali ci parvero opportuni ai nostri giorni, che si raccolgono dagli esempi e dagli insegnamenti dei santi.

E poiché Nói siamo persuasi che gli esempi illustri dei soldati di Cristo valgono assai meglio a scuotere gli animi e a trascinarli che non le parole o le alte trattazioni [6], profittiamo ora

[1] Litt. Encycl. « *E supremi* » die IV m. Octobr. MCMIII.
[2] *Hebr.* III, 1; XII, 2-3.
[3] Litt. Encycl. « *Ad diem illum* », die II m. Februar, MCMIV.
[4] *Hebr.* XI, 33.
[5] *Eph.* IV, 11 seg.
[6] Encycl. « *E supremi* ».

volentieri di un'altra felice opportunità che ci si porge per commendare gli utilissimi documenti di un altro santo Pastore, suscitato da Dio in tempi a noi più vicini e quasi in mezzo alle medesime tempeste, Cardinale della Santa Romana Chiesa e arcivescovo di Milano, da Paolo V di santa memoria ascritto nel novero dei santi, Carlo Borromeo. E non meno a proposito; poiché - per usare le parole dello stesso nostro Antecessore - « il « Signore, che fa maraviglie grandi egli sole, ha operato con « noi cose magnifiche in questi ultimi tempi, e con opera mira- « bile della sua dispensazione, ha eretto sopra la rocca dell'Apo- « stolica pietra un grande luminare, eleggendo dal seno della «sacrosanta Romana Chiesa, Carlo sacerdote fedele, servo « buono, modello del gregge e modello dei pastori. Egli infatti, <(con molteplice fulgore di opere sante illustrando la Chiesa « tutta, brilla innanzi ai sacerdoti ed al popolo, quale un Abele « per l'innocenza, un Enoch per la purezza, un Giacobbe per la « sofferenza delle fatiche, un Mose per la mansuetudine, un « Elia per lo zelo ardente. Egli in se mostra da imitare, fra l'ab- « bondanza delle delizie l'austerità di Girolamo, nei gradi più <(alti l'umiltà di Martino, la sollecitudine pastorale di Grego- <(rio, la libertà di Ambrogio, la carità di Paolino, e finalmente « ci dà a vedere con gli occhi nostri, a toccare con le nostre mani, « un uomo che, mentre il mondo gli sorride con le maggiori « blandizie, vive crocifisso al mondo, vive dello spirito, calpe- « stando le cose terrene, cercando continuamente le celesti, « nè solo per officio sostituito in luogo di Angelo, ma emulo in « terra nei pensieri e nelle opere della vita degli Angeli » [1]

Così il nostro Antecessore, trascorsi cinque lustri dalla morte di Carlo. E ora, trascorsi tre secoli dalla glorificazione a lui decretata, « meritamente è pieno il nostro labbro di gaudio e la nostra lingua di esultanza nell'insigne giorno della nostra solennità, quando col decretare i sacri onori a Carlo prete cardinale della Santa Romana Chiesa, alla quale Noi per disposizione del Signore presediamo, fu aggiunta una corona ricca di ogni pietra preziosa all'unica sua Sposa ». Così Noi abbiamo comune col nostro Antecessore la confidenza, che dalla contemplazione della gloria, ma più ancora dagli insegnamenti e dagli esempi del Santo, si possa vedere umiliata la protervia degli

[1] Ex Bulla « *Unigenitus* » Cai. Nov. anno MDCX.

empi e confusi tutti quelli che « si gloriano dei simulacri degli errori » [1]. Quindi la rinnovata glorificazione di Carlo, modello del gregge e dei pastori nei tempi moderni, propugnatore e consigliere indefesso della verace riforma cattolica contro quei novatori recenti, il cui intento non era la reintegrazione, ma piuttosto la deformazione e distruzione della fede e dei costumi, riuscirà dopo tre secoli per tutti i cattolici di singolare conforto ed istruzione, come di nobile incitamento a tutti per cooperare strenuamente all'opera che tanto Ci sta a cuore della ristaurazione di tutte le cose in Cristo.

Certamente è a voi ben noto, Venerabili Fratelli, come la Chiesa, quantunque tribolata continuamente, non è mai lasciata da Dio priva di ogni consolazione. Poiché Cristo *l'amò e dette se stesso per lei, affine di santificarla e farsela comparire innanzi gloriosa, senza macchia ne ruga ne altra cosa tale, ma perchè sia santa e immacolata* [2]. Anzi, quando più sbrigliata la licenza dei costumi, più feroce l'impeto della persecuzione, più astute le insidie dell'errore sembrano minacciare a lei rovina estrema, fino a strapparle dal seno non pochi dei suoi figliuoli, per travolgerli nel vortice dell'empietà e dei vizi, allora la Chiesa sperimenta più efficace la protezione divina. Perocché Iddio fa che l'errore stesso, vogliano o no i malvagi, serva al trionfo della verità, di cui la Chiesa è vigile custode; la corruzione serva all'incremento della santità, di cui essa è altrice e maestra, la persecuzione ad una più mirabile *liberazione dai nostri nemici.* Così avviene che quando la Chiesa appare agli occhi profani sbattuta da più fiera tempesta e quasi sommersa, allora n'esca più bella, più vigorosa, più pura, rifulgendo nello splendore delle maggiori virtù.

In questo modo la somma benignità di Dio viene confermando con nuovi argomenti, che la Chiesa è opera divina; sia perchè nella prova più dolorosa, quella degli errori e delle colpe che s'infiltrano nelle stesse sue membra, le fa superare il cimento; sia perchè le mostra attuato il detto di Cristo: *Le porte dell'inferno non prevarranno contro di lei* [3]; sia perchè comprova di fatto la promessa: *Ecco io sarò con voi tutti i giorni sino*

[1] Ex eadem Bulla « *Unigenitus* ».
[2] *Eph.* v, 25 sqq,
[3] MATTH, XVI, 18.

alla consumazione del secolo [1] sia infine perchè testimonia di quella misteriósa virtù per cui un *altro Paraclito,* promessole da Cristo nel suo sollecito ritorno al cielo, continuamente in lei effonde i suoi doni, e la difende e la consola in ogni tribolazione; *spirito che rimane con lei in eterno; spirito di verità che il mondo non può ricevere, perchè non lo vede, ne lo conosce, perchè egli dimorerà fra voi e sarà con voi* [2]. Da questa fonte sgorga la vita e il nerbo della Chiesa; e da questa pure il distinguersi da ogni altra società, come insegna il Concilio Ecumenico Vaticano, per le note manifeste, ond'è segnalata e costituita « quasi un vessillo sollevato fra le nazioni » [3].

E infatti, solo per un miracolo della potenza divina può succedere che tra l'innondare della corruzione e la frequente deficienza delle membra, la Chiesa in quanto è il corpo mistico di Cristo, si mantenga indefettibile nella santità della dottrina, delle leggi, del suo fine; dalle cause stesse tragga del pari fruttuosi effetti; dalla fede e dalla giustizia di molti suoi figliuoli raccolga frutti copiosissimi di salute. Ne meno chiaro apparisce il sigillo della sua vita divina in ciò che fra tanta e così turpe colluvie di perverse opinioni, fra così grande numero di ribelli, fra il tanto multiforme variare degli errori, essa persevera immutabile e costante, quale *colonna e sostegno della verità,* nella professione di una stessa dottrina, nella comunione degli stessi sacramenti, nella sua divina costituzione, nel governo, nella morale. E ciò tanto più è mirabile, perchè ella non solamente resiste al male, ma vince *il male col bene,* e mai non resta dal benedire e agli amici e ai nemici, mentre tutta si affatica ed anela a operare la rinnovazione cristiana della società non meno che dei singoli individui. Poiché questa è la sua missione propria nel mondo, e di questa gli stessi suoi nemici sentono i benefizi.

Un tale mirabile influsso della Provvidenza divina nell'opera ristauratrice promossa dalla Chiesa appare splendidamente in quel secolo che vide sorgere a conforto dei buoni S. Carlo Borromeo. Allora, spadroneggiando le passioni, travisata quasi del tutto e oscurata la cognizione della verità, eravi lotta continua con gli errori, e l'umana società, precipitando al

[1] MATTH, XXVIII, 20.
[2] IOAN. XIV, 16 sqq. - 26, sqq. - xvi, 7 sqq.
[3] Sessio ni, Const. *Bei Filius,* cap. 3.

peggio, sembrava correre all'abisso. Fra questi mali insorgevano uomini orgogliosi e ribelli, *nemici della croce di Cristo...* uomini di *sentimenti terreni, il Dio de' quali è il ventre* [1] Costoro/applicandosi non a correggere i costumi, ma a negare i dogmi, moltiplicavano i disordini, allargavano a sè ed agli altri il freno della licenza, o certo sprezzando la guida autorevole della Chiesa, a seconda delle passioni dei principi o dei popoli più corrotti, con una quasi tirannide ne Rovesciavano la dottrina, la costituzione, la disciplina. Indi, imitando quegli iniqui^ a cui è rivolta la minaccia: *Guai a voi che chiamate male il bene e bene il male* [2], quel tumulto di ribellione e quella perversione di fede e di costumi chiamarono riforma e se stessi riformatori Ma, in verità, essi furono corrompitori, sicché, snervando con dissensioni e guerre le forze dell'Europa, prepararono le ribellioni e l'apostasia dei tempi moderni, nei quali si rinnovarono insieme in un impeto solo quei tre generi di lotta, prima disgiunti, da cui la Chiesa era uscita sempre vincitrice: le lotte cruente della prima età, indi la peste domestica delle eresie, infine, sotto nome di libertà evangelica, quella corruzione di vizi e perversione della disciplina, a cui forse non era giunta l'età medievale.

A questa turba di seduttori Iddio oppose veraci riformatori e uomini santi, sia per arrestare quella corrente impetuosa ed estinguere quel bollore, sia per riparare i danni già recati. Quindi l'opera loro assidua e molteplice nella riforma della disciplina fu di tanto maggiore conforto alla Chiesa, quanto più grave era la tribolazione che l'angustiava, e comprovò il detto: *Fedele è Iddio, che... darà con la tentazione il vantaggio* [3] In siffatte circostanze veniva ad accrescere consolazione alla Chiesa, per disposizione provvidenziale, l'operosità e la santità singolare di Carlo Borromeo.

Senonchè il ministero di lui, così disponendo Iddio, ebbe una forza ed efficacia tutta propria, né solo per fiaccare l'audacia dei faziosi, ma per ammaestrare ed infervorare i figliuoli della Chiesa. Di quelli, infatti, egli reprimeva i folli ardimenti e confutava le futili accuse, con l'eloquenza più potente, con l'esempio della sua vita e della sua operosità; di questi rialzava le

[1] *Philip*, ni, 18, 19.
[2] ISAI. v, 20.
[3] I. *Cor.* x, 13.

speranze e ravvivava l'ardore. E fu certo cosa mirabile com'egli accolse in sè riunite fino dalla sua giovinezza tutte quelle doti di un verace riformatore, che in altri vediamo disperse e distinte: virtù, senno, dottrina, autorità, potenza, alacrità; e tutte le fece servire unitamente alla difesa commessagli della verità cattolica contro le invadenti eresie, com'era pure la missione propria della Chiesa, risvegliando la fede sopita in molti e quasi estinta, corroborandola con provvide leggi ed istituzioni, rialzando la scaduta disciplina e riconducendo strenuamente i costumi del clero e del popolo ad un tenore di vita cristiana. Così, mentre adempie le parti tutte del riformatore, non meno adempie per tempo a tutti gli uffici del *servo buono e fedele,* e più tardi quelle del sacerdote grande, che *piacque a Dio nei giorni suoi e fu trovato giusto,* degno perciò di prendersi ad esempio da tutte le classi di persone, siano del clero o dei laici, siano ricchi o poveri; come quegli la cui eccellenza va compendiata in quella lode propria del vescovo e del prelato, per la quale ubbidendo ai detti dell'Apostolo Pietro, egli si era *fatto di cuore modello del gregge* [1]. Nè di minore ammirazione è il fatto che Carlo, non ancora compiuti i suoi ventitré anni di età, benché sollevato a sommi onori, e messo a parte di negozi grandi e difficilissimi della Chiesa, veniva ogni dì meglio avanzandosi nell'esercizio più perfetto della virtù, mediante quella contemplazione delle cose divine, che nel sacro ritiro già l'aveva rinnovato, e risplendeva *spettacolo al mondo, agli angeli ed agli uomini.*

Allora veramente, per usare le parole del già ricordato nostro Antecessore Paolo V, cominciò il Signore a mostrare in Carlo le *sue meraviglie;* sapienza, giustizia, zelo ardentissimo in promuovere la gloria di Dio e del nome cattolico, e cura sopra tutto per quella opera di ristaurazione della fede e della Chiesa universale che si agitava nell'augusto Consesso Tridentino. Della celebrazione di questo Concilio gli dà merito lo stesso Pontefice e la posterità tutta, in quanto egli, prima di esserne l'esecutore più fedele, ne fu il più efficace sostenitore. Nè certo senza molte sue veglie, stenti e fatiche ebbe quell'opera il suo ultimo compimento.

Eppure queste cose tutte non erano altro che una prepara-

[1] I *Petr.* v, 3.

zione e un tirocinio di vita, nel quale educavasi il cuore con la pietà, la mente con lo studio, il corpo con la fatica, serbandosi quel modesto e umile giovane quasi argilla nelle mani di Dio e del suo Vicario in terra. E una tale vita di preparazione appunto era quella che disprezzavano allora i fautori di novità, per la stoltezza medesima onde la disprezzano i moderni, non avvertendo che le opere meravigliose di Dio si maturano nell'ombra e nel silenzio dell'anima dedita all'ubbidienza ed alla preghiera, e che in questa preparazione sta come il germe del futuro progresso, come nella seminagione la speranza della raccolta.

La santità, nondimeno, e l'operosità di Carlo, che si preparava allora con sì splendidi auspici, si svolse poi e diede frutti prodigiosi, come accennammo sopra, quando egli « da buon ope-
« raio, lasciata la splendidezza e la maestà di Roma, si ritirò nel
<(campo che aveva preso a coltivare (Milano), e adempiendovi
<(ogni giorno meglio le sue parti, ricondusse quel campo, per
<(la tristizia dei tempi già bruttamente guasto da sterpi e insel-
« vatichito, a tale splendore che fece della Chiesa di Milano
<(un chiarissimo esemplare di ecclesiastica disciplina »[1].

Tanti e così preclari effetti egli ottenne conformando la sua opera di riforma alle norme proposte poco avanti dal Concilio Tridentino.

La Chiesa, infatti, bene intendendo quanto *i sentimenti e i pensieri dell'animo umano sono proclivi al male*[2], mai non cessa di combattere contro i vizi e gli errori, perchè *sia distrutto il corpo del peccato e più non serviamo al peccato*[3]. E in questa lotta, come ella è maestra a se stessa e guidata dalla grazia che *è diffusa nei nostri cuori mediante lo Spirito Santo,* così prende norma al pensare e all'operare dal Dottore delle genti, che dice: *Rinnovatevi nello spirito della vostra mente*[4]. - *E non vogliate conformarvi a questo secolo, ma riformatevi nel rinnovamento della mente vostra, per accertare quale sia la volontà di Dio buona, accettevole e perfetta*[5]. Nè il figliuòlo della Chiesa e riformatore sincero mai si persuade di avere toccato la meta, ma ad essa protesta solo di tendere insieme

[1] Ex Bulla « *Unigenitus* ».
[2] *Gen.* VIII, 21.
[3] *Rom.* VI, 6.
[4] *Eph.* IV, 23.
[5] *Rom.* XII, 2.

con l'Apostolo: *Dimenticando quel che sta dietro e stendendomi verso ciò che mi sta davanti, mi avanzo verso il segno, verso il premio della vocazione superna di Dio in Cristo Gesù* [1]

Quindi avviene che noi uniti con Cristo nella Chiesa *cresciamo per ogni cosa in lui che è il Capo, Cristo, dal quale il corpo tutto prende l'accrescimento proprio per la perfezione di se stesso nella carità* [2], e la Chiesa madre viene sempre più ad avverare quel mistero della volontà divina, *di ristaurare nella ordinata pienezza dei tempi tutte le cose in Cristo* [3].

A queste cose non pensavano i riformatori, a cui si oppose Carlo Borromeo, presumendo riformare a loro capriccio la fede e la disciplina; nè meglio le intendono i moderni, contro cui abbiamo noi da combattere, o Venerabili Fratelli. Anche costoro sovvertono dottrina, leggi, istituzioni della Chiesa, avendo sempre su le labbra il grido di cultura e di civiltà, non perchè stia loro troppo a cuore questo punto, ma perchè con questi nomi grandiosi possono più agevolmente celare la malvagità dei loro intendimenti.

È quali in realtà sieno le loro mire, quali le loro trame, quale la via che intendono battere, nessuno di voi lo ignora, e i loro disegni furono già da Noi denunziati e condannati. Si propongono essi un'apostasia universale dalla fede e dalla disciplina della Chiesa, apostasia tanto peggiore di quell'antica che mise in pericolo il secolo di Carlo, quanto più astutamente serpeggia occulta nelle vene stesse della Chiesa, quanto più sottilmente trae da principii erronei le conseguenze estreme.

Di amendue, tuttavia, una stessa è l'origine: l'*uomo nemico,* cioè, che sempre desto a perdizione degli uomini *soprasseminò la zizzania in mezzo al grano* [4]: del pari soppiatte e tenebrose le vie; simile il processo e l'esito finale. Perocché, a quel modo che nel passato la prima apostasia voltandosi dove la fortuna secondava, veniva aizzando l'una contro l'altra o la classe dei potenti o dei popolani, per travolgere poi l'una e l'altra nella perdizione, così questa moderna apostasia esaspera l'odio vicendevole dei poveri e dei ricchi, acciocché scontento ognuno della sua sorte tragga sempre più misera la vita e paghi il fio

[1] *Philip,* in, 13, 14.
[2] *Ephes.* iv, 15, 16.
[3] *Ephes.* i, 9, 10.
[4] MATTH, XIII, 25.

imposto a quelli che tutti fìssi nelle cose terrene e caduche, non cercano *il regno di Dio e la sua giustizia.* Anzi il presente conflitto è fatto anche più grave da ciò che, dove i turbulenti novatori dei tempi andati ritenevano per lo più qualche resto del tesoro della dottrina rivelata, i moderni sembra che non vogliano darsi pace finche non lo abbiano veduto interamente disperso. Ora, così rovesciato il fondamento della religione, si scioglie necessariamente anche il vincolo della società civile. Spettacolo triste al presente, minaccioso per l'avvenire; non perchè vi sia da temere per l'incolumità della Chiesa, *d* cui non permettono dubbio le promesse divine, ma per i pericoli che sovrastano alle famiglie ed alle nazioni, massimamente a quelle che o fomentano con più studio o tollerano con più indifferenza questo pestifero soffio di empietà.

Fra una sì empia e stolida guerra, mossa talora e propagata con l'aiuto di quei medesimi che più dovrebbero appoggiarci e sostenere la nostra causa; fra un trasformarsi così molteplice degli errori e un blandire di vizi così vario, che dagli uni e dagli altri anche molti dei nostri si lasciano lusingare, sedotti dall'apparenza di novità e di dottrina, o dalla illusione che la Chiesa possa amichevolmente accordarsi con le massime del secolo, voi bene intendete, Venerabili Fratelli, che noi tutti dobbiamo opporre vigorosa resistenza e ribattere l'assalto dei nemici con quelle armi stesse, di cui un tempo usò il Borromeo.

E anzitutto, poiché attentano alla rocca stessa che è la fede, o con l'aperta negazione, o con l'ipocrita impugnazione, o col travisarne le dottrine, ricorderemo quello che S. Carlo spesso inculcava: « La prima e più grande cura dei Pastori deve essere « intorno alle cose che riguardano il conservare integra e inviolata la fede cattolica, quella fede che la Santa Romana Chiesa « professa ed insegna, e senza la quale è impossibile piacere « a Dio » [1] E di nuovo: « in questa parte nessuna diligenza può « essere così grande, quanto senza dubbio è richiesta dal biso- « gno » [2]. Quindi è necessario di opporsi con la sana dottrina al *fermento dell'eretica pravità,* che non represso corrompe tutta la massa, opporsi cioè alle perverse opinioni che s'infiltrano sotto mentite sembianze e che raccolte insieme sono professate dal

[1] Conc. Prov. I, sub initium.
[2] Conc. Prov. V, Pars. I.

modernismo; ricordando con **S.** Carlo, « quanto sommo debba « essere lo studio e diligentissime sopra ogni altra la cura del « vescovo nel combattere il delitto dell'eresia »[1].

Nè occorre, per verità, ricordare le altre parole del santo che allega le sanzioni, le leggi, le pene poste dai Romani Pontefici contro quei prelati che fossero negligenti o rimessi nel purgare dal fermento dell'eretica pravità la loro diocesi. Ma bene convenevole sarà riandare con attenta meditazione ciò che egli ne conchiude: « Perciò deve il vescovo anzi tutto per- « sistere in questa sollecitudine perenne e vigilanza continua, « acciocché non solo il morbo pestilentissimo dell'eresia non si « infiltri mai nel gregge a lui commesso, ma ne vada lontanis- « simo qualsiasi sospetto. E se poi, il che tolga Cristo Signore « per la sua pietosa misericordia, s'infiltrasse, allora sopra tutto « si adoperi con ogni sforzo perchè sia ricacciato prestissima- « mente, e quelli che di tale pestilenza sono infetti o sospetti « siano trattati a norma dei canoni e delle sanzioni pontificie »[2].

Ma nè la liberazione, nè la preservazione dalla peste degli errori è possibile, se non con una retta istruzione del clero e del popolo; poiché *la fede dall'udito, e l'udito poi per la parola di Cristo*[3]. E la necessità d'inculcare la verità a tutti s'impone tanto maggiormente ai nostri giorni, mentre per tutte le vene dello Stato, e anche donde meno si crederebbe, vediamo infiltrarsi il veleno, a segno tale che per tutti valgono oggimai le ragioni addotte da S. Carlo con queste parole: « Quei che confinano con « gli eretici ove non fossero stabili e fermi nei fondamenti della « fede, darebbero moltissimo a temere che non si lasciassero « troppo facilmente tirare da essi in qualche inganno di em- « pietà e di guasta dottrina »[4]. Ora infatti, per la facilità dei viaggi, sono cresciute le comunicazioni, come delle altre cose tutte, così anche degli errori, e per la sfrenata libertà delle passioni, viviamo in mezzo ad una società pervertita, ove *non è verità... e non esiste cognizione di Dio*[5]*; in una terra che è desolata... perchè ninno vi è che pensi di cuore*[6]. Perciò Noi, volendo

[1] Conc. Prov. V, Pars. I.
[2] Ibid.
[3] *Rom.* x, 17.
[4] Conc. Prov. V, Pars. I.
[5] Os. iv, 1.
[6] IEREM. XII, U.

usare le parole di S. Carlo, « abbiamo adoperato finora molta « diligenza perchè tutti e singoli i fedeli di Cristo fossero bene ((istruiti nei rudimenti della fede cristiana » [1]; e ne abbiamo anche scritto speciale lettera enciclica, come di argomento della più vitale importanza [2]. Ma, sebbene non vogliamo ripetere ciò che ardendo di zelo insaziabile deplorava il Borromeo cioè, « di « avere finora ottenuto troppo poco in cosa di tanta rilevanza », pure, come lui, « indotti dalla grandezza del negozio e del pericolo », vorremmo anche maggiormente infiammare lo zelo di tutti; perchè, prendendo Carlo a modello, concorrano, ciascuno secondo il grado e le forze, a quest'opera di ristaurazione cristiana. Ricordino i padri di famiglia e i padroni con quale fervore ad essi inculcava il santo vescovo costantemente, che ai figliuoli, ai domestici, ai servi, non solo dessero facoltà, ma imponessero l'obbligo d'imparare la dottrina cristiana. I chierici si ricordino l'aiuto che in questo insegnamento debbano prestare al parroco, e questi procuri che siffatte scuole si moltiplichino secondo il numero e la necessità dei fedeli, e siano commendevoli per la probità dei maestri, ai quali siano dati per aiutatori uomini o donne di provata onestà, a quel modo che prescrive lo stesso santo arcivescovo di Milano [3].

Di tale cristiana istruzione appare evidentemente cresciuta la necessità sia da tutto l'andamento dei tempi e dei costumi moderni, sia specialmente da quelle pubbliche scuole, prive di ogni religione, dove si tiene quasi per sollazzo il deridere tutte le cose più sante, e del pari sono aperte alla bestemmia e le labbra dei maestri e le orecchie dei discepoli. Parliamo di quella scuola che si chiama per somma ingiuria *neutra* o *laica,* ma non è altro che tirannide prepotente di una setta tenebrosa. Un siffatto nuovo giogo di ipocrita libertà voi già denunciaste ad alta voce e intrepidamente, o Venerabili Fratelli, massime in quei paesi dove più sfrontatamente furono calpestati i diritti della religione e della famiglia, anzi soffocata la voce stessa della natura che vuole rispettata la fede e il candore dell'adolescenza. A rimediare, per quanto era in Noi, a un sì gran male, recato da quelli stessi che, mentre pretendono dagli altri obbe-

[1] Conc. Prov. V, Pars. I.
[2] Encycl. « *Acerbo nimis* » die xxv m. Aprilis MDCCCCV.
[3] Conc. Prov. V, Pars I.

dienza, la negano al Padrone supremo di tutte le cose, abbiamo raccomandato che si istituissero per le città opportune scuole di religione. E sebbene quest'opera, mercè i vostri sforzi, ^abbia fatto finora assai buoni progressi, tuttavia è sommamente da desiderare che sempre più largamente si propaghi, cioè che siffatte scuole si aprano da per tutto numerose e fioriscano di maestri commendevoli per merito di dottrina e per integrità di vita.

Con tale insegnamento utilissimo dei primi elementi va strettamente- congiunto l'ufficio dell'oratore sacro, nel quale a più forte ragione si ricercano le doti ricordate. Quindi le diligenze e i consigli di Carlo nei Sinodi provinciali e nei diocesani miravano con una cura specialissima a formare predicatori tali che si potessero adoperare santamente e con frutto nel *ministero della parola.* Ora la cosa stessa, e forse più fortemente, sembra richiesta a noi dai tempi che corrono, mentre la fede vacilla in tanti cuori, nè mancano di quelli che, per vaghezza di gloria vana, assecondano la moda, *adulterando la parola di Dio,* e sottraendo alle anime il cibo della vita.

Con somma vigilanza, pertanto, noi dobbiamo guardare, Venerabili Fratelli, che il nostro gregge da uomini vani e frivoli non sia pasciuto di vento, ma sia nutrito del cibo vitale da *ministri della parola* ai quali si applicano quelle sentenze: *Noi facciamo le veci di ambasciatori a nome di Cristo, quasi esortando Iddio per mezzo di noi: riconciliatevi con Dio* [1] - *da ministri e legati che non camminano nell'astuzia, nè corrompono la parola di Dio, ma si rendono commendevoli presso ogni coscienza degli uomini innanzi a Dio per la manifestazione della verità* [2]; - *operai che non possono essere confusi e con rettitudine maneggiano la parola di verità* [3]. E non meno utili ci. saranno quelle norme santissime e sommamente fruttuose che il vescovo di Milano soleva raccomandare ai fedeli, e sono compendiate da quelle parole di S. Paolo: *Avendo ricevuto da noi la parola della predicazione di Dio, voi l'accoglieste non come parola umana, ma (qual'è veramente) parola di Dio, la quale opera in voi che avete creduto* [4].

[1] II *Cor.* v, 20.
[2] II *Cor.* iv, 2.
[3] II *Tim.* n, 15.
[4] *I Thess.* **II**, 13.

Così la *parola di Dio viva, efficace, più penetrativa di ogni spada* [1] opererà non solo a conservazione e a difesa della. fede, ma ad efficace impulso delle buone opere: giacche *la fede senza le opere è morta* [2]; *e non saranno giustificati innanzi a Dio quelli che ascoltano la legge, ma quei che la legge mettono in esecuzione* [3].

Ed è questo un altro punto in cui si vede quanto immenso è il divàrio della vera dalla falsa riforma. Poiché quelli che propugnano la falsa, imitando la incostanza degli stolti, sogliono correre agli estremi, o esaltando la fede per modo da escludere la necessità delle buone opere, o collocando nella sola natura tutta la eccellenza della virtù, senza gli aiuti della fede e della grazia divina. Onde segue che gli atti provenienti dalla sola onestà naturale, non sono altro che simulacri di virtù, ne durevoli in sè, nè sufficienti alla salute. L'opera dunque di siffatti riformatori non è valevole a ristampare la disciplina, ma esiziale alla fede ed ai costumi.

Al contrario, quelli che, ad esempio di Carlo, sinceramente e senza raggiri cercano la vera e salutare riforma, evitano gli estremi, nè mai trascorrono oltre quei limiti fuori dei quali non può sussistere riforma alcuna. Poiché, uniti essi fermissimamente alla Chiesa ed al suo Capo Cristo, non solo di qui attingono forza di vita interiore, ma anche ricevono norma di azione esteriore, per accingersi con sicurezza all'opera sanatrice della umana società. Ora di questa divina missione, trasmessa perpetuamente in quelli che debbono fare da legati di Cristo, è proprio l'*insegnare a tutte le genti,* nè solamente le cose da credere, ma quelle da operare, cioè, come pronunziò Cristo stesso: *osservare tutte quelle cose che io vi ho comandato* [4]. Egli infatti è *via, verità e vita* [5], ed è venuto perchè gli uomini *abbiano la vita e l'abbiano con esuberanza* [6]. Ma poiché l'adempiere quei doveri tutti con la sola guida della natura è molto al di sopra di ciò che possano per sè conseguire le forze dell'uomo, perciò la Chiesa ha, insieme col suo magistero, congiunto il potere di

[1] *Hebr.* vi, 12.
[2] *Iacob. ii,* 26.
[3] *Rom.* ii, 13.
[4] MATTH, XXVIII, 18-20.
[5] IOAN. XIV, 6.
[6] IOAN. X, 10.

governare la società cristiana e quello di santificarla, mentre per mezzo di quelli che nel loro proprio grado ed officio le sono ministri o cooperatori, viene comunicando gli opportuni e necessarii mezzi della salute.

Il che bene intendendo i veraci riformatori, non soffocano essi i germogli per porre in salvo la radice, cioè dire non disgiungono la fede dalla santità della vita, ma l'una e l'altra alimentano e riscaldano al soffio della carità, la quale è *vincolo della perfezione* [1]. Così pure, ubbidendo all'Apostolo, essi *custodiscono il deposito* [2], non già per impedirne la manifestazione e sottrarne la luce alle genti, ma per diramare anzi con piti larga vena le acque saluberrime di verità e di vita che sgorgano da quella sorgente. E in ciò congiungono la teoria alla pratica, di quella valendosi a prevenire ogni *circonvenzione dell'errore,* di questa ad applicare i precetti alla morale ed all'azione della vita. Perciò anche procurano i mezzi tutti od opportuni o necessarii al fine, sia per la estirpazione del peccato, sia *per la perfezione dei santi, per l'opera del ministero, l'edificazione del corpo di Cristo* [3]. E a questo mirano appunto gli statuti, i canoni, le leggi dei Padri e dei Concilii; a questo i mezzi tutti d'insegnamento, di governo, di santificazione, di beneficenza d'ogni fatta; a questo insomma la disciplina e l'operosità intera della Chiesa. A tali maestri della fede e della virtù tiene rivolto l'occhio e l'animo il vero figlio della Chiesa, mentre si propone la riforma di sè e degli altri. E a tali maestri pure si appoggia il Borromeo nella sua riforma della disciplina ecclesiastica, e spesso li ricorda, come quando scrive: « Noi, seguendo l'antica « consuetudine ed autorità dei santi Padri e dei sacri Concilii, « principalmente del Sinodo ecumenico di Trento, abbiamo sta« bilito intorno a questi punti stessi nei nostri precedenti Con« cilii provinciali molte disposizioni ». - Similmente, nel prendere provvedimenti di repressione dei pubblici scandali, egli si professa guidato « e dal diritto e dalle sacrosante sanzioni dei <(sacri canoni, e del Concilio Tridentino sopra tutto » [4].

Nè contento di ciò, per meglio assicurarsi di non avere mai a dipartirsi dalla regola suddetta, così di solito conchiude gli

[1] ***Coloss.*** in, 14.
[2] I ***Tim.*** vi, 20.
[3] ***Eph.*** iv, 12.
[4] Conc. Prov. V, Pars I.

statuti dei suoi Sinodi provinciali: « Tutte e singole quelle cose che da noi in questo Sinodo provinciale furono decretate e fatte, sottomettiamo sempre, perchè sieno emendate e corrette, all'autorità ed al giudizio della Santa Romana Chiesa, di tutte le Chiese madre e maestra »[1]. E questo suo proposito egli mostrò sempre più fervido, quanto più si avanzava a gran passo nella perfezione della vita attiva; nè solo finché occupava la cattedra di Pietro il pontefice suo zio, ma anche sotto i costui successori, Pio V e Gregorio XIII, dei quali, com'egli potentemente suffragò l'elezione, così nelle maggiori imprese fu valido aiuto, corrispondendo interamente alla loro aspettazione.

Ma sopra tutto li secondò nell'attuare i mezzi pratici per il fine propostosi, cioè per la vera riforma della sacra disciplina. Nel che, di nuovo, si mostrò egli più che mai lontano dai riformatori falsi che mascherano di zelo la loro disubbidienza ostinata. Quindi, cominciando il *giudizio della casa di Dio*[2], si applicò anzitutto a riformare con leggi costanti la disciplina del clero; e a questo fine eresse seminarii per gli alunni del sacerdozio, fondò congregazioni di sacerdoti, che ebbero nome di *oblati,* chiamò famiglie religiose e antiche e recenti, radunò concilii e con ogni sorta di provvedimenti assicurò e crebbe l'opera incominciata. Indi, senza ritardo, pose mano egualmente vigorosa a riformare i costumi del popolo, ritenendo per detto a sè quello che già fu detto al profeta: « *Ecco io ti ho stabilito oggi... perchè tu sradichi e distrugga, perchè disperda e dissipi, edifichi e pianti* »[3]. Perciò, da buon pastore, visitando personalmente le chiese della provincia, non senza gran fatica, a somiglianza del divino Maestro, *passò beneficando e sanando* le ferite del gregge; si affaticò con ogni sforzo a sopprimere e sradicare gli abusi, che da per tutto s'incontravano, proveniènti sia dall'ignoranza sia dalla trascuranza delle leggi; alla perversione delle idee ed alla corruzione dei costumi straripante oppose, quasi argine, scuole e collegi, ch'egli aprì per l'educazione dei fanciulli e dei giovinetti, congregazioni mariane, che egli accrebbe, dopo averle conosciute al loro primo fiorire qui in Roma, ospizi, ch'egli schiuse alla gioventù orfana, ricoveri, che aperse alle pericolanti, alle vedove, ai mendici o impotenti per malat-

[1] Conc. Prov. VI, sub finem.
[2] I *Petr.* iv, 17.
[3] IER. I, 10.

tia o per vecchiaia, uomini e donne; la tutela ch'egli prese dei poveri contro la prepotenza dei padroni, contro le usure, contro la tratta dei fanciulli, e simili altre istituzioni in gran numero. Ma tutto ciò egli operò aborrendo totalmente dal metodo di coloro che, nel rinnovare a loro senno la cristiana società, mettono tutto sossopra e in agitazione, con vanissimo strepito, dimentichi della parola divina: *nella commozione non è il Signore* [1].

È questo appunto un nuovo distintivo dei veri riformatori dai falsi, come più volte voi avete conosciuto a prova, Venerabili Fratelli. I riformatori falsi cercano *i proprii interessi, non quelli di Gesù Cristo* [2], e dando orecchio all'invito insidioso già fatto al divino Maestro: *Va e mostrati al mondo* [3], ripetono anch'essi le parole ambiziose: *Facciamoci anche noi un nome.* Per la quale temerità, come pur troppo deploriamo anche ai nostri giorni, *caddero dei sacerdoti in guerra, nell'atto che pretendevano fare cose grandi, e uscivano alla mischia senza prudenza* [4].

Al contrario il riformatore sincero non *cerca la sua gloria, ma la gloria di Colui che lo ha mandato* [5]; e come Cristo, suo esemplare, *non contenderà nè griderà nè alcuno udirà la sua voce per le piazze; non sarà torbido nè irrequieto* [6]; ma sarà *dolce e umile di cuore* [7]. Quindi egli piacerà al Signore e riporterà frutti copiosissimi di salute.

. Per un altro distintivo ancora si differenziano l'uno dall'altro, mentre quegli, appoggiato solo alle forze umane, *confida nell'uomo e pone la sua fortezza nella carne* [8]; questi invece mette in Dio tutta la sua speranza; da lui e dai mezzi soprannaturali aspetta ogni forza e virtù, esclamando con l'Apostolo: *Ogni cosa io posso in colui che mi conforta* [9].

Questi mezzi, che Cristo comunicò in larga copia, il fedele cerca nella Chiesa stessa a comune salvezza, e primi fra essi la preghiera, il sacrificio, i sacramenti, i quali divengono quasi

[1] III *Reg.* xix, 11.
[2] *Philip.* II, ai.
[3] IOAN. VII, 4.
[4] I MACHAB. V, 57, 67.
[5] IOAN. VII, 18.
[6] ISAI. XLII, 2 sq. - MATTH, XII, 19.
[7] MATTH, XI, 29.
[8] IER. XVII, 5.
[9] *Philip,* iv, 13.

fonte di acqua che sale alla vita eterna[1]. Ma di tutti questi mezzi mal sofferenti coloro che per vie traverse e dimentichi di Dio si affannano intorno all'opera della riforma, mai non cessano di intorbidare quelle fonti purissime, se non del tutto disseccarle, per tenerne lontano il gregge di Cristo. Nel che certo fanno anche peggio i loro moderni seguaci, che sotto una certa maschera di più alta religiosità, hanno in niun conto quei mezzi di salute e li mettono in discredito, particolarmente i due sacramenti, coi quali o si perdonano i peccati alle anime pentite o si fortificano le anime col cibo celeste. Ogni fedele pertanto procurerà con sommo studio che benefìzi di così gran pregio siano tenuti nel massimo onore, nè soffrirà che l'affetto degli uomini illanguidisca verso queste due opere della carità divina.

Così appunto si adoperò il Borromeo, del quale fra le altre cose leggiamo scritto: « Quanto maggiore e più copioso è il « frutto dei sacramenti di quello che se ne possa spiegare facil- <(mente il valore, con tanto più diligenza e intima pietà del- « l'anima ed esterno culto e venerazione si devono trattare e ri- « cevere »[2]. Del pari degnissime di essere ricordate sono le raccomandazioni ond'egli esorta i parrochi e altri sacri predicatori di richiamare alla pratica antica la frequenza della santa Comunione, il che pure Noi abbiamo fatto col Decreto che incomincia: *Tridentina Synodus.* « I parrochi e i predicatori, dice il santo vescovo, esortino quanto più spesso il popolo alla pratica salutarissima di ricevere frequentemente la sacra Eucaristia, appoggiandosi alle istituzioni ed agli esempi della Chiesa nascente, alle raccomandazioni dei Padri più autorevoli, alla dottrina del catechismo romano, in questo stesso punto più distesamente spiegata, e alla sentenza infine del Concilio Tridentino, il quale vorrebbe che in ogni messa i fedeli comunicassero non solo con ricevere l'Eucaristia spiritualmente, ma anche sacramentalmente »[3]. Con quale intenzione poi, con quale affetto si debba frequentare questo sacro convito, lo insegna con queste parole: « Il popolo non solo dev'essere « spronato alla pratica di ricevere frequentemente il santissimo « Sacramento, ma pure ammonito quanto sia pericoloso ed esi-

[1] IOAN. IV, 14.
[2] Conc. Prov. I, Pars II.
[3] Conc. Prov. III, Pars I.

« ziale l'accostarsi indegnamente alla sacra mensa di quel cibo « divino » VE una simile diligenza sembra richiesta massimamente dai tempi nostri di fede vacillante e di carità illanguidita, acciocché dalla cresciuta frequenza non venga sminuita la riverenza debita a tanto mistero, ma piuttosto se ne tragga motivo a far che *l'uomo provi se stesso e così mangi di quel pane e beva del calice* [2].

Da queste fonti sgorgherà una ricca vena di grazia, e da essa trarranno vigore ed alimento anche i mezzi naturali ed umani. Nè l'azione del cristiano disprezzerà punto le cose utili e di conforto alla vita, venendo anch'esse dal medesimo Iddio, autore della grazia e della natura; ma eviterà con gran diligenza che in cercare e godere le cose esterne e i beni del corpo, si riponga il fine e quasi la felicità di tutta la vita. Chi vuole pertanto usare di questi mezzi con rettitudine e temperanza, li ordinerà alla salute delle anime, ubbidendo al detto di Cristo: *Cercate prima il regni? di Dio e la sua giustizia e tutte "queste cose vi saranno date per giunta* [3].

Un siffatto uso dei mezzi ordinato e sapiente tanto è lungi che mai venga ad opporsi al bene di ordine inferiore, cioè proprio della società civile, che anzi ne promuove in gran maniera gli interessi; nè già con vana iattanza di parole, com'è il costume dei faziosi riformatori, ma coi fatti e col sommo dello sforzo, fino al sacrifizio delle sostanze, delle forze e della vita. Di tale fortezza ci danno esempio sopra tutto molti vescovi, i quali, in tempi tristi per la Chiesa, emulando lo zelo di Carlo, avverano le parole del divino Maestro: *Il buon pastore dà la sua vita per le sue pecorelle* [4]. Essi non da bramosia di gloria, non da spirito di parte, non da stimolo di alcun privato interesse sono tratti a sacrificarsi per la salvezza comune, ma da quella carità *che mai non viene meno.* Da questa fiamma, che sfugge agli occhi profani, acceso il Borromeo, dopo essersi esposto a pericolo di vita nel servire agli appestati, non contento di avere sovvenuto ai mali presenti, così mostravasi ancora sollecito dei futuri: « È affatto conforme ad ogni ragione che, in quel modo <(onde un ottimo padre, il quale ama di amore unico i suoi fi-

[3] Conc. Prov. IV, Pars II.
[1] I *Cor.* xi, 28.
[2] Lue. XII, 31; - MATTH, VI, 33.
[3] IOAN. X, 11.

gliuoli, provvede ad essi sia per il presente come per il futuro, preparando le cose necessarie alla vita, così noi, mossi dal debito dell'amore paterno, provvediamo ai fedeli della nostra provincia con ogni precauzione e prepariamo per l'avvenire quegli aiuti che nel tempo della peste abbiamo conosciuto per esperienza essere salutari »[1].

I medesimi disegni e propositi di affettuosa provvidenza, Venerabili Fratelli, trovano una pratica applicazione in quell'azione cattolica che spesse volte abbiamo raccomandato. E a parte di questo apostolato nobilissimo, il quale abbraccia tutte le opere di misericordia da premiarsi col regno eterno[2], sono chiamati gli uomini scelti del laicato. Ma essi, accogliendo in sè questo peso, devono essere pronti e addestrati a sacrificare interamente se stessi e tutte le cose loro per la buona causa, a sostenere l'invidia, la contraddizione e anche l'avversione di molti che ricambiano d'ingratitudine i benefizi, a faticare ognuno come *buon soldato di Cristo*[3], a correre *per la via della pazienza al certame propostoci, riguardando all'autore e consummatore della fede Gesù*[4]. Lotta certamente ben dura, ma efficacissima al benessere stesso della società civile, anche quando ne sia ritardata la piena vittoria.

Anche per questo ultimo punto ora menzionato, si possono ammirare esempi splendidi di S. Carlo, e da essi prendere, ciascuno secondo la propria condizione, di che imitare e confortarsi. Benché, infatti, e la virtù singolare e l'operosità maravigliosa e la profusa carità lo facessero tanto ragguardevole, neppure egli, tuttavia, andò esente da questa legge: *Tutti quelli che vogliono* per ciò stesso ch'egli seguiva un tenore di vita più austero, che *vivere piamente in Cristo Gesù, patiranno persecuzioni*[5]. Quindi sosteneva sempre la rettitudine e l'onestà, che sorgeva vindice incorrotto delle leggi e della giustizia, si guadagnò l'avversione di uomini potenti; si trovò esposto a raggiri di diplomatici; venne talora in diffidenza ai nobili, al -clero ed al popolo, e in fine si trasse addosso l'odio mortale dei malvagi, e ne fu cercato a morte. Ma a tutto egli resistette con animo invitto, sebbene d'indole mite e soave.

[1] Conc. Prov. V, Pars II.
[2] MATTH, XXV, 34. sq.
[3] II *Tim.* II, 3.
[4] *Hebr.* XII, 1, 2.
[5] II *Tim.* III, 12.

Nè solo non cedette mai a cosa che fosse esiziale alla fede ed ai costumi, ma neppure a pretensioni contrarie alla disciplina e gravose al popolo fedele, ancorché attribuite a un monarca potentissimo e nel resto cattolico. Memore della parola di Cristo: *Rendete a Cesare quello che è di Cesare e a Dio quello che è di Dio*[1] come pure della voce degli Apostoli: « *Meglio è obbedire a Dio che agli uomini*[2], egli si rese benemerito al sommo, non della causa della religione solamente, ma della stessa civile società, la quale, pagando il fio della sua stolta prudenza e sommersa quasi dalle tempeste delle sedizioni da sè eccitate, correva a morte certissima.

La medesima lode e gratitudine sarà dovuta ai cattolici del nostro tempo e ai loro valorosi condottieri, i vescovi, mentre nè gli uni nè gli altri verranno mai a mancare in parte alcuna ai doveri che sono proprii dei cittadini, sia che trattisi di serbare fedeltà e rispetto ai *dominanti anche discoli* quando comandino cose giuste, sia di ripugnare ai loro comandi quando siano iniqui, tenendo lontana del pari e la procace ribellione di quelli che corrono alle sedizioni ed ai tumulti, e la servile abiezione di quelli che accolgono quasi leggi sacrosante gli statuti manifestamente empii di uomini perversi, i quali col mentito nome di libertà sconvolgono ogni cosa e impongono la tirannide più dura. Ciò avviene al cospetto del mondo e alla piena luce della moderna civiltà, in qualche nazione specialmente, ove *il potere delle tenebre* sembra che abbia messo la sua sede principale. Sotto quella prepotente tirannide vanno calpestati miseramente i diritti tutti dei figliuoli della Chiesa, spento affatto nei governanti ogni senso di generosità, di gentilezza e di fede, onde per tanto tempo splenderono i loro padri, insigni del titolo di cristiani. Tanto è evidente che, entrato l'odio di Dio e della Chiesa, si torna addietro in ogni cosa, e si corre a precipizio verso la barbarie dell'antica libertà, o piuttosto giogo crudelissimo, da cui la sola famiglia di Cristo e l'educazione da lei introdotta ci ha sottratti. Ovvero, come esprimeva la cosa stessa il Borromeo, tanto è « cosa certa e riconosciuta, che da nessun'altra colpa è « Dio più gravemente offeso, dà nessuna provocato a maggiore « sdegno quanto dal vizio delle eresie, e che a sua volta nulla

[1] MATTH, XXII, 21.
[2] *Act.* V, 29.

« può tanto a rovina delle provincie e dei regni quanto può « quell'orrida peste » [1]. Senonchè molto più funesta si deve stimare l'odierna congiura di strappare le nazioni cristiane dal seno della Chiesa, come dicemmo. I nemici infatti, sebbene discordissimi di pensieri e di volontà, ciò che è contrassegno certo dell'errore, in una cosa solo si accordano, nell'oppugnazione ostinata della verità e della giustizia; e poiché dell'una e dell'altra custode e vindice è la Chiesa, contro la Chiesa sola, strette le loro file, muovono all'assalto. E benché vadano dicendo di essere imparziali o di promuovere la causa della pace, altro in verità non fanno, con dolci parole ma non dissimulati propositi, se non tendere insidie, per aggiungere al danno lo scherno, il tradimento alla violenza. Con un nuovo metodo di lotta è ora dunque assalito il nome cristiano; e una guerra si muove di gran lunga più pericolosa che non le battaglie prima combattute, dalle quali raccolse tanta gloria il Borromeo.

Di qui noi tutti prendendo esempio ed istruzione, ci animeremo a combattere da forti per i più grandi interessi, da cui dipende la salvezza degl'individui e della società, per la fede e la religione, per l'inviolabilità del pubblico diritto; combatteremo sforzati certo da una amara necessità, ma confortati insieme da una soave speranza che la onnipotenza di Dio affretterà la vittoria a chi combatte in così gloriosa battaglia. A tale speranza aggiunge vigore l'efficacia potente, perpetuata fino ai nostri giorni, dell'opera di S. Carlo, sia per fiaccare l'orgoglio delle menti, sia per assodare l'animo nel proposito santo di ristaurare ogni cosa in Cristo.

Ed ora, Venerabili Fratelli, noi possiamo conchiudere con le parole stesse, onde il Nostro Antecessore, Paolo V, più volte menzionato, conchiudeva le lettere che decretavano a Carlo i supremi onori: « È giusto, per tanto, che noi rendiamo gloria e onore e benedizione a Colui che vive nei secoli dei secoli, il quale benedisse il nostro conservo in ogni benedizione spirituale, perchè fosse santo e immacolato innanzi a lui. E avendocelo dato il Signore come una stella fulgente in questa notte di peccati, di tribolazioni nostre, ricorriamo alla divina demenza, con la bocca e con l'opera supplicando, acciocché Carlo « alla Chiesa che egli amò tanto ardentemente, giovi altresì coi

[1] Conc. Prov. V, Pars I.

« meriti e con l'esempio, assista col patrocinio e nel tempo dello « sdegno si faccia riconciliazione per Cristo nostro Signore »[1].

Si aggiunga a questi voti e ponga il colmo alla comune speranza l'auspizio della benedizione Apostolica, che a Voi, Venerabili Fratelli, al clero ed al popolo di ciascuno di Voi, con vivo affetto impartiamo.

Dato a Roma, presso San Pietro, il giorno 26 Maggio 1910, settimo del nostro Pontificato.

PIO PP. X.

[1] Bulla « *Unigenitus* ».

Annus II. - Vol. II. Die 31 Maii 1910. Num. 10.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

I.

INDULGENTIA QUOTIDIANA PERPETUA
PRO SANCTUARIO A S. SPECU S. BENEDICTI.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Ad augendam fidelium religionem animarumque salutem procurandam caelestibus Ecclesiae thesauris pia caritate intenti, omnibus ac singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes atque ubicumque rite confessi, ad S. Synaxim in Ecclesia Sanctuarii a Sacro Specu S. Benedicti apud civitatem Sublacensem nullius Dioeceseos accesserint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam singulis anni diebus lucrandam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem, quam etiam animabus Christifidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, misericorditer in Domino concedimus ac largimur. Volumus autem ut apostolicae litterae a rec. mem. Clemente Papa XI Decessore Nostro die vicesimo secundo Novembris anno MDCCI datae, quae incipiunt *Iniunctum Nobis* quaeque ab alio Decessore Nostro Pio PP. VII die quinto et vicesimo Iulii anno MDCCCXVII novis privilegiis auctae fuerunt, firmae, validae efficacesque sint. Non obstantibus in contrarium^ facientibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vicesima septima Octobris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
L. ✠ S. *a Secretis Status.*

II.

CONCEDUNTUR PRAECIPUAE FACULTATES ORDINI EREMITARUM S. AUGUSTINI.

PIUS PP. X.

Ad perpetuum rei memoriam. — Comperta sunt Nobis eximia in religionem beneficia, quae inclytus ordo Eremitarum S. Augustini, Dei verbis ad populum praecipue faciendis, assidue confert. Quo vero exantlati huiusmodi labores in uberius animarum bonum cedant, sacras expeditiones atque exercitationes spirituales, quibus religiosa eadem familia fideles ad christianae vitae decus ubique gentium adhortari studet, tum peculiaribus privilegiis, tum coelestibus Ecclesiae thesauris libentes locupletamus. Quare de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus ac singulis praefati ordinis sacerdotibus, qui sacras missiones peragant, vel spirituales exercitationes moderentur, praesentium tenore Apostolica auctoritate Nostra concedimus ac largimur, ut illarum postremo die benedictionem Nostro ac Romani Pontificis pro tempore nomine et auctoritate cum Crucifixo sub unico signo et cum plenaria indulgentia universis Christifidelibus ubique impertire licite queant, quae plenaria indulgentia ab iis tantum sit lucranda, qui eidem benedictioni adstiterat, ac vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, Ecclesiam vel publicum oratorium, ubi id pietatis opus habebitur, visitaverint, et pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. Iis praeterea fidelibus, qui sacris hisce missionibus vel exercitationibus ultra medium tempus quo eae perduraverint, interfuerint, ac pariter expiati admissorum confessione ac coelestibus epulis recreati, vel semel illarum temporis spatio, vel uno quo cuique libeat e quindecim diebus immediate subsequentibus, Ecclesiam aut publicum oratorium visitantes, ibi, ut praefertur, oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quoties autem missionum aut exercitationum tempore vel catecheses vel conciones audierint, ducentos dies eis de iniunctis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Praedictis vero sacerdotibus facultatem impertimus, Cruces, Crucifixos, sacra numismata, coronas precatorias et parvas D. N. I. G., B. M. V., et Sanctorum metallicas statuas benedicendi, eisque indulgentias applicandi, quae in elencho edito typis S. Congregationis de Propaganda Fide diei XXVIII Augusti MCMIII continentur; et quod ad coronas precatorias

non exceptis indulgentiis a S. Birgitta nuncupatis; et potestatem insuper facimus coronas precatorias item benedicendi cum indulgentia quingentarum dierum pro quolibet *Pater* et pro qualibet *Ave* recitatis consequenda. Iisdem denique presbyteris fas erit Cruces ferreas vel ligneas ubique terrarum, de Ordinarii consensu, post peractas missiones erigere ac benedicere, eisque applicare *primo:* indulgentiam plenariam ab iis fidelibus lucrifaciendam, qui, admissis rite expiati ac S. Synaxi suscepta, die anniversario huius erectionis vel, si hic sit profestus, dominica insequente, nec non festis Inventionis et exaltationis SS. Crucis, vel dominica respective subsequente a primis vesperis ad occasum solis diei huiusmodi devote Ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, atque ibi, ut supra, oraverint; *secundo:* indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, quam semel in die fideles adipisci poterunt, si corde saltem contrito salutationem angelicam in memoriam septem dolorum Deiparae Virginis ante easdem Cruces septies recitaverint; *tertio:* indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum, ab iis fidelibus semel pariter in die lucrandam, qui corde contriti orationem dominicam, salutationem angelicam et *Gloria Patri* ante memoratas Cruces ter in memoriam trium horarum agoniae D. N. I. C. pie ac devote recitaverint. Quas omnes indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse misericorditer in Domino indulgemus. In contrarium non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVIII Martii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. ^ S. *a Secretis Status.*

EPISTOLAE.

I.

DILECTIS FILIIS NOSTRIS IOSEPHO S. R. E. PRESB. CARD. FRANC1CA-NAVA ARCHIEPISCOPO CATANIENSI, ALEXANDRO S. R. E. CARD. LUALDI ARCHIEPISCOPO PANORMITANO ET VENERABILIBUS FRATRIBUS CETERIS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS SICILIAE.

Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Non satis visum est vobis, cum proxime ad Mariae Tyndaridis convenistis, ut de communibus dioecesum vestrarum rationibus ex more ageretis, eum auspicari coetum vestrae in Nos pietatis, observantiae fidei-

que professione splendida: idem enim Nobis officium exhibere voluistis amantissima epistola, quae Nos nimirum valde delectavit. Eo magis, quod inde cognovimus, cum de aliis rebus magni momenti vos contulisse consilia, tum praecipue de studiis Seminariorum ad eam, quam dedimus, normam exigendis: id quod certe permagni interest. Perspectam autem habentes diligentiam prudentiamque vestram non dubitamus, quin ea statueritis, quae maxime ad rem conducant. Eadem ut feliciter possitis exsequi, vobis a Deo precamur; atque auspicem divinorum munerum, itemque testem benevolentiae Nostrae, vobis, dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die ix Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

II.

VENERABILI FRATRI IOANNI BAPTISTAE EPISCOPO IACIENSI.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. —Delectarunt Nos tuae Clerique tui communes litterae: ex quibus intelleximus, vos, cum in solemni coetu consilia contulissetis de religiosa socialique re tuenda populi, in asceterium convenisse omnes, nempe ut, pie comprecando et sancta meditando, prius integraretis vires animi, quam ad effectum ea consulta adduceretis. Recte enim indicastis neminem posse nec sibi prodesse nec aliis ad aeternam salutem, nisi qui agatur Dei spiritu. Vos autem e sacro recessu promptos prodiisse et alacres ad omnia obeunda, quae Deo sint gloriae, et videmus et laetamur. Nihil igitur est dubii, quin laborum vestrorum uberes ista ecclesia perceptura sit fructus. Itaque divinam vobis gratiam, quae quidem si absit, inanis omnis est labor, impense precamur; atque auspicem caelestium munerum, apostolicam benedictionem, qua vestram quoque remuneramur piam stipem, vobis, primumque tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die ix Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

III.

VENERABILI FRATRI ALAPHRIDO EPISCOPO TITULARI ARCENSI,

ADMINISTRATORI APOSTOLICO DIOECESIS LUCANENSIS.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod Nobis nuntias, anno vertente, sacra solemnia in tua dioecesi fore ob

memoriam institutae in pago Ticinensi hierarchiae ecclesiasticae, gratum est; praesertim quia Sedis Apostolicae paternam de vobis providentiam hac re cernimus illustratum iri. Decet autem tuos eo vel splendidius eius facti memoriam celebrare velle in gratiam tui, quem audimus abhinc annis viginti quinque a primo istius dioecesis antistite primum omnium esse creatum sacerdotem. Nos, quibus es merito carus, te faustis ominibus iam nunc prosequimur: novimus enim tuam pastoralis officii diligentiam, cuius quidem illa etiam sunt Nobis argumento, et quod vetustam nobilemque aedem, Lucani" principem, reficiendam novoque cultu exornandam curasti, et quod in ea ipsa aede, quae propediem patebit iterum celebritati sacrorum, dioecesanam habere Synodum decrevisti. Denique in saecularibus honoribus Carolo Borromaeo tribuendis - quoniam istius dioecesis pars maxima ditioni paruit sanctissimi Episcopi - valde probamus tibi esse curae, ut Lucanenses tui nemini cedant. Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, et Clero populoque tuo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die ix Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

SSmus D. N. Pius Papa X, decreto Sacrae huius Congregationis, elegit:

6 maii 1910. — R. P. D. Carolum Bertuzzi, episcopum Fulginatensem, in archiepiscopum titularem ecclesiae Diocletanae.

13 maii 1910. — R. P. D. Apollonium Maggio, episcopum titularem ecclesiae Lystrensis, in episcopum ecclesiae cathedralis Asculanae in Piceno.

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

ERECTIONES DIOECESUM.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis, erexit:

4: martii 1910. — Novam Sedem episcopalem Reginatensem (Regina), in provincia ecclesiastica S. Bonifacii in regione Canadensi;

— Novum Vicariatum Apostolicum *de Keevvatin,* in eadem provincia ecclesiastica S. Bonifacii.

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM QUO ERIGITUR NOVA MISSIO " DRISDALE-RIVER " A VICARIATU APOSTOLICO KIMBERLIENSI (IN AUSTRALIA) DISMEMBRATA.

Ad fluvium Drisdale-River vulgo nuncupatum in occiduo-septemtrionali plaga Vicariatus Apostolici Kimberliensis, quae lineis seu gradibus 128 longitudinis (Greenwich) et 16 latitudinis Austr. circumscribitur, Missionem quamdam, pro Aborigenarum evangelizatione, ab eodem Vicariatu dismembrandam et ecclesiasticae iurisdictioni Abbatiae Novae Nursiae interim subiiciendam, suo autem tempore in alteram Abbatiam nullius constituendam, R. P. D. Fulgentius Torres O. S. B. Abbas Novae Nursiae ab hac S. Congregatione erigendi facultatem humiliter postulavit.

Qua super petitione, praehabito voto atque assensu Revmi P. D. Episcopi Geraldtonensis supradicti Vicariatus Apostolici Administratoris, attentisque votis atque commendationibus Eminentissimi P. D. Patritii Cardinalis Moran Archiepiscopi Sydneyensis, qui communia omnium Australiae Ordinariorum in novissima plenaria Synodo coadunatorum desideria ita exprimebat, Eminentissimi ac Reverendissimi Patres huius Sacrae Congregationis Christiano Nomini propagando praepositae, in plenariis comitiis die 25 p. e. mensis Aprilis habitis, propositionem Revmi P. D. Abbatis Novae Nursiae maturo examini subiicierunt, et ad dubium: « An expediat dismembratio Vicariatus Apostolici Kimberliensis,. et erectio Missionis Drisdale-River nuncupatae Abbatiae Novae Nursiae adnectendae, iuxta modum a PP. Benedictinis propositum » respondendum esse censuerunt: « Affirmative ».

Hanc autem Eminentissimorum Patrum sententiam ab infrascripto Secretario in Audientia externi diei SSmo D. N. Pio divina Providentia

PP. X relatam eadem Sanctitas Sua benigne adprobare ratamque habere dignata est, atque praesens super hoc decretum confici mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus S. G. de Propaganda Fide, die 4 Maii 1910.

Fr. H. M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

h. © S. Aloisius Veccia, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

COLLEN. *(Colle di Val d'Elsa).*

CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI SERVO DEI BARTHOLO BUONPEDONI, PAROCHO E TERTIO ORDINE SANCTI FRANCISCI, EX OPPIDO SANCTI GEMINIANI, BEATO ET SANCTO NUNCUPATO.

Cultus immemorialis Beati Vivaldi, Eremitae e Tertio Ordine S. Francisci, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X per Decretum Sacrae Rituum Congregationis die 11 Februarii anno elapso 1909 confirmatus, animos addidit actoribus hanc similem Causam promovere. Agitur enim de viro ipsi Vivaldo aetatis et temporis aequali, fraternitatis socio, virtutis ac perfectionis religiosae magistro et duce, Bartholo Buonpedoni, ita ut horum Tertiariorum vita, fama, cultus atque iuridica de his inquisitio amico foedere uniantur et mutuo illustrentur. In oppido *Mucchio* nuncupato, prope Sangeminianum, dioecesis tunc Volaterranae nunc Collensis, an. 1227, in lucem editus est Bartholus ex nobilibus parentibus Ioanne et Gentina Buonpedoni. Genitrix, adhuc sterilis, deprecante sancto Petro Apostolo ab ipsa enixe invocato, hunc puerum obtinuisse fertur. Infans, gratia divina praeventus, futurae sanctitatis indubia praemonstravit indicia, potissimum castitatis et caritatis. Traditur etiam quod ex ore puelli, adstantibus et obstupentibus familiaribus, favillae ignis prodierunt. A pia matre sancte institutus, aetate ac virtute succrescens, cunctis erat exemplo. Mundum eiusque illecebras spernens, posthabitis etiam nuptiis suae nobilitati congruis, se totum Deo devo vere statuit. Id aegre ferens pater nimis dure filium probavit, qui, paterna domo relicta, Pisas profectus est. Illic in monasterio S. Viti, Ordinis S. Benedicti, benigne excipitur. Pietatis et scientiae novis praestans incrementis, ardentius

sentit desiderium religiosae vitae amplectendae. Quod optimus iuvenis custodit ac fovet precibus bonisque operibus, etsi ab humani generis hoste pluries tentetur. Verum, Deo adiuvante, e praelio victor evadens et propositi constans, quum tricesimum aetatis annum iam agat, ad Episcopum Volaterranum aperto fidentique animo confugit. Ad huius nutum promptus et obediens, post legitimas probationes, sacris Ordinibus rite initiatur. Mox ad curam animarum gerendam destinatus et electus, per primum decennium paroeciam *Peccioli* et per alterum decennium paroeciam *Pichena* regit ac gubernat. Boni Pastoris vestigia secutus, factus forma gregis ex animo, pastoralia officia sedulo adimplet, vitam ipsam pro ovibus suis dare paratus. In parochi munere fungendo, praeter ceteras virtutes, peculiari quodam modo liberalitatem in pauperes exercet; unde Christum sub specie pauperis hospitio excipere meretur. Attamen quia Bartholus acceptus erat Deo, necesse fuit ut tribulationis igne probaretur. Hisce enim viginti annis in cura animarum exactis, et iam sexagenarius, ita horridis lepris corripitur ut a pianta pedis usque ad verticem capitis nulla pars esset in eo sana. Hinc praehabita sui Episcopi venia, paroecia dimissa, habitu Tertii Ordinis S. Francisci indutus, leprosorum xenodochium penes oppidum *Celloli* ingreditur. Humilis et infirmus divinae voluntati acquiescens, molestias atque afflictiones illas gravissimas patienter tulit, nec peccavit labiis suis nec stultum quid contra Deum locutus est, veluti alter Iob, tranquille ingeminans: « Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus, maxime quum in bonum nostrum atque aeternam nostram salutem cedant ? Sit nomen Domini benedictum ». Et Deus, ita purificans servum suum, ostendit ei signa suae misericordiae et miserationum. Vere Pater misericordiarum et « Deus totius consolationis qui consolatur nos in omni tribulatione nostra». Divina enim operante virtute, Bartholus pacem cum gaudio in corde servabat, confratris sui Vivaldi assidua cura et familiari consuetudine recreatus, necessaria quoque vitae sustinendae semper habebat, aliquando etiam per extraordinarium ac mirum divinae Providentiae concursum, Eiusque corpus, etsi in miserrimo illo statu redactum, tamen suaviter olebat. Insuper, hisce signis et fama sanctitatis permoti, ex omni Hetruriae regione, fideles ad leprosum hunc invisendum seorsim et turmatim confluebant, admirantes et compatientes illasque salutariter recolentes consolatorias sententias tum divini Redemptoris redivivi: « Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam? », tum Pauli Apostoli: « Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis ». Tandem Bartholus, post hanc magnam ac diuturnam tribulationem,

ulceribus quidem plenus in corpore, sed meritis et virtutibus onustus in spiritu, quum iam comperisset proximum ac certum diem obitus, Sacramentis Ecclesiae devotissime receptis, coelum ingredi ac vitae et iustitiae coronam recipere meruit, die 12 Decembris an. 1300, aetatis suae septuagesimo secundo. Ad corpus triduo expositum ac suavissimum adhuc efflans odorem cives et advenae accurrerunt frequentissimi. Ipsum vero in ecclesiam S. Augustini, penes oppidum S. Geminiani, religiose delatum, post solemnes ac rituales exequias in apposito tumulo conditum est. Interim, ob eximiam sanctitatis famam, compluribus etiam assertis prodigiis auctam, cultus publicus inde ab obitu Servi Dei ad haec usque tempora perseverans, Eidem praestitus fuisse fertur cum opportuna fidelium Eius caelestis patrocinii invocatione ob liberationem vel praeservationem a lepris. Super huiusmodi autem cultu immemoriali inquisitiones ordinariae in ecclesiastica Curia Collensi, cum subsequenti sententia favorabili Revmi Episcopi, anno 1898 confectae sunt, deinceps completae, roboratae et exornatae tum per epistolam hodierni Antistitis Collensis Maximiliani Novelli, d. d. 18 Aprilis 1. 908, tum per documenta numero viginti sex in apposito elencho et ordine chronologice disposita ab an. 1400 ad an. 1901. Ex quibus omnibus ad Sacram Rituum Congregationem transmissis, eruere atque innuere sufficit titulum Beati vel Sancti Bartholo passim tributum, imagines radiis vel aureola redimitas cum eodem titulo, capellani et altare continens urnam cum reliquiis et inscriptione: «Ossa divi Bartholi Geminianensis malorum geniorum fugatoris », pia sodalitia Bartholi nomine et patrocinio decorata, lampades, lumina, frequentes visitationes et peregrinationes fidelium validam opem implorantium ad Servi Dei sepulchrum ac tandem festum in Eius honorem, cum oblatione cereorum a Municipio facta et publicis nundinis, dominica postrema mensis Maii et alibi die natalitia idibus Decembris, recolendum. Quod festum institutum fuisse perhibetur per decretum diei 20 Maii an. 1499, a Christophoro, Vicario Generali Episcopi Volaterrani, ex Delegatione pontificia collata per Litteras Apostolicas Alexandri VI, d. d. 16 Maii 1498; testante etiam Benedicto XIV qui, in suo opere de *Beatificatione et Canonizatione Sanctorum,* edito an. 1740 et 1841, refert « Beatum Bartholum a S. Geminiano coli ex facultate Ecclesiae et indulgentias in Eius honorem concessas fuisse a Gregorio XIII, visitantibus ipsius Beati ecclesias, teste Theodoro Ferrinio in Beati Bartholi vita ». Itaque, quum praedicta acta processualia cum informatione et summario, necnon cum responsione ad animadversiones R. P. D. Promotoris Sanctae Fidei, examini et iudicio Apostolicae Sedis subiecta fuerint, instante Rmo P. Francisco Maria

Paolini, Ordinis Fratrum Minorum Postulatore Generali, Rmi Episcopi, cleri et populi Sancti Geminiani et totius dioecesis Collensis atque insimul Rmi P. Dionisii Schuler, totius memorati Ordinis Ministri Generalis, preces et vota depromente, Emus ac Revmus Dnus Cardinalis Franciscus a Paula Cassetta, Episcopus Sabinensis et huius Causae Ponens seu Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coacto, sequens dubium discutiendum proposuit: « An sententia a Rmo Dno Episcopo Collensi lata super cultu ab immemorabili tempore exhibito praefato Servo Dei, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur? » Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, reformato dubio, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt: « Affirmative seu constare de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII in casu et ad effectum de quo agitur; seu confirmandum esse cultum, si Sanctissimo placuerit ». Die 19 Aprilis 1910.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et probavit, die 27, eisdem mense et anno.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *S. B. G. Praefectus.*

L. © S.

f Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

II.

NEAPOLITANA *(Napoli).*

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI PASCHALIS ATTARDI, SACERDOTIS SAECULARIS.

Illustris clerus neapolitanus qui, maiorum suorum vestigiis inhaerens, spectatae virtutis, sanae scientiae singularisque studii et amoris pro Dei gloria et animarum salute provehenda haud parvum nomen sibi comparavit, e suo gremio exisse gaudet ac laetatur alterum sacerdotem super candelabro positum. Paschalis Attardi nova luce illuminat dilectos fratres concivesque suos quibus, suam quoque vivendi formam domesticis ac sacerdotalibus virtutibus claram suaviter ac modeste exhibens, cum Paulo Apostolo dicit: « Imitatores mei estote, sicut et ego

Christi ». Hic homo Dei bene describitur et repraesentatur in *Ecclesiastico* per beatum illum virum qui « inventus est sine macula, post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris, et mirabilia fecit in vita sua, quia omnem spem suam in Dei bonitate et potentia reposuit». Neapoli ortus die 2 Octobris an. 1837, ex legitimis coniugibus Nicolao et Clementina Catena, in sacro regenerationis fonte quatuor habuit imposita nomina Paschalem, Vincentium, Raphaëlem et Gertrudem. Parentum cura et exemplo primis catechismi rudimentis edoctus, succrescebat infans insimul modestus, religiosus ac pius. Puerilibus ludis posthabitis, domi altariola erigere, sacras caeremonias imitari et peculiaria festa devotis exercitationibus celebrare delectabatur. Maiorum dictis prompte alacriterque obtemperans, tutam obedientiae viam terebat; inspiciens huius virtutis perfectum exemplar in Christo et probe sciens obedientiam in lucta quam homo in vita sua sustinere debet, gloriosas parituram esse victorias. In templo frequens ac diu multumque orans, de rebus divinis conciones audire atque incruento Missae sacrificio aliisque sacris functionibus adstare satagebat. Solitudinis amor, sensuum custodia atque ipsius corporis habitus, incessus ac gravitas optimum iuvenem adeo penes domesticos et cives commendabant, ut Eum obviam videntes per vias Sanctum reverenter appellarent. Neque minor erat opinio praeceptoris Michaelis sacerdotis Scotti, qui suum discipulum, studio, modestia et diligentia eximium, diligebat ceterisque condiscipulis in exemplum indigitabat. Sedatis fluctibus ob rerum novarum studia excitatis ann. 1848-1849, neapolitanum Societatis Iesu atheneum, iam clausum denuo patuit alumnis, inter quos selectum tenuit locum Paschalis, ingenio ac virtute pollens, qui etiam peculiari coetui iuvenum praestantiorum a S. Aloisio nuncupato meruit adscribi. Hisce aliisque ornatus perfectioris vitae incrementis ac divina gratia adiutus, ecclesiasticae militiae nomen dare exoptavit et, consulente confessano suo, viro prudenti ac pio, atque consentientibus parentibus, anno 1856 clericalem habitum induit. Theologicis disciplinis incoeptis ac feliciter expletis, post varias ac praescriptas probationes, ad sacros Ordines gradatim ac rite promotus fuit. Memorare autem libet Servum Dei in urbe Roma subdiaconatum recepisse a Cardinali Riario-Sforza, Archiepiscopo Neapolitano, qui, persecutionem passus propter iustitiam, in hac urbe, veluti refugii loco, tunc degebat. Sacerdotio auctus, nulli pepercit industriae ac labori ad Dei gloriam cum animarum salute promovendam. Neapoli in ecclesia Ssmo Nomini Iesu dicata sedulus ac devotus operam suam in ministerio praestabat. Peculiari ac filiali pietatis affectu erga divinum Redemptorem eiusque Virginem Matrem

Immaculatam et sanctum Ioseph castissimum huius Virginis sponsum ferebatur. Re familiari aliquantulum depressa, praesertim ob varias infirmitates quibus Ipse ac sui afflictabantur, hisce domesticis indigentiis sublevandis simulque pueris ac adolescentulis recte instituendis in propria domo, scholam aperuit. Dum litteras tradebat, animos alumnorum ad pietatem informabat. Praesentiam ac timorem Dei cum conscientiae puritate per devotas exercitationes inculcare satagebat, vehementer exhortans discipulos natu maiores ut quotidie sacro adstarent et frequenter ad sacram mensam accederent. Hanc suam charitatem fidelis Christi servus ac minister large et copiose explicabat etiam erga infirmos in xenodochio ac potissimum erga egenos et pauperes in oratorio nocturno quod penes supradictam ecclesiam sedem habebat ipsumque Paschalem per plures annos moderatorem. Qui patienter et mansuete sodales christiana doctrina instruendo, in operibus ad Congregationem *Spiritus* dominicalem pertinentibus eos constanter exercebat. In concionibus, quas de rebus divinis ad normam sacrorum canonum saepissime ad populum habebat, non minus docte et lucide quam fortiter et suaviter ita audientium animos, Deo adiuvante, commovebat, ut in eis, praeter multam admirationem et lacrymarum copiam, solidiores virtutis et gratiae fructus gigneret. Ex discipulis atque auditoribus Servi Dei plures, meliora charismata secuti, statum ecclesiasticum sive saecularem sive regularem amplexi sunt, in quo, sacris ministeriis bonisque operibus sedulo intenti, propriam aliorumque salutem usque ad vitae exitum curarunt. Eius prudentia, industria et charitas maxime eluxerunt in audiendis fidelium utriusque sexus confessionibus eorumque conscientiis dirigendis. Per viam mediam a S. Alphonso Maria de Ligorio magistro et duce signatam, suos poenitentes Aliosque spirituales, per salutares mentis et cordis ascensiones ad montem sanctum Dei perduxisse perhibetur. Tandem, diuturnis laboribus, corporis macerationibus atque continuis infirmitatibus consumptus, proximum vitae finem fidenter aspexit, cupiens dissolvi et esse cum Christo. Mox, lethali et insanabili morbo correptus, quum tres ante dies Sacrum litavisset, vir Dei, voti compos effectus, meritis dives ac coelo maturus, supremum diem piissime obiit, die 25 Martii an. 1893. Corpus Servi Dei biduo mansit expositum ut civium ex omni ordine confluentium votis satisfieret, qui aliquid sibi ex Eius vestibus et capillis ampere certabant veluti reliquias, memoriae ac venerationis causa. Ipsius corporis translatio in ecclesiam Congregationis *Spiritus* non minus quam solemnes exequiae, ob religiosam pompam populique devoti frequentiam triumpho similis visa est. Fama autem sanctitatis quam Paschalis, simplex sacerdos saecularis,

Neapoli tantum commoratus, nec splendore dignitatum et officiorum nec celebritate operum ac fundationum sed solo exercitio sacri ministerii atque omnigenae virtutis sibi adeptus fuerat in vita, post eius obitum magis in dies clara ita percrebuit, ut, biennio elapso, ad inquisitionem super ea in ecclesiastica Curia neapolitana adornandam deventum sit. Quae quidem inquisitio, iustis de causis pluries intermissa, demum an. 1904 absoluta, ad Sacram Rituum Congregationem transmissa est. Quum vero omnia in promptu sint, instante Rmo P. Antonino ab Assumptione, Ordinis SSmae Trinitatis Ministro Generali et huius Causae postulatore, attentis litteris postulatoriis quorumdam Emorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, plurium Rmorum Antistitum, necnon Canonicorum, Hebdomadariorum et quadraginta presbyterorum ecclesiae Metropolitanae archidioecesis Neapolitanae aliorumque canonicorum vel rectorum ecclesiarum collegiatarum eiusdem archidioecesis simulque complurium praepositorum Ordinum vel Congregationum religiosarum, infrascriptus Cardinalis Sebastianus Martinelli, Sacrae Rituum Congregationi Praefectus et ipsius Causae Ponens seu Relator, in ordinariis Sacri eiusdem Consilii Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: « An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur ». Et Emi ac Revmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuerunt: « Affirmative, seu signandam esse Commissionem introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit ». Die 19 Aprilis 1910.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per ipsum infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habuit et probavit propriaque manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Paschalis Attardi, sacerdotis saecularis, die 27, eisdem mense et anno.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *S. R. G. Praefectus.*

L. © S.

f Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

RIPANA (*Ripatransone*).

IURIUM.

Pio PP. X regnante, Pontificatus Dominationis suae anno septimo, die 2 Aprilis 1910, BR. PP. DD. Michael Lega, Decanus, Ponens, *Gustavus Persiani, Antonius Perathoner, Auditores de turno, in causa* Ripana - Iurium - *inter parochum SS. Gregorii et Margaritae repraesentatum per Vincentium Sacconi, advocatum, et Capitulum Cathedrale Ripanum, repraesentatum per Angelum D'Alessandri, advocatum, sequentem definitivam tulerunt sententiam.*

S. Pius V oppidum R*ipaetransonis,* quod erat dioecesis Firmanae, auxit titulo *civitatis* cum Ecclesiam S. Benigni ad Cathedralis dignitatem evexit; quatuordecim vero parochiales Ecclesias eiusdem oppidi univit et adnexuit, cum suis bonis et iuribus, singulis quatuordecim praebendas, quibus constitutum est Capitulum Cathedrale. Dein hae paroeciae, auctoritate eiusdem S. Pii V, redactae sunt ad quatuor, ceteris omnibus suppressis, cum civitas Ripana divisa esset in quatuor regionibus; Ajelli videlicet, S. Dominici, Montis Antiqui, et Capitis Montis nuncupatis et in unaquaque regione una parochialis Ecclesia sufficere visa est; nempe in Ajello Ecclesia S. Benigni in Cathedralem erecta, in S. Dominici parochialis Ecclesia S. Angeli de Rollano, in Montis Antiqui SS. Nicolai, Rustici et Eleuterii, denique in regione Montis Antiqui parochia SS. Gregorii et Margaritae. — Hae quatuor parochiae unitae manserunt Archipresbyteratui et tribus canonicatibus et praebendis uti singulis, non autem toti Capitulo, vel mensae Capitulari, facultate Canonicis concessa, per Vicarios perpetuos ab Ordinario loci approbandos, parochialia ministeria exercendi.

At parochiale officium ex deputatione Vicariorum, uti saepe contingere solet, non satis tanto muneri idoneorum, magnum patiebatur detrimentum, unde querelae excitatae sunt, et harum occasione Sacra Congregatio negotiis Episcoporum et Regularium praeposita censuit *expedire ut unio praedicta dissolveretur.* Et hoc perfecit Paulus V sua

Constitutione « *Exposuit pastoralis* », qua unionem quatuor parochiarum Archipresbyteratui et tribus canonicatibus factam, perpetuo dissolvit, separans et disiungens easdem Ecclesias a praebendis canonicalibus, iubens, tamquam liberas, praevio examine per concursum, iuxta legitimam formam, conferri debere.

Iam a constitutione Ecclesiae Cathedralis Ripanae, quia Ecclesia S. Benigni erat angustior, deliberatum fuerat, Cathedralem transferri ad Ecclesiam SS. Gregorii et Margaritae, quod tamen, praecipue renuente parocho ad SS. Gregorii et Margaritae, perfici non potuit usque ad annum 1601, quo Clemens VIII per *Breve* mandavit eiusmodi translationem dari executioni. Reapse veteri Ecclesia solo aequata, nova extructa est in eodem loco sumptibus communitatis. Et in *Brevi* cavetur quod eadem civitas seu communitas teneretur, prope dictam Ecclesiam SS. Gregorii et Margaritae, domum construere tum pro Episcopo tum pro parocho.

Dum opera dabatur novae Ecclesiae aedificandae, parochus SS. Gregorii et Margaritae animarum curam administrant in Ecclesia S. Blasii, quam sub anno 1637, pene fatiscentem, dereliquit, et ad Ecclesiam SS. Gregorii et Margaritae rediit, aegre tamen a Capitulo exceptus. Uti enim contentiones non defuerant parochum inter et Capitulum in Ecclesia S. Benigni, ita coniiciebant Capitulum non pacificam fore simultaneam utriusque permanentiam in nova Ecclesia Cathedrali. Timorem non fuisse inanem confirmavit eventus; parochus enim coactus fuit ab Ecclesia Cathedrali discedere et iterum ad S. Blasii se recipere, decreto Curiae Ripanae anni 1641. At haec Ecclesia minabatur ruinam, eidemqua reficiendae parochus impar erat, quam ob rem res delata est ad Sacram Congregationem EE. et RR., quae die 14 Iunii 1651 rescripsit: « *Parochialem esse in Cathedrali nec molestetur Propertius pro restauratane Ecclesiae S. Blasii. Quo vero ad reliqua Episcopus provideat ne oriantur scandala* ». Quod rescriptum, pro sua executione interpretatum est, et applicavit Episcopus Ursinius decreto anni *1657,* iubens, etiam comminatis poenis, parochum: « che per F avvenire dobbiate esercitare la « cura delle anime a voi soggette nella nostra Chiesa Cattedrale, dove « per voi e i vostri successori abbiamo provvisto di sagrestia congiunta « all' altare di S. Gregorio ecc. ». Plures quaestiones per hoc decretum e medio sublatae sunt, et non paucae praeventae, ne in posterum exorirentur; at non omnes praecaveri poterant, quae malo fato dein exarserunt. Hisce definiendis occurrit episcopale decretum diei *9 Iunii 1907,* quod tamen cum minus arrideret instantiis Capituli Ripani, iidem Canonici impetere iudicialiter deliberarunt. Quorum precibus annuens apud H. S. Tribunal institui iudicialem cognitionem eiusdemque causae definitionem

fieri commisit Beatissimus Pater. Quaestio autem hodie agitur sub hisce rogandi formulis, legitime inter partes concordatis:

I. *An ius celebrandi officia nuncupata generalia pro defunctis in Ecclesia Cathedrali Ripana spectet ad Capitulum vel potius ad Parochum SS. Gregorii et Margaritae in casu.*

II. *An Capitulum Cathedrale Ripanum ius habeat exclusivum in Ecclesia Cathedrali, ita ut parochus SS. Gregorii et Margaritae a Capitulo pendeat quoad usum Ecclesiae, excepto tamen Altari S. Ioannis seu paroeciali, necnon quoad usum organi, eidemque Capitulo solvere teneatur taxas statutas vel statuendas in casu.*

III. *An parocho SS. Gregorii et Margaritae competat titulus vulgo* « Parroco del Duomo, o della Cattedrale » *in casu.*

In definitionem harum quaestionum RR. PP. DD. Auditores ad *factum* quod attinet haec perpenderunt:

1. ° Vi Constitutionis Pauli V factum est, ut dissoluta in perpetuum unione inter praebendas parochiales et canonicales, munus parochiale separaretur et fieret independens a Capitulo, quod cum auctoritatem in parochiam exercere non posset, eum removere a sua Ecclesia enixius conatum est.

°*2.* ° In conventione, qua Communitati Ripanae cessa est vetus Ecclesia ut *nova in eodem loco* construeretur, cautum fuit debere communitatem, *prope dictam Ecclesiam S. Gregorii in Cathedralem construendam pro commoditate et habitatione V*

facta fuerat dissolutio unionis praebendae parochialis a canonicali Const. Pauli V) *curam animarum gerentis in dicta Ecclesia -S. Gregorii.* Quare communis erat intentio ut parochialis cura ab Ecclesia Cathedrali non disiungeretur, cum ipsa parochialis in cathedralem erigere tur; et canonicorum desiderium inde expellendi parochum habitum est post praefatam separationem, decretam a Paulo V. — At *de facto* parochialis Ecclesia S. Gregorii iam titulo Cathedralis aucta fuerat, unde una eademque Ecclesia facta est cathedralis et parochialis.

3. ° Videtur quod nova Ecclesia Cathedralis erecta sit sub titulo SS. Gregorii et Margaritae, et hoc comprobare dicenda sunt innumera documenta multo posteriora erectioni Cathedralis Ripanae. Ita in Bulla *institutionis* parochi Mancini, *24 Maii 1840,* narratur: « *Ego notarius.... requisitus pro parte Clerici B. Propertii Mancini. . . . me personaliter contuli. . . . ad Ecclesiam Cathedralem SS. Gregorii et Margaritae* ». — Verum Capituli Advocatus in discussione orali causae, habita die *31 Martii p. elapsi,* asseruit Ecclesiam Cathedralem esse sub titulo et invocatione *S. Gregorii Magni Papae.* Forsan innititur Patronus auctoritati Philippi

Monacelli, Episcopi Ripani, qui in relatione S. Visitationis a. 1826 narrat: « *Qua completa* (Ecclesia) *non vero usque ad eiusdem perfectionem, attamen in statu sufficienti ad explendas inibì ecclesiasticas functiones sub a. 1622 cathedra episcopali regente R. P. D. Laurentio Arzolino, Episcopus ipse et Capitulum illam officiare coeperunt dimissa parochiali S. Benigni ac eiusdem titulo; viso enim decreto S. BR. C. diei 14 Iunii 1623 titulus ipse in alterum S. Gregorii commutatus fuit; ideo nedum Ecclesia, verum etiam Capitulum sub titulo existunt ab eo tempore, sub invocatane et protectione S. Gregorii Magni* ». Ast adverti debet, in referendo titulo nuncupatum fuisse (uti in more est) S. Gregorium Magnum uti Patronum Principem nec exinde excludi S. Margaritam sed veluti haberi secundo loco Patronam. Ceterum RR. PP. DD. Auditoribus visum est, heic non quaeri de titulo, sed de ipsa ecclesia, quae absque dubio una eademque est et Cathedralis et Parochialis sive uni et alteri unus idemque sit titulus sive sit distinctus. Quo sensu Sacra Congregatio EE. et RR. anno 1652 rescripsit: « *Parochialem esse in Cathedrali* ».

Hisce in *facto* notatis, ad *ius* quod spectat haec considerata sunt. Ex Constitutione Pauli V dissolvente in perpetuum praefatam unionem, secutum est Ecclesiam Cathedralem non esse Parochialem quatenus neque capitulo neque alicui ex capitularibus cura competit animarum; sed esse Parochialem quia in ea, iam ante erectam Cathedralem, cura exercebatur animarum, quae adhuc exercetur et exercenda est a parocho independenter a Capitulo. Quae positio quamvis in *facto* possit esse utrique parti difficilis, ob quotidianas difficultates quibus pax turbari potest, tamen in *iure* non est improbanda neque regulis iuris est contraria. Verum si quaeratur ad quemnam, nempe an ad capitulum aut ad parochum, pertineat Ecclesia, otiosum est quaerere de proprietate, quia Ecclesiae sunt extra commercium, seu in proprietate et dominio privatorum esse non possunt, uti probat Card. Cavagnis, *Ius. Publ. lib; VI, n. 221* (edit. quarta). Utrum vero penes ipsam ecclesiasticam communitatem aut particularem, aut localem, aut supremam sive respective sive absolute superiorem, Ecclesiarum proprietas dicenda sit residere, quaerunt iurisconsulti, uti videre est apud P. Brandi S. **I.** in opusculo « *Di chi sono le chiese?* » Remanet ergo *usus* Ecclesiarum ad quem ius habent personae iuridicae sive physicae sive morales in eisdem legitime constitutae.

Unde non habetur *iuridice* monstrum plurium capitum in uno corpore, prouti obiicit Patronus Capituli; nam apud Card. De Luca, *De Iurisd. Discept. Card. Albitii, n. 104,* legitur: « Cum non sit monstrum « quod in una Ecclesia duo sint capita, diversis tamen respectibus, uti

« consideravit Rota *in decisionibus Montis Regalis, Iurisdictionis 69 et « 121, Part. I, recent, et ex textu in I. s. ff. de iurisdictione omnium iudi- « cum* voluit ».

Et *in Decis. 7 aut 6* coram Molines docetur: «. . . . cum inter se com- « patiantur simulque stare possint Ecclesiam esse saecularem et pro- « prium saecularem Rectorem habere inibi curam animarum exercentem « et nihilo minus officiari et divinum cultum in ea a Regularibus haberi, « ut advertit Card. De Luca, *de Reg. discept. 64, n. 4,* et punctualiter «*in disc. 30, n. 3 et 4, de iurisdict.* ubi optimum proponit exemplum « plurium Ecclesiarum Titularium S. R. E. Cardinalium, quae earum « antiquo statu et qualitate retentis precario retinentur et officiantur a « Regularibus..... *prouti etiam exploratum habemus nullam involgere repu- « gnantiam quod Ecclesia parochialis erigatur in collegium et nihilo mi- « nus cura in ipsum non transferatur sed exercibilis remaneat in eadem « Ecclesia per eum, qui illam antea habebat* ». Et ibi citatur *Decisio 125, P. XIX, recent,* qua resolutum fuit *constare de bono iure curatorum in Ecclesia parochiali S. Babylae dioecesi Mediolanen.,* quamvis haec Ecclesia erecta fuerit in Collegiatam. Cum enim Praepositus et Canonici vellent sibi arrogare nonnulla munera antea spectantia ad Curatos, hi victores e iudicio discesserunt quum demonstraverint, ex Bulla erectionis Collegiatae, per expressam voluntatem Pontificis Sixti V eorum' praebendas et munera fuisse penitus conservata in eodem statu *ut prius;* unde conclusum fuit, hos Curatos curam habere animarum « *ut prius, et ad eos spectare totale et integrum curae animarum ministerium cum iuribus et emolumentis parochialibus* »; ita sub *n. 2 et n. 24* redditur ratio: *« iuri non repugnat quod Ecclesia parochialis erigatur in Collegium et nihilominus cura non transferatur in Dignitatem aut Collegium sed remaneat penes eum, qui illam antea habebat* ». Eadem principia disertissime explicat et confirmat *Decis. 103, Part. XIX, recent,* et docet Corradus, *Praxis benef., lib. 2, cap. 2, n. 50.* In casu nostro cum Ecclesia parochialis erecta fuit in Cathedralem, utique facta est mutatio in statu paroeciae cum haec unita fuerit Canonico Archipresbytero; sed Paulus V res in pristinum restituit, dissoluta quacumque unione parochiarum cum praebendis canonicalibus, unde parochiae effectae sunt liberae et a Capitulo et singulis canonicis independentes. Et in hodiernum statum praebendae parochialis in Ecclesia Cathedrali quadrant adamussim principia, quae recoluimus.

Firmata vero libertate et independentia parochi in Ecclesia Cathedrali relate ad Capitulum quoad integrum ministerium *curae* parochialis, consequitur *usum* Ecclesiae Cathedralis utrique competere, prouti

expostulat exercitium tum curae animarum tum functionum capitularium, servato debito ordine, *ne oriantur scandala,* uti sapientissime monuit Sacra Congregatio EE. et RR. in saepius relato rescripto. Duarum enim personarum ad invicem independentium simultanea permanentia in eadem Ecclesia non est *monstruosa* nec iuri contraria, sed facilem litibus, contentionibus, *scandalis* aperit aditum. Hinc providentissime Episcopus Ursinius monito Sacrae Congregationis satisfaciens, edidit decretum executorium, quo lirnites praefixit, quibus et Capitulum et parochus contuerentur absque offensione propriorum iurium, et ita *scandala* evitarentur. Ast Sacra Congregatio non tantum sua monita direxit in Episcopum Ursinium, sed omnes Episcopos in Cathedra Ripana subsecuturos monere intendit ut invigilarent ne inter Capitulum et parochum *scandala* orirentur. Quare Episcopus Ursinius suo decreto a. 1657 non integrum absolvit munus executorium Episcopo concreditum a Sacra Congregatione, sed integram reliquit et intactam suis successoribus potestatem ea decernendi circa rescripti executionem quae pro diversis rerum adiunctis iubere oporteret ad vitandas contentiones canonicos inter et parochum. Reapse ipsum rescriptum ita conceptum est ut nihil novi constituat, sed rerum statum declaret - *parochialem esse in Cathedrali* -. Equidem cum Ecclesia Cathedralis, in vim Constitutionis Pauli V aeque inserviat functionibus canonicalibus et exercitio curae animarum, dissoluta tamen unione curae parochialis et praebendae canonicalis, ne ex independentia duorum munerum in eadem Ecclesia exercendorum sequantur contentiones, aemulationes, scandala, Episcopus usque providere debet. Huc spectat Sacrae Congregationis monitio: *Quo vero ad reliqua Episcopus provideat ne oriantur scandala.*

Quam ob rem RR. PP. DD. Auditores, in controverso decreto episcopali *diei 17 Augusti 1908,* censuerunt non posse probari quae asserit Episcopus « *che tutta la ragione di decidere nella presente controversia è* « *basata principalmente sulla retta interpretazione del Decreto Orsini* « *sopra accennato, il quale costituisce la regola fondamentale per la con-* « *sistenza della parrocchia dei SS. Gregorio e Margherita nella Chiesa* « *Cattedrale* ». Siquidem decisionis ratio in hodierna quaestione repetenda est a Constitutione quam habent in Ecclesia Cathedrali et Capitulum et parochia. — Hanc constitutionem perspicue significavit Sacra Congregatio rescribens - *parochialem esse in Cathedrali* -, nihil decernens circa eiusmodi simultaneam permanentiam duorum entium distinctorum et ad invicem independentiam in eadem Ecclesia, tantum denunciane pericula dissensionum et discordiarum, una simul admonens Episcopum ut invigilet ad easdem praepediendas. Episcopus Ursinius primus manus

admovit ut executioni mandaret decretum, sed non omne absolvit opus, uti iam animadversum est, et de necessitatibus, quae in dies exoriri possunt cognoscere debet Episcopus, qui dioecesim Ripanam regit ad fovendam pacem et concordiam in Ecclesia Cathedrali in aedificationem populi christiani. Attamen praetergredi fas non est Ordinario Ripano iura legitime quaesita quae scilicet sive ex decreto Ursiniano sive ex consuetudine sive alio quocunque legitimo titulo alteri ex contendentium certe acquisitam fuerit. Ita si non expresse et directe, tamen indirecte et implicite pro functionibus parochialibus assignatum est in decreto Ursiniano altare Sancti Gregorii: usus ita constanter firmavit hanc dicti altaris destinationem ut episcopus eamdem mutare non valeat. Item ex conventione anni 1745 parochus se obligavit in perpetuum ad solvendum unum scutatum capitulo pro quibusdam expensis cultus divini in Cathedrali: Episcopus in decreto *diei 17 Augusti 1908* ratam habet, uti par erat, eiusmodi conventionem, at iure merito ad duplum evexit pecuniae summam a parocho quotannis solvendam, habita ratione imminuti pecuniae valoris. Eadem ratione Capitulum revereri debet non minus quam decretum ursinianum, decretum Sacrae Visitationis anni 1819, mandans distincto campanarum pulsu fidelibus annunciari missae parochialis celebrationem.

In ordinandis vero *normis* quibus explicandae sunt in Cathedrali functiones canonicales et parochiales, rectam sibi ponit regulam Episcopus in decreto a. 1908 advertens: « *Ciò va sempre inteso col riguardo « alla precedenza che di diritto spetta al Capitolo* » De modo quo continenda sit haec praecedentia, disserit De Herdt, *Praxis Capit., cap. 9, § 8,* posito casu distinctionis Capituli et parochiae erectae in Ecclesia Cathedrali, uti contigit in Metropolitana Mechliniensi, et docet « Talis paro- « chus non dependet a Capitulo sicut Capitulum etiam non dependet a « parocho. Capitulum igitur et parochus duo sunt magistri et duo domini « in eadem domo seu Ecclesia. Ecclesia qua Cathedralis certe maior est « et eatenus praeferenda; quatenus autem est parochialis, etiam sua iura « habet. Oportet autem omnia ita ordinare et disponere ut Capitulum « occasionem et tempus opportunum functionibus parochialibus relinquat; « et parochus neque choro neque functionibus capitularibus impedimen- « tum ponat. Curandum omnino est Capitulo et parocho ut omnes se «intra iurium et officiorum suorum lirnites contineant etc. ». Barbosa, *de Canonicis, cap. 18, n. et cap. 19, n. 1;* Melanus, *de Canonicis, I. 1, gap. 1;* Lucius Ferrari, *Bibliot. can. canonicus, art. 11 n. 3;* Pallottini, *canonici,* § 7, *n. 1, sq..* De potestate autem Episcopi decernendi ea quae spectant ad ordinem sacrarum functionum in Ecclesia Cathedrali quum

in eadem permanere debent et Capitulum et parochia, quin tamen una ab altero dependeat, rescripsit Sacra Congregatio Concilii in una *Pamlonen. Iur. par., 28 Aug. 1886 et 29 Ianuarii 1887,* et inde deducitur, hisce in adiunctis, Episcopum edere ordinationem debere qua auferantur contentionum et aemulationum pericula et scandala.

Porro in regulandis functionibus per. se non parochialibus ratio habenda est illius potioris dignitatis et praeminentiae canonicorum cathedralium prae aliis sacerdotibus vel parochis, uti probant citatae auctoritates et in primis *Barbosa U. cit.*, quo sub aspectu iure merito Capitulo reservatae sunt certae functiones non parochiales in diebus solemnioribus peragendae, quas enumerat Can. Masciaretti in litteris diei 8 Martii p. elapsi.

Sed in casu, ne fiat confusio advertere praestat inter Capitulum et parochiam ne haberi quidem illam *unionem aeque principalem* quae intercedit si Capitulum et parochia in dictam unionem copulentur, salvis tamen iuribus utriusque partis essentialibus, exercendis in eadem Ecclesia. Ad hanc speciem unionis se referunt plures decisiones Sacrae Rituum Congregationis adserentes Capitulo maiorem partem et potiorem functionum, quae proprie non sint parochiales. Ita in *Baionen.* S. RR. Congregatio rescripsit, *die 13 Septembris 1879, « Functiones in Ecclesia Cathedrali, quae simul est parochialis, spectant ad Capitulum, excepta tamen sacramentorum administratione »*. Item in *Drapanen. diei 5 Iul. 1871* in U*rgentina, diei 23 Maii 1873;* et Sacra Congregatio Concilii, his obsecuta regulis, in *Carcassonen., diei 14 Iunii 1890.* E contra in themate nulla habebatur *unio aeque principalis.* Etenim ante cit. Constitutionem Pauli V habebatur unio perfecta seu *extinctiva*, ex canonicatu et titulo parochiali unum efficiens beneficium, quam unionem penitus et in perpetuum dissolvit Paulus V statuens « unionem praedictam dissolvere, ut melius pro-« videretur curae animarum et illius exercitio. » Ergo Summus Pontifex nedum iuribus parochiae essentialibus providere voluit, sed *curae animarum et illius exercitio;* seu integrae administrationi muneris parochialis. Quam dissolutionem ita efficacioribus verbis significat Pontifex ut diserte doceat nullam unionem superstitem esse, ait enim ab Archipresbyteratu et a canonicalibus, respective « *perpetuo dissolvimus ac easdem « parochiales Ecclesias illarumque curam animarum.... perpetuo dismem-« bramus et separamus...* ». Propositum Pontificis hoc erat, quamcumque in posterum auferre unionem; quandoquidem praedicta unio tot ac tanta produxerat incommoda. Ceterum exploratissimi iuris est, duarum praebendarum aut fundationum, suapte natura, distinctarum, non haberi unionem quamcumque nisi expresse decernatur.

Huc autem redit animadversio ab initio posita, scilicet « *neque mon-* « *struosum esse quod in una Ecclesia adsint duo corpora inter se distimia,* « *saecularium et regularium habentia duo capita,* ut de Ecclesia Montis « Regalis exemplificat *Rota, coram Goccino, decis. 157...* et de Ecclesia « S. Ambrosii Mediolanen, habente duo collegia inter se distincta, quo- « rum unum regitur ab Abate, alterum vero a Praeposito, advertit Lot- « terius, *de re benef., lib. 1, q. 18, n. 20* » et ita disserit decisio Rotalis 103ª inter recent. *Part. 19, t. 1;* idemque confirmant decisiones iam ab initio relatae, et explicant ulterius *Montis Regalis* Iurisdictionis, *69 et 12, Part. 1. Recent.* Exempla vero aliata in citatis decisionibus adamussim quadrant in casum nostrum, nulla enim unio vel aeque principalis haberi potest inter duo collegia, unum saeculare, regulare alterum.

Hisce praeiactis animadversionibus, ad singula dubia haec perpenderunt RR. PP. DD. Auditores. - In primo dubio quaeritur, num parocho ius competat celebrandi *officia generalia* pro defunctis. Hoc ius sibi vindicat Capitulum abiudicans Parocho. Si stemus decreto Ursiniano deberet contrarium asserì; statuit enim Episcopus Ursinius. « Circa le oblazioni « dei funerali delli parrocchiani dichiariamo spettare totalmente al Cu- « rato e di quelli fuori della parocchia che si seppelliranno in detta « Cattedrale, pagatane la quarta funerale al parroco del defunto, il resto « sia parimenti per detto curato. Il funerale nostro e dei Vescovi nostri « successori dichiariamo spettare al Capitolo, *conforme* all' *antico solito* ». Idem decernitur pro officiis defunctorum celebrari solitis in diebus Commemorationis annuae defunctorum. Quarum praescriptionum fundamentum est tum *ius commune* attribuens parocho eiusmodi obventiones funeraticias vel saltem *quartam partem;* tum observantia « *secondo V antico* « *solito* ». Capitulo autem reservatur tantum funus Episcoporum.

At progressu temporis, et certe ab anno 1821, officia generalia celebrare coepit etiam Capitulum. Hoc anno quatuor parochi civitatis querelas movent et conqueruntur de officio generali indicto a Capitulo: « *essendo questa una novità senza esempio che può andare a ferire i* « *diritti e gli interessi parrocchiali . . . . che col loro silenzio non intendono* « *prestar consenso all' atto che potrebbe indurre una consuetudine lesiva* « *dei medesimi parrocchiali diritti* ». At protestatio videtur in irritum cessisse, aut saltem nullum subsecutum fuisse decretum quod provocare intendebant parochi a Sacra Rituum Congregatione ad quaestionem dirimendam. Si a celebrandis officiis generalibus impediri non valuit Capitulum, hoc repetendum videtur a bono iure, quo etiam pollet Capitulum celebrandi haec officia quoties legitime a fidelibus committantur; Capitulum enim non secus ac parochus, sub diverso tamen

respectu, sunt Ecclesiae Cathedralis rectores. Quare si ante annum 1821 haec officia tantum a parocho celebrabantur, hoc secutum fuerat praecipue a decreto ursiniano, quod tamen, uti non semel animadversum fuit, non constituit novum rerum statum et ordinem in Cathedrali, sed quae pridem constituta fuerant, oppurtunis regulis moderatus est ne *orirentur scandala,* iuxta mentem Sacrae Congregationis EE. et RR. Si enim officia generalia ab utroque celebrari valeant et detur locus praeventioni, difficillime evitantur aemulationes et contentiones, uti hodierna docet experientia.

Quia vero hodie Capitulum contendit sibi exclusive eiusmodi ius competere et potissimum ex *praescriptione,* PP. Auditores perpendentes documenta et attestationes hinc inde productas, censuerunt non satis constare de asserta praescriptione favore Capituli. Sane extra dubitationis aleam versatur, controversum ius et parocho competere, *vi sui muneris,* idemque longo tempore ipsum exercuisse: ergo Capitulo probandum esset, idem ius ita exclusive ipsum exercuisse, contradicente parocho, ut adversus eumdem praescriptio decurrerit. At id in probatis non existit; nam ipsae attestationes, quae sunt ambiguae et facile in utramque partem detorquentur, evincunt quasi-possessionem controversi iuris ex parte Capituli non esse certam sed aequivocam neque publicam. Nam ipsi capitulares fatentur, fidelibus persuasum esse parocho hanc facultatem inesse, nempe celebrandi *officia generalia,* eique haec committuntur. De secuta celebratione ipse parochus attestationem facit fidelibus, eisdemque appositas syngraphas attestantes missarum celebrationes tradit; ergo ex duobus rectoribus in Cathedrali sacras functiones celebrantibus, quinam dicendus est *officium generale* celebrasse, Capitulum an parochus ? Hic quoties sibi committantur officia generalia in more habet monere praefectum sacrarii capitularis eique tradere necessariam pecuniam ut Sacerdotibus celebrandis satisfaciat. Qua ratione, Parochus dum consulit ut omnia in Ecclesia sint decenter peracta pro officii celebratione, et sacerdotes per consuetum pulsum campanarum moneantur, una simul non praeiudicat suo iuri quia in Ecclesia Cathedrali explicari non possunt eiusmodi functiones nisi parochum inter et Capitulum maxima intercedat concordia. Et hoc animadversum est a PP. Auditoribus, considerantibus haec facta, quibus Capitulum fundat potissimum suam intentionem, non esse certa et univoca ad effectum possessionis necessariae ad praescriptionem; exploratissimi autem iuris est ex regula 3.[a] Iuris in 6. ° « *sine possessione praescriptio non currit* ». Statum vero possessionis reddunt magis confusum et incertum plures attestationes parocho favorabiles pluraque documenta eidem faventia, quae exceptionibus

impetuntur a Patrono Capituli, sed suam vim non amittere visa sunt RR. Patribus, ea maxime de causa quia Capitulum, *quae* asserit, plene probare debet.

Denique adverterunt DD. Auditores, non officere parocho, quae retulit Canonicus Sciarra: « *che nei libri di amministrazione di questa « Chiesa Cattedrale . . . . si trova segnata come riscossa la tassa utensili per « uffizi generali dovuta alla medesima Sagrestia dall' anno 1742 sino a «questi ultimi tempi».* Nam exinde probatur, Capitulum, etiam ante annum 1821, coepisse *officia generalia* celebrare; siquidem nemo inficias iverit, taxam pro utensilibus solutam ob officia generalia a parocho indicta et in Cathedrali celebrata, pro rata parte rependendam esse sacrario Capituli; non secus ac haec taxa solvitur singulis ecclesiis ad quas se conferunt Sacerdotes inibi celebrantes occasione officii generalis, uti fert mos in civitate Ripana.

Ad 2.um dubium Patres respondere censuerunt *negative prout proponitur,* quia dubium ita conceptum est ut vindicare intenda! Capitulo ius in Ecclesia *exclusivum* seu *proprietatem,* et hoc in quaestionem adducere non placet, neque quoad Capitulum neque quoad Parochum. Reducitur enim quaestio ad *usum* Ecclesiae; et hic attribuitur tum Capitulo tum parocho eum in finem ut unum et alter suas functiones pacifice expleat in Ecclesia Cathedrali. Haec conclusio necessario sequitur ex dictis. Parochus apud suam Ecclesiam SS. Gregorii et Margaritae residere debet, in eaque sua munera adimplere. Omnem dubitationem sustulit rescriptum Sacrae Congregationis declarans: « *parochialem esse in Cathedrali* » unde...., poenis comminatis, ab Episcopo Ursinio, parochus coactus fuit in Cathedrali curam animarum agere, decernens quod « *per l'avvenire dobbiate esercitare la cura delle anime a voi soggette nella « nostra chiesa Cattedrale* ». Ipse Paulus V, dissolvens unionem intercedentem inter parochias et canonicales praebendas nonnullas, decernit: « *perpetuo dissolvimus ac easdem parochiales Ecclesias illarumque curam animarum..... perpetuo dismembramus et separamus* ». Cum Pontifex separaverit etiam ecclesias, ad Ecclesiam Cathedralem quod attinet dismembrare non poterat nisi *usum* quoad *curam animarum,* et planum est, quia Ecclesia est simul et parochialis et cathedralis. Ceterum cum Capitulo post Constitutionem Paulianam cura animarum nullimode competat, haec ex *integro* et *libere* exercenda est a parocho. Quam ob rem competit parocho usus integrae Ecclesiae in exercitium curae animarum; designatio autem altaris Sancti Gregorii in decreto Ursiniano non est *taxativa* et *exclusiva,* sed *prudentialis: « per togliere anco ogni scan- « dato e confusione, ordiniamo che i Curati sì presenti che futuri non*

« possano fare funzioni parrocchiali in tempo che si recitano i divini « offizi, eccettuata l'amministrazione dell'Augustissimo Sacramento del- « l'Eucaristia e della Penitenza ecc. ». Infra in eodem decreto iubetur, parochum debere duas sedes confessionales providere, certe non collocandas ad altare Sancti Gregorii, sed in ambitu Ecclesiae nec non praecipitur: « *sia tenuto* (il Curato) *a far scopare la Chiesa una volta « il mese ed un'altra volta il Capitolo* », ita etiam parocho data est clavis Ecclesiae et turris campanariae; et exinde quasi simbolice et iuridice apte significatur, usum Ecclesiae aeque competere et Capitulo et parocho. Quod recognovit ipsum Capitulum inita conventione *diei 3 Aprilis 1745,* vi cuius onus parocho impositum fuit solvendi quotannis certam summam pro cereis insumendis in festo Purificationis B. M. V., pro cantu Matutini Maioris Hebdomadae, pro cereo paschali, pro campanarum funibus; nimirum parochus coactus est concurrere in expensas cultus divini in Ecclesia Cathedrali, nullo facto discrimine inter functiones parochiales et non proprie parochiales. Quem usum universae Ecclesiae ad parochum spectantem veluti solemniter confirmat Bulla *Institutionis* parochi Mancini in beneficio parochiali obtento a. 1640, quando maximae exardescebant capituli aemulationes in eumdem parochum; legitur in Bulla: « *Ego Notarius . . . . . me personaliter contuli una cum dicto D. Propertio ad Ecclesiam Cathedralem SS. Gregorii et Margaritae, intus civitatem Ripam in quarterium Capitis Montis; ibique perventus ei prope ad altare SS. Sacramenti . . . . in realem actualem et corporalem possessionem dicti altaris et Ecclesiae immisi etc.* ». Hoc documentum deductum fuit ab eodem parocho penes Sacram Congregationem EE. et RR., quum mota est quaestio Capitulum inter et parochum, et prodiit rescriptum *«parochialem esse in cathedrali ».*

Quod vero spectat ad organi usum, ex actis Sacrae Visitationis a. 1825-27, refertur « *Episcopo pro tempore organi manutentio spectaret* », ergo excluditur Capitulum a proprietate organi et haec potius Episcopo attribuenda videtur. Quidquid vero sit de proprietate, certe organi usus cumulative competit Capitulo et parocho pro functionibus respective propriis, ob rationes fuse expositas. Si autem aliqua taxa solvenda sit pro sustinendis expensis organi, haec ab Episcopo determinanda est, uti expresse recognoscit parochus in suis litteris diei 24 Febr. 1910.

Quum in 2. ° dubio firmiter quaeratur, an parochus Capitulo « *solvere teneatur taxas statutas vel statuendas in casu* », animadverterunt RR. Patres parochum non pendere a Capitulo in exercitio suarum functionum, neque eidem subiectum esse; unde Capitulum, pro usu Eccle-

siae et suppellectilium ad eamdem spectantium, taxas' imponere non valet quas tantum statuere et moderari valet Episcopus.

Denique quoad postremum dubium seu quoad usum tituli « *parroco « della cattedrale* », RR. Domini censuerunt, eiusmodi titulum parocho non esse improprium neque Capituli iuribus praeiudicium facere. Siquidem quamvis post separationem et divisionem factam per Const. Pauli V parochiae a praebendis canonicalibus et ab ipso Capitulo et a mensa, Ecclesia Cathedralis, qua talis, non sit parochialis, tamen una eademque Ecclesia inservit functionibus capitularibus et parochialibus; parochus habet usum et possessionem Ecclesiae, quae est Cathedralis et hoc sensu est parochus Ecclesiae Cathedralis. Nam casus *genitivus* denotat *dominium* aut saltem *possessionem;* ita in *decis. 70, n. 4, part. 18, tom. 1, et decis. 735, n. 37, part. 18, tom. 2, inter recent.*, et probatum fuit parochum revera Ecclesiae Cathedralis usum habere proindeque *possessionem.* Quia nullam habet relationem ad Capitulum Cathedralis, parochus dici non posset *parochus Capituli Cathedralis;* quia tunc genitivus non denotat *dominium* aut *possessionem* sed *personalitatem,* uti perpenditur in *decis. 27, n. 1, part 3, recent.* - Qui sensus iuridicus tituli « parroco *della Catte- « drale* » in themate est obvius, quia cum omnibus in civitate Ripana nota sit conditio parochi in Ecclesia SS. Gregorii et Margaritae relate ad Capitulum, tamen hanc appellationem aut alias similes vulgo usurpant libri parochiales ab a. 1637, decreta Curiae episcopalis, fideles etiam in condendis testamentis, et civilis auctoritas, imo ipsi Canonici in pluribus publicis documentis; sufficiat adducere textum conventionis initae die 3 Aprilis 1745, uti testatur notarius « *tra U Rev. Capitolo di « questa città di Ripa ed il Curato di essa Cattedrale* ».

Quibus omnibus consideratis et sedulo perpensis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, propositam quaestionem definientes, ad proposita dubia respondemus:

Ad l.^{um} *Spectare ad Parochum quoque seu non exclusive ad Capitulum.*

Ad 2.um *Negative prout proponitur; usum autem tum Ecclesiae tum organi spectare ad utrumque pro functionibus et muniis cuique competentibus, servato débito ordine. A parocho vero praeter taxas iam statutas seu conventas, solvendas esse si quas Episcopus statuerit.*

Ad 3.um *Affirmative.*

Ita sententiamus et definimus. — In expensis vero iudicialibus condemnamus Capitulum, dempto tamen honorario advocati parochi.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut executioni mandent hanc sententiam, et

adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim *cap. 3, sess. XXV, de Reform.* Concilii Tridentini, iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis extitura sint.

Romae, in sede Tribunalis, die 2 Aprilis 1910.

Michael Lega, *Decanus, Ponens.*
L. £g S. Gustavus Persiani.
Antonius Perathoner.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

SIGNATURA APOSTOLICA

MEDIOLANEN. *(Milano).*

CURAE ANIMARUM.

Inter Paulum Rossi Archipresbyterum, Parochum Sancti Ioannis Baptistae Civitatis Modoetiae, et Coadiutores curatos SS. Mauritii, titulares Michaelis et Petri Martyris.

In ordinario Coetu seu Congressu habitu ab infrascripto cum Eminentissimo ac Revmo P. D. Card. Vincentio Vannutelli, Supremi Apostolicae Signatura e Tribunalis Praefecto, die 29 mensis Martii 1910, propositum fuit dubium iuxta regulas eiusdem Tribunalis *(Lex propria, Can. 40, par. 2)* ad deliberandum, an admitti posset instantia seu recursus Coadiutorum Curatorum Modoetiae in Archid. Mediolan. adversus sententiam S. R. Rotae sub die 23 mensis Martii 1909, quae statuerat ut « coadiutoribus competat potestas exercendi curam animarum tum in Ecclesia Archipresbyterali parochiali iuxta modum in tabulis fundationis assignatum et sub dependentia Archipresbyteri nec non firma potestate Ordinarii, quoad Coadiutorias curatas titulares ea praescribendi et ordinandi quae S. Fundator non praescripsit nec ordinavit », prouti iam Emus Archiep. Mediolan. Card. Andreas Ferrari in suo Decreto S. Visitationis, die 16 mensis Novembris 1903, edixerat. Quum autem proposita instantia seu recursus, qui praefatam rotalem sententiam tum ex capite nullitatis tum ex capite restitutionis in integrum impetebat, secundum Tabulas Fundationis S. Caroli Borromaei et Iuris Canonici praescriptiones, rite attenteque pertractatus ac discussus fuerit,

animadversum est, nullum eidem recursui iuris fundamentum inesse quoad petita, ideoque non posse nec debere admitti. Quapropter editum est Decretum, quo reiicitur praefata instantia seu recursus, quia nec nullitas sententiae rotalis ullimode probetur, neque expetitae restitutioni in integrum locus esse possit.

Id Decretum regulariter sub die 31 mensis Martii 1910 actoribus notificatum fuit. Quum vero utile tempus, quo, iuxta regulas in Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal inductas, fas erat adire plenariam eiusdem Tribunalis sessionem pro instantia adversus huiusmodi Decretum, praedicti recurrentes elabi fecissent; idem Decretum ex officio remissum fuit R. P. D. Michaeli Lega, S. R. Rotae Tribunalis Decano, pro omni et quocumque legis effectu, etc. nec non pro eiusdem insertione in Actis Apostolicae Sedis.

Nicolaus Marini, *a Secretis.*

SECRETARIA STATUS

EPISTOLAE

I.

AD R. P. D. PETRUM BALESTRA, ARCHIEPISCOPUM CALARITANUM, OB DEVOTIONIS OBSEQUIUM BEATISSIMO PATRI, NOMINE ETIAM EPISCOPORUM SARDINIAE, PRO CONFERENTIIS REGIONALIBUS COADUNATORUM, REVERENTER EXHIBITUM.

Il Santo Padre ha ricevuto con vero piacere il devoto Indirizzo che V. S. Illma e Revma, in nome dell'intiero Episcopato Sardo testé radunato per le Conferenze regionali, Gli ha inviato a testimonianza solenne del profondo attaccamento e della sincera devozione che lega i pastori della Sardegna al Pastore Massimo di tutti i fedeli.

Sua Santità non dubita che, mercè la divina grazia, le Conferenze suddette siano state feconde di salutari iniziative per le singole diocesi, e che allo zelo spiegato in esse farà seguito un non minore impegno, nel tradurre in atto i saggi consigli presi.

Ed a questo fine il Santo Padre implora su V. S. e su tutti cotesti suoi Confratelli l'abbondanza delle celesti grazie, delle quali sia auspice

e pegno l'apostolica benedizione che di gran cuore imparte ai medesimi ed ai rispettivi loro greggi.

Mi valgo intanto dell' occasione per raffermarmi, coi sensi della più distinta stima,

Di V. S. Illma e Revma

Roma, 6 Maggio 1910.

Servitore

L. £g S. R. CARD. MERRY DEL VAL.

IL

AD R. P. D. PATRITIUM RICHARDUM HEFFRON, WINONENSIUM EPISCOPUM, AD INEUNDAM EPISCOPALEM SEDEM PROPERANTEM.

Winonam, ita renunciatum est, cogitas, adeptum initurus pontificatum. Ita sane fas tibi erat, qui te pastorem expetunt, christifideles quantocius affari ac paterno animo complecti, fovere.

Id consilii, quod tuam pulchre redolet in concreditum gregem plenam caritate voluntatem, pergratum habuit Beatissimus Pater, Qui quidem confidit ut bonorum omnium largiter Deus sacro, quem in Eius gratiam et gloriam suscepturus es, principatui cursum prosperum et sine offensione concedat. Tu vero « labora sicut bonus miles Christi Iesu » et eum te verbo et exemplo Episcopum praesta, quem spectata virtus probavit, integrae vitae ac frugiferae navitatis sacerdotem. Nihil est igitur cur ego, Augusti Pontificis nomine, te, Winonensem Ecclesiam concedentem, ad studium catholici nominis, ad vigilantiam, ad prudentiam, ad caritatem et ad ceteras virtutes adhorter, quibus deditus iamdiu fuisti. In iis excolendis totus eris, ita sane, ut eam, quae modo te ornat, novam impositam personam, ornaturus et ipse sis vehementiori sacerdotalium omnium virtutum cupiditate.

Hoc tantum tibi prae ceteris ante oculos vult positum Beatissimus Pater, in quo nimirum, hisce praesertim temporibus, evigilent vel maxime oportet Episcoporum curae. Intelligi volo de sacris Seminariis ita sapienter providenterque moderandis fovendisque, ut, instituto assequendo paria, tales edant sanctuarii ministros, qui virtutis ac doctrinae laude perspicui, fratribus in pulvere et sole laborantibus suppetias veniant utiliter. In huiusmodi porro actionis genere te egregie fuisse versatum haud ignorat Sanctitas Sua; maiori vero cum studio in posterum versaturum absque ulla dubitatione confidit. Huc igitur alacer contende, ut quam spem expectationemque tui concitasti, eam, Deo opitulante, sustinere valeas quin etiam et superare.

Auspicem interea divinorum munerum ac paternae Pontificis Maximi benevolentiae testem, accipe apostolicam benedictionem quam eadem Sanctitas Sua et tibi et tuo Clero populoque peramanter in Domino impertit.

Hanc ego nactus occasionem, existimationem in te meam confirmo, meque profiteor libentissime

Romae, die 6 Maii 1910.

Amplitudini Tuae

Addictissimum

L. £g S. R. CARD. MERRY DEL VAL.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Il giorno 7 Giugno p. v., nel Palazzo Apostolico Vaticano, all'Augusta presenza del S. Padre, si terrà la Congregazione Generale dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali, i Rmi Prelati Officiali, ed i Consultori Teologi, componenti la medesima, discuteranno e daranno il loro voto sul dubbio delle virtù, in grado eroico nella Causa di Beatificazione e Canonizzazione della Ven. Margherita Bourgeoys, fondatrice della Congregazione delle Suore di Nostra Signora.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnata di nominare: *Protonotarii Apostolici* ad instar participantium:

19 Aprile 1910. — Mons. Michele C. Mac Donough, Vicario generale della diocesi di Portland.

27 Aprile. — Mons. Giovanni Biagiarelli, Arcidiacono della Cattedrale di di Fano.

30 Aprile. — Rev. Dott. Bertramo Ottone Bardenhewer, Professore di Esegesi biblica nell'Università di Monaco;

— Mons. Alfonso Bellesheim, Prevosto della Collegiata della B. V. M. in Aquisgrana.

Prelati domestici di S. S.:

18 Aprile 1910. — Rev. D. Francesco Trudel, Consultore Diocesano e Parroco di S. Giuseppe in Allotowen (Portland);

— Rev. Can. Giuseppe M. Gimenez Camacho, Vicario generale della diocesi di Malaga.

4 Maggio 1910. — Rev. D. Francesco Scholz, Canonico della Cattedrale di Breslavia;

— Mons. Giovanni Mazanek, Canonico della Cattedrale di Cracovia.

ONORIFICENZE

Il Santo Padre, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Commenda dell'Ordine di 8. Gregorio Magno, classe civile:

19 Aprile 1910. — Al Sig. Conte Maria Sebastiano Gerardo Pietro de la Villegoutier.

2 Maggio 1910. — Al Sig. Ambrogio Petry, della archidiocesi di New-York.

La Commenda dell' Ordine di S. Silvestro:

11 Aprile 1910. — Al Sig. Ferdinando Seeboeck, Scultore.

21 Aprile. — Al Sig. Giulio Moulinasse, Presidente del Comitato della Stampa Cattolica in Belgio.

28 Aprile. — Al Sig. Avv. Carlo Bianchetti, di Torino.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

13 Aprile 1910. — Al Sig. Marchese Carlo d'Antane, della diocesi di Digne.

20 Aprile. — Al Sig. Angelo Desormeaux, dell'archidiocesi di Rennes.

27 Aprile. — Al Sig. Barone Carlo Gilles de Pélichy, membro della Camera dei Rappresentanti nel Belgio.

28 Aprile. — Al Sig. Augusto David, dell'archidiocesi di Cambrai.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro:

11 Aprile 1910. — Al Sig. Pietro Backx, di Anversa.

14 Aprile. — Al Sig. Gerardo Hülskens, della diocesi di Münster.

22 Aprile. — Al Sig. Adelino Desguin, Direttore dell'« Hainaut » nel Belgio.

28 Aprile. — Al Sig. Lodovico Baumann.

2 Maggio 1910. — Al Sig. Giorgio Baumberger, redattore primario del giornale « Neue Zürcher Nachrichten » in Zurigo.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari:

2 Maggio 1910. — Il Rev. D. Pietro Krawczynski, della diocesi di Cracovia;

— Il Rev. D. Antonio Gruszecki, della diocesi di Cracovia.

3 Maggio. — Il Rev. D. Nicolò van Balen, dell' archidiocesi di Utrecht.

6 Maggio. — Il Rev. D. Adamo Maciejowscki, della diocesi di Plock;

— Il Rev. D. Leone Goscicki, ' » » »

— Il Rev. D. Boleslao Wrostowski, » » »

— Il Rev. D. Mariano Kowalski, » » »

— Il Rev. D. Casimiro Targowski, » » »

17 Maggio. — Il Rev. D. Antonio J. Hordÿk, della diocesi di Bois-le-duc;

— Il Rev. D. Giuseppe Falat, della diocesi di Premislia.

25 Maggio. — Il Rev. D. Giuseppe Busetto, Parroco dei SS. Gervaso e Protaso, in Venezia.

30 Maggio. — Il Rev. D. Ferdinando Ritter, della diocesi di Budweis.

Cameriere segreto di spada e cappa soprannumerario:

6 Maggio 1910. — Il Sig. Alfredo Bourdin, della diocesi di Belley.

Cameriere d'onore in abito paonazzo:

17 Maggio 1910. — Il Rev. D. Pasquale Santo Martino, della diocesi di Nicteroy.

Annus II. - Vol. II. Die 15 Iunii 1910. Num. 11.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

i.

MOTU PROPRIO

DE PIA UNIONE SANCTI PAULI APOSTOLI.

Ex quo Pontificatum Maximum divinitus ingressi sumus, advertimusque, catholici nominis quae essent tempora, numquam ad hanc diem cessavimus id in primis agere, ut Clerus universe parem sanctissimo muneri se praestaret. Nam, quia ad omne vitae genus pertinet sacri ministerii virtus; neque abest a vero, salutem populi christiani in manibus esse sacerdotum: idcirco, ad instaurandos publice privatim christianos spiritus, nemo non videt caput esse, ut homines e sacro ordine officium suum ante alios studiose obeant, suumque digne teneant gradum dignitatis. Id certe perspectum habent quotquot Christi regnum subruere nituntur: quorum fere hoc unum opus est, frangere aut debilitare vires Cleri catholici: hanc enim esse quasi compendiariam viam ad id quo spectant, sibi facile persuadent. Cernere licet, quibus insidiis circumveniant administros sacrorum, ut vel a sancta disciplinae severitate deducant ad profanos mores, vel ut, inflatos falsi nominis scientia, de custodia Fidei demoveant; aut quam violenter per criminationum contumelias eorum famam dehonestent, vel per iniquas spoliationes bonorum tristem eis egestatem parent — Quum autem in universitatem Clericorum evigilare curae Nostrae debeant, tum praecipuam quamdam harum partem sibi vindicat Clerus Urbis Romae, quem aliis esse exemplo oportet. Huic Nos haud ita pridem ad refovenda identidem virtutum studia praesidium comparavimus, facta lege ut quisque sacerdotum tertio quoque anno in asceteria secederet: eidem nunc alterum providentiae Nostrae dare documentum, Nobis in animo est. Quoniam enim in quovis genere coniunctae vires pius valent quam singulae, placet inte-

riore quadam societate invicem devinciri Clericos, ' ut mutuis inter se et consiliis et exemplis et officiis adiuvantes, non modo fervorem spiritus custodiant, sed ceteris suis rationibus felicius prospiciant. Iamvero, non parum commoditatis ad rem praebet urbanum illud Sodalitium, cuius in exercitatione sacrorum munerum diu late patuit utilitas, nunc autem angustis sane finibus circumscribitur. *Piam Unionem* dicimus *Sancti Pauli Apostoli;* quae quidem sub finem saeculi duodevicesimi optimo sacerdotum aliquot consilio inita iis adiutandis, qui in valetudinariis aegrotarent, deinceps aucto sodalium numero, ad quem pientissimi accessere laici, multo latius diligentiam suam protulit, adeoque crevit, ut ex illa, tamquam ex arbore rami, multiplicia sacerdotalis industriae Opera exsisterent. Horum autem pleraque, ut fit, vetustate exoleverunt; tria siquidem omnino supersunt: unum quod est de adolescentibus Clericis ad studia vel alendis vel excitandis, secundum statuta Pii VII, decessoris Nostri in Litteris apostolicis, quorum initium est « *Ex quo aeternae, mentis* »; alterum quod ad magisterium pietatis pertinet exercendum per dies festos in pueris qui *Fratrum a Scholis Christianis* ludos frequentant; tertium, quo solemnes sacerdotum coetus quaestionibus de theologia morum explicandis indicuntur. — Itaque Sodalitium huiusmodi ita Nobis videtur novandum, ut Societas evadat sacerdotum, inter se cohaerentium, pietatis, eruditionis, adiumenti causa. Et quoniam procul a curis periculisve domesticis maior est sacerdoti facultas recte sancteque vivendi, placet consociatos sensim ad vitae atque victus communitatem adduci: neque enim maturum videtur hanc legem Societati in praesentia imponere, cum plerumque nimis est arduum omnia removere, quae rem impediunt. Item huic Societati nolumus proprium aliquem assignari campum, in quo se exerceat. Nam, ubi romanae dioecesis antistiti satis magna inde praesto fuerit copia sacerdotum, qui bene a virtutibus et a doctrinis instructi, promptos sese exhibeant, quocumque vocentur, dare operam saluti animarum, iam hoc ipso omnibus rationibus, quibus religiosa res in Urbe promovetur, commode erit consultum. Nos igitur, quod Clero Urbis Romae bene vertat, motu proprio et certa scientia, Piam Unionem Sancti Pauli Apostoli, ut est constituta, dissolventes, novam eodem titulo consociationem sacerdotum constituimus ad eas leges, quae infra scriptae sunt; cui novae Unioni bona et iura omnia, quae veteris fuerunt, damus, attribuimus. Praeterea ex tribus Operibus, quae ab Unione nunc dissoluta pendebant, illud, quod ad excolendos pietate alumnos *Scholarum Christianarum* pertinere diximus, exstinguimus, omnemque procurationem rei, cuius causa institutum est, Cardinali, Nostro in Urbe Vicario, relinquimus; duo reliqua Opera volu-

mas permanere, ita tamen, ut non distincta a consociatione nova, sed ipsi coagmentata consistant. Denique Sodalitatem sacerdotum ab Asceterio Nocturno, cui sodalitati decessor Noster Leo XII Litteris apostolicis « *Amplissima*», anno MDCCCXXVI datis, templum Mariae Paciferae commisit, Unioni Paullianae adiungimus in unum corpus: eidemque Unioni usum privum eius templi aediumque continentium tribuimus, salvis tamen iuribus Presbyteri Cardinalis, qui eum Titulum obtinet, obtinebat.

NOVA LEGUM STATUTA

PIAE UNIONI SANCTI PAULI APOSTOLI

CONSTITUENDAE GUBERNANDAE.

CAPUT I.

DE NATURA PIAE UNIONIS.

§ I. Quae Pia Unio Sancti Pauli Apostoli dicitur, consociatio est sacerdotum sub patrocinio Doctoris Gentium Romae anno MDCCXCVII instituta, cui nova hic constitutio, Apostolica auctoritate, datur.

§ II. Unionis huius quadruplex est finis: ut conservet et foveat in consociatis sacerdotalem spiritum, non modo quod ad fructum singulorum, sed etiam quod ad bonum christiani populi quaerendum attinet: ut promoveat in Clero studia doctrinae, praesertim sacrae; ut rem ipsam oeconomicam consociatorum curet, idque per instituta eiusmodi, quae, salva Cleri dignitate, ex usu fore videantur; ut legitimam Cleri defensionem paret, utcumque, vel singulorum vel totius ordinis causa, opus erit.

CAPUT II.

QUIBUS MODIS MULTIPLEX UNIONIS FINIS ASSEQUENDUS.

§ I. Spiritus sacerdotalis alendi gratia, consociati crebro statis diebus concionem inter se habebunt de officiis clericorum; iidem singulis mensibus et quotannis in asceterium secedent; nihil denique missum facient, quod ad rem conducat.

§ II. Eruditionis promovendae causa, Unionis Paullianae erit coetus tum de re morali, tum de re liturgica indicere; bibliothecam parare sociis, exedramque diariis libellisque lectitandis; item magisteria instituere de theologia pastorali, deque ceteris rebus, quae ad sacra munia rite obeunda pertinent; ad haec, propositis praemiis constitutisque stu-

diorum subsidiis, clericos sacerdotesve urbanos vocare in doctrinae certamina, unde qui superiores discesserit, ad attingendos in quibuslibet disciplinis academicos gradus satis habeant facultatis.

§ III. Quod ad causam oeconomicam attinet, duae apud Piam Unionem erunt arcae communes: altera ad subveniendum sociis aegrotantibus, altera ad pecuniam mutuam suppeditandam; utrique autem propria lex dabitur. Praeterea quidquid in hoc genere convenire videatur, experiri licebit.

§ IV. Denique Piae Unioni aderit advocatorum laicorum decuria, qui et sociorum consultationibus de iure respondeant, et Clerum, quoties iniuriis affici. ^contigerit, quod saepius per publica scripta usuvenit, in iudicio defendant.

CAPUT III.

DB COOPTATIONE DEQUE OFFICIIS SOCIORUM.

§ I. Sacerdotes tantum saeculares, qui e dioecesi romana sint aut in Urbe Roma domicilium habeant cooptari in Unionem Paullianam licebit.

§ II. Qui cooptari vult, id litteris a Moderatore Unionis Primario petat, quibus litteris adscriptum sit, per Vicarianam Curiam *nihil obstare* quominus petitioni satisfiat.

§ III. De petitione facta Moderator Primarius ad Consilium Unioni dirigendae referet, cuius Consilii est de sociorum admissione decernere.

§ IV. Socii, pro sua quisque facultate, operam ad ea conferent, quae Unioni proposita sunt.

§ V. Socii singuli singulis mensibus libellam unam italicam in commune solvent.

§ VI. Socii sint omnes unius eiusdemque ordinis. Si qui tamen aut opibus aut opera insignenti aliquam utilitatem Unioni praebuerit, in generali sociorum coetu, ex rogatione summi Consilii, titulum ei *socii benemeriti* decernere, ius esto.

CAPUT IV.

DE RATIONE UNIONIS GUBERNANDAE.

§ I. Patrocinium Unionis Cardinalis, vice sacra antistes Urbis, gerit, cuius in Unionem ipsam et in omnia Unionis Opera plenum ius et potestas est.

§ II. Cardinalis patronus Antistiti, ipsius in Urbe vices gerenti, patronatus partes delegare potest.

§ III. *Moderator Primarius* qui dicitur, Unioni praesidet. Moderatori Primario ministri consiliorum octo, scriba et arcarius assident, ex quibus Consilium Unioni dirigendae constat.

§ IV. Maximus natu e Consiliariis Moderatoris Primarii absentis muneri vicarius succedit.

§ V. Quoniam, pro quatuor Piae Unionis finibus, totidem provinciae curam Consilii postulant, Consiliarii bini singulis provinciis curandis praesunt. Hi autem in suo quique munere si quid bonum factu existimarint, non ipsi quidquam constituent, sed omnia Consilio deliberanda permittent.

§ VI. Moderator Primarius et ministri consiliorum tertio quoque anno in generali sociorum coetu creantur.

§ VII. Continuare cuipiam munus in triennium alterum, ius est: ultra, non est, nisi Cardinalis Patroni ratihabitio accedat.

§ VIII. Si, triennio vertente, locus Moderatoris Primarii vacaverit, socii, in generali coetu, alium sufficient, qui eum locum usque ad triennii exitum obtineat. Eadem conditio est suffectorum in aliis muneribus: verumtamen in his sufficiendi potestas Consilio Unionis dirigenti esto.

§ IX. Consilium singulis mensibus minimum semel habeatur. Numerus autem consultantium legitimus erit, si una cum Moderatore Primario aut eo qui Moderatoris personam gerat, Consiliarii minimum quatuor adsint.

§ X. Consiliariorum suffragia deliberandi vim habent. Consulta vero non valebunt, nisi suffragiis dimidio praesentium pluribus probata sint.

CAPUT V.

DE GENERALI SOCIORUM, COETU.

§ I. Quotannis in mense Ianuario coram Cardinali Patrono aut Antistite, eius vices gerente, omnes, quotquot Piae Unioni adscripti sunt, in unum convenient. Hic primum series rerum anno superiore gestarum explicanda est, atque in oculis omnium status rei oeconomicae exponendus. Tum duo Syn di ei deligendi, qui rationes excutiant, ratasque habeant. Denique quas res Consilium in disputationem deduxerit, de iis agendum.

§ II. Generalis coetus extra ordinem toties habeatur, quoties Moderator Primarius cum Consilio habendum censuerit, aut sociorum pars minimum quinta postulaverit.

§ III. Generali coetui Moderator Primarius, aut qui eius locum

teneat, praesidem^. Qui autem Consilii scriba est, ipse ab actis coetus generalis sit.

§ IV. Generali coetui sua non est auctoritas, nisi decima minimum pars sociorum adsit. Quod vero plurimis praesentium suffragiis probatam sit, id dumtaxat vim legitimi decreti habeat.

§ V. Generalis coetus, convocatus iterum, legitimi coetus auctoritatem habebit, quantuluscumque praesentium numerus fuerit.

§ VI. In generali coetu personam socii gerere socio licet nemini; nec per procuratorem aut per litteras suffragium ferre.

§ VII. Sociorum cuique licet, quae sibi videantur in generali coetu ordinario deliberanda, ea Moderatori Primario proponere. Verum proposito eiusmodi, ut mature in Consilio excuti possit, ne fiat, nisi mense antequam Consilium cogatur.

§ VIII. Si quid in legibus Piae Unionis novandum est, non minus quinta parte sociorum adesse, et praesentium duae tertiae partes eidem sententiae suffragari debent. Quod si coetus semel et iterum habitus sit, non legitimo aut praesentium aut suffragiorum numero, tertium convocetur: tum demum nulla ratio habeatur, quot adsint; sufficiet ut, qui aderunt, maximam partem in idem placitum consentiant.

§ IX. Nulla legum socialium derogatio aut novatio deducatur in usum, nisi eam Cardinalis Patronus ratam habuerit.

§ X. Quidquid in generali coetu statutum est, id Moderator Primarius aut qui eius partes gerit, impedire potest, ne adducatur ad effectum, antequam ipse Cardinalem Patronum de re certiorem fecerit.

CAPUT VI.

DE SEDE PIAE UNIONIS.

§ I. Ad Mariae Paciferae in aedibusque continentibus sedes Piae Unionis esto.

§ II. Quotannis VIII Cal. Febr. in eo templo sacra solemnia Paulo Apostolo designato socii omnes celebrabunt.

§ III. Sacerdotes consociati, pro sua quisque facultate, sacra eius templi procurent; maximeque ad Poenitentiae tribunal et e suggesto operam saluti animarum dare studeant.

§ IV. Duodeni a Pia Unione sacerdotes a summo Consilio deligantur, qui in eo templo omnem divini cultus administrationem habeant; eamque secundum certa praescripta exerceant.

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus; non obstantibus

Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis - nominatim Litteris Pii VII « *Ex quo aeternae mentis* », quod attinet ad statuta dumtaxat Operis, de quo ibi agitur; et Litteris Leonis XII « *Amplissima* » - aliisque contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxvi Maii MCMX, in solemnibus Corporis Christi, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

II.

MOTU PROPRIO

DE INDULGENTIA " PORTIUNCULAE "

SEPTIMO AB INSTITUTO FRATRUM MINORUM ORDINE SAECULO EXPIRANTE.

Sacris solemniis ob septem ab instituto amplissimo Fratrum Minorum Ordine revoluta saecula iam ad finem feliciter vertentibus, ut tam fausti eventus iugis memoria perseveret ac fructus, piis fidelium votis pro faciliori PORTIUNCULAE, quam vocant, INDULGENTIAE consecutione ex animo obsecundantes, quae sequuntur, motu proprio atque ex certa scientia, suprema Nostra apostolica auctoritate statuimus ac decernimus:

Firmis, scilicet, de memorata Indulgentia antea quomodocumque factis, quae nondum expiraverint, concessionibus, facultatem facimus omnibus et singulis locorum Ordinariis unam aut plures, pro rei opportunitate, in quovis propriae ditionis loco ecclesias aut publica vel semipublica oratoria designandi, ubi fideles, rite confessi et Sacra Synapsi refecti ac devote iuxta Nostram intentionem orantes, a vesperis diei primae ad solis occasum diei secundae mensis Augusti anni currentis, *toties quoties* ea visitaverint, haud secus ac si aliquam Ordinis Minorum ecclesiam visitassent, *Indulgentiam Plenariam,* animabus etiam quas purgatorius ignis emundat, applicabilem, lucrari possint ac valeant.

Hanc vero eamdem Indulgentiam, iisdem sub conditionibus eademque ratione lucrifieri posse concedimus a fidelibus utriusque sexus communem vitam agentibus qui propriam ecclesiam vel, si careant, proprium domesticum oratorium, ubi Ssma Eucharistia asservatur, ut supra, visitaverint.

Ne cui demum, praestantissimo hoc spirituali beneficio, ob peculiaria fortassis rerum adiuncta, fruendi copia desit, benigne

indulgemus iisdem locorum Ordinariis ut ad supradictam Indulgentiam lucrandam statuere possint tam pro in saeculo quam pro piis in communitatibus viventibus fidelibus loco diei secundae Augusti, Dominicam proxime insequentem, a vesperis Sabbati ad solis occasum ipsius Dominicae, hac tamen sub lege ut nequeat quis eadem concessione bis frui.

Optamus autem vehementer ac summopere commendamus ut in ecclesiis oratoriisve, ut supra, designatis, die ad Indulgentiam lucrandam statuta speciales publicae ad Deum supplicationes pro Summo Pontifice, Ministris Sanctuarii universaque militanti Ecclesia peragantur; eaeque, praemissa invocatione Seraphici Patriarchae ac Litaniis Sanctorum, Benedictione Eucharistica absolvantur.

Ita volumus, decernimus, sancimus, mandantes, ad quos spectat ut ad fidelium notitiam haec omnia tempestive deducenda curent. Praesentibus hoc anno et occasione tantum valituris. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die ix Iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

LITTERAE APOSTOLICAE

SOCIETAS B. M. V. AUXILII CHRISTIANORUM ET REGINAE PACIS LOCI " BEAUCHÈNE " IN DIOECESI SAGIENSI (SÉEZ) ERIGITUR IN ARCHICONFRATERNITATEM.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, pia fidelium sodalitia, quae ad frugiferos fines, humanaeque societati maxime opportunos intendant, singularibus titulis privilegiisque, libenti quidem gratoque animo decorare satagimus; ut uberiora favente Deo incrementa suscipere, et proposita bona facilius consequi valeant. Hoc ducti consilio, piis votis obsecundandum censuimus rectoris Ecclesiae oppidi vulgo *Beauchène,* in dioecesi Sagiensi, qui provehendae pacis studio inflammatus, supplici prece Nos adiit, ut peculiari Pontificiae voluntatis significatione cohonestare dignaremur sodalitatem in praefata Ecclesia canonice existen-

tem, sub nomine et in honorem B. M. Virginis, Auxilii Christianorum et Reginae Pacis, hunc potissimum ad finem institutam, ut ab ipsius sociis maxima devotione Deipara Virgo recolatur, quae dum mundo Dei Filium Unigenitum pareret, angelos audivit cantantes canticum pacis. Nihil equidem Nobis antiquius est, quam ut optima haec ac desideratissima pax hominibus bonae voluntatis de coelo promissa, omnibus gentibus et christiano in primis populo concedatur, et per gratiarum sequestrae Virginis intercessionem, tum in familiis tum in nationibus tum denique in universo terrarum orbe constans atque alma iugiter renideat. Quare sodalitatem in Ecclesia oppidi *Beauchène,* dioecesis Sagiensis sub invocatione Virginis, Auxilii Christianorum et Reginae Pacis, canonice conditum, et iam longe lateque propagatam, per praesentes, Apostolica Nostra auctoritate, in Archisodalitatem perpetuum in modum erigimus, instituimus, omnibusque privilegiis augemus quibus Archisodalitates de more ornantur. Confraternitatis autem sic per Nos in Archisodalitium erectae, moderatori atque officialibus praesentibus et futuris, similiter, apostolica auctoritate per praesentes ac perpetuo largimur, ut ipsi societates eiusdem tituli atque instituti, in Gallia universa canonice existentes, sibi aggregare licite queant, servatis Apostolicis Constitutionibus desuper editis, atque illa potissimum Clementis PP. VIII re. me. Nostri Praedecessoris; ipsisque societatibus, eadem auctoritate, communicare, valeant indulgentias omnes et spirituales gratias, super enunciato archisodalitio a Sede Apostolica concessas, quae tamen aliis queant communicari. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliis Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. ✠ S. *a Secretis Status.*

EPISTOLAE.

I.

AD R. P. D. SEPTIMIUM CARACCIOLO DI TORCHIAROLO, EPISCOPUM ALIPHANUM, SACERDOTII SUI ANNIVERSARIUM VIGESIMUM QUINTUM CELEBRANTEM, GRATULANDI CAUSA.

Litteras istinc accepimus communis laetitiae nuncias. Allatum enim est Nobis natalem appetere sacerdotii tui vigesimum quintum: qui vero id Nobis perscripserunt, delecti sive e clericis sive e laicis tuae dioecesis viri, qui simul colere ad ea decernenda honoris signa quibus, pridie Kal. Junias, popularis gestiet animus solemnia huiusmodi celebrare, in partem Nos etiam vocarunt domestici gaudii, ut societate Nostra gratior optata dies et tibi et illis effulgeat. Annuimus libenter: et hasce litteras testes esse volumus ipsis quidem paternae Nostrae benevolentiae, tibi vero, Venerabilis Frater, etiam votorum quibus Deum, quem tu olim, sacris vix initiandus, obtestabaris « *partem haereditatis tuae et calicis tui* » adprecamur enixe ut te, sacerdotio ornatum et auctum pontificatu, certantem bonum fidei certamen « *custodiat in via* » donec olim frugifero tandem functum episcopatu « *introducat in locum quem paravit* » restituturus scilicet haereditatem tuam tibi.

Optatis Nostris annuat Deus, omnium auctor bonorum: annuat et caelitum Regina, ipsius ac omnium nostrum dulcissima mater, cui quidem dicati mensis extrema gaudii, gaudia cumulabunt mox recolendae sacerdotii tui memoriae.

Gratia Domini Nostri Iesu Christi tecum sit, Venerabilis Frater, et cum omnibus tibi concreditis fidelibus, quibus singulis, tibique in primis, amantissime benedicimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

II.

AD R. P. D. IOSEPHUM DERNAZ, LAUSANENSIUM ET GENEVENSIUM EPISCOPUM, SEXAGESIMUM SACERDOTII SUI ANNIVERSARIUM EXPLENTEM, GRATULATIONIS ERGO.

Optimum sane consilium iniisti cum, appetente sacerdotii tui natali sexagesimo, immortales constituisti Deo habendas gratias, cuius praesentissima ope, tuae id solatii affulget senectuti. Sed et opportune,

praeteritam cogitatione respiciens spatium, ac memoria repetens frequentia eaque insignia quae, tam diuturno sacerdotio, Deo auctore, in te parta sunt munera ac beneficia, sentiens plane quantum, horum causa, divinae debeas benignitati, gregis tui pietatem implorasti, ut, multiplicatis ad Deum obsecrationibus, gratam in Eum voluntatem et facilius excites et efficacius expromas. Quin etiam Ipsi Nos qui, tuae testes pastoralis navitatis, in te amando ornandoque cedimus nemini, tibi, Venerabilis Frater, volumus esse et obsecrandi Deum adiutores et bene ominandi auctores primi. Uberem porro caelestium gratiarum tibi copiam adprecamur, acti pro Ecclesia labori s praemium atque agendi stimulum: earum vero auspicem, Apostolicam benedictionem tibi tuaeque dioecesis Clero populoque peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxi Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO DE SACRAMENTIS

GOANA ET ALIARUM.

DUBII CIRCA DECRETUM DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO.

Vi legum inter Apostolicam Sedem et Regem fidelissimum Lusitaniae concordatarum, circa exercitium iuris regii patronatus in nonnullis dioecesibus Indiarum Orientalium, sancitum fuit ut quoad plures fideles iurisdictio quorundam Ordinariorum ea in regione sit personalis, non solum quia praefatis Ordinariis data est iurisdictio exclusiva et exempta in certa loca extra territorium continuum propriae dioecesis et intra territorium alterius dioecesis sita, sed etiam quia ob factam mutationem domicilii ab una dioecesi in aliam, iurisdictio sui cuiusque Ordinarii in subditum migrantem non amittitur. Et quod attinet etiam ad matrimonia ineunda, in comitiis S. C. de Prop. Fide una cum S. Congregatione Ecclesiasticis negotiis extraordinariis praeposita, die 11 septembris 1887, ad dubium VI: « Utrum quoad parochialia, baptismos, matrimonia, communionem Paschalem, Extremam Unctionem et S. Viaticum exemptis (in Archidioecesi Bombayensi) liberum sit, si velint, recurrere ad Ordinarium loci vel sacerdotes eius, omissa quaestione de exemptione renuntianda », responsum fuit: « Negative »; et haec atque aliae eiusmodi decisiones deinde ad omnes dioeceses duplicis iurisdictionis extensae fuerunt.

At memorata circa parochialia personalis et exclusiva iurisdictio iis in dioecesibus impediri videtur, quoad matrimonia, ex edito Decreto *Ne temere, De sponsalibus et matrimonio,* iuxta quod iurisdictio Ordinariorum et parochorum, circa adsistentiam matrimoniis praestandam, facta est omnino territorialis.

Re quidem vera quoad parochos qui in territorio aliis parochis assignato subditos sibi habent, decisum est etiam a S. G. Conc. in *Romana et aliarum, Dubiorum circa decretum de sponsalibus et matrimonio,* die l[a] Februarii 1908, eos valide matrimoniis subditorum adsistere; nam proposito dubio IX: «Ubinam et quomodo parochus, qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habet, matrimoniis adsistere valeat», responsum fuit: «Affirmative, quoad suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum Sanctissimo ». Sed haec resolutio, quoad tum validitatem cum liceitatem, iuribus parochorum territorialium officere non videtur; qui ideo, iuxta cit. decretum *Ne temere,* valide semper in propria paroecia, et licite quoque, praehabita menstrua alterutrius contrahentis commoratione, matrimoniis fidelium etiam exemptorum adsistere videntur.

Quapropter cum quaestio de praefata duplici iurisdictione in Indiis Orientalibus, quod spectat ad novas dispositiones decreti *Ne temere,* orta fuerit inter Archiepiscopum Bombayensem et Episcopum Damanensem, in generali conventu S. C. Conc. habito die 27 Iulii 1908 in *Romana et aliarum,* propositum est dubium VIII: «Utrum subditi dioecesis Damanensis, in dioecesi tamen Bombayensi commorantes, et e converso subditi dioecesis Bombayensis degentes in dioecesi Damanensi, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali, vel possint etiam coram parocho territorii »; cui dubio EE. PP. responderunt: *Dilata.*

Veram tum hodiernus Archiepiscopus Goanus, Patriarcha omnium Indiarum Orientalium honoris causa, nomine etiam Ordinariorum Provinciae Ecclesiasticae Goanae, tum, ex altera parte, praefatus Archiepiscopus Bombayensis ab H. S. C. iteratis precibus petiverunt ut quaestio dirimeretur; et Goanus Archiepiscopus notitias quoque locorum et personarum exposuit, pro quibus duplex iurisdictio viget: ideoque, ut mens erat S. Congregationis Concilii, quaestio quoad omnes eius generis dioeceses in Indiis Orientalibus suscepta est definienda.

Ad quam rem in plenario conventu huius S. C. de disciplina Sacramentorum, habito die °*21* mensis Maii 1910 sequens dubium solvendum propositum fuit:

Utrum degentes in locis Indiarum Orientalium in quibus viget duplex

/

iurisdictio, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali, vel possint etiam coram parocho territorii.

Et Emi ac Rmi Patres, re mature perpensa, proposito dubio respondendum censuerunt:

Attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, affirmative ad l.am partem, negative ad 2.am, facto verbo cum SSmo.

Facta autem SSmo relatione de omnibus a R. P. D. Secretario eiusdem S. G., in audientia diei 29 Maii 1910, Sanctitas Sua Emorum Patrum decisionem approbare et confirmare dignata est.

Datum ex aedibus S. G. de disciplina Sacramentorum, die 2 mensis Iunii anno 1910.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus.*

L. © S.

Ph. Giustini, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

DUBIA CIRCA INTERPRETATIONEM DECLARATIONUM

diei 7 Septembris 1909.

Cum nonnulla dubia exorta fuerint circa rectam interpretationem Declarationum huius Sacrae Congregationis de Religiosis, d. d. 7 Septembris 1909, quoad articulum VI, Decreti *Auctis admodum,* eorum solutio ab hac eadem Sacra Congregatione expostulata fuit, nimirum:

1. Utrum praedictae Declarationes respiciant tantum Domus Religiosas studiorum solius Italiae, an etiam, eas ubique terrarum constitutas.

2. Utrum eisdem Declarationibus sese conformare debeant eae tantum Congregationes Religiosae, in quibus emittuntur vota, an etiam illae, quibus alumni ligantur simplici promissione perseverantiae, ut apud Eudistas.

3. Utrum, contracto vacationum tempore, et pressius aucto studiorum conatu, totus Theologiae cursus tribus tantum annis comprehendi possit; an potius per quatuor integros annos academicos, scilicet per quadraginta quinque menses integros, computatis vacationibus trium priorum annorum, semper protraili debeat.

Et Sacra eadem Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit, prouti respondet:

Ad 1. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad 2. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad 3. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae, die 31 Maii 1910.

Fr. I. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

L. £g S. F. Cherubini, *Subsecretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

SEGUSINA (*Susa*).

IURIS CANENDI MISSAS ADVENTICIAS.

Pio PP. X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno septimo, die 5 Martii 1910, BR. PP. DD. Ioannes Prior, Ponens, *Aloisius Sincero et Fridericus Cattani,* Auditores de Turno, *in causa* Segusina, Iuris canendi missas adventicias, *inter Petrum Viglione rectorem Ecclesiae a suffragio appellantem, repraesentatum per legitimum procuratorem Vincentium Sacconi advocatum et Antonium Tonda Praepositum Ecclesiae Cathedralis appellatum, repraesentatum per legitimum procuratorem sacerdotem Antonium Lombardi advocatum, sequentem definitivam tulerunt sententiam.*

Funera in civitate Segusina celebrari olim consueverunt in Ecclesia Gratiarum, Cathedralis Ecclesiae adiutrice, quae veteri urbis coemeterio adiacebat. Quum vero, anno 1890, auctore Municipio, procul ab urbe translatum fuisset coemeterium, aliam oportuit destinari ecclesiam, "ubi Praepositus Ecclesiae Cathedralis, qui et munere parochi fungitur in eadem ecclesia, funera^commodius persolvere posset. Ad hunc finem deiecta fuit Ecclesia Sancti Caroli, cui tamen nonnisi paucos annos haec servitus imposita manebat, cum Municipio praesertim haud idonea sit visa.

Cum insisteret ex una parte auctoritas municipalis ut missae funebres, adstante corpore, in Ecclesia Cathedrali celebrarentur, ex alia vero obstaret eiusdem Ecclesiae Capitulum, statuit Episcopus Rosaz ut, stipe fidelium collata, nova erigeretur Ecclesia a Suffragio, cuius finis in litteris eo tempore exaratis sic describitur: « Mentre servirà alle funzioni « funebri di questa città, sarà ad un tempo come un santuario alla « Madonna del Suffragio ».

Huic Ecclesiae feliciter erectae praefectus fuit Rev. D. Petrus Viglione, qui illam usque ad hodiernum diem ad ministravi! Per quinque circiter annos, vivente Episcopo Rosaz, non est ausus missas cantare adventicias, de quibus in praesenti quaestione agitur. Idem Episcopus, enim, decreto anni 1885 declaraverat, vigere Segusii consuetudinem, qua prohibebatur rectores ecclesiarum non-parochialium huiusmodi missas cantare irrequisito parocho. Contra hoc decretum rectores praedicti recursum habuerunt ad Sacram Congregationem Concilii, quae respondit, die 29 Maii 1886: « Dilata et coadiuventur probationes quoad praescriptionem ». Quo habito responso, Praepositus Peynetti haud ulterius prosecutus est litem.

Mortuo Episcopo Rosaz, Rev. D. Viglione petenti ut sibi missas praefatas inconsulto parocho canere Iiceret, annuit Episcopus hodiernus, qui simul eumdem admonuit de querelis, quas verisimiliter Praepositus moturus esset. Reapse instituit ipse actionem in Curia Segusina, quae sententia die 20 Iulii an. 1901 prolata ius missas dictas canendi sacerdoti Viglione, Ecclesiae a Suffragio rectori, adiudicavit. Appellatione interposita ad Sacram Congregationem Concilii, causa delata fuit ad Sacram Romanam Rotam, quae proposito dubio: - An constet de iure sacerdoti Viglione, rectoris Ecclesiae a Suffragio, canendi Missas adventicias, etiam funeraticias, absque parochi licentia in casu % - die 6 Aprilis 1909 negative respondit. Cum haec sententia rotalis non fuerit con¬firmatoria alterius sententiae in eadem causa editae, sacerdos Viglione, iure suo utens, ad normam *can. 33, n. 2 Legis Propriae S. R. Rotae* ad proxime sequentem turnum rotalem appellavit, et quaestio hodie dirimenda proponitur sub dubii formula:

« An confirmanda vel infirmanda sit sententia rotalis in casu ? »

In sententia prioris instantiae tria praecipue fundamentum praebent solutionis in Praepositi favorem editae:

1. ° Conditio iuridica Ecclesiae Cathedralis, qua refundebatur in sacerdotem Viglione onus probandi;

2. ° specialis dependentia Ecclesiae a Suffragio ab Ecclesia Cathedrali;

3. ° praesumptio de existentia consuetudinis in favorem parochi Ecclesiae Cathedralis.

Sacerdos Viglione contenderat sibi iuris regulam assistere, quia Decretum *Urbis et Orbis* diei 10 Decembris 1703 sibi uti rectori ecclesiae non-parochialis ius canendi missas adventicias indubie tribuit, ac proinde conclusit onus probandi contrarium spectare ad adversarium.

Priores iudices, vero ius commune Praeposito assistere declararunt.

« Nam Ecclesia cathedralis, aiebant, prae aliis ecclesiis etiam parochialibus, « sibi vindicat quamdam potiorem auctoritatem, et quasi dominium in « ecclesias inferiores, quod deducunt doctores *ex cap. 2 de cappellis « monach.*, cuius *summarium* statuit: - " Si Ecclesia non cathedralis vin- « dicat sibi ius in alia ecclesia, obtinebit solum quoad ea, quae pro- « bavit sibi deberi praescriptione aut alio legitimo modo ". Item ex capite « finali de off. Archidiaconi. Equidem universae aliae ecclesiae dioecesis « in Cathedrali recognoscere et revereri debent veluti suam *matricem^* « suum caput: unde id iuris tantum adversus Cathedralem sibi repetere « valent, quae legitimo titulo acquisivisse demonstrant; quare veluti « iure non decrescendi, cathedrali competunt iura alteri ecclesiae certe « non acquisita ».

Et inferius, post recitatas aliquorum doctorum sententias et deci- siones rotales, in quibus affirmatur principium, quod *Ecclesia Cathedra- lis fundatam habet intentionem super subiectione aliarum dioecesis eccle- siarum,* haec de privilegiata Ecclesia Cathedralis conditione subdunt: -

« .... haec enim praerogativa competit Ecclesiae Cathedrali, non qua- « tenus est ecclesia quaedam parochialis, habens sua iura et suos fines, « non secus ac aliae parochiae, sed quia est ecclesia Episcopi et veluti' « parochia totius dioecesis et aliarum ecclesiarum matrix et caput ».

« In praesenti actione autem effectus huius praerogativae est ut « Praepositus Ecclesiae Cathedralis relevetur ab onere probandi ut con- « siderat Schmalzgrueber *in tit. de cap. monach. n. 17,* aiens, quod *Ecclesia « Cathedralis, - fundatam habet intentionem super subiectione ecclesiarum « infra fines dioecesis suae sitarum »,* et proinde relevatur ab onere pro- bandi et istud reiicit in adversarium.

De speciali dependentia Ecclesiae a Suffragio haec inter alia habet sententia iam data: *

« ..... ex sua origine, effecta est coadiutorialis et auxiliaris Ecclesiae « Cathedralis propter eam potissimam causam, ut ibi libere et commode « absolverentur funera fidelium parochianorum: quare qualiscumque « independentia ab Ecclesia Cathedrali aliena est ab eius destinatione, « et deordinaret exercitium cultus divini ».

De consuetudine, vero, aiunt, iudices: « .... quamvis haberi non « possit plene probata, eo màxime quia testes non fuerunt iudicialiter « excussi, nihilominus, attentis praecipue praescriptionibus synodalibus « praesumptio oritur favens Praeposito, quae reiicit in contradictores « onus probandi quod in contrarium asseritur ».

Iudices in praesenti instantia ab onere probandi relevandum esse censuere Sacerdotem Viglione, Ecclesiae a Suffragio rectorem, ratione iuris

communis in decreto *Urbis et Orbis* an. 1703 statuti, cui iuri in casu haud praevalere duxerunt quamcumque privilegiatam conditionem iuridicam praerogativas Ecclesiae Cathedralis consequentem, qua, stante controversia inter ipsam et ecclesiam inferiorem, onus probandi in hanc refundere posset: et speciatim, principium ex variis doctoribus et decisionibus rotalibus allatum, quod *ecclesia Cathedralis fundatam habet intentionem in iure super subiectione aliarum dioecesis ecclesiarum,* quamvis in se certissimum sit, et multoties ab Hoc Sacro Ordine repetitum, idque tempore immediate subsequente promulgationem Decreti *Urbis et Orbis* anni 1703, tamen, actioni praesenti applicari non posse declarant, ob motiva, quae nunc sunt explicanda.

Principium a Summario, *cap. Dilectus 2, de cap. Monach,* praecipue deductum, et verbis sive Fagnani, sive decisionum rotalium, in priori sententia enunciatum. - « Ecclesia nulla praeter ecclesiam Cathedralem « fundat intentionem suam de iure super subiectione alterius ecclesiae, « etiam fundatae intra lirnites suae paroeciae, praeterquam ad iura paro- « chialia » - duplex assertum continet, uti de propositione exclusiva generaliter docet dialectica; affirmativum aliud, nempe, - « Ecclesia Cathedralis fundat suam intentionem de iure super subiectione alterius ecclesiae etiam quoad iura non parochialia »: et aliud negativum, - « Nulla alia "ecclesia fundat suam intentionem de iure super subiectione alterius ecclesiae praeterquam in ordine ad iura parochialia ». Qua facta distinctione, notarunt PP. Auditores quod in i nulla ex decisionibus rotalibus in sententia appellata citatis, sive scilicet in illa magistrali coram Coccino, *Dec. 552, part. 5, Recen.;* sive coram Lancetta, *Dec. 784 et 988;* sive coram Molines, *Dec. 990, tom. 4.;* sive denique coram Ansaldo in *Bisinianen. -Praeeminentiarum. Dec. 483, tom. 5,* in nulla ex istis decisionibus applicatur principium supradictum quoad eius partem affirmativam, sed solummodo quoad partem excludentem et negativam. Siquidem in nulla ex allatis decisionibus agitur quaestio de iuribus Ecclesiae Cathedralis, sed principium in medium adducitur ad excludendam praetensionem Ecclesiae Cathedrali inferioris, quae iura quaedam sibi vindicaret super altera ecclesia intra lirnites suos posita. Frustra, igitur, in huiusmodi decisionibus Sacrae Romanae Rotae quaereretur explicatio de effectibus positivis talis principii, quatenus iura Cathedrali propria affirmat.

Considerantes, deinde, latum positivum praefati principii, seu partem affirmativam, prouti ex Schmalzgrueber in priori sententia refertur: « Ecclesia Cathedralis fundatam habet intentionem super subiectione « ecclesiarum intra fines dioecesis suae sitarum » notarunt insuper PP.

terminum « Ecclesia Cathedralis » ambiguum esse, qui proinde iuxta materiam subiectam intelligi debet. Uti scribit Barbosa, *Appellativ. 85:* « Ecclesiae Cathedralis appellatione quandoque solus Episcopus, quan- « doque solum Capitulum, quandoque utrumque significatur, importat « etiam Collegium clericorum: item importat quid diversum ab Epi- « scopo, ut per multa exempla percurrit Feder. de Senis, *cons. 296 etc.* ». Sicut Ecclesia Romana significat quandoque solum Summum Pontificem, ita titulus Episcopi ponitur quandoque pro ipso Episcopo.

Materia vero subiecta relate ad dictum principium positivum est iurisdictio ordinaria Episcopi supra totam dioecesim, ita ut « Ecclesia Cathedralis » in casu significet solum Episcopum. Hoc liquet ex iis, quae habet Bourlemont *in Decis. 469, n. 1 et 23, part. 19, tom. 2,* ubi de eodem principio agit: « Altera (regula) scilicet, nulla Ecclesia, excepta « matrice, seu Cathedrali..... fundat de iure intentionem in subiectione « aliarum ecclesiarum inferiorum, nisi quatenus illam probet ex iure « speciali vel praescriptione ex text. *cap. Dilectus, 2, de cap. Monach.,* « ubi communiter Canonistae et approbata per Rotam *in Decis. 552, « n. 11,* per tot. *part. 5, tom. 2, Recent.* - et (Decisio videlicet magistralis, « de qua in sententia appellata) repetit, inter Coccin., *Decis. 2089, n. 10 « et seq. »* De eadem regula prosequitur n. 23: « Nec ex quo est Colle- « giata, et sic inferior Ecclesiae Cathedrali, viget *regula obiecta in prin- « cipio,* quod non habeat subiectas alias inferiores, nisi ex iure speciali « vel praescriptione,..... tum quia non praetendit *in ecclesias inferiores « subiectionem et iurisdictionem, in quibus terminis, et ad quem effectum « loquitur Text. in dicto cap. Dilectus 2, de cap. Monach, et Doctores, « illum commentantes.....*, sed tantum praetendit praeeminentiam in fun- « ctionibus ecclesiasticis etc. ». Doctores igitur commentantes praedi- ctum *cap. de cap. Monach.,* secundum hanc decisionem rotalem, regu- lam seu principium interpretantur de *iurisdictione in omnes dioecesis ecclesias.*

Ipse Ansaldus, loquens de Decisione, quam dedit in *Bisinianen. - Praeeminentiarum,* eamdem principii interpretationem confirmat. In *Ge- runden. -Anniversarium* 14 Maii 1710, dicit: « In reliquis *p tenarie « subiaciebant Episcopo, secundum eam potentiorem iurisdictionem, quam* « compatibiliter in ceteris *fovet Episcopus* etiam cum Praelatis inferio- « ribus, ex plene firmatis in *Toletan. -Iurisdictionis* etc, *et faciunt tra- « dita, seu disputata et explicata in Bisinianen. -Praeeminentiarum* 10 Fe- « bruarii currentis coram me ». Item Krimer S. I., *in tit. 36 de relig, domib. n. 3021: « Omnes textus, in quibus fundatur haec ecclesiarum et « monasteriorum in iure communi subiectio,* relate ad Episcopum seu

« Ordinarium loci, *loquuntur de Episcopo ac potestate iurisdictionis epi-« scopalis:* et nihil horum est in parochis relate ad ecclesias intra « fines parochiae ».

Iamvero, Episcopus solus huiusmodi iurisdictionem ordinariam in omnes dioecesis ecclesias possidet. Capitulum enim, vivente Episcopo, nullam habet in dioecesi iurisdictionem. Rota, *Decis. 217, n. 2, part. 1. Recen. Firmana-Beneficii* - coram Lugdunen., Leuren. *For. Benef. de Pot. Cap., qu. 471,* et auctores passim. Si nec Capitulum talem iurisdictionem possidet, multo minus illam habet parochus Ecclesiae Cathedralis.

In antiquissimo iure, utique, vicarii nati Episcopi, sive in temporalibus sive in spiritualibus, erant Capituli dignitates, Archidiaconus et Archipresbyter. De Luca, *de Praeminentiis, diss. 20, n. 13 et 23.* Sed iamdiu ante Concilium Tridentinum utplurimum abrogata est per consuetudinem contrariam huiusmodi iuris dispositio, ita ut delegatus Episcopi ad iurisdictionem in tota dioecesi exercendam sit solus Vicarius generalis ab Episcopo nominandus. Scribit De Luca, *de Praeeminent. disc. 20, n. 14:* « Istae autem dignitates non sunt amplius in usu, « unde Archidiaconus et Archipresbyter hodierni dicuntur tales abusive, « aliquas prioris dignitatis reliquias retinentes quoad caeremonialia tan-« tum, ut ceteris allegatis habet Lotterius, *de Benef. lib. 1, qu. 16, n. 107 « cum seqq.*; Sanchez, *de Matrim, lib. 3, disp. 27 in fin.* ». Hodiernum ius commune quod attinet, nec Capitulum, nec ulla ipsius Dignitas vel membrum actualiter iurisdictionem episcopalem participat, Episcopo ipso vivente.

Commentarla, deinde, Doctorum in dictum *cap. Dilectus 2, de cap. Monach.* clare ostendunt Summarium eiusdem Capitis nonnisi de Episcopo intelligi posse. Non erit abs re quorundam saltem illorum hic verba referre. Ita Barbosa, *in cap. Dilectus de cap. Monach.* Ad verba, « Sit in parochia vestra sita etc. Notatur ad hoc quod quaelibet Ecclesia, « eo quod est in aliqua dioecesi constituta, Episcopo illius subiecta « debet esse, nisi exempta probetur ». Similiter Krimer, *de cap. Monach., n. 3048.* - « Ex hoc deducitur quod quaevis ecclesia eo ipso quod est « in aliqua dioecesi constituta, Episcopo illius subiecta debet esse, nisi « exempta probetur.... ». Pirrhing, *in idem cap. Dilectus.* - « Ex eo quod « Ecclesia aliqua .... sit posita intra fines alicuius parochiae, non recte « infertur illam esse subiectum eidem parochiae, neque haec habet inten-« tionem fundatam in iure communi super subiectione ecclesiae sitae « intra fines illius .... Nec obstat c. *Constitutus* supr. *de relig, domib.* Nam « *loquitur de Episcopo,* sive de Ecclesia Cathedrali, non de inferiore, et

« nullibi reperitur iure expressum, quod in hoc cap. *(Dilectus)* a Syndico « S. Ceciliae allegatum fuit, de iure communi ecclesiam sitam in aliqua « parochia, subiectam esse eidem ». Item Schmalzgrueber, *de cap. Monach., n. 17,* cuius verba in sententia appellata citantur: « Ad 2 textus illi « loquuntur de Episcopo et Ecclesia Cathedrali, quae ut tit. praec. n. 5, « dictum est, fundatam habet intentionem supra subiectione ecclesiarum « intra fines *dioecesis suae* sitarum ». In praecedente titulo, ad quem « refert auctor, sub n. 4, rationem assignat huius fundatae intentionis: « Episcopus hoc ipso quod constat illam in dioecesi eiusdem sitam « esse, super eius subiectione intentionem, et praesumptionem in iure « communi habeat .... Ratio est, quia iurisdictio Ordinarii per totam « dioecesim iuris praesumptione extenditur, cons. omnia complectitur « quae ab eadem non probentur exempta ».

Unde haud mirum si Commentatores antiquissimi Decretalium, uti Innocentius IV, Hostiensis, Ioannes de Andrea, in hoc *cap. Dilectus de cap. Monach.,* post recitatum Summarium, in toto commentario ne verbum quidem faciunt de Ecclesia Cathedrali, sed de Episcopo eiusque iuribus constanter loquuntur: et comparatio quae notatur in Decisionibus Sacrae Rotae et auctoribus recentioribus inter Ecclesiam Cathedralem habentem fundatam in iure intentionem super subiectione aliarum ecclesiarum etiam quod iura non-parochialia ex una parte, et ex alia ecclesiam inferiorem habentem in iure similem fundatam intentionem relate ad sola iura parochialia, in hisce supradictis antiquis auctoribus magis concrete exponitur, et dicunt: « Episcopus potest petere in genere « iura episcopalia, et sacerdos iura parochialia », quin ulla mentio fiat de « Ecclesia Cathedrali ». Innocentius habet: « .... (et similiter) haec « adiectio admittitur ubi multa sunt iura eiusdem iuris vel consuetudi- « nis, sicut est quando *Episcopus petit aliqua iura episcopalia, et postea « subiicit generalem clausulam, scilicet ad omnia alia ad ius episcopale « pertinentia,* vel etiam consimilia, i. e. quae a iure vel pacto vel consue- « tudine generali, provinciae si agit Archiepiscopus, vel dioecesis si agit « Episcopus, statuta sunt, ut sint de iure episcopali ..... et *eodem modo « sacerdos potest petere iura parochialia ».*

Hostien. *in cap. Dilectus:*

« .... Facta oppositio locum habet tantum, quando ea iura, quae « possidente, de iure communi pertinent ad hominem illius ordinis, « cuius est ille, qui possidet, puto *Episcopus iura episcopalia possidet « in sua dioecesi, Sacerdos iura parochialia in sua parochia ».*

Ioannes de Andrea, *cap. Dilectus:*

« Haec adiectio admittitur ubi multa petuntur et diversa capitula,

« quae eiusdem iuris et conditionis sunt, ut quando *Episcopus petit iura «episcopalia,* specificando duo vel tria, et *postea subiicit clausulam « generalem dicens, et omnia alia consimilia,* ut hic dicit, vel ad ius « episcopale pertinentia, id est, quae mihi debentur a iure vel pacto, con- « suetudine etiam generali provinciae si Archiepiscopus agit, vel dioe- « cesis si agit Episcopus.... et *eodem modo Sacerdos potest petere iura « parochialia ».*

Abbas antiquus *in idem cap. Dilectus:*

« Unde dicit secure (Innocentius) quod haec, quae exprimuntur, *« spectant ad Episcopum de iure communi, et intra iura episcopalia com- « putantur* ut supra de offic. ordin. conquerente. *In iure autem paro- « chiali* ut in decimis.... dici potest quod *minor ecclesia subdit matrici* « ecclesiae ».

Antonius de Butrio *in cap. Dilectus:*

« Dicunt auctores quod hic non probatur de iuribus episcopalibus, « quia iura erant parochialia, et *vindicabantur ut parochialia, licet in facto « et de facto essent episcopalia ».*

Panormitanus, *in idem cap. Dilectus:*

« Quatenus Glossa pro isto iure alleg, in text. adducit c. *Constitutus « de relig, domib.,* videntur velle quod ista allegatio sit vera, et sic de « iure communi ecclesia matrix, i. plebanatus, vel alia parochialis, fundet « intentionem suam super subiectione Ecclesiae intra parochiam. Sed « Doctores communiter impugnant istam glossam. Nam c. *Constitutus « loquitur de Episcopo, et non de Ecclesia inferiore.* Ideo dicit Innoc. « se ignorare ubi sit illud ius allegatum in text., imo contrarium videt « expressum in cap. fin. de Archidiacon. ».

Petrus de Ancharano, *in cap. Dilectus:*

« Cum petitur ius episcopale, ius parochiale vel ius archi diaconale « quia ista habent fines limitatos, et specificatos a iure, admittitur petitio « generalis.... quia sub verbo (similium) comprehenduntur omnia alia, « quae a iure sunt expressa, et *hoc verum quando cum Episcopus ista « petit, vel Rector parochiae iura parochialia....* Si autem ille qui de iure « communi non habet intentionem fundatam, peteret talia, debent omnia « specificari, quia non habet ius commune pro se ».

Principium igitur, quod « Ecclesia Cathedralis fundatam habet inten- « tionem in iure de subiectione aliarum dioecesis ecclesiarum », signi- ficat, ut verba repetam Barbosae superius citata: « Ecclesia, eo ipso « quod est in aliqua dioecesi constituta, Episcopo illius subiecta debet « esse, nisi exempta probetur ».

Praepositus Capituli in casu, quatenus parochus est Ecclesiae Ca-

thedralis, non habet sibi delegatam episcopalem iurisdictionem, neque in praesenti càusa nomine Episcopi, cuius immo decretum illi contrarium fuit, sed proprio nomine agit, quatenus actualem animarum curam gerit in parochia cathedrali. Nam apprime distinguendum est inter parochiam cathedralem et Ecclesiam Cathedralem, quatenus haec est totius Episcopatus parochia. Ut ait Frances, *cap. 21, n. 66, 67:* « Neve detur locus « ambiguitatibus dicas breviter distingui Parochum Ecclesiae Cathedralis « et parochiam, ab ipsamet Ecclesia Cathedrali, quatenus est Parochia « totius Episcopatus, ita ut Parochus nihil iuris habeat in alienos sub- « ditos, cum suos lirnites habeat, atque ea ratione alienis subditis Sacra- « menta non potest administrare, vel curam exercere in aliena parochia: « ut ex Sacra Congregatione Concilii in *Eugubina,* 20 Sept. 1628, refert « Barbosa, *de offic. et pot. parochi, cap. 19, n. 34 ».*

Nec quidquam conferunt ad probandam prilegiatam conditionem iuridicam Ecclesiae Cathedralis, de qua in themate, responsa S. C. Concilii in *Novarien.* et *Romana* et *Bredanen.,* in sententia priore citata, vel alia similia eiusdem Sacrae Congregationis, quibus declaratur Ecclesiae Cathedrali competere ius administrandi Sacramenta extraneis, eosque funerandi et sepeliendi: cum tale ius non competat Ecclesiae Cathedrali ratione praerogativae sibi propriae, seu ratione praecise cathedralitatis: nam idem ius et aliis ecclesiis principalibus attribuitur respectu ecclesiarum inferiorum in oppidis dioecesis, ut notatur relate ad ius funerandi et sepeliendi in responso Sacrae Congregationis Concilii in *Romana* et *Bredanen.,* 27 Aug. 1904 ad quod refertur in sententia appellata: « Spectat ad paro- « chum Ecclesiae Cathedralis seu ad *Ecclesiam principalem loci,* salvis « consuetudinibus et conventionibus particularibus ». Et respectu administrationis Sacramentorum constat ex Decis. Rotali coram Ansaldo, *Bisinianen. Praeeminentiarum* cuius fragmentum aliquod in priori sententia citatur: « Mirifice comprobat (matricitatem videlicet ecclesiae in casu) « hoc ipsum quod exteri, vel transeuntes, vel venientes ad habitandum in « praedicto loco, vel oppido Lutiorum, Sacramenta suscipiunt ab Archi- « presbytero eiusdem Ecclesiae S. Mariae: id enim non solum arguit «respectu ad alias ecclesias matricitatem, ut tradit Pignatelli, *cons. « 109 etc.* Verum quoque praebet *similitudinem in parvo oppido ad illud « quod praticatur in civitatibus erga Cathedralem,* ubi pariter hospites « et advenae non habentes fixam parochiam ab eadem Cathedrali «tamquam a communi matre recipiunt Sacramenta per Gloss, in c. in « nostra de sepult. ».

Sicut ista praeeminentia super ecclesia parochiali inferiore in peragendis functionibus parochialibus non arguit praesumptionem iuris in

favorem ecclesiae principalis in oppido dioecesis respectu celebrationis functionum sacerdotalium in ecclesia simplici, ita nec in favorem ecclesiae cathedralis respectu earumdem in civitate episcopali. In supradictis enim responsionibus S. C. notandum est agi de iuribus parochialibus, quae, in se spectata, de iure communi omnibus parochis litigantibus aequaliter competebant, et cum dubia exorta fuerint de exercitio eorumdem iurium, sive ratione territorii parochialis, sive ratione domicilii fidelium, congrue decidendi regula desumpta est a maiore vel minore ecclesiarum dignitate. At in casu praesenti quaestio fit de celebratione functionum sacerdotalium in ecclesia simplici, quae ex iure communi nonnisi rectori eiusdem attribuitur. Nec dici potest in favorem ecclesiae cathedralis esse praesumendum respectu dictarum functionum, quia matrix et caput est omnium dioecesis ecclesiarum: nam matricitas ecclesiae cathedralis propria non est illa strictiori sensu dicta, quae includit dependentiam ecclesiae inferioris, sive totalem ut in ecclesia mere adiutrice, vel etiam illam partialem quae saepius habetur in ecclesia parochiali ex parochia matrice per divisionem oriunda (Cfr. De Luca, *Summa Praeeminent. n. 14, 15, 16).*

Verum quidem est Praepositum, actorem in casu, praetendere omnimodam Ecclesiae a Suffragio dependentiam ab Ecclesia Cathedrali: at huiusmodi praetensio est ipsi probanda ex actis et allegatis (nec probata dici potest, ut infra videbimus), ac proinde ipsi suffragari nequit in limine litis ad onus probandi in adversarium reiiciendum.

Ecclesia Cathedralis, utique, quatenus est, ut ita dicamus, parochia totius Episcopatus, cum Episcopo veluti parocho generali, qui sua iurisdictione complectitur omnes dioecesis ecclesias, a praecripto Decreti *Urbis et Orbis* an. 1703 aliquatenus excipitur, in quantum Episcopo competit usum moderari facultatum sacras functiones non-parochiales com¬plendi, quas rectoribus ecclesiarum non-parochialium idem Decretum tribuit. Nam ut optime notat sententia appellata ex Institutione Benedicti XIV super dicto *Decreto 105, cap. V, n. 94:* « Ex his, quae hucusque « dicta sunt, facile deprehenditur Sacrae Congregationi, dum parochos « inter et Sodalitates dissidia componeret, eam non fuisse mentem, ut « Episcoporum iurisdictionem infringeret, aut ipsos impediret, ne umquam « a decretis ipsis recederent, etiamsi legitima causa interveniat, et dioe- « cesis utilitas aliud exposcere videatur ».

At similis exceptio non afficit Parochum Ecclesiae Cathedralis cum sua parochia limitata, quum fini ipsi obstaret eiusdem decreti, quod, ut in eodem decreto declaratur, editum fuit « ad debitum imponendum « finem controversiis, quae inter Parochos et Confraternitates saecula-

« res, earumque Cappellanos et Officiales, super iuribus parochialibus « et functionibus ecclesiasticis, nonnullisque praeeminentiis seu praero- «gativis, frequenter oriri solent». Quum, vero, principium invocatum de fundata intentione Ecclesiae Cathedralis super subiectione aliarum ecclesiarum, non solum ecclesias intra lirnites Parochiae Cathedralis erectas, sed aeque omnes dioecesis ecclesias respiciat, si parochus Ecclesiae Cathedralis non subiicieretur decreto sicut alii parochi, largus omnino relictus fuisset campus ipsis controversiis, ad quas finiendas promulgatum fuit decretum. Et nullibi sane, quod maxime attendendum est, in praxim deducta fuisse videtur talis exceptio favore parochi Ecclesiae Cathedralis. Ceterum, sententia ipsa appellata, dicit: «ne a parocho « quidem Ecclesiae Cathedralis prohiberi possunt sive sodalitates sive « simplices rectores quominus compleant functiones non-parochiales ad « normam citati Decreti *Urbis et Orbis,* et Episcopo tantummodo com- « petit potestas moderandi earumdem usum ».

Concludendum, igitur, parochum Ecclesiae Cathedralis nullo speciali privilegio frui in praesenti actione, atque, si iura praetendit in ecclesiam intra lirnites parochiae Cathedralis sitam, id solum, praeter iura parochialia, obtenturum fore, quod ex titulo aliquo legitimo sibi competere probare possit.

Duae remanent quaestiones dirimendae, quae de facto potiusquam de iure aguntur:

1. ° An probaverit Praepositus Ecclesiam a Suffragio dependentem esse ab Ecclesia Cathedrali ?

2. ° Quatenus negative, an probaverit in civitate Segusina vigere consuetudinem, vi cuius fas non est rectoribus ecclesiarum non-parochialium canere missas adventicias sine venia parochi ?

Quod primam spectat, si probetur a Praeposito, qui Sacerdotem Viglione in ius vocaverat, Ecclesiae a Suffragio omnimoda dependentia ab Ecclesia Cathedrali, quaestio principalis de missis adventiciis solvi deberet in favorem Praepositi, qui nullam haberet necessitatem invocandi consuetudinem iuri communi derogantem, cum ipsum ius commune parocho facultatem conferat, non solum de missis adventiciis disponendi, sed et omnia ordinandi sacra celebranda in ecclesia adiutrice, quae ab Ecclesia parochiali omnino dependet, et cum ipsa unam formalem ecclesiam constituit.

Praepositum, tamquam Parochum Ecclesiae Cathedralis, ius habere in Ecclesia a Suffragio funera praesente cadavere celebrandi ambigi nequit. Finis enim partialis erectionis ecclesiae hic praecise erat, uti liquet ex documento, quo invitabantur fideles, ut stipem erogarent ad novam

ecclesiam aedificandam: « S. E. Mons. Rosaz.... sta erigendo una bel- « lissima chiesa, la quale, mentre servirà alle funzioni funebri di questa « città, sarà ad un tempo come un Santuario alla Madonna del Suffra- « gio ». Impositum fuit hoc onus ab Episcopo defuncto, et a Sacerdote Viglione admittitur. De huiusmodi onere nulla est inter partes contro- versia.

Seposito hoc onere, quod nullimode impedit quominus dicatur et sit libera et independens ecclesia praedicta - idem enim onus imposi- tum fuit ecclesiae Sancti Caroli, quin ob eam rationem libertatem ami- serit - desunt omnino signa dependentiae ex quibus colligi potest Eccle- siam a Suffragio mere coadiutorialem esse Ecclesiae Cathedralis.

Tabulae fundationis non habentur, ex quibus ecclesiae iuridica positio praecise determinari potest. Satis clare, tamen, elucet ex modo quo ab eius origine usque ad hodiernum diem administrata fuit. Ut verbis utar Card. De Luca in quaestione analoga: « Quoniam ista sit « ambigua quaestio potius facti et voluntatis, quid scilicet in animo « habuerit Ordinarius, quando ad hanc novam erectionem processit, unde « propterea consuetudo et observantia, dummodo sit univoca et pacifica, « recte attendenda videtur, quamvis non esset temporis considerabilis, « non tamquam praescriptiva, sed tamquam interpretativa, iuxta quoti- « dianam distinctionem in omni materia frequenter insinuatam » *(De Decimis, disc. 12, n. 1).*

Imprimis non fuit ex redditibus Ecclesiae Cathedralis erecta, ac proinde deest praesumptio dependentiae, quae ex hoc fonte erui posset. Ait Molines, *in Decis. 990, 3 Iul. 1705, tom. 4, n. 3 e 4:* « Probavit mox « dictum Oratorium seu Cappellani S. Mariae fuisse erectam ex Christi « fidelium oblationibus citra subiectionem quamcumque,.... eique tradi- « tum fuisse gubernium et reddituum administrationem, quae omnia « excludunt subiectionem, ad quam inducendam non sufficit ecclesiam « fuisse erectam intra lirnites alterius ecclesiae, sed inter alias requiri- « tur, quod sit dotata de redditibus et proventibus illius, ut ex pluribus « firmat Valenzuel., *cons. 45, n. 50, lib. I.* - Rota, *Decis. 192, n. 7, part. 18, « tom. 2.* Recent, et in *Firmana Iurisdictionis super mod. visitandi,* 20 Mar- « tii 1702. Neque magis, coram me ». Cf. Schmalzg. *de cap. Monach, n. 16.*

Episcopus actualis declarat: « essere notorio a tutta Susa che le « funzioni solite a celebrarsi nella Chiesa della Madonna del Suffra- « gio, quale il Sacro Rosario.... Novene ecc. Tutte le altre funzioni non « parrocchiali furono sempre dal M. R. D. Pietro Viglione, Rettore della « detta Chiesa, celebrate, come celebransi tutt'ora, o per ordine e deter- « minazione dello stesso fondatore M. Edoardo Rosaz o del Vescovo

« attuale, o per commissione libera e pubblica de' cittadini fedeli, *sciente « Canonico Praeposito et numquam contradicente,* e non già nè a sgravio, « nè in sussidio del medesimo Canonico Prevosto, il quale per altro non « ne abbisogna affatto ».

Ex decreto eiusdem Episcopi scimus onus suppeditandi sumptus ad sacra indicenda nec non ad omnia sarta tectaque tuenda Sacerdoti Viglione incumbere. Haec omnia facta, quae, si praescindamus parumper a re missarum adventiciarum, haud in dubium vocantur a Praeposito Ecclesiae Cathedralis, consistere nequeunt cum conditione Ecclesiae mere coadiutorialis. Ideo non dubitavi! idem Episcopus asserere: « L' unico « péso adunque che gravita sulla Chiesa della Madonna del Suffragio a « favore della Chiesa Cattedrale parrocchiale e la servitù della levata dei « cadaveri, sì e come gravitava sulla Chiesa di S. Carlo nè più nè « meno ». Et in rescripto dato R. P. Petro Viglione, rectori Ecclesiae a Suffragio: « Noi intendiamo che l'Oratore sia Rettore con tutte le facoltà « inerenti al suo titolo. Del resto riteniamo che questa nostra intenzione « non sia altro che la continuazione dell'intenzione dell'immediato nostro « Antecessore di f. m. Edoardo Rosaz ».

Quamnam habeant vim huiusmodi declarationes, patebit perpendens verba Ansaldi in saepe citata causa *Bisinianen. - Praeminentiarum, Decis. 483, n. 8:* « Ordinarius tamquam de iure optime informatus « habetur singulorum statuum suarum ecclesiarum ».

Quod Sacerdos Viglione per quinque circiter annos, seu vivente Episcopo Rosaz, nec missas adventicias cantavit, nec facultatem ad id postulavit, non probat ecclesiam suam dependere a Cathedrali, etiamsi ita iussisset Episcopus, cum alia ratio huius omissionis vel etiam iussionis Episcopi in promptu sit: et ex actibus aequivocis, a fortiori ex omissione aequivoca subiectio ecclesiae non probatur. Ut ait Molines, *Decis. 990, n. 8:* « Cum « dictus actus sit aequivocus, nullo modo concludit subiectionem, ut « generaliter respondit Rota in *Firmana Iurisdictionis,* 20 Martii 1702: « Provisiones coram me ». Scitum est enim eumdem Episcopum opinasse, prout in suo decreto an. 1885 declaravit, Segusii vigere ius consuetudinarium, quo in ecclesiis non-parochialibus prohibebatur sine venia parochi huiusmodi missarum cantus.

Assertum Revmi Praepositi Patroni, quod Ecclesia a Suffragio subrogata fuit Ecclesiae Gratiarum, quae totaliter ab Ecclesia Cathedrali dependebat, non solum non probatur, sed nullo nititur fundamento, cum praedicta Ecclesia Gratiarum, licet non amplius inserviat exequiis celebrandis, adhuc tamen pergat existere sicut prius, cum sua dependentia ab Ecclesia Cathedrali, ideoque subrogationi non est locus.

Recognita independentia Ecclesiae a Suffragio, regula iuris rectori eiusdem assistit, qua fundatam habet intentionem in iure communi, a Decreto *Urbis et Orbis* an. 1703 declarato, canendi missas adventicias sive pro vivis sive pro defunctis, nisi vetet consuetudo contraria. Ut ait Scarfantonius, *part. 3, addit. 22, n. 8 et 9:* « Et haec adeo de plano pro« cedunt ut haec praeeminentia faciendi huiusmodi functiones sacras in « propria ecclesia, et canendi missas solemnes, non solum competit « parocho in sua ecclesia supra quemlibet alium, sed etiam simplici « rectori ecclesiae, sive Oratorii publici, supra parochum, intra cuius « iurisdictionis lirnites reperitur situata ecclesia vel Oratorium, ut pas« sim declaravit Rota Romana, ac signanter in R*omana-Oratorii* etc. ». Idem confirmant variae responsiones Sacrae Congregationis Concilii, ut in R*eatina,* die 13 Iunii 1844 - *Marsorum,* die 25 Ian. 1858 - *Galtellinoren.,* die 29 Martii 1862.

At si Praepositus probaverit vigere Segusii consuetudinem immemorabilem ab ipso invocatam, qua fas non est rectoribus ecclesiarum non-parochialium canere huiusmodi missas, non est dubium quin et ipsa nova ecclesia a Suffragio eadem consuetudine ligari dicendum sit. Nam, ut ait Panormitanus, *in cap. Dilectus de cap. Monach,* ad verb. generaliter servetur consuetudo: « consuetudo generalis alicuius loci extenditur ad eccle« siam particularem, habentem illam qualitatem, quae regulariter est in « aliis ecclesiis eiusdem loci ». Et Petrus de Ancharano, *in idem cap....* *n. 8:* « una ecclesia non debet declinare a generali consuetudine alia« rum.... ut not. subtiliter Innocentius s. de offic. Archidiaconi ». Unde parum refert, praesentem actionem quod attinet, utrum sacerdos Viglione in sua ecclesia missas adventicias cantaverit vel non, cum dicta ecclesia nonnisi paucos annos ante inceptam hanc litem exstiterit.

Processus suppletorius de huiusmodi consuetudine pro praesenti causae instantia habitus est Segusii, in quo interrogationes porrectae testibus formiter excussis ab utraque parte productis, ad factum existentiae consuetudinis in civitate Segusina restringebantur. Neque indagandum censuere PP. quid de more fiat respectu cantus missarum adventiciarum in aliis partibus huius dioecesis: cum civitas ipsa Segusina propriis consuetudinibus gaudere possit, et ceteroquin testimonia aliata nullum relinquant dubium, quod solutione indigeat per inquisitionem ad loca circumstantia extensam.

Ex serie testimoniorum et ex defensione scripta liquet Patronum Sacerdotis Viglione probandam assumpsisse consuetudinem contrariam illi, quam asservari Segusii affirmat Praepositus. Quod nullatenus necessarium fuit, cum satis ipsi fuisset, semel posita Ecclesiae a Suffragio

independentia, probationes consuetudinis contrariae a Praeposito exhibitas insufficientes ostendere, ut ei indicaverat ipsa sententia rotalis iam data, quae declarat: « ne a parocho quidem Ecclesiae Cathedralis prohi- « beri possunt simplices rectores quominus compleant sacras functio- « nes non-parochiales ad normam citati decreti *Urbis et Orbis* ». Quamvis autem opus superfluum fecerit, et ad abundantiam munus sibi commissum impleverit, fatentur PP. Auditores argumenta ab ipso aliata plenam constituere probationem consuetudinis canendi missas adventicias in ecclesiis non-parochialibus in civitate Segusina: ita ut si aliquando forte exstiterit consuetudo legi contraria, in desuetudinem abiisse, et ad ius commune iterum regressum esse dicendum sit.

Fatendum etiam censuere relate ad consuetudinem in themate probandam, Sacerdotem Viglione in meliori conditione positum esse ac adversarium. Cum enim ad summum Praepositi ius fuerit dubium, ac proinde non potuerit fieri quaestio de iure quaesito, et consequenter nec de praescriptione proprie dicta quaesiti iuris, in qua regulam de quadragenaria pacifica possessione sua auctoritate constanter confirmavit Sacra Romana Rota, sed potius quaestio fuerit, in casu Sacerdotis Viglione, de mera consuetudine iuxta legem, per quam fit regressus ad ius commune, quae censetur favorabilis et benigna, ut tradit De Luca, *De Iurisdict, disc. 37, n. 7 et de Dote disc. 13, n. 8,* citans Ancharanum, *consil. 13* non amplius requireretur possessio quadraginta annorum, iuxta graves auctores, sed satis esset ad decennium. Scribit Reinffenstuel, *lib. 1, tit. 4, n. 196:* « Loquendo de consuetudine contra legem.....ad huius abroga- « tionem, utpote per quam reditur ad ius commune, non est necessarius « lapsus temporis, coeteroquin ad consuetudinem introducendam requi- « situs. Unde quando consuetudo posterior contra aliam consuetudinem « reducit nos ad terminos iuris communis ecclesiastici, sufficere tempus « decem annorum ad tollendam contrariam consuetudinem priorem, tenet « Abbas, *cap. ult. n. 19, h. t.;* Felinus, *cap. Cum accessissent, n. 30 de « Constitut.;* Mascardus, *conci. 172, n. 15,* citans alios et Suarez, *lib. 7 << de Legib., cap. 20, n. 21.* Qui tamen id solum admittit in casu quo « prior consuetudo contra ius commune fuit particularis, seu alicuius « loci, non autem universalis, totius Ecclesiae ». Ast haec sunt potius theoretice dicta, cum in praesenti actione iudiciali opus sit servare iuridicam positionem partium, et Praeposito, cui de iure incumbit, onus probandi relinquere.

Consuetudinis immemorabilis existentiam in sui favorem propugnai. « Praecipuum et essentiale immemorabilis requisitum, ut monet De Luca « cum auctoribus passim, *de iurisd., lib. 3, p. 2, n. 16,* est illud, quod

« testes post pubertatem deponant de visu quadragenariae pacificae pos-
« sessionis, subducto tempore litis, absque quod quidquam in contrarium
« factum, dictum vel auditum fuit, iuxta celebrem Gloss., *in cap. 1 de*
« praescription. in sexto, quotidie in foro decantatam ».

Praepositi Patronus textum affert Synodi anno 1725 habitae ab Abbate S. Iusti, qui illo tempore Ecclesiam territorii Segusini regebat, quo prohibebantur Missae cum cantu in ecclesiis filialibus et Oratoriis quibuscumque, irrequisito parocho. Praesumptionem certo parit existentis consuetudinis, quum « constitutio praesumptione iuris dicatur esse in « virida observantia, nisi contrarium ostendatur. Rota coram Seraph., *« Decis. 153, n. 2,* et coram Gelso, *Decis. 15, n. 6, et Decis. 248, n. 17;* « Rocca, *disput. Iur., cap. 39, n. 16»;* Pitonius, *Discept. Eccl. 93, n. 21.* At valor huius praesumptionis multum imminuitur ex eo quod prima Synodus Dioecesis Segusinae, post intervallum centum annorum, anno videlicet 1828 congregata, de tali prohibitione omnino silet; praesertim si perpendatur, quod notat relatio huius causae coram Sacra Congregatione Concilii, decreta huius Synodi fere de verbo ad verbum transcripta fuisse a Synodo Taurinensi Card. Costa, ubi prohibitio missarum, de quibus in themate, expresse continetur.

Decretum etiam allegavit Episcopi Rosaz diei 13 Iulii an. 1885, qui depositionibus innixus testium extraiudicialium, consuetudinem vigere declaravit, et consequenter rectores ecclesiarum non parochialium dictas missas, inconsulto parocho, celebrare vetuit. Consuetudo vero immemorabilis, ut notat Pitonius, *discep. 93, n. 4:* « non probatur per testes extra-
« iudiciales et fides informes, cum requirantur testes formiter examinati,
« deponentes cum rigorosis requisitis. Gloss., *in cap. 1, in verb. Memoria*
« de praescription. in sexto, ut in specie dixit Rota in *Pisana. - Devolu-*
« tionis, 24 Ian. 1701 ». Recursu facto contra decretum Ordinarii, respondit Sacra Congregatio Concilii: « Dilata, et coadiuventur probationes « quoad praescriptionem ». Praepositus, vero, Peynetti, qui praescriptionem probare volebat, litem deseruit. Si Iis deserta, uti ait De Luca, *de Paroch. disc. 27, n. 6:* « non interrumpit praescriptionem, dum potius ea « confirmat bonam fidem possessoris, ut *Decis. 172 Gregor,* et *Add. Decis. 467* *« Sarsinaten. - Feudi 20 Decemb. 1638, Coccin.* », certe praesumptionem facit contra eum, qui in tali lite, postea ab ipso deserta, praescriptionem probare conatus fuerit.

Si non plena dicenda fuerit a Sacra Congregatione Concilii et a iudicibus prioris instantiae probatio consuetudinis allegata, multo magis nunc, postquam iudicialiter excussi fuerint testes ab utraque parte producti, concludendum est consuetudinem non esse probatam.

Praepositus quinque produxit testes, omnes de Capitulo Segusino: testimonia aliorum duorum, quae in Summario typis edito inveniuntur, nullo pretio habenda esse decrevit Rotalis Iudex Instructor. Ex hisce quinque, Canonicus Gallessi testatur:

« Ho saputo dalla voce pubblica, che si cantassero di tali messe, « tanto più che ci fu una lite ».

Canonicus Suspize;

« So che si siano cantate di tali messe nella Chiesa di S. Carlo, « ma non so che siavi tale consuetudine: quanto poi a quella del Ponte « non so ».

Canonicus Verquera:

« Se io ho cantato qualche rara messa, lo feci credendolo un abuso, « tanto in una che nell'altra Chiesa ».

Canonicus Marzolini:

« Non posso affermare, nè negare che ci fosse o che non ci fosse « tale consuetudine, nè nell'una, nè nell'altra Chiesa ».

Canonicus Calabresi, cuius testimonium prae omnibus favet Praeposito, dicit:

« Io ritengo che non ci sia questa consuetudine se non per gli « ascritti alle rispettive Confraternite ».

Ipse Praepositus ludici interroganti respondit:

« Sapeva che si cantassero delle messe in queste due Chiese, se « queste poi furono avventizie o di legato, mi tornava diffìcile stabilirlo ».

Hinc testis unicus absolute negat existentiam consuetudinis canendi missas adventicias, inconsulto parocho; quidam alii negative se habent, alii denique factum celebrationis missarum, de quibus in themate, admittunt, et propterea adminiculum probationis adversario praebent.

Canonicus Verquera addit in sua declaratione se audivisse a Praeposito Peynetti indroductum fuisse cantum abusivum missarum sub Antecessore suo Praeposito Emiliano Brayda, a Sacerdote Iosepho Viglione. Testis ex auditu est, et quidem a fonte suspecto: nam Praepositus Peynetti est ille, qui coram Sacra Congregatione Concilii conventus ut praescriptionem contra legem communem probaret, accepto responso ut probationes coadiuvarentur quoad praescriptionem, litem deseruit. Persuasionem propriam deinde exprimit idem Canonicus praefatum missarum cantum fuisse abusivum, iudicium de factis, potius quam testimonium de eisdem proferens; simulque attestatur factum quod dictus sacerdos Iosephus Viglione huiusmodi missas cantaverat, non obstante amicabili Episcopi protestatione, sicut ante, ita et post decretum anni 1885, quoadusque vixit.

Idem testis exceptiones movet contra testes ex alia parte productos, quorum duos tantum nominat, sed exceptiones non sunt probatae, atque, quamvis probatae fuerint, nimis vagae et ineptae sunt, ut testimonium illorum infirment. In parva urbe Segusina, quae vix quatuor millia incolarum continet, viri saeculares, etiamsi officia religionis negligant, facile scire possent de missarum adventiciarum celebratione ex notitia ab amicis vel coniunctis accepta, qui forte huiusmodi missas celebrandas rectoribus commiserint. Nescirent ordinarie utrum cum licentia parochi celebratae fuerint necne: at ne unus quidem testis talem licentiam vel semel sive petitam sive concessam fuisse deponit, dum plures sacerdotes testantur numquam petitam fuisse Praepositi licentiam.

Rector Ecclesiae a Suffragio septemdecim produxit testes, inter quos novem sacerdotes, qui ex propria scientia deponunt huiusmodi missas semper cantatas fuisse in ecclesiis Sancti Caroli et Confrat. S. Spiritus vulgo « Del Ponte » etiam pro illis, ut aliqui testes affirmant, qui confraternitatibus in eisdem ecclesiis non fuerunt adscripti. Ex eorumdem plurium testimoniis constat huiusmodi missas sine venia parochi semper fuisse celebratas tum ante tum post decretum Ordinarii, anni 1885. Rmus Canonicus Ronchail, qui 93 annos habet, testatur huiusmodi missas semper cantatas fuisse a rectoribus ecclesiae S. Caroli et alterius « Del Ponte » ad instantiam fidelium, illorum etiam qui non fuerunt confraternitatibus adscripti: hoc ipsum se a maioribus accepisse, et propriis oculis vidisse: saepe etiam, uti narrat, munus Diaconi vel Subdiaconi in eisdem missis implevit; imo cantavit ipse, et exemplum sequens rectoris S. Caroli, cuius vices per decem circiter menses supplebat, numquam licentiam Praepositi petivit.

Rmus Canonicus F. Giorda, annorum 55, idem deponit.

D, Iosephus Ugetti, annorum 56, Segusii a nativitate sua degens, de facto principali missarum cantus idem testatur.

Corroborant alii testes: et omnes deponunt se numquam audivisse de oppositione ex parte Praepositi, nisi tempore decreti Episcopalis anni 1885, quando recursus habitus est ad S. Sedem et litem deseruit Praepositus Peynetti: etsi factum ipsum missarum cantus, attentis praesertim natura publica et constanti earumdem celebrationis, exiguo urbis incolarum numero, necnon exitu inefficaci decreti anni 1885, Praepositus ignorare non poterat. Tandem documenta exhibita sunt ex archiviis ecclesiarum dictarum, quibus constat quam plurimas huiusmodi missas in libris Confraternitatum fuisse inscriptas. Ex iisdem Confraternitatum regestis alia pullulant iudicia eiusdem missarum cantus.

Si quid discrepant Praepositi testes a testibus in contrarium allatis,

posteriorum testimonio, ceteris paribus, est standum: non solum quia numero plures, vel quia magis definitas et specificatas fecerunt depositiones, sed maxime quia verisimiliora deponunt, cum id servatum esse dicant quod est de iure. In concursu enim testium, ut notat Molines, *Decis. 991, tom. 4,* « praef erendi sunt illi qui deponunt iuxta iuris « dispositionem, ut millies dixit Rota in *Decis. 1135, n. 4,* coram Sera- « phin. et coram Coccin. *Decis. 2089, n. 20 et 21,* et *Decis. 48, n. 13,* « coram Bich., et *Decis. 282, n. 12, part. 16 Recent.,* et in *Marsicen.- « Decimarum,* 30 Iunii 1696 coram Muto ».

Procul omni dubio, igitur, dicendum est consuetudinem iuri communi derogantem, qua fas non est rectoribus ecclesiarum non parochialium missas adventicias canere, in civitate Segusina non vigere.

Quibus omnibus perpensis:

Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores, pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, constare de iure sacerdotis Viglione, rectoris ecclesiae a Suffragio, canendi missas adventicias etiam funeraticias absque Praepositi licentia: seu proposito dubio respondemus, infirmandam esse sententiam rotalem in casu: exinde sententiam appellatam infirmamus, et pro infirmata haberi decernimus et declaramus: statuentes praeterea expensas iudiciales tum prioris tum praesentis instantiae apud S. R. Rotam compensandas esse inter partes: expensas vero primae instantiae apud Curiam Segusinam solvendas esse omnes a Praeposito Antonio Tonda decernimus, prout statutum fuit a sententia eiusdem Curiae, quae ab H. S. O. nunc confirmatur.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim *cap. 3, sess. 25, de reform.* Conc. Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, die 5 Martii 1910.

Ioannes Prior, *Ponens.*

L. X S. Aloisius Sincero.

Fridericus Cattani.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

Annus II. - Vol. II. Die 1 Iulii 1910. Num. 12.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

MOTU PROPRIO

DE IUREIURANDO CONCEPTIS VERBIS DANDO AB IIS
QUI DOCTORES IN SACRA SCRIPTURA SUNT RENUNTIANDA

Illibatae custodiendae Religionis Nostrae doctrinae animum intendentes, plura superioribus annis providenda ac sancienda curavimus quorum virtute, Decessoris Nostri fel. rec. exempla secuti, tum debitum responsis Sacri Consilii de Re Biblica obsequium firmavimus, tum proprium huiusmodi colendis studiis, aetate hac nostra quam quae maxime gravibus, Institutum condidimus. Quoniam vero non id tantummodo Cordi Nobis est alumnos, ad magisterium contendentes, praesidiis disciplinae consentaneis ita instruere ut scientiam de Re Biblica perfecte calleant et progressionem finitimarum doctrinarum in Sacros libros defendendos apte derivent, sed etiam ut, magisterium assequuti, haustam disciplinam fideliter tradant, scientiamque in discipulorum mentibus sine ulla devii sensus suspicione inserant, idcirco formulam praeterea iurisiurandi praescribendam putavimus, quam candidati ad lauream, antequam Doctoris titulo in Sacra Scriptura donentur, recitare atque emittere teneantur. Itaque, tum doctrinae Sacrae, tum Magistrorum alumnorumque, tum denique Ecclesiae ipsius securiori bono prospectum, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuumque in modum, decernimus, volumus, praecipimus, ut, qui in Sacra Scriptura Doctores sint renuntiandi, iuramenti formulam in hunc, qui sequitur, modum emittant:

« Ego N. N. omni qua par est reverentia me subiicio et sincero
« animo adhaereo omnibus decisionibus, declarationibus et praescriptio¬
« nibus Apostolicae Sedis seu Romanorum Pontificum de Sacris Scri-

« pluris deque recta earumdem explanandarum ratione, praesertim vero « Leonis XIII Litteris encyclicis *Providentissime Deus* die XVIII Novem« bris anno MDCCCXCIII datis, nec non Pii X Motu proprio *Praestantior « Scripturae Sacrae* dato die XVIII Novembris anno MDCCCCVII, eiusque « Apostolicis Litteris *Vineae electae,* datis die VII Maii anno MDCCCCIX, « quibus edicitur " universos omnes conscientiae obstringi officio sen« tentiis Pontificalis Consilii de Re Biblica, ad doctrinam pertinentibus, « sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac edentur, perinde ac « decretis Sacrarum Congregationum a Pontifice probatis, se subiiciendi; « nec posse notam tum detrectatae obedientiae tum temeritatis devi« tare aut culpa propterea vacare gravi quotquot verbis scriptisque « sententias has tales impugnent "; quare spondeo me " principia et « decreta per Sedem Apostolicam et pontificiam Biblicam Commissio« nem edita vel edenda " uti " supremam studiorum normam et regu« lam " fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custo« diturum, nec unquam me sive in docendo sive quomodolibet verbis « scriptisque eadem esse impugnaturum. Sic spondeo, sic iuro, sic me « Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ».

Quod vero, documento hoc Nostro, Motu proprio edito, statutum est, id ratum firmumque esse iubemus, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxix Iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

LITTERAE APOSTOLICAE

I.

CONFIRMANTUR NOMINATIM VETERES INDULGENTIAE PIAE CATHOLICARUM MULIERUM FULDENSI UNIONI A MISSIONIBUS NUNCUPATAE AC NOVAE ADIICIUNTUR CUM FACULTATE **COGNOM1NES** ASSOCIATIONES UBIQUE AGGREGANDI IN PERPETUUM.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam. — Pias fidelium societates, quae veluti auxiliariae cohortes, statis sub legibus constitutae, propositum sibi habent finem adiuvandi clerum in implendis sacri ministerii partibus, Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes,

praecipuis honoribus ac spiritualibus gratiis cohonestare et communire solemus, ut Deo favente, potiora in dies incrementa pro Ecclesiae bono et fidelium salute suscipere queant.

Harum in numerum societatum, quae summopere ob susceptos in dominico agro fideliter ex colendo labores commendantur, spectatum procul dubio locum detinet catholicarum mulierum Unio a Missionibus nuncupata, quam Fuldae pia femina Catharina Schynse hoc consilio erexit, ut eius sociae missionarios praesertim germanicos, in regionibus infidelium divini Verbi praedicationi operam navantes, valide adiuvarent, et etiam catholicis in ipsa patria inter acatholicos dispersis, pro viribus subvenirent. Associationem ipsam, a pluribus Germaniae Antistitibus amplissimis verbis Sanctae huic Sedi commendatam, Leo Papa XIII rec. mem. Decessor Noster, qui eam plenaria indulgentia in articulo mortis a sociis lucranda iam a die nono Maii anno MDCCCCII ditaverat, iterum per apostolicas litteras die primo mensis anno MDCCCCIII, Piscatoris annulo obsignatas, tum per rescriptum Sacrae Congregationis Indulgentiarum die decimo eiusdem mensis et anni datum, singularibus aliis indulgentiis spiritualibusque gratiis auxit et locupletava. Nunc autem, cum ex auspicato quidem contigerit, ut plures associationes ipsius nominis atque instituti erectae fuerint in Austria, Helvetia et Rumenia, quarum sociae tum fidei catholicae provehendae studio, tum, patria caritate ductae, Missionarios propriae praesertim cuiusque nationis, dum apostolicis vacant laboribus, adiuvare intendunt, et ipsa dilecta in Christo filia Catharina Schynse, Fuldensis associationis fundatrix, Nobis enixas preces adhibuerit, ut ipsi associationi Fuldensi de Apostolica auctoritate permittamus alias istiusmodi cognomines societates, sive erectas, sive in posterum ubique terrarum erigendas, sibi aggregare, simulque ut iam concessis indulgentiis et gratiis novas Nos adiungere dignaremur de thesauro Ecclesiae indulgentias, praesertim pro sacerdotibus hanc in associationem cooptatis, Nos hisce votis, quantum in Domino possumus, annuendum censuimus. Ut igitur haec pia consociatio, iam tot tantisque meritis spectata, potiore per Nos ornamento renideat, et ipsius sociae, quae tum saecularis tum regularis cleri in sacris Missionibus peragendis validae sunt coadiutrices, amplioribus etiam frui possint spiritualibus gratiis, Nos omnes et singulas indulgentias et privilegia eidem sodalitati iam concessa, apostolica auctoritate Nostra, praesentium tenore nominatim, ut infra, confirmamus, atque eis alia, quae sunt humiliter petita, libentes adiicimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis mulieribus, tam inscriptis quam in poste-

rum rite inscribendis in Fuldensi societate a Missionibus nuncupata, in cuiuslibet earum mortis articulo, si vere poenitentes et confessae ac S. Communione refectae, vel quatenus id facere nequiverint, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tanquam peccati stipendium submisso animo susceperint, plenariam; ac tam descriptis quam in posterum pariter ipsa in associatione describendis mulieribus, quae admissorum sacramentali confessione expiatae atque Angelorum Pane refectae, festivitatibus Natalis, Epiphaniae et Paschatis Resurrectionis D. N. I. C, Pentecostes, SS. Corporis Christi, feria sexta infra octavam sollemnitatis, nec non diebus festis Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Deiparae Virginis, Conversionis S. Pauli, omnium Sanctorum Apostolorum, S. Pii V Papae, S. Bonifacii Germaniae Apostoli, S. Francisci Xaverii et S. Theresiae Virginis, ipsius Consociationis Patronae, a primis vesperis ad occasum solis diei huiusmodi quamlibet Ecclesiam seu Oratorium publicum devote Visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo praedictorum die id praestiterint, etiam plenariam; denique iisdem nunc et in posterum pariter existentibus dictae piae Unionis sodalibus, quae quolibet per annum mense, semel per integram horam, vel bis per dimidium horae, in quavis Ecclesia seu publico sacello SS. Sacramentum adoraverint, et uno die mensis illius, ad cuiusque earum lubitum eligendo, item vere poenitentes et confessae ac S. Communione refectae tum ut superius dictum est; cum etiam pro Sacris Expeditionibus in quavis Ecclesia sive Oratorio publico item oraverint, quo die mensis uniuscuiusque id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea iisdem nunc et in posterum ipsam in piam Unionem adlectis mulieribus, quo die Sanctissimum Sacramentum visitantes iuxta Romani Pontificis mentem ac pro infidelium conversione preces effundant corde saltem contrito, trecentos dies; domum sociis zelatricibus, quoties ipsae piam dictam Unionem ad gloriam Dei animarumque salutem propagare studeant, trecentos pariter in forma Ecclesiae consueta de poenalium dierum numero dies expungimus.

Insuper de benignitate Nostra Apostolica largimur, ut omnes supra¬enunciatas indulgentias lucrari valeant etiam mulieres religiosae in com¬munitate degentes, et pauperes quae eleemosynam contribuere nequeant, dummodo rite piae Unioni adscriptae sint, et conditiones pro singulis indulgentiis praestitutas adimpleant, ac praeterea si de plenariis agatur, per quartam horae partem Cor Iesu in Eucharistiam pro conversione

infidelium supplices adorent. Porro sodalibus praedictis largimur, si malint, liceat omnibus ac singulis supra recensitis indulgentiis, excepta plenaria in mortis articulo lucranda, functorum vita labes poenasque expiare. Praeterea spirituali emolumento consulere cupientes sacerdotum, qui eidem Consociationi nomen suum dederint, vel in posterum dabunt, Apostolica similiter auctoritate Nostra per praesentes facultatem ipsis facimus impertiendi aegrotis fidelibus, in mortis articulo constitutis, Benedictionem Apostolicam cum adnexa plenaria indulgentia, dummodo, servatis servandis, formula utantur a Decessore Nostro Benedicto Papa XIV fel. mem. praescripta. Sit etiam illis facultas benedicendi extra Urbem tempore Sacrarum Missionum publice, aliis vero temporibus privatim, obtenta prius respectivi Ordinarii licentia, et servatis de more servandis, Cruces, Crucifixos, sacra numismata, coronas precatorias et parvas Domini Nostri Iesu Christi, Deiparae Virginis et Sanctorum omnium statuas, quae sint ex metallo, eisque applicandi indulgentias, quae in elencho edito typis S. Congregationis de Propaganda Fide diei XXVIII Augusti MCMIII numerantur, non exclusis quoad precatorias coronas, indulgentiis a S. Birgitta nuncupatis.

Facultate etiam polleant, sartis pariter tectisque consuetis praescriptionibus et legibus, benedicendi coronas a Sanctissimo Rosario B. M. Virginis eisque applicandi indulgentias vulgo a Patribus Crucigeris appellatas. Iis postremo indulgemus, ut quoties in qualibet Ecclesia Sacrum rite litaverint pro pianda anima cuiusque e dicta Consociatione sodalis, qui e vivis excesserit, idem Sacrum ei quidem animae, pro qua celebratum fuerit, perinde suffragetur, ac si foret ad privilegiatum altare litatum. Insuper sacerdotibus, qui piam eandem Unionem propagant vel dirigunt, quater in hebdomada personale altaris privilegiati indultum ita concedimus, ut Missae quae, quatuor cuiusque hebdomadae diebus ab unoquoque eligendis, ad quodvis cuiusque Ecclesiae sive Oratorii altare per quemlibet a sacerdotibus memoratis celebrabuntur, servatis servandis, animae seu animabus, pro qua vel quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur ac si ad privilegiatum altare rite peractae forent. Denique animum Nostrum vertentes ad consociationes, quae sub eodem titulo atque ista Fuldensis, in aliis nationibus institutae iam reperiantur, vel in posterum instituentur, ad frugiferum et maximum opportunum finem adiuvandi in sacris Expeditionibus respectivae praesertim nationis Missionarios, Apostolica auctoritate Nostra hisce litteris concedimus, ut Fuldensis Unionis officiales praesentes et futuri ipsas consociationes cognomines tam erectas, quam in posterum ubique terrarum erigendas, sibi aggregare licite queant, servatis Apostolicis Consti-

tutionibus, atque illa potissimum edita a fel. rec. Clemente Papa VIII Decessore Nostro, ac similiter, ut indulgentias omnes a Sede Apostolica Fuldensi eidem consociationi concessas, quae tamen cum aliis communicari possint, supradictis eiusdem nominis sodalitatibus impertire licite possint ac valeant. Haec omnia perpetuo concedimus, decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxiv Martii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. ✠ S. *a Secretis Status.*

II.

SODALIBUS ASSOCIATIONIS REPARATIONIS SACERDOTALIS INDULGENTIA PLENARIA CONCEDITUR.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam. — Dilectus filius Maria Eduardus Mott, sacerdos Congregationis Missionis atque alter a Moderatore generali Associationis sacerdotalis Reparationis, quae quidem associatio sacerdotibus praesertim coalescit, per modum vero exceptionis aliis etiam personis constat, dummodo aliquo voto Deo iam fuerint addictae, retulit ad Nos inter sodales frugiferae huius Associationis, non paucos reperiri qui ut reparationem tam gravibus pro Ecclesia Dei temporibus, maxime necessariam curent, semetipsos immolandos Deo, quasi piaculares hostias offerant. Hoc quidem summum christianae pietatis officium, debita laude dignum Nobis visum est; in exhortatione enim, quam pro catholico clero die iv Augusti anno MDCCCCVIII edidimus, declarare non dubitavimus haud paucas esse generosioris virtutis animas quae ob eandem reparationis causam, vere victimas Deo votivas, non intermissa contentione exhibeant,

atque hoc quidem iucundum Nobis accidere. Verum ut hae voluntariae hostiae (quae ut mos est in Associamone memorata, coeteris sodalibus ignotae, soli Deo cognitae sunt) in ardua quam ingressae sunt via, alacrius pergere studeant, enixas Nobis supra recensitus sacerdos subdirector generalis preces humiliter adhibuit, ut sodales qui tantum opus susceperint indulgentiarum praesidio munire de Apostolica benignitate velimus. Nos autem precibus his, quantum in Domino possumus, annuere volentes, sodalibus memoratae Associationis Reparationis, nunc et in posterum ubique terrarum existentibus, qui sese Deo, ut supra diximus, victimas piaculares' exhibeant, si vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, ac sui in victimas oblationem renovantes, quinque Crucifixi Domini vulnera devote osculati sint, semel in mense plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, misericorditer in Domino concedimus et largimur. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxviii Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. £g S. *a Secretis Status.*

III.

CONSTITUITUR SUPREMUS MODERATOR
PRO ASSOCIATIONE REPARATIONIS SACERDOTALIS.

PIUS PP. **X.**

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Piam frugiferamque Associationem, quae e sacerdotibus praecipue constans, nomen atque institutum *Sacerdotalis Reparationis* habet, peculiari benevolentiae Nostrae significatione etiam nuper prosecuti sumus, caelestibus eam thesauris libentes locupletando. Vehementer enim probavimus finem sibi ab ipsa propositum, utpote quae religionis caritatisque operibus iniurias in tanta temporum acerbitate Deo ab iis, qui minus debeant, illatas resarcire studeat; et grato accepimus animo nonnullos eius sodales, se etiam piaculares victimas exhibendo, reparationem pro illorum peccatis

offerre; sociosque universos omni ope adniti, ut qui e tanta vitae dignitate in culpam inciderint, ad muneris decus omnino revocentur. Quare cum tu, dilecte fili, a Nobis suppliciter petieris ut huiusmodi Consociationem novis privilegiis augere dignaremur, Nos piis hisce votis propensa voluntate, censuimus obsecundandum. Praesentium igitur tenore Apostolica auctoritate Nostra Superiorem Generalem Congregationis Missionis pro tempore existentem, praedictae Associationis Reparationis Sacerdotalis Supremum Moderatorem perpetuo facimus et constituimus, eique omnia et singula tribuimus iura et praerogativas, quae huius officii sunt propria. Praeterea opportunum esse ducimus, ut quaelibet alia Consociatio, tum erecta tum in posterum ubique terrarum erigenda, cuius sodales ad eumdem finem Sacerdotalis Reparationis animos intendant, -memoratae principi Associationi, quo communes et exoptati fructus satius percipiantur, adnectatur. In contrarium non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL.

L. ^ S. *a Secretis Status.*

EPISTOLA.

DILECTO FILIO NOSTRO ANDREAE S. R. E. PRESB. CARD. FERRARI ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem. — Communem epistolam, a te tuisque sacerdotibus e dioecesana Synodo ad Nos missam, plane dignam agnovimus hominibus iis, quos disciplina Caroli Borromaei rite conformatos esse sciremus: cuius quidem sanctissimi Episcopi cum mirabilis fuisset erga Pontificem Romanum pietas et fides, iure vos dicitis factum divinitus, ut ipsius cor, in condiendo corpore, servaretur integrum, Romamque, religiose custodiendum, mitteretur. Etenim ex eis litteris licuit perspicere, quo studio flagretis ipsi, ut summam et mentis et animi vestri cum Vicario Iesu Christi coniunctionem retineatis constanter, omnique observantia obedientiaque probetis. Pergratum Nobis id quidem accidit; gratius autem fuerit, si cum ceteris praescriptionibus Nostris, tum iis praecipue, quae sunt vel de sancte instituenda, uti sacerdotes decet, vita, vel de tuenda integritate fidei

catholicae, vel de christiana doctrina tradenda populo, diligenter vos, quemadmodum soletis et promittitis, satis feceritis. Adsit vobis beatus Antistes suo apud Deum patrocinio, precamur; Nosque auspicem divinorum munerum, tibi, dilecte Fili Noster, et omni Clero tuo Apostolicam benedictionem paterna caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die III Iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO S. OFFICII

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

DUBIA CIRCA INTERPRETATIONEM MOTUS PROPRII " CUM PER APOSTOLICAS " DIEI 7 APRILIS 1910.

Feria IV, die 15 Iunii 1910.

Exortis circa interpretationem Motus Proprii « *Cum per Apostolicas* » diei 7 Aprilis anni currentis quibusdam dubiis, Supremae huic Sacrae Congregationi S. Officii sequentia quaesita proposita sunt, videlicet:

1. ° Utrum S. Congregationi S. Officii recognoscendae exhiberi debeant concessiones Indulgentiarum et facultatum Indulgentias respicientium quae ante diem 1 Novembris 1908 a S. Congregatione tunc temporis Indulgentiis praeposita et a Secretariis Brevium et Memorialium obtentae fuerunt?

2. ° An dictae exhibitioni sint obnoxiae concessiones Indulgentiarum facultatumque Indulgentias respicientium quae a Brevium Secretaria obtentae sunt post diem 1 Novembris 1908; quaeque sive ante sive post eamdem diem 1 Novembris 1908 a quovis alio, praeter recensita, S. Sedis Officio seu Dicasterio prodierunt?

3. ° An Indulgentiae ac facultates Indulgentias respicientes ante diem 1 Novembris 1908 aliter quam per tramitem alicuius ex supra laudatis S. Sedis Officiis seu Dicasteriis obtentae, debeant et ipsae S. Congregationi S. Officii exhiberi ab eaque recognosci sub poena nullitatis?

4° Utrum S. Congregationi S. Officii recognoscendae, ut supra, exhiberi debeant facultates, quae conceduntur ex peculiari Apostolico privilegio ab Ordinibus Religiosis, tamquam ipsorum propriae, benedicendi pias imagines, coronas, scapularia, numismata et similia (utpote a Minoribus pro Crucifixis ad Viam Crucis, a Praedicatoribus pro coronis

Rosarii, a Carmelitis pro scapularibus B. M. V. de Monte Carmelo, etc.) eisque Indulgentias adnectendi?

Quibus mature perpensis, Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores Generales in plenario conventu habito feria IV die 15 curr. mensis Iunii respondendum decreverunt:

Ad l.um Negative.

Ad 2.um Affirmative ad utramque partem.

Ad 3.um Affirmative.

Ad 4.um Negative.

Sequenti vero feria V die 16 eiusdem mensis SSmus D. N. Pius divina providentia PP. X in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, Emorum Patrum resolutiones adprobare et confirmare dignatus est atque insimul declarare « non fuisse suae intentionis comprehendere sub N. 1° Motus Proprii " *Cum per Apostolicas* " facultatem Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria una alterave vice vel determinato alicui personarum coetui impertiendi ».

Romae, ex Aedibus S. Officii, die 17 Iunii 1910.

Aloisius Giambene, *Substitutus pro Indulgentiis.*

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis, elegit:

22 martii 1910. — R. P. D. Thomam Lillis, episcopum Leavenworthensem (Leavenworth), in episcopum titularem ecclesiae Cibyrensis, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Ioannis Iosephi Hogan, Episcopi Kansanopolitani (Kansas City).

24 maii 1910. — R. P. D. Ioannem Krapac, episcopum titularem Bellogradensis et Semendriensis, in episcopum cathedralium ecclesiarum Bosnensis et Syrmiensis invicem perpetuo unitarum.

R. P. D. Rochum Vucic, episcopum titularem ecclesiae Helenopolitanae, in episcopum cathedralis ecclesiae Segniensis (Segna, Zengg) cum perpetua administratione ecclesiae Modrusiensis.

16 iunii 1910. — R. P. D. Vincentium Pulisic, episcopum cathedralis ecclesiae Sebenicensis (Sebenico) in archiepiscopum metropolitanae ecclesiae Jadrensis (Zara).

23 iunii. — R. D. Augustinum Laera, presbyterum Praelaturae nullius Aquavivensis, in episcopum cathedralis ecclesiae Castellanetensis (Castellaneta).

25 iunii. — R. P. Carolum Curier, presbyterum archidioecesis Baltimorensis, in episcopum cathedralis ecclesiae Zamboangensis in Philippinis insulis.

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

ERECTIONES DIOECESUM.

SSmus Dominus Noster Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis, erexit:

23 maii 1910. — Novas Praefecturas Apostolicas *Solimoés Superioris* et *de Teffé,* quas dismembravit ab amplissima Amazonum dioecesi, in republica Brasiliana.

8 iunii 1910. — Novam Abbatiam nullius S. Mariae Auxiliatricis Belmontensis in vicariatu apostolico Carolinae Septentrionalis in Foederatis Americae Statibus.

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

S. CONGREGATIO CONCILII

STRIGONIEN.

CIRCA PRIVATIONEM TITULI SACRAE ORDINATIONIS.

Die 11 Iunii 1910.

Vicarius Generalis Strigoniensis, de mandato Emi Archiepiscopi illius archidioecesis, sequentia S. Congregationi Concilii exposuit:

« Sacerdotes in dioecesibus Hungariae ad titulum respectivae dioecesis ordinantur, cum in Hungaria tituli in iure canonico recensiti haud usurpari possint. Emus Archipraesul Strigoniensis approbationem huius tituli petens id quidem non est assecutus, ast facultatem obtinuit ad quinquennium dispensandi a legitimis titulis canonicis, ita ut sacerdotes archidioecesis Strigoniensis ad titulum huius archidioecesis ordinare valeat. Titulus dioecesis, iuxta communem interpretationem in Hungaria vigentem, ius tribuit ordinato sacerdoti ut in casu inhabilitatis ad munera pastoralia exercenda pensione donetur seu sustentetur ex parte

dioecesis. Hunc in finem dioeceses Hungariae instructae sunt peculiaribus fundationibus et institutis. Titulo dioecesis, quoad hoc ius postulandi sustentationem ex parte dioecesis, aequiparatur incardinatio sacerdotis alicuius alterius dioecesis.

« Iamvero de hoc titulo dioecesis quaestio occurrit relate ad disciplinam cleri servandam magni momenti, utrum nempe sacerdotes excommunicati et atrocium criminum rei servato iudicii ordine per poenam depositionis titulo dioecesis, per dispensationem Apostolicae Sedis nunc in archidioecesi Strigoniensi usurpato, ita omnino privari possint, sicut privantur per poenam depositionis a titulo canonico beneficii. Timendum enim est ne huiusmodi infelices sacerdotes post vitam mere civilem saepe in remotis regionibus transactam, viribus fracti et ad angustias redacti, fundamento tituli dioecesis ius sibi arrogent postulandi sustentationem ex parte archidioecesis, si titulo dioecesis privari non possent. Haud levem certe exinde ansam sumerent sacerdotes petulantes in vitam dissolutam se proiiciendi ».

Concludit itaque Ordinarius petens a S. V. O. « ut hoc dubium benignissime dilucidare et, relate ad applicationem huius poenae quae in privatione tituli consisteret, me clementer edocere dignetur ».

SYNOPSIS DISPUTATIONIS. - Depositio totalis (nam et partialis esse potest), quam etiam vocant simplicem et absolutam, de qua manifeste agitur in casu, privat perpetuo clericum, cui talis poena irrogatur, ordine (non tamen quoad characterem ut palam est) et quolibet officio et beneficio ecclesiastico (Schmalz. V, tit. XXXVII, n. 135; Reiff. V, eod. t., n. 33; Bened. XIV, *de Syn., I.* IX, c. VI, n. 3). Porro, ab hac generali privatione officiorum et beneficiorum, non excluditur beneficium, quod, forte, clericus depositus nactus sit titulo sacrae ordinationis. Nullo enim id iure cavetur; et « ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus » (1. 9 in fin. *de iuris et fact. ignor.;* c. 6, § *pen. de maiorit.).* Eo vel magis quod privatio beneficii huiusmodi infligi possit ob crimina minus gravia iis ob quae depositio totalis irrogatur. Ad rem Monacell. tit. XIII, form. 3, n. 22: « Ordinati ad titulum beneficii, si delinquant, vel non resideant, vel «aliud demeritum habeant, possunt, servatis servandis, beneficiis pri- « vari, non obstante quod ad eorum titulum ordinati fuerint, aut loco «patrimonii subrogatis, ut pluries declaravit S. C. C, et in specie in « *Firmana,* 18 Maii 1665 (lib. 24 *decret,* pag. 496), *Romana,* 18 Mart. 1684 « (lib. 34 *decret,* pag. 70), et *Vercellen.,* 15 Dec. 1690 ». Monacellio autem consentiunt Lucidi, *de Visit.* c. III, § 12, et Wernz, *Ius Decret.,* tom. II, p. 136.

Iamvero, cum titulus dioecesis, quo Hungari ex indulto S. Sedis

utuntur, suppleat titulum beneficii, qui, ex Trid. sess. 21, cap. 2 *de reform.)*, est verus et praecipuus ordinationis titulus, cumque praedictas titulus sit pure ecclesiastica, non dubito quin sicut titulus beneficii ita etiam titulus dioecesis per depositionis poenam amittatur.

Verumtamen, explorati iuris est depositionem non privare privilegiis fori et canonis, adeo ut clericus depositus permaneat in statu clericali. « Quae causa est, ut ait Layman, lib. I, trac. V, p. 111, c. V, n. % cur depo- « situm, sicut a beneficio suspensum (Layman loquitur de suspenso ad mo- « dum poenae vindicativae, non ad modum censurae), Ecclesia alere tenea- « tur ne cum opprobrio cleri mendicare cogatur ». Et idem tradunt Abb. c. *pastoralis, § verum,* n. 16, *de appellat.* Avila, p. 4, dub. I, conclus. 3, et Suarez, qui etiam rationem dat, cur, sub hoc respectu sustentationis, melior sit conditio clerici depositi, quam clerici a beneficio per censuram suspensi: « Doctores, inquit, hanc differentiam constituunt inter clericum absolute « depositum vel suspensum ob culpam commissam, et eum qui ob con- « tumaciam censura ligatur, quod illi ex fructibus beneficii alendi sunt « si indigeant, (arg. ex c. *Studeant, distinct. 50),* ne cogantur emendicare, « cum iam non sit in voluntate vel potestate eorum habere beneficium « vel ius ad ecclesiasticos fructus. Eum vero qui ob actualem contuma- « ciam sic punitur non tenetur Ecclesia ex bonis suis alere, etiamsi « indigeat et mendicare cogatur, nam totum hoc ipse meretur in poenam « suae contumaciae: et quidquid dedecoris inde resultare potest, in per- « sonam potius quam in ordinem redundabit; totumque illud permittitur « in maius Ecclesiae bonum quod est contumaciae correctio » (Suarez, *de cens.* disp. 13, sect. % n. 14).

Proinde, in casu nostro, clericus depositus hinc privatur titulo dioecesis cum quo fuit ad ordines promotus, illinc vero dioecesis eum, si indigeat, alere tenetur, ne cum status dedecore cogatur emendicare: sicut ordinatus ad titulum beneficii, si poenam depositionis incurrat, beneficium quidem amittit, sed ei, ob dictam rationem, ex beneficii fructibus aut aliunde ex bonis Ecclesiae, necessaria vitae suppeditari debent.

At dicat forte quis, perperam clericum depositum privari titulo dioecesis, consistens in iure alimenta percipiendi, si deinceps dioecesis eum alere teneatur ratione status clericalis a quo non decidit. Ita enim deposito res eadem restituitur simul ac subtrahitur.

Verum, haud recte hoc asseritur. Etenim, alimenta quae alicui debentur ex titulo ordinationis (in casu ex titulo dioecesis) potiora sunt, tum ratione specificae obligationis tum ratione decoris et quantitatis, alimentis quae clerico criminoso deposito et ad egestatem redacto, quasi in eleemosynam, praebentur quia nondum e clero expunctus est.

Quid autem, si clericus, depositione nullatenus emendatus, in sua pervicacia *insordescat?* Numquid de bonis Ecclesiae perpetuo alendus erit?

Canones, hoc in casu, decernunt clericum depositum « si incorrigibilis « fuerit excommunicari debere, deinde contumacia crescente anathematis « mucrone feriri, postmodum vero, si, in profundum maiorum veniens, « contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, nec possit « esse ultra perditio plurimorum, per saecularem comprimendum esse « potestatem » (C. 10 *De Iudiciis):* scilicet, si depositio nihil iuverit, ad degradationem realem procedi posse per quam, inter alios effectus, clericus privilegio fori et canonis exuitur, e statu clericali eiicitur omnique privatur ecclesiastica provisione. (Schmalzg., V, XXXVI, n. 139; Reiff., eod. lib. et tit. n. 32; S. Alph., VII, c. III, n. 324, aliique DD. passim); haud certe exclusis alimentis in casu egestatis.

At vero, cum non semper expediat, hodie praesertim, clericum depositum degradare, hisce in casibus nullo iure vetatur quominus Episcopus possit talem clericum, per novam sententiam, etiam in contumacia ferendam, omni ecclesiastico subsidio privare, ut docent Layman cum Abbate locis cit., et Suarez *de Censuris,* disp. 27, n. 5; quod evidens etiam est ex regulis iuris: « Pius semper in se continet quod est minus »; et, « in toto partem non est dubium contineri » *(De reg. iur.* in 6 reg. 35, 80). Quae enim Episcopus cumulatim potest clerico per degradationem subtrahere, cur non poterit ex parte tantum, pari concurrente causa?

Ceterum, si depositus sit etiam excommunicatus (ut esse videntur sacerdotes de quibus agitur in themate), is etiam ratione censurae, donec in contumacia perseveret, quaelibet ecclesiastica adiumenta aut amittit ipso facto, ut putat Suarez cum aliis (Vide S. Alph., lib. III, n. 670), ducto argumento ex c. *Pastoralis, § verum, de Appellat.,* ubi dicitur: « illi, proventus ecclesiastici merito subtrahuntur cui Ecclesiae com« munio denegatur », aut certe poterit eisdem privari per iudicis sententiam, quae communior opinio est (Schmalzg., V, 39, 158; D'Annibale, 1, § 365, n. 33).

Post haec, ut propositum dubium rite solvatur, quaeritur:

Utrum sacerdotes excommunicati et atrocium criminum rei servato iudicii ordine per poenam depositionis titulo dioecesis, per dispensationem Apostolicae Sedis nunc in archidioecesi Strigoniensi usurpato, ita omnino privari possint, sicut privantur per poenam depositionis a titulo canonico beneficii?

Emi Patres S. Congregationis Concilii, in generalibus comitiis diei 11 iunii 1910, ad propositum dubium respondendum censuerunt:

Affirmative, salvis tamen iuris dispositionibus quoad alimenta pro iis qui vere indigeant.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia, die 12 eiusdem mensis Iunii infrascripto Secretario concessa, sententiam Emorum Patrum adprobare et confirmare dignatus est.

G. CARD. GENNARI, *Praefectus.*

L. ffi S.

Basilius Pompili, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

DE ABBATISSIS ET ALIIS PRAEFECTIS PERPETUIS EXTRA ITALIAM.

Cum adhuc perdurent dubia circa extensionem Constitutionis *«Exposcit debitum»,* diei 1 Ianuarii 1583 extra Italiam, re, in Plenariis Comitiis Sacrae Congregationis de Religiosis die 3 Iunii 1910 habitis, proposita, omnibus maturissime perpensis, Emi ac Rmi Patres Cardinales declarandum censuerunt: *Servandas esse hac in re extra Italiam regulas et constitutiones a Sancta Sede approbatas et consuetudines immemorabiles; facto verbo cum Sanctissimo.*

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia, die 4 eiusdem mensis Iunii infrascripto Subsecretario concessa, sententiam Emorum Patrum adprobare et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Fr. J. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

L. £g S.

Franciscus Cherubini, *Subsecretarius.*

Gregorius XIII in Constitutione « *Exposcit debitum* » statuit, ut *in universa Italia et praesertim in utriusque Siciliae Regnis,* Abbatissae et aliae Monasteriis Praefectae, cuiuscumque Ordinis, non amplius in perpetuum, sed ad triennium tantum eligerentur, quo elapso, iterum et pluries, servata forma in Concilio Tridentino statuta, eligi possent.

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM

Quum inter Praefecturam Apostolicam Uellensem et finitimum Vicariatum Apostolicum Africae Centralis magis opportuna reciprocorum limitum designatio, propter peculiaria rerum adiuncta, inducenda videretur, Eminentissimi Patres Sacri huius Consilii Christiano Nomini Propagando in Generali Congregatione habita diei 6 vertentis Iunii decernendum censuere ut limites septentrionales praedictae Praefecturae Apostolicae Uellensis, quae nunc parallelo 4° lat. bor. continetur, proferatur septentrionem versus, novum ei addendo territorium, e Vicariatu Apostolico Africae Centralis seiungendum, quod definiatur per cursum inferiorem numinis Uellè ex eo puncto, ubi dictum flumen quartum gradum latitudinis borealis transgreditur, postea per cursum fluminis Bomu usque ad eius originem super linea divisionis aquarum inter Nilum et Congum, et postea per hanc lineam usque ad eius intersectionem cum parali. 4° lat. bor.

Hanc vero Eminentissimorum Patrum sententiam SSmo D. N. Pio div. prov. Pp. X ab infrascripto eiusdem S. Congregationis Secretario relatam in Audientia diei 7 vertentis Iunii, Sanctitas Sua in omnibus adprobare ratamque habere dignata est, ac praesens ea super re Decretum expediri praecepit.

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 16 Iunii 1910.

Fr. H. M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

L. £g S. Aloisius Veccia, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

ORDINIS FRATRUM MINORUM.

DE VETITO USU CORONIDUM, SIVE EX LIGNO SIVE EX METALLO, IN ALTARIBUS.

Hodiernus S. Montis Alverniae Superior cum suo Directorio, de consensu Rmi Procuratoris Generalis Ordinis Minorum, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit.

Multis in Ecclesiis, ad maiorem Altarium munditiem et ne rugosae sed magis extensae eorumdem mappae servarentur, usus invaluit, innumeris abhinc annis, Coronidum, variis materiis confectarum, lignea non exclusa. Hae coronides ligneae ab Altaribus removebantur, iuxta Episcoporum Caeremoniale (lib. I, cap. 12, n. 11), dum festivis diebus Sacra Solemnia sive Missae sive Vesperae celebrabantur. Talem agendi rationem esse consonam supradicti Caeremonialis praescriptionibus, eruitur etiam ex novissimo Ordinis Minorum Caeremoniali, die 4 Octobris 1908 edito et rite a S. Sede approbato, (lib. I, part. 2, cap. et art. 1), in quo agitur de non apponendis Altaribus ligneis Coronidibus iuxta Caeremoniale Episcoporum supradictum, cum de ornatu Altarium in Vesperis et Missis solemnibus sermo est. Quum autem Sacra Rituum Congregatio ad dubium super liceitate talium corollarum, die 24 Februarii 1908 respondisset his generalibus verbis: *negative iuxta Caeremoniale Episcoporum Lib.* I, *cap. 12, n.* ***U*** « *Nullae tamen coronides ligneae* » etc.; atque haec responsio aliquam attulerit dubietatem; idem Orator ab ipsa Sacra Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter postulavit:

I. Utrum, remotis ab Altaribus Coronidibus ligneis dum Sacra Solemnia, ut supra, peraguntur, tolerari et permitti possint aliis temporibus, attenta praesertim antiquissima consuetudine?

II. Quatenus negative, utrum adhiberi possint ex metallo decenti coopertae, vel saltem de metallo totaliter confectae?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. et II. Negative.

Atque ita rescripsit. Die 13 Maii 1910

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. -£g S. f Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

II.

URBIS ET ORBIS.

SUPER MISSA SEU COLLECTA IN ANNIVERSARIO ELECTIONIS SEU TRANSLATIONIS EPISCOPI, IUXTA CAEREMONIALE EPISCOPORUM.

Ex Decretis S. R. G. n, 3661 *Halifaxien.* 16 Aprilis 1866 ad III et n. 3876 *Quebecen.* 13 Decembris 1895 ad VIII dies electionis seu translationis Episcopi est ille, in quo provisio Ecclesiae Episcopalis a Summo Pontifice publicatur in Consistono, sive ipsa electio seu translatio fiat in Consistorio, sive in eo tantum enuncietur electio seu translatio antea facta; atque ab eiusmodi publicatione consistoriali hucusque communiter computatum est anniversarium electionis seu translationis Episcopi ad effectum Missae seu Collectae respondentis iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. XXXV). Nunc vero, de mandato SSmi Domini Nostri Pii Papae X, ex audientia diei 20 nuper elapsi mensis Maii, per Sacram Congregationem Consistorialem patefacto, Sacra Rituum Congregatio statuit ac declarat diem anniversarium electionis seu translationis, in casu et ad effectum de quo agitur in citato libro et capite Caeremonialis Episcoporum, quoad Episcopos in Consistorio electos seu translatos, computandum adhuc esse a die publicationis consistorialis, quoad ceteros vero Episcopos antea electos seu translatos, in posterum non a die enunciationis in Consistorio, sed a die expeditionis decretorum seu Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium; non obstantibus resolutionibus in contrarium hucusque editis. Denique Sacra eadem Congregatio iterum atque opportune declarat, diem anniversarium electionis seu translationis Episcopi Coadiutoris cum futura successione relate ad Missam ipsam seu Collectam, cessante Coadiuti munere et adveniente Coadiutoris successione, item a die expeditionis decretorum seu Litterarum Apostolicarum pro Coadiutoria supradicta esse computandum; prouti alias resolutum fuit, praesertim in una *Marianopolitana* n. 3440, diei 30 Ianuarii 1878. Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit, ab hac die 8 Iunii 1910.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ^ S.

f Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

III.

PARISIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI FRANCISCI MARIAE PAULI LIBERMANN, INSTITUTORIS CONGREGATIONIS SACRI CORDIS MARIAE.

Super dubio: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum, necnon de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine ac Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Divina illa virtus, quae Saulum ex persecutore Christianorum Apostolum et Ecclesiae Doctorem effecit, prisca suae potentiae miracula instaurans, Ven. Dei Servum Franciscum Mariam Paulum Libermann e tenebris vocavit in admirabile lumen suum. Hic siquidem pridie Idus Apriles anno reparatae salutis MDCCCIV, Tabernae in Alsatia, patre iudaicae legis doctore, natus et thalmudicis praeceptis imbutus, in scepticismum primo prolapsus est: deinde, veritatis agnoscendae ardore percitus, catholicae Fidei historiam studiose intenteque legit: tum ipsi Fidei adeo adhaesit, ut, patris obiurgationibus postpositis, secundum et vigesimum annum agens, sacro Baptismate renatus, inter clericos adscitus sit, et quindecim post annis sacerdotio auctus.

Operarium inconfusibilem se praebens, omnibus omnia factus est; mox missiones ad infideles in Africa degentes evangelizandos instituit, electissimo Evangelii praeconum coetu ad hoc excitato, quos Missionarios a Sacro B. M. V. Corde nuncupavit. Verum decimo anno a condita Sodalitate vix elapso, cum Congregatio Spiritus Sancti, ab egregio viro Claudio Francisco Poullart des Places Parisiis anno MDCCIII fundata, eodem pertineret - ad informandos nempe alumnos qui Sacris Missionibus apud Nigritas, praesertim in Galliae Coloniis operam essent daturi - et temporum iniuria ob exiguum alumnorum numerum pene labaret; ipse Venerabilis Franciscus Libermann, ut haec revivisceret, insigne humilitatis exemplum relinquens, occasionem nactus, ei se sociosque suos, arbitratu Apostolicae Sedis, opportune aggregavit: cui, suffragio adlectos, haud multo post et sanctissime praefuit.

Quae res Ecclesiae feliciter evenit: ipsa enim, novis exinde dioecesibus in Gallicis Coloniis constitutis, suos terminos propagavit.

Verum Ven. Dei Servus, post annum decimum quam sacerdos erat creatus, morbo quo iamdiu afflictabatur, gravius tentari coepit; ex quo cum diu decubuisset et maximos dolores invicto prorsus animo

tolerasset, divinae Voluntati addictissimus, obdormivit in Domino iv Nonas Februarias anno MDCCCLII.

Eius sanctitatis opinio in Galliae, Italiae et Africae regionibus, pluribus, ut fertur, illustrata miraculis, adeo percrebuit, ut tandem, cunctis peractis quae ad id genus causas ex Apostolicis Constitutionibus sunt praemittenda, examen de ipsius virtutibus sit institutum.

Itaque quatuor in eum finem actionibus disputatum fuit: primo nimirum VIII Idus Maias anno MCMVI in aedibus Rmi Cardinalis Aloisii O reglia, Ep. Ostiensis et Veliternensis, Causae Relatori s; deinde ad Vaticanum Idibus Angustis anno MCMVII; tum iterum ad Vaticanum in altera Congregatione praeparatoria pridie Nonas Iulias MCMIX; ac deinde in generalibus Comitiis ibidem coram SSmo D. N. Pio Papa X habitis* Kalendis Februarii anno McMX, in quibus a Rmo Cardinali Causae Relatore proposito dubio: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum, necnon de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servi Dei* Francisci Mariae Pauli Libermann, *in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur,* Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores singuli suffragia tulerunt: SSmus vero Dominus Noster sententiam suam ferre distulit, admonens in re tanti momenti a Patre luminum Consilii Spiritum esse poscendum.

Hodierna vero die, oblato sacrosancto Missae Sacrificio, ad hanc nobiliorem Vaticani aulam accedens et Pontificio solio assidens, Rmos Cardinales accersivit Sebastianum Martinelli, Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, et Aloisium Oreglia, Causae Relatorem, una cum R. P. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, iisque adstantibus pronunciavit: *Ita constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servi Dei* Francisci Mariae Pauli Libermann, *in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur; ut procedi possit ad discussionem trium miraculorum.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit, XIII Kalendas Iulias anno MCMX.

FR. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. © S.

f Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secretarius.*

IV.

MARIANOPOLITANA.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI MARGARITAE BOURGEOYS, FUNDATRICIS CONGREGATIONIS A NOSTRA DOMINA.

Super dubio: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum, necnon de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine ac Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Sacrae Scripturae celebrata sententia est: « Infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia » (I, *Cor.*, i, 27). Cuius dicti veritas, quamquam ab initio Ecclesiae clarescat, nobis tamen miro quodam modo in praesenti causa innotuit. Agitur enim de muliere, cui nomen Margarita Bourgeoys, vii Idus Apriles anno reparatae salutis MDCXX Trecis in Gallia nata, quae, Dei nutu, sexus et corporeae fragilitatis oblita, sola primum, tum sociis adscitis, quibus nomen Sororum a Nostra Domina imposuit, ardua quaeque perpessa mores hominum in Canadensi regione degentium ad normam christianae fidei formavit, digna quae, tum animi magnitudine, tum itineribus laboribusque susceptis, vitam Pauli Apostoli et consuetudinem expressisse videatur.

Huius praeclarissima fuit religio in sanctissimam Eucharistiam, ad quam, quodam Spiritus Sancti instinctu permota, vehementissime ferebatur, contendens in primis ut omnes singularem cultum tanto Sacramento tribuerent.

In morbum implicita, quum seipsam devovisset pro salute cuiusdam Sororis, quam magno usui ceteris Sororibus futuram putabat, annos octoginta nata sanctissime quievit in Domino. Cuius de morte ut palam factum est, Canadenses eam luxerunt gravius quam filii matrem, eam singulari officio in Ecclesiam, Beatam et Coloniae matrem amantissimam praedicantes.

Quae sanctitatis opinio quum percrebuisset in dies, apud Sacram Rituum Congregationem eiusdem causa promoveri coepta est. Collectis igitur probationibus ceterisque ad normam iuris exactis, triplex de virtutibus heroicis Ven. Margaritae Bourgeoys instituta est actio. Primum in antepraeparatoriis Comitiis xiv Kalendas Iulias anno MCMVII in Aedibus Rmi Cardinalis Aloisii Oreglia, Episcopi Ostiensis et Veliternensis, Causae Relatoris; deinde in Coetu praeparatorio ad Vaticanum convocato IV Idus Ianuarias vertentis anni; denique in generali Conventu nuper habito coram SSmo D, N. Pio Papa X, vii Idus Iunias, in quo,

ab eodem Rmo Cardinali Relatore proposito dubio: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servae Dei* Margaritae Bourgeoys, *in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur,* Rmi Cardinales et Patres Consultores singuli suffragia tulerunt: SSmus vero Dominus Noster supersedendum duxit, hortatusque est adstantes ut caeleste lumen ad rite iudicandum precibus impetrarent.

Hodierna vero die, Sacro facto, ad hanc Aulam Vaticanae Aedis accedens, Rmos Cardinales accersivit Sebastianum Martinelli, Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, et Aloisium Oreglia, Causae Relatorem, itemque R. P. Alexandrum Verde Sanctae Fidei Promotorem et me infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus solemniter pronunciava: *Ita constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servae Dei* Margaritae Bourgeoys, *in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur, ut procedi possit ad discussionem quatuor miraculorum.*

Quod Decretum vulgari et in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit XIII Kalendas Iulias MCMX.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *S. B. C. Praefectus.*

L. © S.

f Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

V.

TIFERNATEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI SORORIS FLORIDAE CEVOLI, MONIALIS PROFESSAE IN MONASTERIO CAPUCCINARUM TIFERNI.

Super dubio: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum, necnon de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine ac Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Praeclaras inter Virgines, quae optimam partem elegerunt, nobis occurrit Venerabilis Dei Famula Florida Cevoli, Pisis nobili genere orta III Idus Novembres anno rep. sal. MDCLXXXV. Parentibus usa est diligentibus et imprimis pietate in Deum praestantibus. Horum artibus erudita, divina favente gratia, Christi tyruncula, utpote non amplius quinque annos nata, virginitatem suam Deo devovit: quod votum ita

servavit, ut septimum et decimum annum agens, obiectas difficultates virili animo eluctata, ad sanctimoniales Capuccinas Tifernatenses advolaverit. Ibi in Sororum numerum rite adscita, vili tunica eaque obsoleta, cellula et arcto cibo contenta, membra sua assiduis ciliciis in servitutem redegit, in corpore vivens sine corpore. Itaque Sorores omnes incitabat studio suo: quo factum est ut illae non semel Venerabilem Dei Ancillam, vel renuentem, per suffragia praesidem destinaverint.

Atque haec omnia capitulatim dicta sint. Attamen non est praetereundum factum Sanctae Veronicae de Iulianis. Nam quum haec tyronum magistrae munere fungeretur in Monasterio Tifernatensi, aegre puellam Cevoli inter Sorores exceperat. Florida vero sic sancta consuetudine sua eam sibi devinxit, ut tantae Magistrae nulla Soror in posterum fuerit carior.

Tali modo, cum novem et septuaginta complesset annos, nacta est morbum, quo diu graviterque vexata, Christi crucifixi patientiam et obedientiam referens, placidissime quievit in Domino pridie Idus Iunias anno MDCCLXVII.

Sanctitatis eius opinio cum fama prodigiorum adeo in dies percrebuit, ut absolutis in Sacrorum Rituum Congregatione omnibus quae ad normam Apostolicarum Constitutionum sunt praemittenda, tandem de virtutibus Venerabilis Servae Dei ter fuerit instituta quaestio. Primo nimirum in Aedibus Rmi Cardinalis Vincentii Vannutelli, Episcopi Praenestini et Causae Relatoris, pridie Kal. Augustas anno MCMVI; tum ad Vaticanum III Kalendas Apriles MCMIX; denique in generalibus Comitiis coram SSmo Domino Nostro Pio Papa X habitis ix Kalendas Decembres eiusdem anni. In quibus a Rmo Cardinali Relatore, proposito dubio: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum, item de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia ac Fortitudine iisque adnexis Ven. Servae Dei* Floridae Cevoli *in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur,* singuli qui convenerant Rmi Cardinales et Patres Consultores sententiam dixerunt. SSmus vero Dominus Noster in aliud tempus, divini luminis copiam impetraturus, sententiam suam ferre distulit.

Hodierna vero die, oblato sacrosancto Missae Sacrificio, in hanc Vaticanae Aedis aulam accivit Rmos Cardinales Sebastianum Martinelli, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, et Vincentium Vannutelli, Causae Relatorem, una cum R. P. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemniter edixit: *Constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum; item de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Tempe-*

rantia et Fortitudine iisque adnexis Ven. Servae Dei Floridae Cevoli *in - gradu heroico, in., casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum promulgari et in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit XIII Kalendas Iulias anno MCMX.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *S. B. G. Praefectus.*

L. © S .

f Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

SACRA ROMÀNA ROTA

ROMANA.

PRIVILEGII FORI.

Pio PP. X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno septimo, die 15 Martii 1910, RR. PP. DD. Gustavus Persiani, Ponens, *Gulielmus Sebastianelli, Seraphinus Manu, Auditores de Turno, in causa* - Romana - Privilegii Fori - *instante in gradu appellationis Revmo Dno Iulio Baglioni repraesentato per procuratorem Angelum D'Alessandri, advocatum, adversus Dnum Antonium Boni, repraesentatum per procuratorem Vincentium Sacconi, advocatum, sequentem tulerunt sententiam.*

Revmus Dnus Valerianus Sebastiani, Antistes urbanus, ultimo suo, quo decessit, elogio universalem haeredem instituit Rmum Dnum Iulium Baglioni, Canonicum et parochum S. Mariae in Cosmedin.

Antonius Boni, quo cum in humanis ageret Antistes Sebastiani in suis expediendis negociis usus est consiliario atque ministro, non exiguae summae pecuniariae creditorem erga haereditatem se dixit, suique crediti solutionem ab haerede Baglioni postulavit; sed exitu non felici.

Ideo, privatis hac super re tractatibus inutiliter cessis, Antonius Boni, iudiciali actione sibi consulendum esse putavit; et hunc ad effectum Revmum Dnum Baglioni, utpote clericum, coram Tribunali Vicariatus Urbis convenit.

Verum conventus Baglioni in iudicii limine exceptionem proposuit declinatoriam fori privilegiati, quo coram laico iudice ex utraque parte Uberius prosequeretur iudicium.

Quamvis sententia diei 15 Maii superioris anni hac super re lata exceptionem admiserit, contra quam appellatio ad H. S. O. ab Antonio Boni fuit interposita, tamen partes contendentes,. appellationis definitione

r

non expectata, omnibus eiusdem effectibus de communi consensu, scriptura privata mediante die 18 Iulii 1909 exarata, formaliter renunciarunt, ea lege ut, rebus in pristinum restitutis, coram eodem Iudice primae instantiae iterum institueretur iudicium.

Et revera iudicium fuit iterum institutum; sed Rev. Baglioni exceptionem declinatoriam fori ecclesiastici iterum proposuit, quam Iudex primae instantiae, re melius perpensa, penitus reiecit per sententiam diei 3 Decembris 1909.

Ab hac sententia Revmus Dnus Iulius Baglioni per actum diei 13 eiusdem mensis et anni ad H. S. O. appellavit, et causa definienda hodie proponitur sub dubiis de consensu partium concordatis:

1. ° An, etiam attentis hodiernis circumstantiis, sit locus appellatam ?

Quatenus affirmative.

2. ° An exceptio declinatoria fori ecclesiastici sustineatur in casu ?

Factum quod attinet. — Cum actor forum rei sequi teneatur, cumque in casu reus privilegiatum habeat forum, Antonius Boni ecclesiasticae legi obsecutus Revmum Dnum Iulium Baglioni convenit coram Tribunali Vicariatus Urbis. Quo in facto Domini Auditores nedum obsequium actoris erga Ecclesiae leges probarunt, sed etiam illius propositum agnoverunt standi iudicio in casu ferendo ab ecclesiastico Iudice, quem secus non adiisset.

E contra Rev. Dnus Iulius Baglioni aequius retinuit iudicium coram laico Iudice directe instituere, ratus se, relate ad actorem, coram Iudice ecclesiastico in inferiori conditione versari, cum ipse, utpote Clericus et ecclesiastico Superiori subiectus, semper cogi possit ad sententiam sibi contrariam exequendam, et actor, positis societatis civilis actualibus conditionibus, sententiam sibi noxiam valeat non curare: immo ei libera sit facultas coram laico Iudice novum instituendi iudicium, si quae ab ecclesiastico feretur, sententia ei non arriserit.

Ideo, quam coram Iudice primae instantiae proposuerat, exceptionem fori declinatoriam, coram H. S. O. renovavit. Apud illum enim dixit: « Con tutta sommessione domando al medesimo Eccmo Tribunale che « io possa rinunciare al privilegio del foro, e questo allo scopo che il « suddetto signor Boni, libero da qualunque censura ecclesiastica, possa « liberamente adire il Tribunale civile laicale, e quivi sperimentare la « sua azione verso di me . . . . »; in hac autem iudicii sede iterum ait: « Il « rappresentante del Sig. Can. don Giulio Baglioni convenuto nella pre- « sente causa . . . ritorna sulla domanda del Baglioni ed insiste perchè

« cotesto Eccmo Tribunale respinga l'azione intentata dal Boni, e gli « conceda nel caso le opportune facoltà per potere adire liberamente, *tuta « conscientia,* il foro laico ». Hanc petitionem etiam legitimam dixit: « perchè, date le condizioni in cui versa attualmente la Chiesa in Italia, « e in quasi tutte le nazioni, è reso impossibile ad essa F esercizio della « sua competenza e della giurisdizione propria, ed il privilegio del foro « si risolve invece in pregiudizio degli stessi privilegiati ».

Ius quod attinet. — Verum difficultatem, quae ex disparitate conditionis actorem inter et conventum, opponitur Domini Auditores nullimode attendendam esse censuerunt. Etenim aliud est Iudicis officio fungi, aliud legislatoris. Si quae enim adsunt incommoda ex applicatione legum derivantia, legislatoris est ea perpendere atque bono societatis accommodare cum leges constituit: sed Iudici onus incumbit ius constitutum recipiendi illudque quaestionibus sibi propositis applicandi. Etiam in societate civili plura desiderantur, quibus leges non satis consuluerunt: hoc tamen non obstante, leges a Iudicibus recipiuntur et applicantur quales a legislatoribus prodierunt. Quidquid igitur sit de praefata conditionis disparitate obiecta, quae legis potius respicit rationabilitatem excedentem Ecclesiasticorum Tribunalium competentiam, quaestio H. S. O. proposita ad tramites iuris, quo societas ecclesiastica utitur, est expendenda atque definienda.

Iamvero foro privilegiato gaudent Clerici, qui conveniri non debent nisi apud Ecclesiasticum Iudicem omnibus in causis, tam spiritualibus, quam temporalibus, sive civilibus sive criminalibus. Id constat ex pluribus testibus Iuris Canonici, quos confirmavit Concilium Tridentinum *(sess. XXV, c. 20, de Reform.),* in quo Patres hortantur Christianos Principes ut Apostolicas Sanctiones, in favorem personarum ecclesiasticarum editas, tamquam Dei praecepta venerarentur.

Hoc privilegium Clericis *verius* competit iure humano consentaneo iuri Divino (Schmalzgrueber, *lib. III, tit. 2, de For. compet. n. 98);* eorum enim immunitas a foro saeculari immediate quidem iure humano positivo est constituta; sed in iure divino fundamentum habet et intentionem: quod ita consentaneum est ordini clericorum ex divina ordinatione statu laicali excellentiori, ut ille deordinaretur et quasi e suo gradu deiiceretur, si laici Iudices de eodem iudicare valerent. Clerici enimvero veluti res spirituales in iure considerantur ex quo corpus et animam deputaverunt et dederunt se in servitium et sortem Christi *(c. cui portio 2, qu. 2),* et incongruum est ut Clerici, personae sacrae, qui iuri divino praeesse debent laicis, subdantur eisdem: et hac ratione exempti dicuntur

a iurisdictione Imperatoris, et sic cuiuscumque Iudicis saecularis, ut notat Innocentius *in c. 2, de maior, et obed. et in c. Significantibus de Off. deleg.* (Fagnan., *lib. II, de For. Compet., c. Nullus, num. 3).* Quare Concilium Tridentinum declaravit *(I. c.)* Ecclesiae et Ecclesiasticorum immunitatem *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam esse.*

Ex quo sequitur, privilegiatum forum Clericorum nulla saecularium Principum lege posse aboleri, utpote quae lata in bonum civilis consortii quavis caret efficacia quoad ecclesiasticam societatem et ad huius leges se non extendit, nec se extendere potest; neque contrariam consuetudinem posse introduci, ea enim reprobanda esset, veluti corruptela iuris, utpote adversa Ecclesiasticae libertati: immo neque Romanum Pontificem, amplissima qua pollet potestate, hoc privilegium posse auferre quoad omnes Clericos omnesque eorum causas, cum Ipse a Christo Domino eam potestatem acceperit in aedificationem et non in destructionem.

Potest nihilominus Pontifex vel illud cohibere, vel etiam auferre ob locorum et temporum rationes, cum in sua determinatione ab ipso pendeat, et iis attentis, quod expediat iure decernit: et hoc revera factum videmus a Bonifacio VIII, a Concilio Tridentino et etiam per leges a Sancta Sede cum nonnullis regnis, sub hisce temporibus, hac super re concordatas. Sed tunc videtur Papa non abolere hoc privilegium, at ex plenitudine potestatis causas civiles et criminales Clericorum delegare Iudici laico, ut docet Glossa, *in can. 1, Bene, dist. 96.*

Porro cum actor forum rei sequi teneatur, consequitur, quemlibet actorem debere convenire Clericum apud Iudicem ecclesiasticum, a quo omnes civiles et criminales causae Clericorum agitari debent et definiri.

Et hoc servandum est non solum omnibus in locis, in quibus potestas civilis omnia iura et privilegia agnoscit, eorumque liberum relinquit exercitium, sed etiam in illis, in quibus, consumata omni ex parte inobedientia et rebellione, forum ecclesiasticum de medio sustulit. Ecclesia enim, quae laicae potestati subit violentiam, cui non potest resistere, iura sua non abdicat, neque abdicare valet quin seipsam necet; quae proinde hac super re sarta tectaque esse voluit. Huius rei luculentissima adsunt documenta Pii IX fel. rec. auctoritate firmata, ut Allocutio *In Consistoriali* diei 1 Novembris 1850, qua lex diei 9 Aprilis 1850 circa suppressionem fori ecclesiastici a Subalpino Gubernio promulgata a Pontifice proscripta fuit; Allocutio *Acerbissimum* diei 27 Septembris 1852 qua legibus Gubernii Reipublicae Neogranatensis eadem super re latis, idem Pontifex fortiter restitit; Allocutio *Numquam fore* diei 15 Decembris 1856, qua contra Gubernium Reipublicae Mexicanae sacra Ecclesiae iura vindicavit. Mutatis autem in Italia civilis consortii conditionibus,

S. Universalis Inquisitio Decreto diei 23 Ianuarii 1886^ statuit, ut si cui non detur iura sua prosequi contra. clericos nisi apud laicos iudices, *ei* facta sit potestas laicum tribunal adeundi, ea tamen lege ut actor *teneatur* a proprio ipsorum Ordinario veniam petere, qua Clericos in forma convenire possit: qua non obtenta, in potestate sit Ordinariorum in eum, praesertim si Clericus fuerit, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, ut in violatorem privilegiati fori. Hoc non intelligitur nisi praesupposita existentia huius fori; secus enim non conciperetur dispensatio a lege, quae non existeret, nec punitio ob violatam legem, quae cessasset.

Illis, igitur in locis in quibus fori privilegium per Summos Pontifices non fuit derogatum, actor cui alia non suppetit via iura sua prosequendi nisi apud laicos iudices, Clericum potest coram Tribunali laico convenire; sed ad hoc *tenetur* prius veniam ab Ordinario obtinere. Si vero satis sibi consultum existimet per sententiam ab ecclesiastico Iudice ferendam, Clericus non potest ecclesiasticum forum declinare.

Neque privilegio fori potest sive explicite sive implicite Clericus renunciare. *(lib. II, tit. 2, de For. compet., c. 12).* Quamvis enim hoc privilegium personale dici possit cum personas afficiat, tamen cum non sit datum singulis Clericis intuitu personae, sed intuitu Ordinis Clericalis, induit naturam privilegii iuris publici, cui nemo privatus renunciare quomodocumque potest, quin iniuriam inferat Ordini Clericali universo. Quare non obstat regula - quisque potest iuri suo renunciare - haec enim fallit cum verificatur praeiudicium tertii: quod praeiudicium, in hypothesi, esset dedecus Ordinis Clericalis. Ideo actio ab Antonio Boni coram Tribunali Vicariatus Urbis adversus Rev. Dnum Iulium Baglioni rite fuit instituta ad iuris tramitem, quam conventus ope exceptionis declinatoriae fori irrito prorsus conatu impugnavit: consequenterque sententia appellata, lata a Tribunali Vicariatus Urbis die 3 Decembris 1909, exceptionem illam iure meritoque reiecit.

Iamvero quamvis *generatim* loquendo appellari possit a quacumque sententia, quia appellatio est species defensionis nemini tam facile negandae, tamen aliquando prohibetur a iure, iis praesertim in casibus, in quibus appellationis remedium, non ad iniquitatis defensionem, sed ad innocentiae et iustitiae praesidium institutum, cederet in iustitiae et innocentiae detrimentum *(cc. 5, 13, 14, 61, de Appetì.).*

In genere non admittitur appellatio quae aperte videatur frivola et frustratoria *(c. 53, de Appell.;* Schmalzgr., *h. c. 29);* talis est appellatio a sententia lata in causis notoriis, sive notorietate facti cum aliata in iudicium nulla possunt tergiversatione celari, sive notorietate iuris cum

causa fuit decisa secundum claros textus iuris; hoc enim in casu appellalo, potius quam sententiam latam a iudice, impetit legem, et resolvitur in iustitiae detrimentum, utpote quae frivola et frustratoria est *(ee. 26, 29, de Appetì. Clem., 3, h. 1).*

Quapropter in appellatione a R. D. Baglioni coram H. S. O. interposita adversus sententiam Tribunalis Vicariatus Dominis Auditoribus visum est, appellantem a nota temeritatis non posse excusari.

Quibus omnibus attentis et sedulo perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, invocato Christi nomine, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus et sententiamus, appellationem interpositam a R. D. Iulio Baglioni in casu utpote iuris fulcimento destitutam, immo ab ipso iure improbatam, esse reiiciendam sicut de facto reiicimus; seu ad dubia proposita, mutato tamen eorumdem ordine ut quod primo sub numero est positum sub secundo positum retineatur, et viceversa, respondemus: ad l.um *Negative;* ad 2.um *Provisum in l. o* statuentes et mandantes ut iudiciales expensae utriusque gradus a Rev. D. Iulio Baglioni solvantur, reservata Nobis vel cui de iure earumdem expensarum taxatione.

Ita pronunciamus, statuentes ut illi ad quos spectat, exsecutioni mandent hanc nostram sententiam definitivam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim *cap. 3, Sess. XXV de Reform.* Conc. Trid., iis adhibitis. exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rota, die 15 Martii 1910.

Gustavus Persiani, *Ponens.*
L. £8 S. Gulielmus Sebastianelli.
Seraphinus Many.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Il giorno 21 del corrente mese di Giugno, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione Ordinaria dei Sacri Riti, per discutere le seguenti materie:

I. Introduzione della Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Servo di Dio Vito Michele Di Netta, Sacerdote professo della Congregazione del Santissimo Redentore.

II. Riassunzione della Causa per la Canonizzazione della Beata Maddalena Sofia Barat, Vergine, Fondatrice delle Suore del S. Cuore di Gesù.

III. Approvazione dell'elezione della Beata Vergine di Valleverde a Patrona della Città e Diocesi di Bovino.

IV. Approvazione dell'elezione della Beata Vergine del Buon Consiglio a Patrona della Città e Diocesi di Sandurst in Australia.

V. Revisione degli scritti dei Servi di Dio Giovanni Maria Du Lau, Arcivescovo di Arles, Pietro Ludovico de la Rochefoucault, Vescovo di Saintes, Francesco Giuseppe de la Rochefoucault, Vescovo di Beauvais, e Compagni Martiri.

CONGREGAZIONE ANTIPREPARATORIA

Il giorno 28 del corrente mese di Giugno, presso l'Emo e Rmo Cardinale Domenico Ferrata, Ponente della Causa, ha avuto luogo la Congregazione Antipreparatoria dei Sacri Riti sopra le virtù in grado eroico della Ven. Ludovica de Marillac, Vedova Le Gras, Confondatrice delle Figlie della Carità.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnata concedere:

L'uso del Pallio:

12 Maggio 1910. — A Mons. Antonio Stillmans, Vescovo di Gand.

E di nominare:

Vescovi Assistenti al Soglio:

12 Maggio 1910. — Mons. Alfredo Williez, Vescovo di Arras.
23 Maggio. — Mons. Giovanni 0' Connor, Vescovo di Newark (St. Un.).
4 Giugno 1910. — Mons. Tommaso Lodovico Heylen, Vescovo di Namur.

Chierico della B. Camera Apostolica:

9 Giugno 1910. — Mons. Felice Sarra, di Roma.

Protonotarii Apostolici ad instar participantium:

14 Maggio 1910. — Il Rev. D. Alessio Brosse, Vicario Generale di Lione.

19 Maggio. — Il Rev. D. Aristide Jourdan, Vicario Generale della diocesi de la Rochelle.

27 Maggio. — Il Rev. D. Guido Bittner, Canonico Decano della Cattedrale di Gurk.

Prelati domestici di S. S.:

14 Maggio 1910. — Il Rev. D. Floriano Lavallée, Rettore dell'Università Cattolica di Lione.

18 Maggio. — Mons. Rocco M. Pellegrini, Cameriere d' onore di S. S. in Loreto.

21 Maggio. — Il Rev. D. Giacomo Sinnot, Parroco di S. Carlo in Filadelfia;

— Il Rev. D. Beniamino Favrin, Canonico Penitenziere della Cattedrale di Treviso.

25 Maggio. — Il Rev. D. Francesco Malusa, Parroco di S. M. del Rosario in Venezia.

27 Maggio. — Il Rev. Can. D. Giacomo Viladrich y Gaspar, Vicario Generale della diocesi di Urgell;

— Il Rev. Can. D. Ferdinando Wappis, Canonico scolastico della cattedrale di Gurk e Preposto infulato di Strasburgo.

— Il Rev. Can. D. Giovanni Schmidt, Preposto del Capitolo Cattedrale di Vacia.

28 Maggio. — Il Rev. Dr. Teodoro Klopsch, Professore di Storia Ecclesiastica e Diritto Canonico nella diocesi di Posen.

9 Giugno 1910. — Il Rev. Can. *D.* Primo Valdarchi, Vicario Generale della diocesi di Urbino.

ONORIFICENZE

Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato e con Breve, si è degnata conferire le seguenti onorificenze:

La gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

28 Maggio 1910. — Al Sig. Conte Bernardo Blumenstihl, rappresentante del disciolto esercito pontificio in Roma.

La Commenda dello stèsso Ordine, classe militare:

13 Maggio 1910. — Al Sig. Federico Pfyffer, Capitano nel disciolto esercito pontificio.

La Commenda del medesimo Ordine, classe civile:

12 Maggio 1910. — Al Sig. Giulio Moulinasse, della diocesi di Malines.

*18 Maggio** — Al Sig. Barone Giuseppe Oudet, della diocesi de la Rochelle.

27 Maggio. — Al Sig. Conte Leopoldo Zieten, della diocesi di Posen.

9 Giugno 1910. — Al Sig. Giovanni Enrico Komp, di Neudek, archidiocesi di Praga.

— Al Sig. Ottone Hierl Deronco, pittore.

U Giugno. — Al Sig. Arturo Krupp, dell'archidiocesi di Vienna.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

19 Maggio 1910. — Al Sig. Renato de Grien, della diocesi de la Rochelle;
— Al Sig. Pietro Bouyè, della diocesi de la Rochelle.

1 Giugno 1910. — Al Guglielmo Kemmer, di Cameron (Africa Occidentale).

9 Giugno. — Al Sig. Italo-Pio de Praetis, dell'archidiocesi di Urbino.

10 Giugno. — Al Sig. Pietro Gatti, Cassiere della S. Congregazione di Propaganda Fide;

— Al Sig. Leonardo van der Steen, Segretario dei Congressi Cattolici nella diocesi di Bois-le-Duc.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

14 Maggio 1910. — Al Sig. Lodovico Lacuria, Segretario dell' Università Cattolica di Lione.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari:

13 Giugno 1910. — Mons. Ladislao Szàntó, della diocesi di Veszprimia;
— Mons. Giuseppe Lukcsics, della medesima diocesi;
— Mons. Belisario Philipps, dell'archidiocesi di Lima;
— Mons. Bernardo Schmitz, della diocesi di Osnabrück;
— Mons. Valentino Pukowsky, della diocesi di Nitria (Ungheria);
— Mons. Ladislao Hozakowski, della diocesi di Posen;

17 Giugno. — Mons. Luigi Maglione, Minutante della Segreteria di Stato;

20 Giugno. — Mons. Benedetto Neri, della diocesi di Montepulciano;
— Mons. Giovanni Nepomuceno Werner, dell'archidioecsi di Monaco.

Camerieri d'onore in abito paonazzo:

13 Giugno 1910. — Mons. Andrea Haidukiewicz, della diocesi di Premislia:
— Mons. Federico Tobler, dell'archidiocesi di Vienna;
— Mons. Fedele Periccioli, dell'archidiocesi di Siena.

20 Giugno. — Mons. Norberto Backers, della diocesi di Bois-le-duc.

NECROLOGIO

21 Giugno 1910. — Mons. Giuseppe Correa Cardoso Monteiro, Vescovo di Angra (Isola Terceira nelle Azorre).

24 Giugno. — R. P. Michele da Carbonara, dei Minori Cappuccini, Prefetto Apostolico dell'Eritrea.

Annus II. - Vol. II. Die 15 Iulii 1910. Num. 13.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

MOTU PROPRIO.

CONSTITUITUR VICARIUS CASTRENSIS IN REIPUBLICAE CILENAE EXERCITU.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — In hac Beatissimi Petri Cathedra ad procurandum Catholicae Ecclesiae bonum divina clementia collocati, ea libenti animo concedimus quae in exploratam cedant fidelium utilitatem. Iamvero cum dilectissimus in Christo filius Noster Cilenae Reipublicae Praeses curaverit exponendum Nobis, sibi gratum fore si pro catholicis qui in terrestribus maritimisque ipsius Reipublicae copiis stipendia faciunt, Vicariatum Castrensem sive Cappellaniam maiorem, ut dicunt, instituere de benignitate Nostra dignaremur: Nos animo reputantes quam salutaris iisdem catholicis futura sit huiusmodi institutio, eam executioni mandare quamprimum decrevimus. Quae cum ita sint, Motu Proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, per praesentes Vicarium Castrensem, sive Cappellanum Maiorem, in Cilena Republica, Auctoritate Nostra Apostolica, instituimus, sub conditionibus quae infrascriptae sunt. Vicarius Castrensis, sive Cappellanus Maior, separata a ceteris Ordinariis, iisque minimo subiecta iurisdictione pollebit in eos omnes qui sub Cilenae Reipublicae vexillis militant terra marique ubicumque gentium fuerint, atque in omnes et singulos fideles qui ad Cilenum exercitum secundum leges pertineant. Is per Apostolicas Litteras in forma Brevis ab hac S. Sede facultates omnes accipiet quae Cappellanis Maioribus aliorum exercituum impertiri solent, iisque vel per se, vel per alios ecclesiasticos viros ab ipso subdelegandos, scilicet per Cappellanos Minores, uti poterit. Designatio personae pro Cappellani Maioris munere fiet collatis inter Nos successoresque Nostros et Cilenae Reipublicae Praesidem consiliis. Cappellanus Maior

deget in Urbe S. Iacobi de Cile et a Cileno gubernio stipendium accipiet suae dignitati consentaneum, necnon domum muneri respondentem itemque congruum pro sacerdote actuario stipendium.

Cappellanorum Minorum erit Cappellanum Maiorem ministerii partibus obeundis omni ope atque opera iuvare.

Qui quidem Cappellani e clero eligentur dioecesium Cilenae Reipublicae, atque ut eorum electio catholicae rei bene vertat, singulis Antistitibus ad quos idcirco Cappellanus Maior se vertet, etiam atque etiam commendamus, ut de cetero fidelium salute solliciti, illius curis studiisque, quantum in se fuerit, faveant, obsecundent et praesto sint, id maxime prae oculis habentes militibus in periculis summis deversantibus opus esse adiutoribus qui virtutibus omnibus in exemplum eniteant. Porro Cappellani uti Minores durante munere subiecti erunt omnino spirituali Cappellani Maioris iurisdictioni qui ipsis pro se ac tempore facultates quibus munitus fuerit aut universas aut in partem subdelegabit. Praeterea Cappellano Maiori facultas esto Cappellanos Minores nominandi, castigandi, deque uno in alium locum transferendi, simulque ab officio removendi, dummodo legitimae causae id postulent. At enim antequam ad nominationem veniat alicuius Cappellani Minoris, designandae ad id muneris personae nomen significet Reipublicae gubernio, eam rem exploraturus num quid ex parte regiminis obsit; simulque cum opportunum duxerit eorum aliquem aut alio transferre, aut ab officio removere, ea de re Reipublicae etiam gubernium admoneat. A Cappellano autem Maiori unus ex Cappellani^ Minoribus deligetur ut Vicarii generalis titulum et officium exerceat. Si Cappellanorum Minorum numerus, qui ad praesentes exequendas Litteras a Cappellano Maiori eligentur, haud par necessitati forte videatur, idem collatis cum Reipublicae gubernio consiliis talem numerum augeat. Cappellani Minores stipendium accipient dignitati muneris consentaneum signumque similiter aequatum ipsorum muneri habebunt, ex quo internosci possint: item convenientem militiae gradum, et honesta missione accepta, iustam pensionem. Cappellani Minores cum reapse parochi censendi sint illius partis exercitus, quam spirituali ipsorum curae Cappellanus Maior demandaverit, libere idcirco utentur singulis quibusque facultatibus quas sibi idem Cappellanus Maior subdelegaverit. Verumtamen cum aliquo pervenerint, intra tres dies illius loci parocho ostendant, Litteras testimoniales tam super eorum sacerdotio quam super sua deputatione ac facultatibus sibi concessis pro huiusmodi munere exercendo. Quo facto loci parochus non impediet, quominus ipsi in parochiali sua Ecclesia sacris operentur, Sacramenta fidelibus sibi

subiectis administrent, omnibusque illis utantur facultatibus quibus muniti fuerunt. Primi Cappellani Maioris partes erunt (Nosque idcirco plenam illi tribuimus facultatem) leges conscribere, quae et Cappellanorum Minorum ecclesiasticam disciplinam rite tueantur, et fidelibus qui sub signis sunt planiorem expeditioremque viam muniant ad fidei Catholicae actus exercendos. Hac de re vero cum Reipublicae gubernio age t, ut pro dictis fidelibus, qui stipendia merent, religionis officia cum militiae muneribus quam rectissime concilientur. Porro leges huiusmodi priusquam vim habere incipiant, Sanctae huius Sedis examini subiiciantur. Vacante Cappellani Maioris munere, usque ad successoris nominationem, iurisdictio et facultates huius muneris propriae provisorie exercebuntur a Vicario Generali. Haec volumus, statuimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas atque efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. £g S. *a Secretis Status.*

LITTERAE APOSTOLICAE

I.

CONCEDUNTUR INDULGENTIAE ET PRIVILEGIA IN PERPETUUM SANCTUARIO B. M. V. PERDOLENTIS, VULGO " DELLA CORONA ", DIOECESIS VERONENSIS.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter cogitationes et curas in altissimo hoc Nostro munere collocatas, eas praecipuas esse ducimus, quae ad fovendam christianae plebis pietatem erga Christi Domini passionem et Deiparae Virginis dolores pertineant. Haec enim recolentes mysteria, unde salus hominibus manavit, fideles dum sese divino Redem-

ptori, Eiusque Matri pro tanto sacrificio obstrictiores fieri sentiunt, ad christianae vitae decus magis magisque revocantur. Humiles igitur preces, voto ac suffragio Veronensis Cardinalis Episcopi subnixas, quibus supplicatum est Nobis, ut Sanctuarium Deiparae Virginis Perdolentis vulgo *delia Corona* nuncupatum, atque in extrema Veronensi Dioecesi apud montem *Baldo* positum, amplioribus privilegiis ditare dignaremur, Nos, quantum in Domino possumus, benigne exaudiendas censuimus. Idque eo libentius facimus, quod praedictum Sanctuarium, religionis cultu insigne, ac piis crebrisque peregrinationibus omni anni tempore celebratum, rec. mem. Pius PP. VI ac Leo XIII Decessores Nostri iam peculiari benevolentia et conspicuis gratiis prosecuti fuerunt. Quare ut sacerdotum non minus quam fidelium pietati satius sit consultum, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, Apostolica auctoritate Nostra praesentium tenore concedimus, ut omnes ac singuli presbyteri, vel eidem Sanctuario addicti, vel illud peregre adeuntes, Missam votivam a septem B. M. V. doloribus quolibet anni die, iis tantum exceptis diebus, quibus duplex occurrat primae vel secundae classis festum, ibidem celebrare servatis servandis licite queant. Pari autem auctoritate Nostra eiusdem Sanctuarii Rectori pro tempore, ac munere dumtaxat durante, facultatem facimus, ut intra ipsius Sanctuarii fines Crucifixos sive cum adnexa plenaria indulgentia in mortis articulo sub consuetis conditionibus lucranda, sive cum indulgentiarum applicatione, quae alias ab hac S. Sede visitantibus stationes Viae Crucis seu Calvariae, in Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci erectas, concessae sunt, benedicere secundum ritum formulamque praescriptam licite item possit ac valeat. Volumus vero ut illis tantummodo potestas sit has postremas indulgentias consequendi, qui aut infirma valetudine aut alia quavis de caussa ab huiusmodi stationibus in Ecclesiis Oratoriisve publicis visitandis legitime praepediti, cetera tamen iniuncta pietatis opera rite persolverint. Insuper idem Rector pro tempore, ac munere durante, polleat in supradicto Sanctuario coronas precatorias B. M. Virginis benedicendi facultate, cum iis adnexis indulgentiis, quae vulgo a Patribus Crucigeris appellantur. Universis autem Christifidelibus, quo acerbissimos Christi cruciatus uberiore cum animorum fructu contemplentur, Apostolica auctoritate Nostra similiter largimur, ut quum quolibet anni die, ad cuiusque libitum eligendo, vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, Scalas Sanctas eiusdem Sanctuarii, orationi tantum destinatas, flexis genibus ascenderint ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum

preces effuderint, qua vice id egerint, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur si Scalas Sanctas de Urbe personaliter et devote flexis pariter genibus ascenderent. Eisdem praeterea fidelibus veniam auctoritate Apostolica Nostra impertimus, ut quum quovis anni die, ad eorum arbitrium etiam eligendo, admissorum confessione rite expiati, atque angelorum pane refecti, memoratum Sanctuarium devote visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, plenariam semel in anno lucrandam indulgentiam consequantur. Potestatem denique per praesentes damus ut in praefato Sanctuario easdem atque in Basilica Principis Apostolorum de Urbe stationes in Missali Romano descriptas, servatis quae servari opus est, per annum haberi liceat, omnibusque fidelibus largimur ut quocumque huiusmodi stationum die, Sanctuarium supradictum visitantes, Deo preces, ut praefertur, adhibuerint, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissior]es ac poenitentiarum relaxationes lucrentur, perinde ac si eodem die Basilicae Vaticanae stationem per se ipsos pie visitarent, dummodo quae iussa sunt religionis opera pro his consequendis indulgentiis rite praestiterint. Quas omnes et singulas indulgentias ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse misericorditer in Domino, plenaria tamen indulgentia excepta in mortis articulo lucranda, concedimus. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxv Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. £8 S. *a Secretis Status.*

II.

AD R. P. D. IACOBUM QUIGLEY, ARCHIEPISCOPUM CH1CAGIENSEM, LAUDATUR SOCIETAS PRO DIFFUSIONE CATHOLICAE. FIDEI CH1CAGII IN FOEDERATIS CIVITATIBUS AMERICAE SEPTENTRIONALIS! INSTITUTA.

PIUS PP. x. *

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quae nuper ad Nos relata fuere, de constitutione et fastis frugiferae illius Associationis, quae paucis abhinc annis sub titulo C*atholic Church Extensum Society* in tua civitate Chicagiensi inchoata est, ad finem

tutandae ac provehendae fidei Catholicae in foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis, suavibus animum Nostrum gaudio et solatio perfuderunt. Novimus enim in hanc rem suffragia luculentissima quibus tum Noster apostolicus Waskingtonii Delegatus, tum fere universi istarum dioecesium venerabiles Praesules, tum denique plurimi sacerdotes atque amplissimi viri in ecclesiastica dignitate constituti unanimi consensu institutionis huius vestrae opportunitatem atque excellentiam, ovantes et gratulantes concelebrant, praesertim simul benefacta inde manantia laudantes.

Nuncia vero accurata magis ac diligentiora accepimus hodierni Praesidis Societatis ipsius, qui idcirco hanc Urbem adivit ut de sodalitate Nobiscum colloqueretur. Itaque cum Nobis exinde copia facta siet aequa lance pensandi nobilitatem auctoritatemque Societatis, quae propositum sibi finem habet amplificandi in terris Regnum Christi Iesu, facere non possumus quin Sodalitati eidem sodalibusque universis assensum Nostrum voluntatemque singulari studio significemus. Iucundum quidem nunc est memoria repetere, Nos primum fuisse ineuntis Societatis patronos, eamque spiritualium munerum largitione firmasse. Benedictio Altissimi quam super eam imploravimus, uberrimorum fructuum foecunda parens extitit, sicuti plurima testantur per Societatem ipsam peracta opera, videlicet centum feì^ tempia sive Sacella desertis in plagis condita; plures Catholicae scholae in territoriis Insularum Philippinarum, et Portus divitis fundatae, innumera opuscula de moralibus ac religiosis disciplinis pertractantia inter fideles foederatarum Civitatum vulgata; collata subsidia pro instituendis iuvenibus levitis ad sacras expeditiones mittendis: maxima copia sacrarum suppellectilium et rerum ad divinum cultum spectantium, quae gratuito diribentur; auxilia pecuniaria diversis modis tributa sacerdotibus missionariis; tandem peropportuna vectabilis Cappella, ad finem extructa suppeditandi spiritualia solatia fidelibus in dissitis ac remotissimis terris peramplae huius regionis commorantibus. De tam multis et quidem pretiosis huiusmodi beneficiis quae ad innumerarum animarum salutem spectant, Nos ipsi vobiscum una, venerabilis frater, debitas bonorum omnium supremo Datori gratias agimus: sed placet etiam Nobis non minus debito laudis praeconio te cohonestare, atque universos illos singulosque sodales, quorum ab operoso studio ac generosa liberalitate accepta referre debemus post Deum, tot tantaque bona feliciter parta. Quod si praeteritum tempus est tessera futuri, iure meritoque licet ex eo iugiter potiora auspicari; Nosque quibus perspectae plane sunt, atque exploratae, tum praepositorum vestrorum iustitia, tum

votorum integritas, spem prope certam fovemus, futurum ut societas haec vestra, cui Deus benedicit, atque homines favent, optatum brevi incrementum nanciscatur. Hoc autem incrementum eo magis erit rapidum et salutare, quo arctius haerebitis proposito fini vestrae Societatis; qui finis est alacritatem vestram omnem unire et solum convertere in bonum civium vestrorum intra regionum istarum fines degentium. Religiosam hanc finis propositi observantiam Nos vobis expresse commendamus: idque a vobis servari eo consilio praecipimus, ut non modo maiori civium vestrorum emolumento consulamus, sed etiam ut sollertia vestra nullam unquam difficultatem sive offensionem creet, quin immo constanter procedat atque explicetur, unanimi foedere iuncta cum actione duorum universalium operum, Propagationis Fidei et Sanctae Infantiae, e quibus pretiosissimis adiutoribus Catholica Ecclesia ad divinae Missionis implementum tam valida percipit auxilia. Inter ea procul dubio habentes, vos Nostrae expectationi cumulatissime fore responsuros, Nos effusione spiritus vobiscum coniungimur, faustis his diebus quibus ad primum ab inita Societate vestra lustrum celebrandum properatis, quod explebitur decima octava advertentis Octobris mensis die. Quoniam vero auspicati eventus occasione, coetus Societati eidem moderandae te, venerabilis frater, suffragante a Nobis expostulat, ut peculiare sibi pignus exhibeamus tum benevolentiae Nostrae, tum studii singularis quo opera vestra prosequimur, Nos optatis his precibusque vestris propensa voluntate annuendum existimamus. Quin etiam laeto animo opportunam propitiamque occasionem nanciscimur ut Nos Ipsi pro Societate vestra auxilium et charitatem illorum omnium advocemus, potissimum e vestris civibus, quibus incrementum religionis, non minus quam patriae vestrae bonum maxime cordi esse debet. Hortationem hanc Nostram ante omnia et super omnes convertimus ad venerabiles tuos in Pastorali munere fratres; probe noscentes eorum opem praecipue optandam esse atque efficacem. Horum suffragium et compellationem continuo sequetur actuosum cleri vestri studium, et munificentia semper sollicita eorum, quibus divina Providentia una cum terrestrium divitiarum copia, exercendorum bonorum operum, modum non minus obvium quam efficacem largita est. Quod vero attinet ad petitionem Nobis exhibitam Nos libenti quidem animo optata gratia Societatem vestram donamus, habendi in hac Urbe Cardinalis Patroni qui unionis eiusdem cum Beati Petri Cathedra sit quasi symbolum vivens. Huic itaque accurata quotannis ac fidelis ratio reddenda erit singulorum operum, quae favente Deo, in catholicae fidei incrementum vestris in regionibus Societas ipsa perfecerit. Dilectum vero filium Nostrum Sebastianum S. R. E. Presbyterum Car-

dinalem Martinelli Patronum vestrum, auctoritate Nostra per praesentes, designamus atque constituimus. Similiter ut certiore modo Associationis vestrae regimini consulamus, decernimus per praesentes ut penes te, venerabilis frater, aut penes tuos pro tempore ista Chicagiensi in archidioecesi successores perenne maneat officium praecipui universae Societatis moderatoris cum titulo Cancellarli sodalitati. Exinde huic supremo muneri peculiari modo coniuncta erit obligatio tuendi Societatis negotia et additis opera auxilioque singulorum qui. ad Coetum moderatorem pertinent, sapienter procurandi et provehendi quotidianum Associationis illius incrementum. Quoniam vero iuxta regulas hactenus servatas post consilium Moderatorum, immediatus Societati esse debet gubernator, appellatus Praeses, cuius sollertiae ac vigilantiae praestitutis cum facultatibus, generalis societatis ipsius actio manet concredita, Nos penitus animadvertentes, quanti intersit ut electioni illius maximum tribuatur pondus, illam Nobis et Sanctae huic Apostolicae Sedi reservamus. Itaque volumus ut Praesidis ipsius electio fìat e tribus candidatis ad hoc a moderatorum consilio designandis, quorum nomina per tramitem Cardinalis Societatis Patroni, transmittentur ad Urbem. Decernimus insuper ut societatis Praeses a Sede Apostolica sic nominatus, officium retinere nequeat ultra spatium quinquenii. Tandem auspicatissima hac ipsa occasione peropportunum consilium ducimus, confirmare atque de integro concedere in perpetuum Associationi vestrae, illiusque universis sodalibus, benefactoribus et zelatoribus indulgentias, gratias et privilegia omnia iam alias tributa potissimum per Nostras Litteras ad te datas die VII Iunii anno MCMVII.

Maxime enim Nobis cordi est ut erga frugiferam vestram Consociationem magis magisque in dies, harum regionum fidelium animi mentesque inclinentur; quibus fidelibus, non minus quam tibi, venerabilis frater, tuoque clero, effuso christianae charitatis spiritu, coelestium munerum auspicem Nostraeque benevolentiae pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ix Iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. S. *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I.

AD R. P. D. ALFREDUM WILLIEZ, ATREBATENSIUM EPISCOPUM, DE VIGESIMO QUINTO SACERDOTII ANNIVERSARIO GRATULANDI CAUSA.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Qui tristia saepius, ob lamentabiles Gallicae Ecclesiae casus communicare consuevimus, laeta modo afferimus, gratulationes scilicet ac vota quibus semisaeculari sacerdotii tui natali perlibenter occurrimus. Quamvis vero optatam huius diei laetitiam complexi iam animo fuimus ac veluti auspicati quum, nuntio illius vix accepto, te paterna benevolentia inter Antistites adlegimus qui Nostro adstant Solio, libet hodie, ipso in limine sollemnis, iterato amoris argumento, gaudia tua geminare. Sed libet etiam una simul tibi gratulari navitatem in pascendo concredito grege, eamque frequentibus egregiisque pietatis tuae testatam monimentis; gratulari constantiam qua nuper reus factus servatae religiosissime officii conscientiae, te strenuum praestitisti Ecclesiae iurium adsertorem et dignum plane ac parem ceteris Galliae Praesulibus, quos, ob idem susceptum puerilis institutionis patrocinium, et ipsos in crimen vocatos doluimus et laetati sumus praeclara edentes omnium in oculis haud obscura fortitudinis exempla. Sit itaque tibi faustus hic dies, sit felix; et in mox iterandis suscepti olim sacerdotii gaudiis « *innovetur ut aquilae iuventus tua* » ut integris perpetuo viribus, qualiacumque catholicae rei in Gallia futura sint tempora, tu quidem et ferre perpetuo par sis et invicto animo superare.

Auspicem interea divinorum munerum Nostraeque benevolentiae testem apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuaeque dioecesis Clero populoque amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIII Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

II.

AD R. P. D. GUGLIELMUM VAN DE VEN. BUSCODUCENSEM EPISCOPUM.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Etsi pro tua modestia passurus non es, ut natalem quinquagesimum, qui

appetii, sacerdotii tui Clerus iste et populus laetitiis publicis concelebrent, non tu tamen prohibere potes, quin incensa eorum appareant studia, quibus te iure ob merita prosequuntur. Novimus enim his octodecim annis, cum ecclesiam Buscoducensem gubernas, nihil te fecisse reliqui, quod ad divinam gloriam et ad sempiternam hominum salutem pertineret: maximeque tua vel vigilantia vel solertia vel diligentia effectum esse, ut et ista dioecesis fere a *Modernismi* peste immunis evaderei; et opportuna istic omne genus sodalitia laicorum, in primisque opificum, duce et magistra Religione, exsisterent; et, usu frequenti sanctissimae Eucharistiae propagato, christianae vitae decus apud populum quotidie latius floresceret. Haec omnia nimirum cum gratiam caritatemque filiorum tibi, tum singularem Nostram benevolentiam pariunt. Quare piis pro te precibus votisque tuorum Nostra adiungimus perlibenter: atque auspex divinorum, quae impense precamur, munerum apostolica sit benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

III.

AD R. P. D. IACOBUM RADINI-TEDESCHI EPISCOPUM BERGOMENSEM, OB HABITAM SYNODUM DIOECESANAM.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Tuam pastoralis officii diligentiam bene novimus: ideo, si gratum Nobis, non mirum accidit, Synodum istic dioecesanam, duorum fere saeculorum interniisso spatio, nuper esse, te instante, habitam. Nec minus pietatem fidemque tuam Clerique tui in Nos eximiam iam diu exploratam habemus; sed eam tamen, communi vestra epistola studiosissime testatam, grato Nos animo complexi sumus. Etenim in his tantis angoribus, quibus non tam ob acerbitatem inimicorum, qui undique in Ecclesiam sanctam impetum faciunt, quam ob contumaciam ac temeritatem quorumdam domesticorum afficimur, tempestivum aliquem solatii fructum cepimus ex vestris litteris, siquidem ex iis intelleximus, vobis hoc maximae semper fore, uti est, curae, ut *digne ambuletis vacatione, qua vocati estis;* ac propterea quae vel de integritate doctrinae catholicae, vel de instituto sacerdotalis vitae, vel de christiano cultu promovendo populi a Nobis praescripta sunt, ea diligenter, quemadmodum consuevistis, exsequamini. Quare

gratias pro hac suavitate officii vobis agimus, itemque pro collatione stipis, qua tenuitati Sedis Apostolicae pie subvenistis. Simul autem Deum quaesumus, suis vos remuneretur muneribus, unde utiliter ad vestram et multorum salutem possitis contendere; eorumque auspicem vobis, primumque tibi, Venerabilis Frater, apostolicam benedictionem, praecipua quadam cum caritate, impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

IV.

AD R. P. D. FERDINANDUM DE CROY PROTONOTARIUM APOSTOLICUM, DE EDITO COMMENTARIOLO " BULLETIN PAROISSIAL ".

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Dari operam diariis commentariisve scribendis, quibus christiana sapientia illustretur vulgo et defendatur, non modo opportunum est hodie, sed plane necessarium, cum tantam populis luem scripta religioni catholicae inimica spargunt. Id perspicientes, tu cum aliis e dioecesi Tornacensi egregiis viris commode popularium vestrorum temporibus consulitis, vulgando, ut iamdudum facitis, bis in mense commentariolum, *Bulletin Paroissial* quod dicitur. Hoc enim videmus ea ratione a vobis compositum, ut ad homines, non ita paucos, quos religionis oblivio distinet ab Ecclesiae sacris, maternam Ecclesiae quodammodo vocem afferat, eisque doctrinae christianae inculcet praecepta, quae de sacerdotis ore non requirunt. Quare opus huiusmodi Nos laudamus vehementer et probamus, vosque hortamur, ut id alacres, quemadmodum suscepistis, perseveretis. Auspicem autem divinorum munerum ac testem paternae benevolentiae Nostrae tibi, dilecte fili, et omnibus qui, te praeside, in hac re elaborant, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxiv Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

V.

AD V. E. ANDREAM S. R. E. CARDINALEM FERRARI, ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM, CETEROSQUE EIUSDEM PROVINCIAE ECCLESIASTICAE EPISCOPOS, OB CELEBRANDAM S. CAROLI BORROMAEI MEMORIAM.

Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Quamquam et in cura pastorali et in obsequio Sedis Apostolicae nemini conceditis, tamen consentaneum est ad utramque vos laudem inflammari solemni memoria Caroli Borromaei celebranda: qui sane mirifice tum Vicario Iesu Christi deditus, tum de salute animarum sollicitus fuit. Id enim ex vestris litteris, quas nuper congregati, ut quotannis soletis, Rhaudi, communiter ad Nos dedistis, intelleximus, et quidem libentissime. Itaque, cum vos eo vel vigilantiores fore ad luem *Modernismi*, multiplici lapsu irrepentis, coercendam; vel diligentiores ad populum christiana doctrina instruendum; vel acriores ad iura tuenda et auctoritatem Apostolicae Sedis; vel denique maiore studio disciplinam Ecclesiae sartam tectam conservaturos profiteamini, cernimus iam animo, quanto fructuosior istis dioecesibus vester futurus sit episcopatus. Interea, ipso auspice beato Carolo, divinorum copiam munerum vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, impense precamur; vobisque et vestris gregibus apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die vi Iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

VI.

AD R. P. D. IGNATIUM, PATRIARCHAM ANTIOCHENUM SYRORUM.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quam tu et Venerabiles Fratres, qui tecum una convenerant communibus dioecesium vestrarum rebus et dissidentium Iacobitarum saluti consultum, misistis ad Nos epistolam plenam officii, eam Nos quidem legimus perlibenter. Cognovimus enim et ad deliberandum egregie paratos vos aggressos esse, cum spiritualibus exercitiis dedissetis operam, et in deliberando optime esse versatos, id est fraterna caritate comite. Et vero, quod sublatis quae intercedebant, dissensionibus inter vos et controversiis, vetus animorum concordia coaluit, incredibiliter gaudemus. Vos

autem pergite regnum Iesu Christi in istis regionibus et tueri et promovere, ut facitis, certumque habete Nos vobis nec consilio, nec auxilio, pro facultate defuturos. Auspicem interea divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, vobis, Venerabiles Fratres, et gregibus vestris apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

VII.

AD V. B. IULIUM S. R. E. CARD. BOSCHI, ARCHIEPISCOPUM FERRARIENSEM ET EPISCOPUM COMACLENSEM, CETEROSQUE FLAMINIAE REGIONIS ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS, POST ANNUM CONVENTUM BONONIAE HABITUM.

Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Quae paucis abhinc diebus, Bononiae, ut quotannis soletis, congregati, vota pro incolumitate Nostra suscipiebatis, Nobis aa ipsa die significanda quae anniversaria afferebat natalis Nostri gaudia, pergrata equidem habuimus. Idque eo magis quod animorum vestrorum testificationem pleniorem reddidistis tum optimi significatione iudicii quod de iis facitis quae nuperrime Encyclicis litteris, in lucem inspicientes exemplorum Caroli sanctissimi Episcopi, universis in Christo Fratribus ediximus, tum etiam alacritate quam ultro pollicebamini in iis ad quae hortati sumus exequendis. Faxit Deus ut tam perspicua pastoralis sollicitudinis miraeque sollertiae exempla quibus Carolus tantopere inclaruit et Ecclesiae profuit, Episcoporum omnium animis haereant ita ut eosdem non ad admirationem modo, sed et ad imitationem sancte provocent. Id maxime optamus, et quantum potes sumus, docendo, hortando, praecipiendo pro viribus urgemus atque enixis precibus a Deo contendimus. Studia Nostra vestras ne desiderent partes. Siquidem aeque et in Nos et in vos cadunt ea, gravissima sane, Pauli verba: « *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* ». Sed haec, dilecte Fili et venerabiles Fratres, scribimus vobis non ut stimulos adiiciamus navitati vestrae, quam stimulis minime egere compertum habemus; sed potius ut paternae Nostrae in vos caritatis novum addamus testimonium.

Actuosam caritatem vestram augeat in dies et uberiorem efficiat Apostolica Benedictio, quam, divinorum munerum auspicem, et Nostrae testem benevolentiae, vobis omnibus, dilecte Fili Noster et Venerabiles

Fratres, nec non cuiusque vestrum Clero populoque peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xiv Iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis, elegit:

23 iunii 1910. — R. D. Adulphum Venienti, archidioecesis Brundusinae, novissime Barensi in provincia utriusque archipresbyteralis unitae ecclesiae Alti Muri et Aquae Vivae *nullius dioeceseos* Praelatum Ordinarium renunciatum, in Episcopum titularis ecclesiae Calyndensis (Calinda).

30 iunii 1910. — R. P. Petrum Armengaudium Valenzuela, Magistrum Generalem Ordinis B. M. V. de Mercede, in episcopum cathedralis ecclesiae S. Caroli Ancudiae (S. Carlo di Ancud) in republica Chilena Americae Meridionalis.

4 iulii 1910. — R. D. Patritium Finegan, parochum de *Ballinamore*, in episcopum cathedralis ecclesiae *Kilmorensis* (Kilmore) in Hibernia.

4 iulii — R. P. D. Iosephum Iacobum Irala, olim episcopum cathedralis ecclesiae de Chachapoyas, in episcopum titularis ecclesiae Tingitanae (Tingis).

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

ERECTIO DIOECESIS.

SSmus Dominus Noster Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis, erexit:

7 iulii 1910. — Sedem episcopalem Caliensem (Cali) provinciae ecclesiasticae Popayanensis (Popayan) in republica Columbiana.

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

S. CONGREGATIO CONCILII

GRANATEN.

PROCESSIONIS IN FESTO SANCTISSIMI CORPORIS CHRISTI.

1. Revmus Archiepiscopus Granateli, supplicem libellum SSmo D. N. Pio PP. Papae X porrexit cuius tenor est sequens:

« Beatissime Pater. - Iosephus Archiep. Granaten. in Hispania, ad « B. V. pedes humillime provolutus exponit:

« *a)* In hac alma Civitate Granatensi celebrari solemniter proces« sionem in festo SSmi Corporis Christi, et in Synodalibus Dioecesanis « praescribi, ut ex omnibus paroeciis civitatis, quae sunt numero tredecim, « assistant Cruces parochiales cum clero et fidelibus devotionem haben« tibus.

«*h)* Item, licet ex contextu Legis Synodalis deducatur litteraliter « assistentiam esse praescriptam aliis paroeciis ex dictione limitrophae « civitatis dicta Vega et Sierra, quae viginti octo numero constat, etiam « ex desiderio Regum Catholicorum, quando Mauris profligatis instaurationem religioso-civilem huius regionis mirabiliter explevere, nec « non ex annuo mandato Ordinarii, ut splendor processionis Apostolicae « et Metropolitanae Ecclesiae Granatensis augeatur, id ordinatum esse « constat.

« *c)* Quando prima vice infrascriptus processioni SSmi Corporis « Christi interfuit, observavit quod Parochi civitatis quidem assistebant, « sed ex aliis ditionis limitrophae de Vega et Sierra deficiebant viginti « unum, allegantes distantiam et aegritudinem, molestiasque itineris, « aestatis, quod aliis annis repetitum est.

« *d)* Exquirens utrum hi parochi non assistentes celebraverint in « feria V propria, festivitatem et processionem SSmi Corporis Christi, « negative responsum est, unde publice patet notumque est, quod maior « pars eorum, nec assistebant processioni Ecclesiae Metropolitanae « neque in suo proprio die nec in alio aliquo celebrabant processio« nem nec festum in sua paroecia.

« *e)* Infrascriptus intelligens quod si post Maurorum vastationem « oppida parva erant valdeque difficile ut functiones ecclesiasticae solem« niter celebrarentur, tamen nunc temporis, quia multiplicata et valde « extensa sunt, non est difficultas, et ita populi desiderant, disposuit ut

« lex generalis Ecclesiae observaretur, hoc est, ut paroeciae urbanae « assisterent, sed aliae extra civitatem, loco interessendi, Missam et pro- « cessionem in sua propria Ecclesia celebrarent, quod magna populorum « laetitia et plausu factum est duobus iam abhinc annis.

« *f)* Nunc vero Municipium Civitatis Granatensis postulat ut revo- « cetur Ordinaria dispositio, et Cruces parochiales extra-urbanae assi- « stant, cum parochis, processioni Ecclesiae Metropolitanae, sed cum « difficultates, quae assistentiam parochorum impediunt, subsistant, « certo timendum est quod iterum ad inobservantiam introductam redi- « bunt.

« Quibus attentis, Archiepiscopus interrogati 1. ° An sua ordinatio « celebrandi in omnibus paroeciis festum SSmi Corporis Christi cum « processione in feria V, iuxta Bullam Urbani IV anno 1264 datam, et «a Summis Pontificibus Clemente V, Martino V, et Eugenio IV con- « firmatam, sit sustinenda vel abroganda vel modificanda et in quo « sensu.

« 2. ° An sufficiat paroeciis extra-urbanis celebrare festum et pro- « cessionem SSmi Corporis Christi in Dominica infra octavam vel in « aliquo die octavae.

« 3. "° An sufficiat ut paroeciae Civitatis assistant processioni Eccle- « siae Metropolitanae, vel expediat instaurare antiquam praxim, vi cuius « non modo assistebant laudatae processioni, sed in aliis diebus octavae « unaquaeque suam celebrabat particularem processionem, ut in aliqui- « bus dioecesibus fit.

« 4. ° An approbanda introducta praxis a Conventu, seu Universi- « tate dicta, Parochorum, celebrandi brevem processionem in Dominica « infra octavam, quam processionem infrascriptus amplificavit, et auxit, « assistens et manu sua deferens SSmum Sacramentum ad augendum « Divinae Eucharistiae cultum.

« Haec desiderat ut omnia, quae ad divinum cultum spectant, recte « fiant.

« Granatae, die 20 Martii 1909.

« L. £g S. - B. V. H. Iosephus Archiep. Granatensis ».

Ad adaequatam harum quaestionum solutionem obtinendam, ne falso haec laboret supposito, non erit abs re principia canonico-liturgica in antecessum exponere circa processionem in genere et illam SSmi Corporis Christi in specie.

Sacr. Tridentinum Concilium *(sess. XXV,* c. *13 de Regni.)* statuit: « Exempti omnes, tam clerici saeculares, quam regulares quicumque, « etiam monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellan-

« tur, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt». Vocante igitur Episcopo omnes ad publicas processiones accedere tenentur. Requiritur tamen 1. ° quod Episcopus processionem indicat, et 2. ° quod haec sit publica.

SS. CC. Rituum et. Concilii suis responsionibus authentice rem declaraverunt. Siquidem in una *Elboren.* (14 Ian. 1617, n. 346), S. R. C. decrevit: « Ad Archiepiscopum *privative* quoad alios in sua dioecesi pertinere indicere publicas processiones» (Cfr. *Urbevetan.,* 17 Ian. 1606, n. 217).

S. eadem C. simul cum S. C. C. hoc aliud generale principium sancivit: « Episcopi esse edicere, decernere, dirigere atque deducere « processiones, de *consilio* tantum Capituli, non autem *consensu.* Idque « in omnibus processionibus servandum » *(Elboren.,* 28 Mart. 1626, n. 394). (Idem principium S. C. C. sanciverat in *Derthusen.,* 11 Mart. 1619), (ap. *Pallottini,* Vol. XV, v. *Processiones,* n. 3). Agebatur de processionibus de novo in perpetuum constituendis, et de iis, quae una dumtaxat vice ob publicam causam indici debebant, non vero de processionibus a lege communi imperatis. Non obstante quoque contraria consuetudine (S. C. C. *Sarnen.,* 22 Iun. 1619, lib. 12 *Decretor.,* p. 13).

Item absente Episcopo spectare ad Vicarium Generalem (S. R. C. *Vigilien.,* 28 Sept. 1630, n. 545).

Potest denique Ordinarius iuris remediis compellere etiam exemptos ad processiones. Etenim cum in hac re cesset exemptio, omnes subiiciuntur simpliciter iurisdictioni Episcopi, et hinc Episcopus potest eos poena canonica sibi bene visa, etiam excommunicatione, coërcere [1]. A fortiori potest sub censuris compellere clerum sibi plene subditum. Rationes huius sunt decor sacrarum processionum, populi aedificatio, aliaeque passim a DD. enumeratae.

Altera conditio est quod processiones sint publicae. Quaenam hae sint, ad quas etiam exempti accedere tenentur, edocemur a Decreto Congregationis particularis habitae de mandato Urbani VIII, a. 1628, cuius haec sunt verba: « Auditis.... unanimiter censuerunt posse Epi- « scopos poenis sibi bene visis compellere quoscumque Regulares recu- « santes, etiamsi Monachos et quomodolibet exemptos ad infrascriptas « processiones accedere, atque illis interesse, exceptis dumtaxat in stri- « ctiori clausura viventibus, et Monasteriis, *ultra medium milliare* a

[1] Cfr. S. C. Episc, *in Caietan.,* 25 Oct. 1602; S. C. C, 27 Iul. 1627; *in Mediolanen.,* 3 Aug. 1658; PIGNATELL., *Cons. Can.* T. III, n. XLVI, n. 11, 12, 13. - STEPH. GRATIAN. - *Decis.* 232, n. 15, in Curia Ep. Papien. etc.

«civitate adstantibus; nempe in festo SS. Corporis Christi, in Litaniis « maioribus, in Rogationibus ac in quibuscumque aliis publicis et con- « suetis vel pro bono, causa aut honore publico ab Episcopis indictis « processionibus, non obstantibus etc., privilegiis tantum Apostolicis « S. Concilio Trid. posterioribus contrarium desuper disponentibus mi- « nime sublatis » (Pignatelli, *t. 1, Cons. Can. CXXII).*

Ex quo pariter edocemur Episcopum ad extraordinarias quoque processiones compellere posse clerum. Huic decreto concinunt plurima S. R. C. decreta e. gr. *Matheranen.* n. 259; *Ferrarien.* n. 272; *Chilen. n.* 282, *Sorana,* 878, ad 1, etc. et unanimis DD. sententia.

Ast licet Episcopus etiam per censuras compellere possit clerum sive saecularem sive regularem ad interveniendum publicis processionibus, hoc tamen cum aliqua limitatione est accipiendum. Et ut praetereamus quae ad nostrum non spectant casum, e. g. quoad Clericos Regulares, qui fere omnes sunt privilegiati, et religiosos in studiorum Collegiis degentes, inconcussum principium huius sacri fori est, ab ipso Urbaniano decreto confirmatum, Regulares degentes *ultra medium migliare* a civitate non teneri.

Idipsum tenent DD. omnes etiam de clericis saecularibus. Ad rem Pallottini, *(Vol. XXV, v. Process., n. 30):* « Nec sub Tridentino decreto com- « prehenduntur Clerici extra civitatem vel oppidum degentes cum pro- « pria plebe, iuxta mentem S. C, de qua testatur Campami, in div. iur. «can. *rub.* 12, c. 13, n. 117, et passim firmant DD.: multoque magis « concurrentibus itineris longitudine ac viarum asperitate cum sola « distantia 500 passuum a moeniis oppidi seu civitatis sufficiens repu- « tetur ne clerici rurales, licet curam animarum habentes, teneantur « accedere ad publicas processiones in ea fieri solitas ut notat Fagnan., « in *cap. Nimis XVIII, de excess. Prael., n. 11* \ et rescripsit S. C. iuxta « resolutionem quae refert Piasec. *in prax. Episc. p. 2,* c. *3, n. 31 ».*

« Multo minus igitur ad Processiones accedere tenentur qui ultra « medium milliarium distant *(S. C. C. in Caesenat.* 1592, lib. 7, *Decr.* p. 35. - *« Montis Regal.* a 1601, lib. 9, p. 134-7. - *Aliphan.* 20 Iul. 1678, lib. 29, « p. 110). Ib. n. 31 ».

« Id autem, ut Pallottini docet (n. 35) intelligendum est in casu, quo «contraria non vigeat legitima consuetudo, ut declaravit S. C. in una *« Strongolen.* 17 Iun. 1645, lib. 17 *decr.* p. 483: quin imo ultra milliare « tradit Matteucc, *de Offic. Cur. Eccl., c. 4, n. 8 ».*

[1] Nempe Gregorium PP. XIII excepisse regulares, quorum monasteria distant a civitate ultra medium milliare, ut est adnotandum in lib. publ. S. C. C. ad dict. cap. 17 (Ap. CATALAN., *Rit. Rom. illustr.,* tit. IX, n. XXIII.

Itaque Episcopus tantum, vel eo absente, Vicarius Generalis, habet ius et officium indicendi, moderandi processiones publicas h. e.: pro bono vel causa publica; sive ordinarias, sive etiam, (de consilio tamen, non autem de Capituli consensu) extraordinarias, sive primo instituantur in perpetuum servandae, sive pro una tantum vice: et insuper ius habet obligandi ad interveniendum etiam exemptos (in ceteris) a sua iurisdictione, dummodo non sint privilegiati, eosque renuentes compellendi per poenas sibi bene visas, imo quoque per censuras. Ast non potest compellere degentes extra civitatem ultra medium milliare, nisi vigeat consuetudo, quam tamen ipse, si ita sibi in Domino videatur, potest abrogare. Consuetudo enim suam vim a legali legislatoris consensu sumit, qui in casu est ipse Episcopus.

Haec principia totam suam vim obtinent quoad processiones publicas, generales, sive ordinarias sive extraordinarias, quas Episcopus velit indicere; sed non respiciunt processiones licet ordinarias et de iure communi, quae tamen non sunt generales totius cleri, sed particulares alicuius Ecclesiae.

Porro nulla est generalis lex quae omnes et singulas paroecias obliget ad ordinarias processiones et a fortiori ad illam SSmi Corporis Christi, pro qua rite et decore peragenda plura requiruntur, ut patet.

Nulla quidem est lex obligans, ut paulo post videbimus, sed etiam nulla prohibens, imo liberum est cuique Ecclesiae, etiam sine licentia Episcopi, particularem processionem ex ordinariis ducere, si commode fieri possit (QUARTI, *de process.* - DE HERDT, *Sac. Ut. prax. vol. 3, n. 314).*

Aliae processiones consuetae possunt quoque publice fieri sine Episcopi licentia, licet ipse possit eas prohibere, etiam non obstante consuetudine (S. R. C, n. 346, 2).

Ius autem habet Episcopus ordinarias processiones publicas a singulis fieri paroeciis si ita expedire in Domino iudicaverit (QUARTI, *ib. sect. III, p. 1):* et hoc eruitur sive ex natura potestatis Episcopalis, sive ex intentione iuris, dummodo tamen processiones, praesertim SSmi Sacramenti, commode et decore fieri possint, quod Episcopi prudenti arbitrio relinquitur.

Et hoc sufficiat de processionibus in genere; nunc quaedam de processione SSmi Corporis Christi et de Eius festo sunt dicenda.

Festum SSmi Corporis Christi primo institutum fuit Leodii a. 1246 a Roberto de Thorete, Episcopo post revelationes divinitus habitas a B. Iuliana Cornelionen. Virg. Iacobus Pantaleo de Troyes, qui, dum esset Archidiaconus Leodien., Iulianae revelationes probaverat, qui postea fuit

Episcopus Virodunen. et Patriarcha Hierosolymitan., factus denique a. 1261 Summus Pontifex sub nomine Urbani IV, Episcopi Leodien. preces, efficaciores redditas a miraculo Vulsinii habito a. 1262, benigne excepit, et mense Augusto a. 1264 Bullam *Transiturus* edidit, vi cuius Festum SSmi Corporis Christi instituit et ad universam Ecclesiam obligatorie extendit. Ast vix haec Bulla fuerat promulgata, Urbanus viam universae carnis est ingressus, et festum de facto non fuit ubique receptum. A. 1311, Clemens V, in Consilio Viennen. Bullam *Si Dominum,* edidit in qua integre inseruit Bullam *Transiturus,* eiusque successor Ioannes XXII pleniorem eius executionem curavit.

Martinus V, per Bullam *Ineffabile* (VII Kal. Iun. 1429) indulgentias ampliavit, et primus est qui loquitur de *processionibus* in hoc festo, *sine* tamen *expresso praecepto:* « Illi praeterea, ait, qui *processiones,* in « quibus ipsius vivificum Sacramentum dicto festo deferetur, continuo « secuti fuerint etc. ». Eugenius IV per Bullam *Excellentissimum* (VII kal. Iun. 1433) indulgentias a Martino V concessas duplicavit.

Nullum itaque praeceptum universale in his Bullis reperitur circa processiones in hoc festo faciendas.

Porro processiones theophoricae a pluribus iam saeculis in particularibus Ecclesiis vel Monasteriis fiebant, praesertim in hebdomada maiori (V. Can. IV, Conc. *Bracharen.* a 675. - Lanfranc. *Statui. Monast.* tempore haer. Berengar. - Ordinarium *Rothomagen.* etc).

Instituto speciali festo SSmi Corporis Christi, pronum erat processiones hac die ex devotione introduci, et plurima sunt huius rei monumenta iam a saec. XIV.

Attamen Sacr. Conc. Trid. in Sessione XIII, habita die 11 Oct. 1551, mediante itaque saec. XVI, de ea loquitur uti solum per consuetudinem introducta. Etenim in Can. VI dicitur: « Si q. d. in S. Eucharistiae « Sacramento Christum.... neque in processionibus secundum *laudabi-* « *lem* et *universalem* Ecclesiae sanctae ritum et *consuetudinem* solemni- « ter circumgestandum etc. ».

Hoc nonobstante adhuc sub fine saec. XVI generale praeceptum nondum aderat. Etenim in *Sacerdotali Romano* p. Alberti Castellani, O. P., (ed. Venet. a. 1564) processio SSmi Corporis Christi adnumeratur inter processiones *extraordinarias* (quae sunt « ex diversis necessitatibus « institutae) », et de ea legitur: « In festo SSmi Corporis Christi fit ubi- « que generalis processio » (p. 267). Quum itaque inter extraordinarias processiones adnumeretur, non habebatur ut praeceptiva pro universa Ecclesia.

Porro haec universalis consuetudo, quae in pluribus particularibus

Ecclesiis pro legem scriptam sancita iam fuerat, pro universa Ecclesia confirmata est, quando in fine saec. XVI et initio saec. XVII in libris liturgicis *Caeremoniali Epp.* et *Rituali Rom.* fuit inserta.

Caer. Epp. (lib. II, c. XXXIII) processionis praeceptum supponit, sed pro Cathedrali tantum; scribit enim: « Ut processio quae hac die erit « *facienda* rite et recte ac secundum debitas caeremonias in honorem « tanti Sacramenti fiat.... cura erit *Episcopi etc.* Item ut fiat rotulus, in « quo describantur.... omnes.... qui huic interesse consueverunt vel « debent ».

Ex toto contextu nulla eruitur allusio ad alias Ecclesias non Cathedrales.

Rituale Rom. (tit. IX, c. I, § 8-9) distinguit quidem, ut *Sacerdotale romanum,* processiones in *ordinarias* et *extraordinarias,* et adnumerat processionem SSmi Corporis Christi inter ordinarias, sed nullum indicat generale praeceptum, sed potius supponit *consuetudinem.* Scribit enim: « n. 8. Processiones autem quaedam sunt ordinariae, quae fiunt « certis diebus per annum, ut.... in festo Corporis Chr. vel aliis diebus « pro *consuetudine* Ecclesiarum; n. 9 quaedam vero sunt extraordi- « nariae, ut quae variis ac publicis Ecclesiae de causis in dies indi- « cuntur ».

Ex his rubricis SS. CC. et DD. unanimiter deducunt in festo SS. Corporis Christi processionem esse obligatoriam in civitate Episcopali, eamque unicam ab Episcopo esse indicendam cum interventu totius Cleri, ceterasque Ecclesias in eadem civitate non posse processiones eadem die peragere (Cfr. S. R. C, *Tuscanellae,* 19 Aug. 1619, n. 375). Non est nobis immorari in aperiendis rationibus cur unica processio hac die fieri debeat, cum sint evidentes. Haec lex, ut patet, est observanda quousque loci ac temporum circumstantiae sinant. Haec servabantur in Urbe, et servantur Granatae.

Hisce praeiactis nonnulla sunt adnotanda circa ea quae a Revmo Archiepiscopo Granaten. in supplici libello exponuntur.

Revmus Archiepiscopus testatur 1. ° synodali lege urbanos parochos cum sua cruce teneri interesse processioni SSmi Corporis Christi Recte (n. 1ª) omnino iuxta *Caerem. Epp.*

Testatur 2. °, non solum lege synodali, annuo ulterius Ordinarii mandato idem intimatur paroeciis quoque: « ex dictione *limitrophi* Sierra et « de Vega, ex desiderio Regum Catholicorum etc. ».

Exponit idem Archiepiscopus eosdem parochos non solum non interfuisse, sed nec in suis Ecclesiis processionem duxisse in festo, nec per octavam

Ut vidimus nulla est lex generalis paroecias obligans.

Rmus Archiepiscopus, circumstantias omnes perpendens mandavit ut processio SSmi Sacramenti in festo Corporis Christi in unaquaque ex supradictis paroeciis extra-urbanis fieret.

Ut vidimus nulla est generalis Ecclesiae lex hoc praecipiens, sed episcopali auctoritate, circumstantiis rite perpensis, potest induci.

Verum Municipium Granatae id aegre fert, et postulat ut hoc Episcopi mandatum revocetur.

Licet laudabile et pium sit municipalis auctoritatis votum, attamen in casu non videtur rationabile, nec in praxim facile deducendum. Excessive enim durum esset omnibus illis parochis (nisi forte uno vel altero excepto) plura passuum millia in eundo et in redeundo peragere. Oppida et plebes singulae sine parocho per integrum diem festum, et quidem solemnissimum, remanere deberent, fortasse quoque cum animarum iactura ob sacramentorum administrationis carentiam. Absurdum denique est vel mente concipere populos tam dissitos posse vel velle Granatam accedere.

Quaestionibus itaque propositis:

I. *An ordinatio Revmi Archiepiscopi Granaten. celebrandi in omnibus extraurbanis paroeciis festum SSmi Corporis Christi cum processione Sit sustinenda vel abroganda?*

II. *An sufficiat paroeciis extra urbanis celebrare festum et processionem SSmi Corporis Christi in Dominica vel alio die intra octavam?*

III. *An sufficiat ut paroeciae civitatis assistant processioni Ecclesiae Metropolitanae, vel expediat instaurare antiquam praxim, vi cuius non modo assistebant huic processioni, sed in aliis diebus octavae unaquaeque suam celebrabat particularem processionem, ut in aliquibus dioecesibus fit?*

IV. *An approbanda introducta praxis a Conventu, seu Universitate dicta Parochorum, celebrandi brevem processionem in Dominica infra octavam, quam processionem Archiepiscopus amplificava et auxit, assistens et manu sua deferens SSmum Sacramentum, ad augendum divinae Eucharistiae cultum?*

Emi Patres S. Congregationis Concilii in generalibus comitiis diei 11 Iunii 1910, respondendum censuerunt:

Ad 1.um *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad 2.um *Provisum in primo.*

Ad 3.um et 4.um *Rem remitti prudenti iudicio Archiepiscopi.*

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia

die 12 eiusdem mensis Iunii infrascripto Secretario concessa, sententiam Emorum Patrum adprobare et confirmare dignatus est*

C. CARD. GENNARI, *Praefectus.*

Basilius Pompili, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

CIRCA EVULGATIONEM DECRETORUM HUIUS SACRAE CONGREGATIONIS.

Apostolica Sedes, admodum sollicita provehendae perfectionis inter Religiosas utriusque sexus Familias, plures edidit easque saluberrimas leges, quibus quaedam vetantur, quaedam praescribuntur, ad Sodalium ingressum, institutionem, vota, studia, vitae externae rationem aliaque* id genus apte moderanda.

Inter quas leges, nonnullae tanti ponderis sunt, ut, iis non servatis, quidam actus invalidi, alii poenis ecclesiasticis multati, omnes autem saltem illiciti sint.

Saepe vero contingit, ut quae Apostolica Sedes sapienter constituit, ad notitiam omnium Congregationum vel Domorum Religiosarum, praesertim Monialium, non perveniant, legum beneficio sic prorsus amisso. Ita, in exemplum, dicendum de Decretis: *Singulari quidem,* 27 Martii 1896, quoad quaestuationem; *Perpensis,* 3 Maii 1902, de triennali experimento solemni professioni religiosae praemittendo; *Quemadmodum,* 17 Decembris 1890, de relatione conscientiae; *Sacra Tridentina Synodus,* 20 Decembris 1905, de Communione frequenti; *Inter ea,* 7 Septembris 1909, de debitis contrahendis; *Ecclesia Christi,* £ Septembris 1909, de quibusdam Postulantibus in religiosas Familias non admittendis; *Sanctissimum,* *4>* Ianuarii 1910, quo praecedens decretum ad religiosas mulierum Familias extenditur, et de aliis.

Haec igitur Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, summopere commendat Revmis locorum Ordinariis eorumque Delegatis seu Deputatis ad Monasteria, praesertim Monialium, quae Domum sui iuris constituunt, nec generalem Superiorissam habent, ut notitiam Decretorum, etiam in posterum edendorum, quae vitam religiosam respiciunt, efficaciter evulgent inter Religiosas Familias et Insti-

tuta quoque Dioecesana, ad abusus, si qui irrepserint, tollendos, ad bonum largius diffundendum et uniformitatem in rerum canonicarum observantiam ubique obtinendam.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 3 Iulii 1910.

Fr. I. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

L. ✠ S. F. Cherubini, *Subsecretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

UGENTINA

NULLITATIS MATRIMONII - (BLEVE-SAPORITO).

Pio PP. X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno septimo, die 22 Martii 1910, BR. PP. DD. Ioannes Prior, Aloisius Sincero, Ponens, *Ioseph Mori, Auditores de turno, in causa* Ugentina - Nullitatis matrimonii, *inter Camillum Bleve repraesentatum per procuratorem Ioachim Antonelli-Costaggini et Conceptam Saporito, interveniente et disceptante in causa Vinculi Defensore ex officio, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

Causa praesens prius disceptata est apud Curiam Ugentinam, quae, sententia data sub die 25 Aprilis 1908, declaravit matrimonium habendum esse ut nullum. Appellante contra hanc sententiam Vinculi Defensore, causa deducta est apud hunc Sacrum Ordinem sub proposito et concordato dubio: *An constet de matrimonii nullitate in casu?*

Quantum ex Regestis Ecclesiae Parochialis Tricasii constat, anno millesimo octingentesimo octogesimo sexto, die vigesima tertia Septembris, denunciationibus praemissis continuis diebus festis, nulloque legitimo impedimento detecto, Noè Summonte, Rector Ecclesiae Parochialis Tricasii, Camillum Bleve et Conceptam Saporito, illius Parochiae, in Ecclesia Parochiali interrogavit, eorumque mutuo consensu habito, solemniter per verba *de praesenti* matrimonio coniunxit, praesentibus testibus notis Hypatio Viva et Vito Fracasso illius Parochiae.

Matrimonium infelicem exitum habuit, et anno 1906 coepta est causa de ipsius nullitate. Interim vero anno 1890 Concepta Saporito novum

contraxit matrimonium coram Ecclesia, in urbe Panormi, quod mirum est omnino.

Praesens vero matrimonium triplici ex capite impugnatur: 1. ° eo quod non matrimonium *de praesenti* sed tantum sponsalia *de futuro* matrimonio contracta fuerint; %. ° ex capite defectus forame Tridentinae, eo quod defuerint duo requisiti testes; 3. ° ex capite defectus conditionis *de praesenti* appositae ad matrimonium, seu ex capite defectus consensus ex errore personae.

Verum defectus consensus ex errore personae, seu ex conditione apposita, quem allegavit actor in prima instantia, certe non verificatur. Nam haec conditio, quam actor fassus est a se positam fuisse, quod mulier seu sponsa dives et nobilis moribusque honesta esset, minime probatur, valide inverisimilis est, et denique conciliari nequit cum intentione, quam habuit sponsus, ut ipse fassus est, omnia sui bona sponsae donandi.

I. Iamvero de facto celebrati matrimonii inter Camillum Bleve et Conceptam Saporito coram Parocho proprio, minime dubitari potest.

Circumstantiae enim, quae regulariter adsunt matrimonio rite celebrato coram Ecclesia, undequaque in casu nostro habentur. Patet enim ex documentis in Archivio dioeceseos Ugentinae asservatis proclamationem bannorum unicam, praevia dispensatione ab aliis obtenta, factam fuisse in Paroeciis sponsae et sponsi, praemissam fuisse attestationem *liberi status* "contrahentium, necnon decretum, quod vulgo « contrahatur » audit, a Curia emissum fuisse. Postea, festivo comitatu ducta fuit sponsa in domum viri, secuta est cohabitatio ipsorum atque publica fama eos tamquam legitime nuptos habuit. Inscriptum etiam fuit matrimonium in Libro seu in Regestis parochialibus Matrimonii, et quamvis haec inscriptio minus accurata fuerit, nec subsignata a Parocho et a testibus, tamen explicari non posset, si matrimonii celebratio de facto non extitisset.

De hoc facto, atque de publica fama celebrati matrimonii, testes praecipui sunt P. Antoninus de Notaris, sac. Vitus Giaccari, Parochus loci Marciano, seu parochus proprius sponsi, sac. Petrus Dell'Abbate, Parochus hodiernus loci Tricase, et directe vel indirecte testantur quoque De Mitri, Marra Santa, archipresbyter De Filippis, sacerdos Ponzetta, quin imo actor et ipse.

Quae cum ita se habeant, notandum est « matrimonium gaudere favore *iuris* », ut traditur expresse in cap. ult. *De Conditionibus.* Hic favor iuris in eo consistit ut matrimonium semel celebratum semper validum habendum sit, donec eius invaliditas plene non probetur. « Tolerabilius

est enim, ait Innoc. III, *(in cap. 47, De Testibus...)*, aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime contra statuta Domini separare ». Unde principium: « *in dubio standum est pro valore matrimonii*, quod valet in utroque foro, et a fortiori si agatur de matrimonio fidelium, utpote sacramento ». Ita Gasparri, *De Matrimonio, I, n. 227.*

Quare minime in iudiciis de matrimonii nullitate vigere potest distinctio inter dubium iuris et dubium facti, eo sensu quod in dubio circa aliquod punctum iuris, aliquam nempe legem in se, matrimonium favore iuris gaudeat, in dubio vero circa aliquod factum, seu aliquod punctum, quod ex parte facti se teneat, matrimonium non gaudeat favore iuris. Neque invocari potest Instructio ad Vicarios Apost. Oceaniae Centralis missa ex decreto S. C. S. O. Fer. IV, 18 Dec. 1872. Haec enim docet: « Licet autem ab hoc principio (in dubio standum est pro validitate matrimonii) aliquando recedere aequum sit, quando nimirum (ut plerumque contingit in matrimoniis infidelium) quaestio agitur de facto, utrum scilicet matrimonium fuerit unquam contractum necne, nihilominus hoc etiam in casu non est continuo properandum ad principium contrarium ». Nam hic agitur de facto ipsius celebrationis matrimonii, utrum scilicet matrimonium fuerit unquam contractum necne, et de peculiaribus quorumdum locorum circumstantias. Iamvero in casu nostro de facto celebrati matrimonii dubitari nequit.

Quare a recto tramite aberravit sententia Curiae Ugentinae declarans quod matrimonium praesens « debba ritenersi nullo pel fatto che « non si può provare la presenza dei testimonii Vita e Fracasso, segnati « nel registro parrocchiale ».

In praesenti enim causa minime probanda est praesentia duorum testium Viva et Fracasso; sed probandum potius est (ut futile dubium de matrimonio *de futuro* seu de sponsalibus loco matrimonii *de praesenti* inito, excludamus, prout ex superius iam explosum est) vel duo testes non adfuisse (quod unice in casu nostro in dubium vocari potest), vel non rite adfuisse; idque ita certo probandum est, ut omne prudens dubium in contrarium submoveatur.

Iamvero ius quod spectat, docet Reiffenstuel, *lib. IV, tit. XIX, q. IV:* « Ad hoc ut Iudex ecclesiasticus vinculum matrimonii dissolvat, debet eidem de impedimento dirimente constare per probationem plenam et perfectam... Quod si probatio fiat per testes, debet fieri per testes saltem duos omni exceptione maiores ».

Factum vero quod spectat, ex testibus in documento matrimonii relatis, scilicet Hypatio Viva et Vito Fracasso, hic denegat quidem se matrimonio adstitisse, ille autem fatetur se adstitisse matrimonio vel

sponsalibus, immo potius sponsalibus, quam matrimonio: « per propria « convinzione ritenni trattarsi di matrimonio o promessa di matrimonio; « e ritengo piuttosto la seconda parte, cioè trattarsi di promessa di ma- « trimonio, perchè mancò la benedizione dell'anello ». Verum non omni exceptione maiores dicendi sunt ad effectum de quo supra, nempe « ad hoc ut Iudex ecclesiastica vinculum matrimonii dissolvat ».

Hypatius Viva equidem testatus est quod « Il parroco vestito di « cotta e stola benedisse i predetti Bleve e Saporito senza avere inteso « parola alcuna... ». Non officit autem quod *verba non audiverit,* vel defuerit benedictio annuii, haec enim non sunt stricte necessaria.

At ipse, qui fuit Sacrario Ecclesiae Parochialis loci Tricase addictus, testatus est: « che mai vennero eseguite pubblicazioni di matrimonio tra « Camillo Bleve e Concetta Saporito ». Hoc autem non modo est veritati contrarium, sed nec consonum quidem est cum declarationibus ipsius testis, ut fassus est ipse Vitus Fracasso. Nec satis; nam ipse declaravit Can. Gabrieli Ciullo quod « intese scambiar delle parole ».

Quoad Vitum Fracasso, iste coram Iudice Ecclesiastico testatus est « che egli ha inteso che siano fatte le pubblicazioni di matrimonio » coram publico Notario autem: « entrambi (Viva et Fracasso) accertano « che mai si sono fatte pubblicazioni di matrimonio », quod confirmat P. Antonius de Notaris.

Quare, vel praescindendo a quadam specie machinationis vel collusionis, prout ex agendi ratione actoris, ex depositionibus coram Notario civili, ex declarationibus P. Antonini de Notaris, Archipresbyteri de Filippis et Sacerdotis Ponzetta coniicere licet, horum duorum testium depositiones (ut testem De Mitri praetermittamus, de quo idem iudicium ferendum est) non omne prudens dubium excludunt in contrarium.

Argumenti autem vis crescit, si ex adverso consideremus dotes Parochi Summonte.

Parochus hodiernus Ecclesiae loci Tricase ita deposuit de parocho Summonte: « Era capacissimo di reggere la parrocchia. Era di buona « morale ed adempiente ai propri doveri. Non lo credo capace di segnare « un testimonio non adibito nella celebrazione del matrimonio ». Quod autem addit: « però può darsi che sbadatamente » etc. in casu, nec credibile est.

Parochus Franciscus Blandolino: « Il predetto Parroco mostrò ottima « capacità nel reggere la parrocchia... era di buona morale. Non lo ritengo « capace di segnare come presente nella celebrazione dei matrimoni un « testimonio, che non sia stato adibito ». Idem declarant sacerdos Ioseph Grafis et Andreas Taloro.

Quin, imo si consideremus documenta existentia in Curia Ugentina, ab ipso Parocho Summonte signata, liquido patet ipsum in ordine ad hoc matrimonium celebrandum diligentissimum fuisse quoad publicationes matrimonii, quoad domicilium, statum liberum, impedimenta etc, investiganda et exquirenda. Qua ratione igitur putandum est ipsum negligentem fuisse, quinimo negligentissimum, quoad celebrationem ipsam matrimonii, et quoad praesentiam praesertim duorum testium formamque Tridentinam?

Ideo praesens matrimonium praesumendum et habendum est ut recte factum, in forma nempe Tridentina celebratum.

II. Sed alia subesse potest explicatio in casu nostro, nempe alios fuisse testes matrimonii, quod iuxta recensionem libri parochialis non in domo Parochi, sed in Ecclesia celebratum fuit. Scimus enim Parocho morem fuisse alteri munus regesta parochialia conscribendi committere, quum ista manu aliena constanter exarata sint. Ordinarie adhibiti erant ut testes matrimoniorum Viva et Fracasso, ita ut ex negligentia scriptoris fieri potuerit (ut hic asserit aliquando esse factum, eique concinit actualis Parochus Dell'Abbate) quod ipse inscriptus fuerit tamquam testis quamvis de facto matrimonio non adfuerit. Certe haec agendi ratio reprehendenda est; at quoad ea quae ipsam matrimonii essentiam respiciunt, Parochus Summonte solertem admodum se exhibuit. Nam, ut supra dictum est, omnia documenta necessaria collegit, dispensationem scilicet pro unica proclamatione facienda, attestationes denunciationis in paroecia sponsi factae, necnon liberi status contrahentium, et decretum Curiae, qui matrimonii celebrandi facultas data fuit. Nullum inter ista documenta extat vestigium licentiae a Curia concessae ut nuptiae fierent in domo Parochi, ex quo confirmatur celebrationem in Ecclesia factam fuisse. Ceteroquin istius secretae celebrationis ratio adaequata assignari nequit, quum in paroeciis utriusque sponsi matrimonium iam publicatum fuerit.

Iamvero concipi nequit, ut supra notatum est, parochum, qui capacissimus traditur ad regendam parochiam, quique adamussim omnia ad matrimonium celebrandum praeparare studuit, in ipsa celebratione id omittere voluisse, vel omisisse quod ad essentialem formam contractus matrimonialis pertinet, praesentiam nempe testium a Concilio Tridentino, *cap. I, de ref. matr. sess. XXIV,* requisitam.

Ideoque etiamsi admittere velimus falsitatem libri parochialis respectu nominum testium, qui matrimonio celebrato adfuerunt, non sequitur matrimonium fuisse sine testibus, vel cum uno tantum teste, praeter parochum celebratum.

Ad summum, concludere licet rem in dubio manere, at in dubio standum est pro valore matrimonii.

Quibus omnibus mature perpensis, Christi nomine invocato, solumque Deum prae oculis habentes, Nos infrascripti Auditores pro Tribunali sedentes, ad propositum dubium pronunciamus atque sententiamus: *non constare de matrimonii nullitate inter Camillum Bleve et Conceptam Saporito.*

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut executioni mandent hanc sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam Sacrorum canonum et praesertim ***G. 3,*** *sess. XXV, de Reform.* Concilii Tridentini, iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis extitura sint.

Romae, die 22 Martii 1910.

Ioannes Prior.

L. £8 S.

Aloisius Sincero, *Ponens.*
Ioseph Mori.

Sac. Tancredes Tani, ***Notarius.***

SECRETARIA STATUS

EPISTOLAE.

I.

AD I. V. PAULUM FERON-VRAU, OB EXHIBITUM SANCTITATI SUAE PRIMUM NUMERUM NOVAE PUBLICATIONIS " L'EUCHARISTIE " AB EODEM NUPER INCEPTAE.

Le Saint-Père a reçu avec une parfaite satisfaction le premier numéro de la nouvelle publication que vous avez entreprise et à laquelle vous avez donné pour titre *L'Eucharistie.* Sa Sainteté, Pie X, vous félicite du choix d'un moyen qui peut être très efficace pour l'extension du culte de l'Auguste Sacrement de nos autels, et Elle vous encourage à marcher sur les traces de votre oncle vénéré, Monsieur Vrau, qui a laissé un si grand exemple de dévouement à la cause catholique, et qui, notamment, a été l'un des principaux promoteurs des premiers Congrès Eucharistiques. Le Saint-Père priera Dieu d'inspirer et de soutenir les

hommes de foi et de doctrine qui seront vos collaborateurs, afin que par leurs doctes enseignements, par leur piété et zèle, ils éclairent les esprits et enflamment les cœurs. Soutenus par l'Esprit de Dieu, ils sauront montrer à leurs lecteurs la source intarissable qui alimente divinement le zèle et le fait épanouir en œuvres de régénération sociale. En conviant les âmes aux Congrès Eucharistiques, ils travailleront de la meilleure manière au salut et à la sanctification du monde, comme à l'union et à la concorde dont les catholiques ont un si pressant besoin. En éclairant la foi sur ce dogme fondamental, ils lutteront victorieusement contre les sacrilèges entreprises des ennemis du Christ et son Eglise, contre le péché d'apostasie, suprême outrage du siècle, qui nie la divinité de Notre-Seigneur Jésus-Christ, et ne voit dans Sa Personne sacrée qu'un homme extraordinaire, méritant l'admiration et non l'adoration. Ils poursuivront ainsi, d'une façon très pratique, la puissance des ténèbres qui travaille à déchristianiser le monde, en reniant la royauté sociale de Jésus-Christ, en repoussant ses droits à régir la société aussi bien que les individus, en Lui interdisant toute vie publique, en Le chassant de plus en plus des institutions et des lois, en secouant ou en enchaînant l'autorité dont II a investi son Eglise. Une fin si noble est assurément d'un organe qui veut prendre sa place dans cette presse nettement et franchement catholique, consacrée résolument à la défense de l'honneur, des intérêts et de la liberté de l'Eglise, et ne reculant, dans ce but, ni devant les sacrifices matériels, ni devant l'austère nécessité d'un travail constant et désintéressé. Que la nouvelle Revue fasse œuvre de rénovation chrétienne, de concert avec les Congrès Eucharistiques, ces solennelles manifestations de foi, qui apparaissent au monde étonné comme de pieuses expéditions, comme des croisades pacifiques, où d'intrépides zélateurs de la gloire de Jésus-Hostie font retentir le vieux cri d'autrefois: « Dieu le veut! ».

Le Saint-Père bénit la nouvelle publication, et comme gage des destinées les plus fécondes, Il envoie de grand cœur la bénédiction apostolique au zélé fondateur, à ses collaborateurs, aux propagateurs de la Revue et à tous ses lecteurs.

Veuillez, agréer, Monsieur, l'assurance de mes sentiments très distingués.

Le 20 Maii 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL,;

L. £g S. *a Secretis Status.*

II.

AD R. D. CANONICUM ALFREDUM WEBER, DIRECTOREM OPERIS CATHOLICI DE SACRORUM EVANGELIORUM DIVULGATIONE, OB LIBRUM " LE SAINT ÉVANGILE COMMENTÉ PAR LES APÔTRES " BEATISSIMO PATRI REVERENTER EXHIBITUM.

Le Saint-Père me charge de vous faire savoir avec quelle satisfaction Il a agréé l'hommage de votre livre: *Le Saint Evangile commenté par les Apôtres.* Ce travail, honoré déjà de suffrages éminents, est le digne couronnement de votre précédent ouvrage sur le Saint Evangile de Notre-Seigneur Jésus-Christ; et s'il est juste de voir dans l'enseignement des Apôtres la reproduction, le prolongement et l'explication des enseignements du Divin Sauveur Lui-même, vous avez été heureusement inspiré en publiant ainsi du Saint Evangile le Commentaire, en quelque sorte, le plus attrayant qui puisse être établi. Le Saint-Père se plaît donc à considérer votre travail comme un moyen très efficace de faire connaître et aimer davantage Celui qui est la Voie, la Vérité et la Vie, et, par suite, de réaliser largement la devise qui Lui tient tant à cœur: *Instaurare omnia in Christo.*

Avec Ses paternels encouragements, Sa Sainteté vous accorde avec effusion la bénédiction apostolique. Je vous prie d'agréer mes remerciements personnels pour l'exemplaire que vous m'avez gracieusement offert, et l'assurance de mes sentiments bien dévoués en Notre-Seigneur.

Le *m* Maii 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. £g S. *a Secretis Status.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Il giorno 12 del corrente mese di Luglio, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione Ordinaria Particolare dei Sacri Riti, nella quale furono sottoposte al giudizio degli Emi e Rmi Signori Cardinali, componenti la medesima, le seguenti cause:

I. Intorno alla validità del Processo Apostolico ed Ordinario e. all'esame dei testi della Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Ven. Servo di Dio Vincenzo Pallotti, Sacerdote, Fondatore della Pia Società delle Missioni.

II. Intorno alla validità del Processo Apostolico e alle inchieste degli Ordinari, nonché al culto in ossequio ai decreti di Urbano VIII non mai prestato ai Servi di Dio Lorenzo Imbert, Vescovo di Capsa e Vicario Apostolico di Corea, e Compagni, uccisi, come si asserisce, dagli idolatri in odio alla Fede.

III. Intorno al culto in ossequio ai decreti di Urbano VIII non mai prestato al Ven. Servo di Dio P. Paolo Capelloni, Sacerdote professo della Compagnia di Gesù.

IV. Intorno al culto in ossequio ai decreti di Urbano VIII non mai prestato alla Ven. Serva di Dio Filippina Duchesne, della Congregazione delle Suore del S. Cuore di Gesù.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Il Santo Padre, con biglietto della Segreteria di Statò, si è degnata di nominare:

28 Giugno 1910. — L'Emo Signor Cardinale Pietro Respighi, Protettore dell'Arciconfraternita della SSma Natività di N. S. Gesù Cristo degli Agonizzanti in Roma.

*10 **Luglio** 1910.* — L'Emo Signor Cardinale Sebastiano Martinelli, Prottettore dell' Istituto delle Religiose, dette ***de Lorette au pied de la Croix,*** della diocesi di Louisville negli Stati Uniti d'America.

*4 **Giugno** 1910.* — Il Rev. P. Giuseppe Maria Civra, dei Servi di Maria, ed il Rev. P. Luigi Copéré, Procuratore Generale della Società di Maria, Consultori del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.

*6 **Luglio** 1910.* — Il Rev. P. Giulio Saubat, della Congregazione dei Preti del Sacro Cuore di Betharam, Consultore della Sacra Congregazione dei Religiosi.

SACRA ROMANA ROTA

Citatio Edictalis

PANAMEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Cum rite citata fuerit Dna Eva Rachaël Paniza in causa ut supra ad comparendum coram tribunali S, R. Rotae pro die 15 currentis mensis, cumque Curia de Sonora in Republica Mexicana, cui commissum fuerit mandatum citationis reae conventae notificare, rescripserit factam commissionem exequi nequivisse eo quod domicilium praefatae mulieris reperiri non potuit, cum aliunde ex assumptis informationibus nulla notitia circa eius personam vel locum commorationis colligi valeat, infrascriptus ad tramitem art. 24 § 4 regularum pro iudiciis exercendis coram S. R. R. Tribunali, iubet per praesens edictum, inserendum in commentario Officiali « *Acta A. Sedis* », ut iterum citetur pars conventu ad comparendum sive per se sive per legitimum constitutum procuratorem die 1 proximi venturi septembris coram eodem Tribunali; quod si hac secunda vice ipsa non comparuerit, ut contumax habebitur et audito prius Vinculi Defensore ex officio ad ulteriora procedetur, et die 9 eiusdem mensis causa disceptabitur sub sequenti dubitandi formula: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Itaque locorum Ordinarii quicumque notitiam habentes de domicilio aut commorationis loco dominae conventae, curare debent, si et quatenus fieri possit, ut de hac edictali citatione moneatur.

Romae, die 16 Iulii 1910.

Ioseph Mori, *Ponens.*

(Traduction).

TRIBUNAL DE LA SACRÉE ROTE ROMAINE

Citation par Décret.

PANAMA - NULLITÉ DE MARIAGE

Vue la citation régulière adressée à Madame Eve Rachel Paniza dans la cause sus intitulée, à comparaître devant le tribunal de la Sacrée Rote Romaine pour le 15 courant; vu que la Curie épiscopale de Sonora (république du Mexique) à laquelle l'exécution en a été confiée n'a point pu' le faire,

étant donné qui le domicile de la dite femme est resté introuvable; vu que d'autre part, les informations prises ne donnent aucune notice de sa personne ou du lieu où elle peut habiter, le soussigné, conformément à l'article 24, par. 4, des règles pour les jugements à établir devant le S. Tribunal de la S. Rote Romaine, ordonne par le présent décret qu'il fait insérer dans le Commentaire officiel « ***Acta Apostolicae Sedis*** », que la partie déjà citée le soit à nouveau à l'effet de comparaître soit par elle-même, soit par procureur légitimement constitué par elle, le 1er septembre prochain, devant le même Tribunal. Que si après cette seconde citation elle ne comparait point, elle sera tenue pour contumace et après avoir entendu le Défenseur officiel du lien, on poursuivra la procédure et le 9 du même mois la cause sera discutée sur le doute suivant: ***« Est-ce qu'il conste de la nullité du mariage dans ce cas?»***

C'est pourquoi tout Ordinaire qui aura connaissance du domicile ou du lieu d'habitation de la dite Dame, doit avoir soin, dans la mesure du possible qu'elle soit avertie de la présenté citation.

Rome, 16 juillet 1910.

Josph Mori, ***Ponent.***

Annus II. - Vol. 11. Die 31 Iulii 1910. Num. 14.

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

I.

ERECTIO VICARIATUS APOSTOLICI CE-KIAM OCCIDENTALIS.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae christiano nomini in longinquas praesertim regiones facilius propagando favent, ea de more institutoque Romanorum Pontificum praestare libentissime solemus. Itaque cum Venerabilis Frater Paulus Maria Reynaud, e congregatione sacerdotum a Missione, Episcopus titularis Fussolanus, qui apostolico Vicariatui Ce-Kiam in Sinis summa cum laude praeest, humiles Nobis preces adhibuerit, ut eundem Vicariatum magnitudine amplissimum, prae oculis praecipue habentes tum naturam locorum tum itinerum longitudinem ac difficultatem, in duplicem Missionem dividere dignaremur; Nos omnibus rei momentis sedulo perspectis cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. Ecclesiae Cardinalibus, Congregationi Propagandae Fidei praepositis, huiusmodi vota benigne excipienda censuimus. Quare Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine praesentium tenore ab apostolico Vicariatu de Ce-Kiam in Sinis civiles Praefecturas, quae vulgo *Kia-shing-fou, Hou-tcheou-fou, Hang-tcheou-fou, Yen-tcheou-fou, Hin-tcheou-fou,* et *King-hoa-fou* appellantur, seiungimus easque in novum Vicariatum apostolicum cui nomen sit *Ce-Kiam* occidentalis, erigimus et constituimus, indito priori Vicariatui titulo *Ce-Kiam* orientalis. Novae autem huic Missioni hos, qui sequuntur fines praescribimus, idest ad septentrionem Vicariatum *Kian-Nan* et lacum *T'ai-hou;* ad occidentem Vicariatum *Kiam Non* et Vicariatum *Kiam-Si* orientalis; ad Meridiem Vicariatum *Ce-Kiam*

orientalis et Vicariatum *Fokien,* denique ad orientem Vicariatum C*e-Kiam* orientalis et mare Sinicum orientale, vel potius sinum *Ham-tchou,* eandemque Missionem ita terminatam apostolicis curis sacerdotum e Congregatione S. Vincentii a Paulo propensa voluntate committimus, utpote qui de catholica religione ac pietate in illa remota loca latius provehendis optime mereantur. — Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,.

L. £g S. *a Secretis Status.*

II.

AD R. P. D. PATRITIUM FERGO MAC EVAY, ARCHIEPISCOPUM TORONTINUM: LAUDATUR ASSOCIATIO PRO DIFFUSIONE ECCLESIAE CATHOLICAE TORONTI IN DOMINIO CANADENSI CONSTITUTA DITATURQUE INDULGENTIIS.

PIUS PP. x.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. - Aliata nuper ad Nos nuncia de constitutione et gestis frugiferae illius Associationis quae duobus abhinc annis erecta fuit in hac civitate tua Torontina sub eodem titulo atque illa quae extat Chicagi in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis, nempe « The Catholic Church Extension Society » eundemque contendens ad finem tutandae ac provehendae fidei catholicae in Canadensis dominii territoriis, iucunda sane Nobis et gratissima extiterunt. Non sine magna laetitia novimus explicita et gravia suffragia, quibus venerabiles Antistites dioecesium dominii eiusdem non minus quam amplissimi viri tum ecclesiastici tum laici, unanimi consensione institutionem hanc vestram luculento laudis

praeconio prosequuntur, prestantissima commemorantes benefacta et plurima in rem sacram merita, quibus ipsa summopere commendatur. Diligentius autem in hanc rem atque accuratius retulit ad Nos Apostolicus Ottaviensis Delegatus, qui modo Divi Petri limina adivit. Licuit idcirco Nobis aequa trutina pensitare nobilitatem auctoritatemque Societatis huius, quae ad altissimum finem intendit amplificandi Christi Iesu Regnum in terris, ideoque minime dubitamus quin Societati eidem sodalibusque universis, singulare assensus Nostri paternaeque sollicitudinis pignus ex animo tribuamus. Iuvat quoque nunc in memoriam revocare primos Nos fuisse nascentis sodalitii patronos, illiusque incunabula cohonestavisse illa epistola, quam Decembri mense, anni MDCCCCVIII, Nostro nomine ad te, Venerabilis Frater, dandam curavit Dilectus Filius Noster Cardinalis a Secretis Status. Benedictio Altissimi quam super ineuntem Societatem tunc exoravimus, fructuum uberrimorum foecunda parens atque altrix fuit, sicuti plurima confirmant per Societatem ipsam peracta opera, scilicet: subsidium nummarium munifice collatum, tum pro extruendis ecclesiis sive sacellis, tum pro fundandis catholicis scholis, in pluribus dioecesibus et missionibus necessaria ope destitutis; ingens copia opusculorum de religione et morali disciplina tractantium, late in vulgus diffusorum; institutio commentarii, cui titulus est « Catholic Register and Extension »; maxima vis sacrae supellectilis et rerum ad divinum cultum pertinentium gratuito diribitarum; pretiosa pecuniaria auxilia diversis modis pauperibus sacerdotibus in missionibus erogata; prosperi denique successus quos ipsa Societas obtinuit in servandis pauperibus catholicis Ruthenis per territoria Nord-West dispersis, ab insidiis acatholicarum sectarum, quae omni machinatione, ut illos a catholicae Ecclesiae gremio evellant, student et conantur. De pluribus his et quidem perinsignibus beneficiis, quae ad innumerarum animarum salutem spectant, Nos Ipsi vobiscum una, Venerabilis Frater, debitas bonorum omnium supremo Datori Deo gratias agimus; sed iustitiae spiritu ductis, placet quoque Nobis non minus debita laude te cohonestare atque universos illos et singulos dictae Associationis sodales, quorum ab operoso studio ac generosa liberalitate accepta referre debemus post Deum tot tantaque bona feliciter parta.

Quodsi praeteritum tempus est tessera futuri, iure meritoque licet ex eo iugiter potiora ominari: Nosque, quibus perspectae plane sunt atque exploratae, tum propositorum vestrorum iustitia, tum votorum integritas, spem prope certam fovemus, futurum ut Societas haec vestra, cui Deus benedicit atque homines favent, optatum brevi incrementum sortiatur. Hoc autem incrementum tanto citius atque uberius obtinebi-

tis, quanto haerebitis arctius proposito fini vestrae Societatis; qui finis est alacritatem omnem vestram unice et solummodo convertere in bonum civium vestrorum, qui degunt intra fines Canadensis huius dominii. Religiosam hanc propositi finis observantiam Nos vobis expresse commendamus; eoque consilio ipsum finem sic adamussim a vobis servari praecipimus, ut non modo maiori civium vestrorum emolumento consulamus, sed etiam ut vestra sollertia nullam unquam gignat difficultatem sive offensionem, sed constanter procedat atque explicetur, unanimi foedere iuncta cum actione duorum universalium operum, Propagationis Fidei et Sanctae Infantiae, e quibus pretiosissimis adiutoribus ad divinae missionis implementum percipit catholica Ecclesia tam valida auxilia. Nihil interea dubitantes vos Nostrae expectationi cumulatissime fore responsuros, Nos effusione spiritus vobiscum coniungimur, ardentia vota fundentes pro quotidiano huius vestrae Associationis incremento. Quin etiam summopere laetamur facultatem per praesentes esse Nobis factam, ex qua Nos Ipsi pro vestra Associatione amplificanda, advocemus subsidium et charitatem illorum omnium, potissimum a vestris civibus, quibus incrementum religionis non minus quam patriae bonum maxime cordi esse debet. Hortationem hanc Nostram ante omnia et super omnes convertimus ad venerabiles tuos in pastorali munere fratres, probe noscentes eorum opem praecipue optandam esse atque efficacem. Horum suffragium et compellationem, continuo sequetur actuosum cleri studium et munificentia semper sollicita eorum, quibus divina Providentia, una cum terrestrium divitiarum copia, exercendorum bonorum operum modum non minus obvium quam efficacem largita est. Quod vero attinet ad petitionem Nobis exhibitam, Nos libenti quidem animo optata gratia Societatem vestram donamus habendi in hac Urbe Cardinalis Patroni, qui unionis eiusdem cum R. hac Petri Cathedra sit quasi symbolum vivens. Huic itaque accurata quotannis ac fidelis ratio reddenda erit singulorum operum quae, favente Deo, in catholicae fidei incrementum, vestris in regionibus Societas ipsa patraverit. Porro Dilectum Filium Nostrum Sebastianum S. R. E. Cardinalem Martinelli patronum vestrum, auctoritate Nostra, per praesentes, designamus atque constituimus. Similiter, ut certiore modo Associationis vestrae regimini consulamus, edicimus per praesentes, ut penes te, Venerabilis Frater, ac penes tuos pro tempore in Torontina archidioecesi successores perenne maneat officium praecipui universae Societatis Moderatoris, cum titulo Cancellarli Sodalitatis. Exinde huic supremo muneri peculiari modo coniuncta erit obligatio tuendi Societatis negotia, et additis opera auxilioque singulorum adiutorum, quibus constat directionis consilium, sapien-

ter procurandi ac provehendi quotidianum Associationis ipsius incrementum.

Quoniam vero iuxta regulas hactenus servatas, post consilium Directionis, immediatus Societati esse debet gubernator, appellatus Praeses, cuius sollertiae ac vigilantiae, praestitutis cum facultatibus generalis Societatis ipsius actio concredita maneat: Nos penitus animadvertentes quanti intersit ut electioni illius maximum tribuatur pondus, eandem Nobis et S. huic Apostolicae Sedi reservatam volumus. Itaque mandamus ut Praesidis ipsius electio fiat e tribus candidatis ad hoc a consilio Directionis designandis, quorum nomina per tramitem Cardinalis Societatis Patroni transmittentur ad Urbem. Decernimus insuper, ut Societatis Praeses, a Sede Apostolica sic nominatus, officium retinere nequeat ultra spatium quinquennii. Tandem cum maxime Nobis cordi sit, frugiferam erga hanc vestram Associationem magis magisque inclinentur animi mentesque fidelium earumdem regionum canadensium, ultro libenterque preces vestras excipientes, eidem Societati atque universis et singulis illius sodalibus, adiutoribus et fautoribus, gratias, indulgentias et privilegia omnia concedimus, quae iam tribuimus cognomini Chicagiensi societati: videlicet: 1. Sanctum Philippum Nedum coelestem Associationis superenunciatae Patronum declaramus. 2. Singulis illius sodalibus plenariam indulgentiam largimur die primo eorum ingressus in Societatem, et quotannis festivitatibus coelestis Philippi Nerii Patroni, Sancti Francisci Salesii, - Sanctae Rosae a Lima, Sanctae Annae, Sanctorum Apostolorum et Conceptionis Virginis Immaculatae, dummodo iisdem diebus confessione admissorum expiati atque Angelorum Pane refecti, quodvis publicum templum rite visitent; tandem in mortis articulo plenariam ab ipsis sociis lucrandam indulgentiam concedimus, dummodo unusquisque eorum in momento constitutus a quo pendet aeternitas vere poenitens et confessus ac S. Communione refectus, vel quatenus id facere nequeat, corde saltem contritus nomen Iesu ore, si possit, sin minus corde devote invocet, mortemque quasi peccati stipendium submisso animo suscipiat. 3. Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum pro quolibet bono opere in Societatis emolumentum a sodalibus praestito. 4. Indulgentiam dierum trecentorum a quovis sodale acquirendam, quoties pie recitet formulam « Sancte Philippe Neri, ora pro nobis ». 5. Concedimus ut, excepta in mortis articulo lucranda indulgentia, fas sit sodalibus ipsis, omnibus aliis tam plenariis quam partialibus indulgentiis, quas supra recensuimus, functorum vitae labes poenasque, si malint, expiare. 6. Postremo largimur beneficium altaris privilegiati ter quavis hebdomada sacerdotibus qui Societatis Modera-

tores appellantur, et. sexies, quavis pariter hebdomada, illis quos vocant Fundatores. Interea pro certo habentes futurum, ut haec spiritualia charismata, quae vobis per praesentes concedimus, ad maiorem Dei gloriam et emolumentum animarum, vestraeque Societatis prosperitatem benevertant, tibi, Venerabilis Frater, et clero tuo omnibusque et singulis eiusdem Associationis sodalibus, coelestium munerum auspicem, Nostraeque benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ix Iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL

L. $ S. *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I.

AD RR. PP. SCRIPTORES EPHEMERIDIS QUAE INSCRIBITUR " LA CIVILTÀ CATTOLICA " SEXAGESIMO RECURRENTE ANNIVERSARIO EX QUO IPSA EDI COEPTA EST.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Est profecto cur vobiscum gaudeamus, anno sexagesimo exeunte, a quo in vulgus edi coeperunt commentaria quibus conscribendis egregiam navatis operam. Perspectum enim habemus proposito susceptoque a maioribus consilio vos firmiter fideliterque inhaesisse, et quidquid fuit in vobis virium, id omne in tuendam provehendamque catholicam doctrinam et Apostolicae Sedis iura adserenda alacri contulisse animo. Cui quidem laudi plurimum sane addidere recentiores concertationum plenae disputationes quas felici exitu instituistis adversus grassantes, heu nimium ! modernistarum doctrinas eisdemque clam vel palam nefarie assentientium, quibus apte formam demitis ad fallendum instructam, et quo scateant obtecto veneno ostenditis perspicue. Vos sane hortaremur ut quod coepistis disceptandi genus hoc acriter urgeatis. Sed experiendo novimus sollertiam vestram stimulis minime egere, quum nulla res vos magis accendat quam studium divinae gloriae, cui animo intenditis et ipsam vivitis vitam. Sed ne virtute partae vobis laudi pignus

desit paternae Nostrae benevolentiae, Apostolicam benedictionem vobis omnibus, dilecti filii, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

IL

AD MODERATORES ET SCRIPTORES COMMENTARII MENSTRUI " REVUE CATHOLIQUE DES INSTITUTIONS ET DU DROIT ", OB STUDIUM RELIGIONEM AEQUITATEMQUE DEFENDENDI COMMENDATIONIS HORTATIONISQUE CAUSA.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Nihil magis frugiferum atque opportunum, quam, quod vos iam pridem Commentarii istius editione contenditis, christiana philosophia duce, iuris illustrare principia, quibus recta humanae societatis disciplina nititur, ex iisque novarum praescripta legum expendere; tum, quoties in leges aliquid irrepserit contrarium christianis institutis, - id quod saepius fieri solet - detegere fraudem eiusque legitima, si quae sunt, effugia demonstrare. Isto enim pacto, cum idonea suppeditetis arma bonis omnibus, qui in hac formidolosa inclinatione rei publicae pro Ecclesiae liberalibus iuribusque dimicant, egregie ipsi in religionis aequitatisque defensione versamini. Itaque merito decessores Nostri, Pius IX et Leo XIII, summis vos laudibus pluries ornarunt, vobisque, ut in proposito susceptoque consilio permaneretis, vehementer auctores fuerunt. Nos autem pari vos et commendatione et hortatione prosequimur; quod quidem eo impensius facimus, quo res, quotidie ruentes in peius, acriorem requirunt industriam ad resistendum. Simul vero optimum quemque hortamur, non modo ut vestra iuris vel scientia vel prudentia utatur ad bonum communis patriae, sed etiam labores et studia vestra omni, qua possit, ope atque opera adiuvet. Divinorum autem munerum auspicem ac singularis Nostrae benevolentiae testem, vobis, dilecti filii, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIII Iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO CONCILII

ARIANEN.

DIMISSIONIS AB OFFICIO ET REDITUUM.

Die te Maii 1910.

FACTI SPECIES. - Gravis controversia vertitur inter Capitulum ecclesiae Cathedralis et eius mansionarios: hi nempe petunt ut restituantur in suas chorales mansiones a quibus bis a Capitulo fuerunt eiecti, et insuper instant pro avocatione ad se administrationis ita dictae procurationis legatorum, pro augmento salarii seu mercedis, una cum redditione redituum indebite a Capitulo perceptorum. Harum quaestionum natura, quibus illa adiungitur inter Capitulum et Mansionarium Antonium Schiavo, qui uno eodemque decreto ac alii mansionarii expulsus fuit ab officio sacristae Maioris Cathedralis et capellani ruralis S. Liberatoris, melius patebit ex sequenti factorum expositione.

Sub Episcopo Arianensi Boviglia an. 1691 in ecclesia Cathedrali erectum fuit ex bonis seu expensis Capituli collegium sex mansionariorum, qui non uti veri beneficiati, sed potius cappellani ad nutum amovibiles censebantur. Clare id liquet ex statutis capitularibus *cap. 56, num. 9,* an. 1737, quibus mansionarii voce activa aut passiva non gaudent, atque eliguntur a Capitulo suntque ad nutum amovibiles. Pro eorum manutentione annuatim ex mensa Capitulari assignatae fuerunt 72 mensurae vulgo *tomoli* frumenti, postea ad 120 auctae, nec non summa annua ducatorum 36 (italicae libellae 153) pro onere imposito mansionariis turnatim missam quotidie celebrandi hora proxima ante meridiem, quod onus progressu temporis ad dies tantum festivos fuit coarctatum: in iisdem statutis fit sermo de aliis assignatis reditibus pro satisfactione missarum cappellaniae S. Oti, et legatorum Della Calce et Vacca, sed neque missae fuerunt celebratae neque reditus percepti, uti asserunt mansionarii, fortasse quia bona pro his institutionibus fuerunt deperdita.

Praeter assignatos reditus et alii accesserunt ex diversis missarum legatis factis a piis personis favore mansionariorum infra annos 1766 et 1788, prout constat ex variis publicis instrumentis notarii illius temporis Grifone et ex quadam recensione seu platea municipali: onera horum legatorum conflabantur ex 168 missis lectis, 4 cum cantu, et 10 anniversariis annuatim persolvendis, et reditus pro eorum satisfa-

ctione ascendebant ad libellas annuas 187: legatorum administratio, sicuti redituum exigentia gerebatur a mansionariis, ut hi pariter asserunt, et ita habebatur sic dicta procuratio mansionariorum: item inter mansionarios eligebatur sacrista maior cui officio pariter aliqui reditus erant addicti.

Interea anno 1866-67 publicatae sunt in Italia leges eversivae proprietate ecclesiasticae, et anno 1872 pro sex mansionariis assignatae fuerunt a Gubernio libellae 3000 ex facta liquatione bonorum apprehensorum Capituli, quae postea ex restitutione taxae 30 in singulis centenis auctae sunt in libellis 900, ita ut reditus uniuscuiusque mansionarii ad lib. 650 assurgeret: verum hic reditus attributus a fisco mansionariis inscriptus in versuris publicis favore Capituli numquam repensus fuit mansionariis, sed hi tantum receperunt 10 mensuras frumenti in natura et alias decem in libellis 93, 50. Anno 1887, Capitulum avocavit ad se administrationem seu procurationem legatorum quae in antecessum a mansionariis gesta fuerat.

Praeterea Capitulum nomine mansionariorum expostulavit a Sancta Sede reductionem missarum 168: haec reductio prius ad dimidium facta est, nempe ad 84: deinde coarctata est ad dies tantum festos, nempe ad missas 67. Has missas mansionarii celebrare debebant hora proxima ante meridiem, et pro hac celebratione recipiebant cent. 85. Uti ex factorum expositione resultat, onus missarum pro legatis coaluerat cum alio onere celebrationis missae quoad praesentiam in hora proxima ante meridiem et pro quo erant assignata ducata 36. Cum mansionarii saepe saepius alios sacerdotes delegarent ad has missas celebrandas, quia habebant cappellanias rurales dominicales et festivas, hinc a Capitulo expostularunt eleemosynae augmentum: at Capitulum augmentum irrisorium cent. 15 concessit. Mansionarii hoc respuerunt, et refragati sunt dictas missas celebrare, repetentes procurationem legatorum seu reditum legatorum in libellis 180, 20 ita reductum ob impossibilitatem nonnullas partitas exigendi.

At Capitulum, hac petitione se laesum putans, mansionarios recurrentes, nempe Antonium Schiavo, Vincentium Cardinale, Ioannem Graziano, Philippum De Donato, Nicolaum Scarpellino, sub die 10 Februarii 1906, ab officio dimisit: Antonius vero Schiavo qui etiam erat sacrista maior Cathedralis et cappellanus ruralis S. Liberatoris, his quoque officiis privatus extitit. Contra hanc dimissionem praefati mansionarii recursum habuerunt ad Episcopum, qui rebus omnibus pensatis die 17 sequentis Iunii sequens confecit decretum: « I cinque mansionari... riprenderanno « fin da domani 18 Giugno il libero esercizio del loro ufficio corale nei

« posti rispettivi per l'addietro occupati, senz'alcuna mutazione, rima-« nendo anche D. Antonio Schiavo sagrestano maggiore e cappellano « rurale di S. Liberatore.

« Nulla essi perdono nè dell'annua rendita, nè degli emolumenti « quotidiani ed avventizi pel tempo che contro loro voglia sono stati « assenti dal coro e dall'esercizio del loro officio. Per l'annua rendita « della loro procura avranno dal Capitolo Cattedrale L. 180, 20 come « nel 1884, a meno che qualche cespite a tale procura appartenente non « sia divenuto inesigibile, perchè in tale caso, quello che è inesigibile « devesi sottrarre dalla somma predetta ».

Huic decreto non acquieverunt canonici, sed potius illud impugnarunt contendentes mansionarios non habere reditus proprios, sed quidquid ipsi percipiunt, tradi a canonicis ex massa Capituli, ideoque procurationem legatorum, et summam libellarum 180, 20 nullimode esse debitam multoque minus ius esse ad repetendos maturatos reditus in praeteritum. Quare id per opportunum recursum ad S. C. Concilii detulerunt. E contra mansionarii, experti Capituli repugnantiam circa petitam solutionem redituum et alia recognita iura ex memorato decreto pariter suas querelas ad eamdem Congregationem detulerunt, postquam Episcopus oleum et operam perdidisset pro statuenda concordia inter partes. Mansionarii insuper in sua instantia instituerunt nedum pro executione decreti Episcopalis supra relati, sed etiam ut sibi addiceretur summa libell. 3900 a fìsco eorum favore in apprehendis bonis Capituli inscripta una cum ratis decursis et numquam eisdem solutis.

Pendente quaestione coram S. C. ex parte mansionariorum nonnulla acciderunt, quae ansam Capitulo videntur praebuisse ad novam eorum expulsionem a choro decernendam.

Revera mansionarii ad constabiliendum suum ius ad praecitatam summam libellarum 3900 egerunt apud Oeconomatum Generalem beneficiorum vacantium, ut sibi opportuna relaxaretur declaratio de summa ut supra assignata, quae declaratio die 18 Ianuarii 1907 eis remissa fuit ope officialis vulgo *di Registro.* Haec agendi ratio mansionariorum valde displicuit tum Episcopo, tum Capitulo. Deinde mansionarii, uti refert Capitulum, non sese praebuerant assidui choro et servitio altaris et saepe etiam de canonicis obloquebantur cum scandalo fidelium. Quare die 19 Aprilis eiusdem anni accitis mansionariis ab archidiacono chori praeside de mandato Capituli, mane durante tempore officiaturae choralis, eisdem huiusmodi fit intimatio: «Il Capi-« tolo fin da questo momento dichiara licenziato il corpo dei mansio-« narii dall'ufficio e dalla carica: quindi potete toglervi l'insegne e con-

« segnare le chiavi degli armadi ». Haec vero dimissio facta fuit nedum de Capituli consensu, sed etiam approbante Episcopo.

Quoniam vero nonnulli ex mansionariis renuere videbantur tum claves armariorum restituere tum insignia canonicalia dimittere, facta etiam declaratione recurrendi ad laicas potestates, hinc Episcopus die 20 immediate sequenti ad frangendam contumaciam et scandala vitanda, suspensionem a divinis ipso facto incurrendam contra renuentes comminatus est.

Soluto mansionariorum coetu, Capitulum, consentiente Episcopo, quatuor novos mansionarios nominavit, tantum ex veteribus retentis Bonghi et Guardabascio qui cum refractariis non coaluerant. Illico dimissi mansionarii ad S. Congregationem querelas detulerunt petentes ut facta expulsio ceu irrita haberetur. At haec Sacra Congregatio, accepta super facto recursu Episcopi informatione, sub 22 Iunii huius anni ad oblatum recursum respondit: *Lectum ad instantiam.* Modo mansionarii una cum Antonio Schiavo qui ab officio Sacristae Maioris et cappellani S. Liberatoris consequenter etiam privatus remanet, dempto tamen mansionario Vincentio Cardinale, qui fertur peregre abiisse, nempe in Americae regiones, appellationem ab edito rescripto promovent ad plenarium EE. VV. conventum, et pluribus allatis documentis ad suam cohonestandam actionem sequentia petunt, prout ex eorum instantia sub die 16 Iulii 1908 nempe:

1. ° « La riammissione ai propri posti ed offici.

2. ° « La conferma della sentenza vescovile.

3. ° « L'assegno governativo in L. 650 ciascuno annue.

4. ° « L'indebito percepito dall'epoca della nomina di ciascuno di « essi fino ad oggi ed anche l'assegno dell'ultima messa in ducati 36.

5. ° « Il pagamento del servizio non prestato, contro loro volere, « dall'epoca del licenziamento fino ad oggi.

6. ° « Infine, oltre l'indennizzo delle spese fatte e da farsi per la presente causa, il pagamento del servizio prestato per due anni e non « ricevuto ancora ».

Notandum inanes fuisse omnes conatus factos sive ab Episcopo sive ab ipso Visitatore Apostolico, uti ex huius epistola apparet diei 14 Augusti 1908, ad sedandam exortam controversiam et concordiam inducendam. Haec eadem fuit mens H. S. C. uti ex sequenti patet rescripto sub die 9 Septembris praefati anni: « Circa quaestionem acerrime agitatam inter Capitulum et mansionarios dimissos, piacere de concordia, idque notificetur Episcopo qui satagat eiusmodi concordiam conciliare, monitis capitularibus ut suo ipsorum bono consulentes ad vitanda gra-

viora scandala et non parva incommoda Capitulo impendenda, forsan apud civilia tribunalia, animum inducant ad pacifica consilia, habito in primis prae oculis bono animarum ». Hanc concordiam mansionarii penitus reiecerunt, uti constat ex postremo eorum recursu sub die 15 Novembris 1908, in quo exposcitur ut proposita controversia a S. Congregatione ad iuris tramites dirimatur.

Operae pretium est varios articulos excutere, hinc inde contendentium relatis et corrivatis rationibus. Et primo sit de mansonariorum reditu.

Iuxta Capitularia statuta, de quibus supra in citato cap. 56, mansionariorum reditus ita describitur:

« I loro emolumenti sono i sottonotati:

a) « Tumuli annui 72 di grano, che si pagano loro dalla mensa « capitolare;

b) « Dalla cappella di S. Oto annui ducati 10 (lib. 42, 50) in contante;

c) « Dalla mensa capitolare per una messa quotidiana, che sono « tenuti per turno celebrare all'ora prossima del mezzodì, ducati 36;

d) « Annui ducati 14 per una messa ogni mercoledì per l'anima del « Vescovo Giacinto della Calce;

e) « Annui carlini 35 per un capitale di ducati 50, legato loro « col peso di messe ciascuna a carlini 2 (centesimi 85) da Giuseppe Vacca;

/) « Da ogni funerale di adulto della parrocchia principale della « Cattedrale toccano grani 10 (centesimi 55) a cadauno di loro interve« niente ».

Circa alios reditus qui iuxta mansionarios eisdem essent assignati, maxima habetur incertitudo: ita secundum quamdam plateam in Municipio existentem, annuatim a diversis legatis mansionariis spectarent 43, 95 ducata cum onere missarum celebrandarum in ratione cent. 85 pro unaquaque: at in libro exitus et introitus de anno 1884 edicitur a Canonico Pironti, Capituli procuratore, fuisse mansionariorum procuratori persolutas libellas 180 pro missarum celebratione. Ex quodam missarum libello, vulgo *vacchetta di messe,* apparet mansionarios ex legato parochi Goccia fuisse gravatos celebratione annuali 10 missarum cum recitatione officii defunctorum, et ex aliorum legatis 4 missis cantatis quolibet anno. Hae missae ab an. 1891 usque ad an. 1905 semper a mansionariis fuerunt perlitatae ut ex eodem libro scatet. Aliae vero missae, iuxta assertionem mansionariorum in numero 168 a S. Sede prius reductae ad dimidium et deinde ad dies festos, inibi perhibentur celebratae modo a canonicis et modo a mansionariis.

Iuxta instrumenta notarii Grifone, alii etiam extarent reditus addi-

cti collegio mansionariorum. Sed neque hic res obscuritate caret: nonnulli ex his sunt fructus ex summis mutuo datis e fundo cappellaniae S. Othonis seu Oti, de quibus in primo elencho iuxta capitularia statuta; alii referuntur ad reditus iam statutos pro celebratione missarum cum cantu. Unde ex hisce parum vel nihil argui licet in favore mansionariorum. De existentia vero procurationis legatorum et quae gerebatur an. 1884 a Collegio mansionariorum reddunt iuratum testimonium praeter librum exitus et introitus canonici Pironti, etiam tres ex-mansionarii, nempe parochus Santosnosso et sacerdotes Padovano et Sicuranza. Hanc legatorum administrationem mansionarii recurrentes conquerentur Capitulum an. 1887 a se abstulisse.

Quoad reditus sacristae maioris, cuius officium gerebat mansionarius Antonius Schiavo, alii ab ipso erogabantur in expensas sacristiae nempe circa 70 ducata, alii vero 7 vel 10 ducata circiter, prout ex supra citatis testibus, cedebant in favorem ipsius sacristae. Horum administrationem pariter Capitulum ad se avocasse conqueruntur mansionarii, dum iuxta notam adductam desumptam ex platea municipali directe essent exigendi ab ipso sacrista.

E contra canonici licet nulla documenta protulerint, sequentia deducunt. Primo excipiunt lapsum temporis: siquidem de eiusmodi procuratone legatorum et de correspectivo reditu lib. 180, 20 spatio pius quam 20 annorum mansionarii numquam querelam aut vindicationem excitarunt. Insuper actuales mansionarii in acceptando officio nullam reservationem apposuerunt. Capitulum annuatim singulis persolvit lib. 120 pro satisfactione missarum: at si haec summa aliquatenus inferior est, expendi oportet quod a Capitulo supportantur omnes taxae et onera fiscalia hisce reditibus adnexa. Tandem Capitulum observat quod mansionarii non constituunt corpus authonomum cum proprio reditu: at ipsi omnino ab eodem dependent, ipsius expensis sustinentur, et ad eius nutum et arbitrium removeri possunt.

Verum Capituli ratiocinatio non videtur in omnibus esse sequenda. 1° Iuxta Capitularia statuta reditus certi sunt assignat! pro mansionariis. Hi distrahi aut coarctari non possunt arbitrio Capituli: excipitur casus quod vel capitalia aliqua perierint, aut reditus aliqui evaserint inexegibiles, tunc cumulus redituum pro mansionariis sponte sua imminuitur, et Capitulum de proprio per se generatim loquendo supplere non tenetur. 2. ° Neque Capitulum immutare potest destinationem redituum. Ita, iuxta statuta, sunt addicta ducata 36 pro celebratione facienda alternatim missae a singulis mansionariis hora proxima ante meridiem. Haec obligatio postea reducta, nescitur qua aucto-

ritate, ad dies festos, confundi non potest cum alia obligatione applicandi missas legatorum modo restricta tantum ad dies festos. Ita dicatur de aliis reditibus pro satisfactione aliorum legatorum. Cum autem circa modum satisfaciendi legatis maxima in casu habeatur confusio, neque ullimode cognoscatur qualis in praesens certus et realis reditus exigi aut haberi posset, videtur Capitulum obligandum esse ad notulam exhibendam tum legatorum tum introitus modo existentis pro eorum satisfactione.

Alter quaestionis articulus versatur circa libellas 3900 a fisco assignatas pro mansionariis, licet, uti supra dictum est, ipsae fuerint massae Capitulari inscriptae. Capitulum contendit hanc assignationem obtinuisse non quia reapse mansionariis deberetur, cum ipsi nullam habeant praebendam et sint eius mercenarii, sed ut bona in ampliori quantitate vindicarentur ab usurpatoribus. Hoc idem confirmat Episcopus. Et re quidem vera, mansionarii dici nequeunt veri beneficiati, et eorum stipendia in statutis sunt designata: ulterius si petitio mansionariorum reciperetur, illud eveniret, quod mansionarii pius lucrarentur quam ipsi canonici. Canonici enim habent a gubernio assignatam summam libell. 800 pro unoquoque: e contra mansionarii ultra summam libet. 650 pro unoquoque, haberent alios assignatos reditus uti cappellani Capituli, qui conglobatim sumpti una cum fìsci assignatione maiorem summam darent prae libellis 800. Hinc petitio mansionariorum pro hac parte videtur penitus esse repellenda.

Deinde mansionarii petunt ut a tempore suae nominationis annualia ducata 36 iuxta statuta Capitularia sibi attributa, et numquam sibi persoluta, a Capitulo restituantur. Verum cum haec summa destinata fuerit pro missa celebranda quotidie proxime ante meridiem, et mansionarii id praestiterint tantum diebus festivis et dominicis celebratione missarum pro legatis, videtur deficere petitionis fundamentum.

Nec omittendum mansionarios iam hanc summam alias implicite expostulasse in promota et iam superius expensa vindicatione summae libellarum 3900 ex parte fìsci: siquidem ipsi contendunt gubernium dictam summam decrevisse, prae oculis habitis emolumentis mansionariis spectantibus ex capitularibus statutis.

Alter quaestionis articulus est circa repetitionem ex parte mansionariorum emolumentorum ob non praestitum chorale servitium ex culpa ipsius Capituli, quod per factam, uti ipsi dicunt, iniustam expulsionem eos ab interventu chori impedivit. Sed haec controversia est succedanea alteri de validitate vel non eiusdem expulsionis: ideoque de ea inferius sermo recurret.

Hucusque disceptatum est de controversia inter Capitulum et mansionarios sub aspectu, ut ita dicam, oeconomico: sed gravior est illa quae discutienda restat, et quae quidem praecipue sese prodit sub aspectu morali, nempe de bina dimissione facta a Capitulo mansionariorum, nempe sub die 10 Feb. 1906, et sub die 19 Aprilis 1907, uti in principio enarratum fuit. Priori, uti notum est, defuit consensus Episcopi, qui eam uti nullam declaravit, secundae vero eius consensus accessit et indirecte etiam a S. H. Congregatione fuit confirmata per reiectionem recursus mansionariorum.

Praemittendum est in themate non agi de officiis mere servitoriis, et in quibus nulla intrat mixtura ecclesiastici ministerii, quorum proinde remotio fieri potest etiam ex levissima causa, ut tenent De Luca *TheaL Verit. De benef. Dis. 80* et Scarfantonius *ad Ceccop. 11, in votis dec. vot. 46,* sed de cappellanus ecclesiasticis licet manualibus cum onere servitii altaris et celebrationis missarum; quare eas obtinentes non videntur quod possint removeri ex quacumque levi causa, sed necessaria sit gravis causa et quod amotio non procedat ex vindicta vel odio, cum ex huiusmodi remotionibus ecclesiasticis personis grave obveniat dedecus in fama. Confer loco cit. *De Luca, disp. 97, n. 11, 12.*

Eo vel magis quod in proposito casu non agitur de amotione alicuius personae privatae seu mansionarii, sed de dimissione totius Collegii, quod mansionarii in anteactis temporibus numquam accidisse propugnant.

Hisce in iure praemissis in facto videndum est utrum duae factae dimissiones sustineantur. De prima mansionariorum expulsione non videtur posse dubitari fuisse nullam:

1. ° Ob defectum legitimae causae, quia mansionarii fuerant poena mulctati ob petitionem suorum iurium, quod profecto non est culpabile.

2. ° Ex defectu formae, quia actui Capitulari non praecesserat affixio schedae convocationis neque conclusio Capitularis fuerat scripta in libro resolutionum Capituli, quae duo a statutis Capitularibus statuuntur sub poena nullitatis *(Stat. Cap. 54, n. 1, 2, 33).*

3. ° Ob defectum consensus seu approbationis Episcopi, quae sicuti necessario requiritur in nominatione Mansionariorum, ita et in eorum amotione. Quare iure merito Episcopus decreto diei 17 Iunii 1906 iussit expulsos mansionarios in suas sedes esse restituendos.

Verum quid dicendum de secunda expulsione mansionariorum facta a Capitulo anno subsequenti 19 Aprilis 1907? Profecto Episcopus eam ratam habuit, et contendit contra mansionarios recurrentes eam a S. C. esse confirmandam: asserit enim mansionarios duas inter se distinctas

contundere quaestiones, videlicet, altera de interesse pecuniario iam in favorem mansionariorum decisa; altera vero disciplinaris, seu mansionariorum dimissionis ob negligentiam in chori servitio, scandalum fidelium. Hanc ultimam decisionem ipsemet Episcopus approbavit confirmavitque. Hic Episcopi ratiocinandi modus non satis probandus videtur. Nam verum motivum utriusque expulsionis semper extitit interesse pecuniarium. In prima mansionarii expetebant augmentum eleemosynae festivae, et institutionem procurationis legatorum una cum libellis 180, 20; in secunda vero, praeter has repetitiones, addiderunt etiam assignationem libellarum 3900 sibi factam a fisco: et quoniam Capitulum Episcopi decretum executioni mandare denegaverat, mansionarii ad S. C. appellarunt. Haec appellatio facta ad legitimam auctoritatem vera extitit ratio expulsionis decretae et intimatae a Capitulo. Hoc vero dicine potest motivum legitimum ad infligendam poenam privationis officii licet ad nutum amovibilis?

Sed Episcopus cum Capitulo recurrunt ad alias rationes nempe rebellionis, desertionis chori ex parte mansionariorum; incusant pravam eorum agendi rationem et eos traducunt uti scandalosos, renuentes assistentiam curae animarum, et alia huiusmodi; in specie vero eos accusant, ob petitionem factam apud Regium Oeconomatum pro obtinenda declaratione factae assignationis libellarum 3900 eorum favore.

Mansionarii has motas accusationes facile repellunt. De recursu apud laicam potestatem reponunt, ipsos non eam implorasse uti sibi facta assignatio traderetur, sed tantum petiisse declarationem, quo documento apud ecclesiasticam auctoritatem suum ius probare valerent: et reapse obtenta attestatio est inter documenta ab ipsis exhibita: nemo sanus autem contendet hanc attestationem inferre posse periculum molestiae Capitulo.

Neque solido pariter nituntur fundamento aliae adductae accusationes. Omissa ratione rebellionis quae in casu tota reducitur ad recursum a mansionariis factum ad legitimas auctoritates, sed potius reliqua accusationis capita expendenda sunt. Primo obiter notandum est, quod obiecta desertio servitii choralis, neglecta assistentia curae animarum, et alia impiota scandala, si res veritati congruunt, intercedere debuerunt post decretum quo ab Episcopo mansionariorum ius recognitum fuit: alioquin Episcopus et Capitulum in prima dimissione de iis rationem habuissent. At in secunda dimissione aut nullimode existunt, aut fuerunt ultra modum amplificata. Revera in facto est quod ecclesia Cathedralis graviter laesa ob terrae motum clausa mansit ab an. 1905 usque ad diem 18 Martii 1907, officiatura chorali interea temporis in ecclesiam Monia-

lium a S. Benedicto translata: sed chorus huius ecclesiae ob humiditatem et insalubritatem maxime tempore hiemali, ut constat ex declaratione Pro Vicarii Generalis Arianensis Ciardulli diei 23 Iulii 1907, parum fuit frequentatus. Deinde nonnulli ex mansionariis fuerunt impediti ex infirmitate ab accessu chori, uti Antonius Schiavo, Scarpellino, Di Donato; mala eorum affecta valetudo constat ex medicorum attestationibus in actis, sicuti etiam liquet quod nonnulli ex his, si ad chorum non accesserunt diebus praesertim festis, id contigit quia erant distenti ab exercitio curae animarum.

Ita iuxta declarationem diei 21 Aprilis 1907 Pro-Vicarii Generalis Ciardulli mansionarii Scarpellino et Di Donato manserunt in officio oeconomi spiritualis paroeciae Cathedralis a mense Aprilis 1903 usque ad diem 21 Aprilis 1907.

Item non sustinetur altera accusatio de prava et scandalosa agendi ratione mansionariorum: ea enim nullo specifico facto comprobatur, e contra in actis adsunt attestationes nonnullae parochorum, ex quibus oppositum eruitur.

Ex hucusque igitur adductis, cum facta remotio nullo gravi et probabili cohonestetur motivo uti iniusta et non valida est censenda, eo vel magis quia ipsa facta est pendente mansionariorum recursu coram H. S. C. resolutio Capitularis edita fuit, nulla affixione praemissa schedae convocationis Capituli. Posita autem nullitate huius secundae mansionariorum dimissionis sponte sua consequitur, ut mansionariis dimissis debeantur omnia emolumenta, quae ipsi lucrati fuissent prestando servitium chorale: haec enim omissio per ipsos non stetit, sed per Capitulum.

RESOLUTIO. — Dubiis itaque propositis:

I. *An dimissio mansionariorum sive a mansionariatu, sive ab aliis officiis, facta a Capitulo tum die 10 Februarii anno 1906, tum die 19 Aprilis 1907, sustineatur in casu.*

II. *An et quidam reditus mansionariis debeantur, illis comprehensis ex procuratione legatorum Missarum. provenientibus et ex assignatione Fisci libellarum 3900, in casu.*

III. *An et quomodo sit in casu providendum circa Missarum celebrationem.*

Emi Patres S. Congregationis Concilii, in generalibus comitiis die 14 maii 1910, respondendum censuerunt:

Ad I.um *Ad mentem.* Mens est: attentis peculiaribus circumstantiis, tres antiqui mansionarii restituantur in officio, ita ut cum aliis modo existentibus unum coetum efforment, cui omnia onera et emolumenta

sint communia, et sub his conditionibus: 1. ° ut tribus antiquis mansionariis tribuatur praecedentia super noviter admissis, quin tamen eis debeantur reditus pro praeterito tempore, quo in chorali servitio remoti fuerunt; 2. ° ut Capitulum augeat ex reditibus capitularibus emolumenta mansionariorum solvendo annuatim summam quae aequivaleat tertiae parti eorumdem emolumentorum, donec mansionarii ad suetum numerum reducantur.

Ad 2. um *Exclusa assignatione libell. 3900, deberi mansionariis a Capitulo tum reditum ex procuratione Missarum, tum alios reditus ad formam Statutorum Capitularium, exceptis illis qui deperditi sint vel exigi nequeant.*

Ad 3. um *Ad mentem.* Mens est: conficiatur elenchus missarum et exhibeatur S. C, una cum descriptione redituum pro earum satisfactione.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, in Audientia die 15 eiusdem mensis Maii infrascripto Secretario concessa, sententiam Emorum Patrum adprobare et confirmare dignatus est.

C. CARD. GENNARI, *Praefectus.*

L. £g S.

Basilius Pompili, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO RITUUM

i.

URBIS ET ORBIS

DECRETUM SEU DECLARATIO CIRCA COLLECTAM PRO EPISCOPO ELIGENDO, IUXTA CAEREMONIALE EPISCOPORUM.

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis, diei 3 Iunii nuper elapsi, dies electionis seu translationis Episcopi in Consistorio eiecti seu translati adhuc computanda est a die nominationis consistorialis, quoad Episcopos autem ante Consistorium electos seu translatos eiusmodi dies computanda est, non a die publicationis in Consistorio, sed a die expeditionis Decretorum seu Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium. Quapropter etiam Collecta pro eligendo novo Episcopo, tempore Ecclesiae vacationis, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. II, cap. 38, num. 27, quae ex decreto n. ° 2672 in *Fiorentina* diei 19 Decembris 1829 ad III, continuar!

debuerat usque ad diem electionis seu Consistorii secreti, deinceps continuabitur usque ad diem, qua notitia de facta Episcopi electione seu translatione, sive per provisionem Consistorialem, sive per Litterarum Apostolicarum expeditionem, a Curia Dioecesana rite evulgata fuerit.

Atque ita haec Sacra Rituum Congregatio declaravit et in posterum servari mandavit, die 8 Iulii 1910.

FR. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. £g S.

f Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secretarius.*

II.

DUBIUM

CIRCA MISSAM PAROCHIALEM.

Sacrorum Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, sequens dubium propositum fuit, nimirum:

In quibusdam Dioecesibus, Missa in Festis suppressis celebranda et applicanda pro populo, de speciali Indulto Apostolicae Sedis, pro peculiari aliqua intentione applicari potest, dummodo stipendium ad commune aerarium dioecesanum deferatur. Quaeritur: Utrum in Ecclesiis Parochialibus, ubi unus est tantum Sacerdos, dictis diebus, enunciata Missa necessario sit celebranda de die currente; an possit esse cum cantu de Requie in die et pro die obitus seu depositionis, physice vel moraliter praesente cadavere ?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo discussa et perpensa, propositae quaestioni ita respondendum esse censuit: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 8 Iulii 1910.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *S. B. G. Praefectus.*

L. j$j S.

f Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

ROSSANEN.

CREDITI.

Pio Papa X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno septimo, die 21 Aprilis 1910, RR. PP. DD. Gustavus Persiani, Ponens, *Gulielmus Sebastianelli et Seraphinus Many, Auditores de Turno, in causa* - Rossanen. - Crediti, - *inter Reverendum Dominum* Ianuarium Chiarelli, *Archipresbyterum, actorem appellantem, repraesentatum per Reverendum Dominum* Dominiciani Mancini, *procuratorem legitime deputatum, et Reverendum Dominum* Aloysium Madera, *conventum et appellatum, repraesentatum per procuratorem* Vincentium Sacconi, *advocatum, sequentem definitivam tulerunt sententiam.*

Cum Reverendus Dominus Ianuarius Chiarelli, Archipresbyter in oppido *Mandatoriccio* in Rossanensi Archidioecesi senio confectus parochialibus muneribus rite obeundis impar existeret, Rossanensis Antistites Sacerdotem Aloysium Madera, die l[a] Ianuarii 1904, ei assignavit cum onere illum coadiuvandi in cura animarum ne quid detrimenti caperent fideles eiusdem curae commissi.

Coadiutum inter et Coadiutorem optimae in principio, ut moris est, extiterunt relationes; sed temporis decursu adeo succensuerunt ad invicem, ut concordia inter ipsos penitus evanuerit: et hinc Chiarellio notam censoriam Coadiutoris ministerio inurente, eiusque praesertim operam in sponsalibus celebrandis improbante, hinc Maderio haec omnia aegerrime ferente, et Coadiuto dira minante, tandem coram Rossanensi Ordinario iniuriarum quaerela fuit proposita a Maderio contra Archipresbyterum: quae tamen ab Ecclesiastico Iudice per sententiam diei 29 Decembris 1908 fuit reiecta.

Sed non hic iurgiorum finis: cum enim Chiarellius obtinuisset a Fisco ope decreti diei 31 Octobris 1906 congruae supplementum, et inter titulos deductionum restituendos scriptae invenirentur annuae Libellae 360 Coadiutori assignatae, has sibi debitas Maderius retinuit, easque, nulla admissa compositione, integras sibi solvendas sategit. Quod cum non obtinuisset contra Archipresbyterum Chiarellium coram eodem Iudice alteram instituit actionem, et die 29 Decembris 1908 sententia prodiit: « Condanniamo l'Arciprete don Gennaro Chiarelli a consegnare a don

« Luigi Madera L. 1800, ammontate dell'annuo assegno di L. 360 dovute « al Madera dal primo Gennaio 1904, e per l'avvenire, a versare al me- « desimo 1' assegno annuo così come viene corrisposto dal Fondo per « il Culto ».

Contra hanc sententiam Chiarellius appellationem ad H. S. O. interposuit, die 20 Februarii 1909: et coram Ponente, partibus consentientibus, die 24 Iulii 1909 concordatum fuit dubium discutiendum: « An « Archipresbyter Ianuarius Chiarelli teneatur tradere Sacerdoti Aloysio « Madera annuam summam Libellarum 360 solutam ab anno 1904 et in « posterum singulis annis a Gubernio solvendam in casu ? » sub quo hodierna die Turno Rotali quaestio iudicanda proponitur.

Factum quod attinet. — Actis inspectis, PP. Auditores retinuerunt, Archipresbyterum Chiarellium operam suam favore Sacerdotis Madera apud Ordinarium Archidioeceseos utiliter impendisse, spe fretum, fore ut Maderium Sacerdotem factum suum Coadiutorem haberet non sine magno animi sui solatio, Ecclesiaeque suae utilitate non exigua. Quod vel ipse Maderius apertissime affirmat: « Quantunque non fosse del « caso vergare questa mia, pur nondimeno la vostra magnanimità e libe- « ralità mi stringe a tanto, ritenendo, che con ciò soddisfacessi all'adem- « pimento di uno de' miei importanti doveri verso colui, dal quale ho « ricevuto, come in giornata ricevo dei benefizi più che paterni, i quali « in nessun modo permettono, che io omettessi detti doveri » (Epist. 29 Maii 1883). — Immo et Iudex Rossanensis hoc admisit in sententia diei 29 Decembris 1908: « dai buoni è dovuto all'Arciprete Chiarelli il « debito di ammirazione e di plauso per aver pensato a provvedere di un « altro Sacerdote la sua Chiesa », quamvis Maderius obligationem a Chiarellio inde deductam impugnaverit, et Iudex impugnationem acceptaverit. Quidquid igitur sit de valore iuridico auxilii eiusque natura, a Chiarellio praestiti Sacerdoti Maderio, de quo infra dicetur, certum est, illum in huius ecclesiasticam institutionem operam suam impendisse laudabilem.

Deinde Chiarellius, die 26 Septembris 1858, fuit Archipresbyter renunciatus loci *Mandatoriccio.* Sed quamvis lex ei faveret, tamen numquam liquationem congruae postulavit. Cum Maderius ei fuit Coadiutor assignatus, tunc congruam sibi liquari petiit, quae decreto diei 31 Oct. 1907 revera liquata fuit. Verum cum pro Coadiutore L. 360 dumtaxat fuissent assignatae, infra tempus utile recursum cui de iure praesentavit, et speciatim quoad stipendium Coadiutori assignatum dixit: « che la somma di « L. 360 ammessa in passivo per il mantenimento del Coadiutore è insuffi-

« ciente, essendo faticoso il servizio coadiutorale per l'estensione della « parrocchia e per le case sparse nella campagna, e perciò dovrà ele¬ « varsi a L. 500 quanto effettivamente spende ». Unde visum est RR. Auditoribus desumi debere, Chiarellium non tantum sibi, sed etiam, et praecipue, Coadiutori suo voluisse consulere, cum, utilitate sua neglecta quo tempore meliores redditus potuisset obtinere, forte plus aequo sollicitus fuerit de procurando stipendio Coadiutori suo solvendo. Et haec revera fuit mens Archipresbyteri, qui ait: « Si dichiara dal sottoscritto, « che la prebenda di questa Parrocchia era tale da non aver bisogno « di ricorrere al Fondo Culto: *però si è ricorso per ottenere un assegno «per l'Economo Coadiutore».*

Ius quod spectat. — Ante omnia cum actualis quaestio suam habeat originem a lege civili, quae in liquatione congruae parochorum stipendium assignat Coadiutoribus a Parochis persolvendum, ad tramitem legis canonicae, RR. Patres utramque legem prae oculis habuerunt.

Itaque, lege civili posita, Parocho datur actio contra Fiscum ad congruam obtinendam et congruae supplementum: sed in liquatione congruae coram Ecclesia ita lex civilis applicatur ut canonica posthaberi non debeat; Ecclesia enim ob reipublicae perturbationes et conditiones mutatas iura sua non abdicavit, sed sarta tectaque esse voluit. Quidquid igitur a Parochis vi legis civilis viri dicatur, patrimonium ecclesiasticum constituit, et iure canonico, non civili regitur et moderatur.

Sane congrua a Fisco Parochis debita in meridionalibus regionibus non habet rationem subsidii Parochorum personis assignati, sed characterem habet realis praestationis Parochiae debitae loco redituum parochialium amissorum vi legum eversivarum, quorum congrua et congruae supplementum sunt veluti restitutio. Ita supremum Tribunal Romanum (Corte di Cassazione di Roma) inter alia decrevit die 12 Maii 1880: « Questo Supremo Collegio ha già più volte dimostrato, che gli assegni « corrisposti a titolo di congrua dai Comuni *(quibus in hoc onere implendo « Fiscus successit)* ai Parroci delle provincie Meridionali in luogo delle «abolite decime Sacramentali ed in forza dei dispacci 25 Luglio e «19 Settembre 1772 non rivestono altrimenti il carattere di sovven- « zioni temporanee, e di pensioni alimentari ascritte personalmente al « Parroco in rimunerazione dell'opera, che egli presta per la cura delle « anime, *ma rappresentano il correspettivo dell'altro cespite abolito* a pro- « fìtto del Comune e a danno della Parrocchia, e costituiscono così un «vero e proprio debito di quello a favore di questa ». — Parochi igitur quidquid consequantur a Fisc

gruae liquatione vindicant favore praebendae parochialis, quod proinde canonicis dispositionibus subiicitur.

Iamvero ad praescriptum Concilii Tridentini *(Sess. XXI, cap. 4 de Reform.)* ius est Episcopis statuendi ut « in omnibus Ecclesiis parochia- « libus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit « sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino per- « agendo, cogant rectores.... ibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere « quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebran- « dum »: quo ex iure Episcoporum aliud consequitur, ius nimirum determinandi congruam a Parochis Coadiutoribus solvendam; Parochi enim, si hoc eorum relictum fuisset arbitrio, vel nullam omnino, vel non adaequatam solverent, atque ideo Episcoporum ius suo careret effectu.

Et sane Doctores communiter, et Innocentius XIII in Bulla *Apostolici Ministerii,* diei 13 Maii 1723, pro regnis Hispaniarum edita, tradunt, Episcopo ius inesse, vi citatae dispositionis Tridentinae praedictam congruam determinandi; dicit enim Innocentius: « Quoties itaque « in aliis parochialibus Ecclesiis, quae, ut praefertur, unitae |non sint, « oportuerit ex aliqua iuxta causa provideri per Coadiutores parocho- « rum, aut per Vicarios temporaneos, curae erit? Episcopis, pro data sibi « a Tridentina Synodo potestate, partem fructuum praedictis Coadiuto- « ribus aut Vicariis assignandam determinare in ea quantitate, quae pro « suo prudenti arbitrio et conscientia videbitur, ratione videlicet habita « redituum Ecclesiae Parochialis, in] qua deputati fuerint, nec non inspe- « ctis conditionibus loci, numero animarum, qualitate laboris et quan- « titate impensarum, quas commissi officii necessitas postulaverit ». — Quod ius ceteroquin Episcopus exercet vel probando factum, si quod forte Parochum inter et Coadiutorem initum fuit, vel ipse designando singulis in casibus summam ex parochialibus redditibus desumendam Coadiutoribus tradendam, vel hac in re statuendo in genere per legem aut per statuta Synodalia.

Nunc vero in themate Fiscus Parocho Chiarellio Libellas 360 concessit pro Coadiutore, et has veluti portionem congruam ex parochialibus reditibus desumptam Maderio tradendam praesumitur Episcopum acceptasse et statuisse; concipi enim non posset quod ipse sententia diei 29 Decembris 1908 Parochum Chiarellium condemnaverit ob negatam Maderio congruam mercedem eidem a Fisco collatam, si ipse prius eamdem congruam non acceptasset. Immo non praesumptam tantum et implicitam, sed veram et explicitam habemus huius rei confirmationem generali dispositione contentam in Dioecesana Synodo Rossanensi mense

Iulio anni 1906 celebrata. Etenim *(Tit. IV, Cap. VI, n. 19)* legimus: « Spe-« ciatim mandamus, ut Curati, qui proventibus fruuntur Coadiutoribus «assignatis, vel reapse Coadiutores sibi adiungant, eisque proventus «tradant, vel pecuniam inter presbyteros Ecclesiae suae dividant, qui « ipsos coadiuvent. Quod si utrumvis ipsos fecisse quotannis comprobare «apud Nostram Revmam Curiam non possint, eidem Curiae eosdem « proventus tradant, ut in utilitatem animarum impendantur ».

Si igitur, quae in congruae liquatione Parochi Chiarelli admissa est a Fisco, summa Libellarum 360, Episcopo ita disponente, est portio congrua Maderio assignata, nullimode visum est RR. Patribus ambigi posse, quin huic sit integre tradenda. Eo vel magis quod hunc ad effectum a Chiarellio fuit petita *«si è ricorso per ottenere un assegno per l'Eco-« nomo Coadiutore* »; et a Fisco concessa. Quare recte in sententia appellata dicitur: « Sarebbe un'aperta ingiustizia se, essendo comunque asse-« gnata una somma per compenso del Coadiutore, a questa si dovesse « dare una diversa destinazione, senza che a quello si desse l'equi-« valente ».

Ab hac obligatione, pluribus adductis argumentis, Archipresbyter Chiarellius se expediri contendit; irrito tamen conatu.

Et primo ad contractum innominatum - *do ut facias* - appellat inquiens, se ideo subsidia in ecclesiasticam Maderii institutionem procurandam contulisse, ut illum Sacerdotio insignitum sibi obligatum Cooperatorem faceret in cura animarum exercenda. Sed non ideo contractus concipitur. Civilis enim obligatio, ut Domini observarunt, non ex unius pendet voluntate, sed duorum vel plurium, quorum alter ius acquirit, alteri onus imponitur, cum contractus sit *duorum vel plurium in idem placitum seu consensus contrahendae vel distrahendae obligationis causa:* unde ad contractum requiritur, ut uterque velit, ut idem velit, utque utriusque voluntas alteri innotescat. Sed in casu, quidquid sit de Chiarellii voluntate obligationem inducere volentis, nihil constat ex actis extitisse de his ex parte Maderii obligationem acceptantis. Aliunde beneficia non foenerantur, ut ex iis oriatur civilis obligatio, quae iudiciali actione prosequi possit. Quare, quod ad contractum est essentiale, elementum in casu exulat animo.

Sed deinde, Archipresbyter contendit, summam Libellarum 360 a Fisco Coadiutori decretam sibi posse retinere veluti in compensationem earum, quas ipse in ecclesiasticam institutionem Maderii impenderat. Sed iniuria prorsus. Tunc enim tantum RR. DD. Auditores arbitrati sunt, Archipresbyterum sese posse compensare, quando ipse quod impendit ut Maderius sacris imbueretur disciplinis, titulo mutui concessisset, exinde

restituendi post eius sacerdotalem ordinationem; sed de hac restituendo lege Maderio imposita RR. Patres observarunt nullimode constare; immo hanc legem numquam extitisse ex eo collegerunt quod Chiarellius mutui restitutionem numquam reclamaverit, quamvis Maderius sacerdos factus et quindecim post annos ab America reversus solvendo par esset. — Sed deinde compensatio cum sit - debiti et crediti inter se contributio - *(L. 1, ff. de Compens. XVI - G. G. Ital. art. 1285)*, ex utraque parte requiritur debitam quod oriatur ex iustitia: sed ex parte Chiarellii debitum tradendi Coadiutori suo L. 360 ex iustitia constare Domini viderunt; sed hoc non admiserunt ex parte Maderii, qui Benefactori suo grati animi certo obligatione tenetur, non vero debito iustitiae; et ideo compensationis ius excluserunt. Idque eo vel magis retinendum esse censuerunt, attento quod ex parte Archipresbyteri debitum sit omnino certum; non item certum existat ex parte Maderii. Quae enim a Chiarellio factae dicuntur expensae favore Maderii in actis probatae non satis apparent, quamvis ceteroquin hunc benevolentia aliisque favoribus prosecutus fuerit. Unica hac super re exhibita est attestatio Parochi Rizzuti sub die 6 Iulii 1908: « Mi consta che nel 1883-1884-1885 epoca « in cui (Madera) uscì dal Seminario, il Reverendo Gennaro Arciprete « Chiarelli ha versato la rendita annua di L. 127. 50 per conto del Se- « minarista d. Luigi Madera ». Sed haec attestatio praeterquam quod data conspicitur viginti post annos elapsos ab eventu, quorum decursu memoria adeo clara sine dubitatione non acceptatur, RR. PP. Auditoribus saltem ex parte visa est falsa. Etenim in libris oeconomicae administrationis Seminarii Rossanensis legitur: « Convittori del Seminario « l'anno 1885-1886, n. 11, Madera Luigi da Mandatoriccio, paga col patri- « monio ». Hoc igitur saltem anno pensio pro Maderio non fuit a Chiarellio soluta: et tamen Rizzuti contrarium deponit. Et cum sacrum patrimonium ab anno 1883 Maderius obtinuisset admodum verisimile PP. retinuerunt, pensionem Seminario debitam ab anno 1884 eiusdem patrimonii annuali redditu fuisse solutam. Coeterum onus probandi debitum ei incumbit qui debitum affirmat; et cum Maderius deneget expensas quaslibet a Chiarellio factas in sua institutione ecclesiastica curanda, quamvis alia ab eo accepta beneficia ultro libenterque fateatur, debitum ex parte Maderii merito reiicitur, cum ab Archipresbytero non fuerit probatum. Fundamento itaque compensationis excluso, consequenter RR. Auditores ius compensationis excluserunt.

Ad consuetudinem etiam Archipresbyter recurrit dicens, eam in Archidioecesi Rossanensi esse consuetudinem, ut qui Ecclesiae expensis ad sacerdotium ascendit per triennium eidem Ecclesiae gratuitum ser-

vitium praestare teneatur; et cum ipse suis expensis ecclesiasticam institutionem curaverit sacerdotis Maderii, concludit, hunc vi consuetudinis saltem per triennium teneri gratuitum servitium sibi praestare. Sed frustra. Enimvero, praescindendo a facto ut supra satis controverso expensarum, quas non constat Archipresbyterum sustinuisse pro Maderii institutione, invocata consuetudo in actis non resultat probata. Neque ad rem faciunt attestationes Canonici Ciconte, et Canonici Nicastro quorum prior ait: « Essendo stato nel tempo della mia educazione in Napoli presso i « RR. Padri della Compagnia di Gesù aiutato e sussidiato nelle spese « da questo Venerabile Seminario, quando finita la mia educazione, « tornai Sacerdote in Rossano volentieri, e di gran cuore mi sottomisi « all'obbligo, che mi veniva dalla consuetudine vigente in questa nostra « diocesi di prestare *gratuitamente* servizio a questo Venerabile Semi- « nario *pel periodo di tre anni continui* senza mai nulla percepire dal- « l'amministrazione del Pio Istituto »: alter autem dixit: « Ho dimorato *« gratuitamente* in un Seminario come alunno della Mensa Arcivescovile « con l'obbligo di servirlo *gratuitamente* fatto sacerdote *per lo spazio di « tre anni continui,* giusta la legge allora vigente ». Etenim haec duo documenta privata a Patrono actoris in medium aliata, a nulla auctoritate recognita et authentica declarata, iuridice rem non evincunt. Deinde utrumque documentum loquitur de casu determinato et taxativo; agitur enim de duobus alumnis, qui Seminarii et Mensae Archiepiscopalis expensis in disciplinis ecclesiasticis fuerunt instituti ea lege, ut Sacerdotes facti Seminario gratuito deservirent: qui casus differt a casu de quo agitur, cum in isto agatur simpliciter de alumno in eodem Seminario absque ulla lege aere alieno instituto, siquidem Chiarellius vere pecuniarium subsidium contulisset, ad quem proinde iniuria prorsus utraque attestatio extenderetur; maxime cum non satis constiterit de expensis hac in re ab Actore factis.

Denique Maderius dicitur adstrictus onere Ecclesiae *Mandatoriccio* per triennium deserviendi ratione ecclesiastici patrimonii, quod obtinuit, ab Archiepiscopo De Luca hunc ad effectum fundati. Quod tamen falso affirmatur. Ea enim fuit mens praeclarissimi Praesulis in sacris patrimoniis fundandis, ut pauperes Ecclesiae Sacerdotibus non carerent, nulla oneris gratuiti servitii facta mentione. Et hoc apertis verbis declarat Rossanensis Iudex, cuius hac in re magni facienda est auctoritas, inquiens: « Il benemerito Arcivescovo di Rossano (Monsi- « gnor De Luca) col suo testamento del 27 Aprile 1833 legava la somma « di D. 3000, perchè si fossero acquistati dei fondi, e con essi e con « altro da lui acquistato si costituissero dei SS. Patrimonii a benefizio

« dei Chierici poveri con la intenzione, che le Chiese più bisognose del-« l'Archidiocesi potessero avere dei Sacerdoti. Ma sia nel testamento « citato, sia nel decreto del 12 Settembre 1848 con cui Mons. Cilento « dava un definitivo assetto ai SS. Patrimonii già costituiti, non si trova « fatta parola alcuna dell'obbligo di fare da Coadiutori ai propri Cu-« rati per coloro, i quali avessero goduto dei Patrimonii costituiti. Essi « perciò nelle Chiese, cai sono ascritti, non possono essere obbligati « se non a quel servizio, a cui sono tenuti tutti gli altri sacerdoti ordi-« nati a titolo di un patrimonio proprio ». Igitur neque patrimonii titulo Maderius gratuitum servitium praestare tenetur.

Constat itaque Archipresbyterum Chiarellium teneri summam a Fisco in congruae liquatione Coadiutori assignatam tradere Maderio > cum e contra nullum ex adductis existat argumentum aptum huic obligationi negandae.

Haec aequo ac deliberato, animo perpendentes, Nos infrascripti Auditores de Turno, invocato Christi nomine, pro tribunali sedentes, ac solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus ac sententiamus, appellationem a Rev. Chiarellio interpositam esse omnino reiiciendam, eumdemque teneri tradere Aloisio Madera summam Libell. 360 solutam a Fisco ab anno 1904 et in posterum solvendam, seu ad propositum dubium respondemus *Affirmative,* firmo tamen onere ex parte Maderii concurrendi pro rata parte in expensas a Chiarellio factas ac faciendas pro congruae liquatione. Expensas autem praesentis instantiae decernimus inter partes haberi compensatas, et pro compensatis haberi volumus et mandamus.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut executioni mandent hanc nostram sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum Canonum, et praesertim *cap. 3, sess. XXV, de reform.,* Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 21 Aprilis 1910.

Gustavus Persiani, *Ponens.*
Gulielmus Sebastianelli.
Seraphinus Many.

L. >g S.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

SECRETARIA STATUS

EPISTOLAE.

I.

AD R. P. D. NATALEM BRUNI, MUTINENSIUM ARCHIEPISCOPUM, PRO GRATIARUM ACTIONE DE LITTERIS, NOMINE ETIAM CETERORUM AEMILIANAE REGIONIS ANTISTITUM, POST ANNUUM IPSORUM CONGRESSUM BEATISSIMO PATRI OBSEQUI! CAUSA DATIS.

Illme ac Revme Dñe,

In litteris quas superioribus diebus, una cum ceteris Aemilianae regionis Episcopis, ex more congressis, Beatissimo Patri dedisti, iucundum sane Eidem fuit pastoralem navitatem vestram agnoscere eiusque quamdam veluti effigiem intueri. In hoc quippe potissimum communia consilia conferenda sapienter duxistis, ut sacri ordinis homines optimis instituantur disciplinis: ita scilicet ut catholicae veritati apte propagandae strenueque defendendae sint pares, et ut in iisdem laudi huic nitorem conferat ea vitae sanctimonia, qua si clerici vacent, eorumdem doctrina, etsi elegans, « *non aedificat, sed inflat* ». Cum vero quotidie experiendo compertum fiat tales futuros sacrorum administros, quales fuerint in sacris Seminariis instituti et comparati, Sanctitas Sua vestrae pariter vertit laudi curas de Seminariis ita moderandis, ut sacerdotalium omnium virtutum sint palestrae. Ita profecto eveniet ut sacerdotes edant quos iure merito « *gaudium vestrum vestramque coronam* » vobis salutare fas sit, et ut facilior sternatur via fidelibus ceteris Evangelii doctrinam ac disciplinam uberius edocendis, iisdemque Christo lucrifaciendis.

Neque diligentiam vestram desiderare passi fuistis eam quae penes nos audit « *actio popularis christiana* ». Exploratum siquidem est actionem hanc, christiano more socialem, ingenio temporum apprime accommodatam, optimam esse popularis cuiusdam catholici apostolatus formam, eamque, dummodo eorum nutu et auctoritate fiat quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam, haud exiguas religiosae aeque ac civili rei parituram utilitates.

Quod igitur pastorale studium ductorem habuistis in coeptis optimis capessendis, idem - ita, me consiliorum Suorum interprete internuntioque, vos hortatur Sanctitas Sua - in iisdem persequendis comitem adhibete constanter. Sollertiae vestrae Eum profecto ad ferendam opem nullo non tempore paratum habebitis « *Qui coepit in vobis opus bonum* ». Neque paterna vobis deerit caritas Pontificis Maximi, Qui et

consilia et coepta vestra amplectitur amore prorsus singulari, eaque ad optatum exitum, divina gratia, quam felicissime ducenda percupit.

Pares vero rei bene gerendae vires tibi et ceteris Aemilianae regionis Antistitibus conciliet affluenter Apostolica benedictio, quam Beatissimus Pater singulis vestrum, nec non uniuscuiusque Clero populoque peramanter impertit.

Hanc ego libenter nanciscor occasionem ut existimationem in te meam confirmem, meque profiteor

Amplitudini Tuae

18 maii 1910. Addictissimum

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. £g S. *a Secretis Status.*

II.

AD FRIDERICUM MISTRAL, PRO GRATIARUM ACTIONE
OB POËMATIS EXEMPLAR SANCTITATI SUAE EXHIBITUM.

L'hommage que vous avez eu la gracieuse pensée défaire au Saint-Père du poème si puissant et si sublime de Nerto dans lequel vous chantez avec tant de splendeur votre pays natal et le siècle des Papes à Avignon, a causé à Sa Sainteté une très douce satisfaction. En faisant cette filiale démarche auprès du Père commun de la chrétienté, vous vous êtes souvenu que le félibrige, dont vous êtes le glorieux fondateur, se traduit aussi par fils de l'Eglise « filius Ecclesiae ». Votre œuvre immortelle de la renaissance provençale, la rénovation d'une langue vénérable entre toutes, l'évocation de la tradition, particulièrement de la tradition religieuse, si riche, d'une province dont vous portez l'âme dans votre âme, votre attachement aux traditions et à la foi de vos pères, tout cela vous place au premier rang des grands auteurs, qui honorent le plus les lettres humaines et chrétiennes. Le Saint-Père en vous exprimant toute Sa gratitude et Ses vœux paternels, appelle sur vous la bénédiction du Christ, que vous avez invoquée comme l'inspirateur de toute poésie, la bénédiction de la Vierge Immaculée que vous avez célébrée en des poésies si touchantes et si populaires, Elle « dont la virginité est le ciboire où le Rédempteur s'est incarné pour nous ». Et comme gage de Sa bienveillance particulière, Sa Sainteté vous envoie de grand cœur la bénédiction apostolique, ainsi qu'à votre pieuse épouse. Avec mes remercîments personnels pour l'exemplaire du poème que vous avez bien voulu me faire remettre, je vous prie de recevoir l'expression des vœux que je forme pour votre bonheur. Je prie le Seigneur de bénir le soir

de votre longue carrière, qui s'est inspirée à des sentiments dont vou avez su faire admirer la noblesse et la beauté dans une langue harmonieuse et sonore. Veuillez agréer, Monsieur, l'expression de mes sentiments très distingués.

Le 30 Mai 1910. R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. $ S . *a Secretis Status.*

III.

AD R. D. J. KLEISER, PROTONOTARIUM APOSTOLICUM, OB CONGRESSUM MARIANUM INTERNATIONALEM SALISBURGI HABENDUM.

Le Saint-Père qui avait déjà béni la pieuse résolution prise de convoquer le prochain Congrès Mariai international dans la noble ville de Salzbourg, a daigné prendre connaissance du Programme des études et des fêtes du Congrès fixé au mois de Juillet de cette année, et qui doit se tenir sous la haute présidence du Cardinal Archevêque Katschthaler. Rien ne peut réjouir davantage le cœur du Saint-Père, qui me donne l'agréable mission de vous réitérer Ses paternels encouragements afin qu'à l'aide de ce Programme que Sa Sainteté estime très propre à atteindre la fin que se sont proposée les organisateurs du Congrès, vous puissiez glorifier efficacement la Vierge Marie, et accroître dans les âmes la confiance en Sa puissante protection. Sa Sainteté Pie X augure les plus heureux résultats du développement d'un pareil programme. 11 a le ferme espoir que la collaboration active et intelligente des organisateurs et des comités, l'adhésion et le concours des membres de l'Episcopat et du clergé, qui viendront avec la contribution de leurs travaux, de leur science et de leur piété, l'empressement des fidèles qui apporteront à ces glorieuses assises l'affirmation publique de leur foi et de leur amour, obtiendront des fruits abondants pour les âmes; avec un zèle plus ardent pour l'extension et l'affermissement du culte de la Vierge Mère, pour la gloire de Dieu et les intérêts de l'Eglise.

Le Souverain Pontife prie Dieu de disposer les cœurs et de préparer les voies à cette nouvelle et éclatante manifestation d'hommages, de félicitations et de prières à la Reine des Cieux. Et pour que les efforts de tous soient fécondés de la rosée de la grâce, le Saint-Père accorde avec effusion de cœur la bénédiction apostolique aux Promoteurs, aux organisateurs et à tous les adhérents du prochain Congrès.

Veuillez agréer, Monseigneur, l'assurance de mes sentiments très dévoués en Notre Seigneur.

Le 17 Juin 1910. R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. ££j S. *a Secretis Status.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SAGRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Il giorno 19 del corrente mese di Luglio, nel Palazzo Apostolico Vaticano, ebbe luogo la Congregazione Preparatoria dei Sacri Riti, sopra le virtù in grado eroico del Venerabile Giuseppe Maria Pignatelli, Sacerdote professo della Compagnia di Gesù.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Il Santo Padre, con biglietto della Segreteria di Stato, si è degnato di nominare:

20 Luglio 1910. — L'Emo Signor Cardinale Benedetto Lorenzelli, Protettore dei Fratelli Celliti o Alessiani di Aquisgrana.

Il Santo Padre, con biglietto e con Breve della Segreteria di Stato, si è degnato di nominare:

Vescovo Assistente al Soglio:

30 Giugno 1910. — Mons. Stefano Reville, Vescovo di Sandhurst.

Protonotario apostolico ad instar:

20 Giugno 1910. — Il Rev. D. Giovanni Battista Boulet, della diocesi di Seattle (St. Un.).

Prelati domestici di S. S.:

13 Giugno 1910. — Mons. Domenico Crocicchia, Canonico della Basilica Liberiana in Roma.

17 Giugno. — Il Rev. D. Agostino Laubstein, Arcicappellano minore dei soldati di marina, in Germania.

18 Giugno. — Il Rev. Can. Luigi Jeszenszky, Vicario Generale della diocesi di Nitria.

5 Luglio 1910. — Il Rev. D. Giuseppe Valeriano Piaskiewicz, Canonico onorario della Cattedrale di Leopoli (rito latino).

— Il Rev. Can. Giovanni Stryjshi, Cancelliere Vescovile di Premislia (rito greco-ruteno).

ONORIFICENZE

Il Santo Padre, con biglietto e con Breve della Segreteria di Stato, si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

H Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

14 Giugno 1910. — Al Sig. Luigi Brazzetti, dell'archidiocesi di Bologna.

17 Giugno. — Al Sig. Dott. Bela von Putnik, Console Austro-Ungarico, in Widdin.

1 Luglio 1910. — Al Sig. Giorgio Byelic, di Ragusa.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

30 Giugno 1910. — Al Sig. Girolamo de Campos Freire, della diocesi di Campinas (Brasile).

— Al Sig. Luigi Giuseppe Pereira de Queiroz, della stessa diocesi.

5 Luglio 1910. — Al Sig. Giuseppe Gioachino de Moraes Sarmento, Deputato al Parlamento nel Brasile.

Il Cavalierato dell' Ordine di S. Silvestro Papa:

2 Maggio 1910. — Al Sig. Pietro Szczepanski, dell'archidiocesi di Leopoli (rito latino).

5 Luglio 1910. — Al Sig. Emanuele de Oliveira Paz, Segretario d'Intendenza in Santarem (Brasile).

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari:

27 Giugno 1910. — Mons. Antonio Pottier.

14 Luglio 1910. — Mons. Giovanni Trinkfass, della diocesi di Linz.

— Mons. Stefano Kestler, della diocesi di Va eia.

Camerieri segreti di spada e cappa soprannumerari:

23 Giugno 1910. — Il Sig. Carlo Le Moyne de Martigny.

13 Luglio 1910. — Il Sig. Marchese Eugenio d'Oncieu de la Bâtie, dell' archidiocesi di Chambery.

— Il Sig. Conte Adriano d'Esclaiber, della diocesi di Arras.

— Il Sig. Conte Emanuele de Rougé, della diocesi di St. -Brieuc.

— Il Sig. Eugenio Delcourt-Haillot, dell'archidiocesi di Cambrai.

14 Luglio 1910. — Il Sig. Samuele J. Castner, della diocesi di Filadelfia.

— Il Sig. Enrico Rosier, della diocesi di St. -Claude.

Camerieri d'onore in abito paonazzo:

14 Luglio 1910. — Mons. Leopoldo Schranzhofer, dell' archidiocesi di Vienna.

— Mons. Giuseppe Wolny, dell'archidiocesi di Vienna.

NECROLOGIO

23 Luglio 1910. — Mons. Domenico Fanucchi, Vescovo di Città della Pieve.

27 Luglio 1910. — Mons. Dionisio Alfonso Steyaert, dei Carmelitani Scalzi, Arcivescovo titolare di Damasco.

Annus II. - Vol. II. Die 15 Augusti 1910. Num. 15.

AGTA1POSTOI™1EDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

L

CONCEDUNTUR INDULGENTIAE PLENARIAE ET PARTIALES FIDELIBUS QUI MISSAE QUOTIDIANAE LUGDUNI PRO PAUPERIBUS DEFUNCTIS CURA PIAE UNIONIS CRUCIFIXI A VENIA CELEBRANDAE, VEL IN SPIRITU SE SISTANT.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. - Caritatis opera eo digniora sunt, quae a Nobis adiuventur, quo hominibus duriore fortuna oppressis opem ferunt, eorumque potius animas quam corpora sublevare intendunt. Laeto igitur accepimus animo, pium opus in templo Deiparae Virginis ab Angelo salutatae civitatis Lugdunensis conditum fuisse, quod sibi potissimum proponit fidelibus in egestate defunctis auxilio venire, eisque aeterna solatia sacrosancto Missae sacrificio quotidie implorare.

Cum vero dilectus filius canonicus Iosephus Lémann, Moderator piae consociationis SSmi a venia danda Crucifixi Redemptoris, humiles Nobis preces adhibuerit, ipsius Cardinalis Archiepiscopi Lugdunensis voto subnixas, ut pium huiusmodi opus caelestibus Ecclesiae thesauris di tare dignaremur; Nos hisce optatis, quantum in Domino possumus, annuendum existimavimus. Quare, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus Christifidelibus, qui Sacro in memorata aede litando, quolibet anni ad cuiusque lubitum eligendo die, devote interfuerint, vel quamlibet Missam conspirante consensu ubilibet audierint, ac vere poenitentes et confessi, atque intra illius actionem sacra Communione refecti, Deo preces secundum praedicti pii operis institutum ac mentem effuderint, plenariam,

semel singulis mensibus lucrandam, omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea iisdem fidelibus, qui corde saltem contriti, vel Sacro in eadem Ecclesia faciendo, vel cuivis alii Missae ubilibet celebrandae devote pariter adstiterint, atque ea durante, ut praefertur, oraverint, quo die id egerint, septem annos totidemque quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse, largimur. Insuper pii operis supradicti mens et institutum est, ut sacrosanctum, quod supra diximus, Missae sacrificium ad labes poenasque fidelium defunctorum qui infra recensentur, singulis in hebdomada diebus expiandas valeat. Idest feria cuiusque hebdomadae secunda, litandum erit pro sacerdotibus hac vita in egestate functis, et quorum paroeciae « casuali », quod vocant, careant; nec non pro utriusque sexus religiosis, qui vel vexationis vel exilii causa ab omnibus derelicti diem supremum obierint. Feria autem tertia pro pauperibus et hominibus omni subsidio destitutis, qui in civitatibus moriantur; feria quarta pro egentibus agricolis; feria quinta pro militibus, qui vel in praeliis, vel in castris vel etiam in stativis mortem permixte occubuerint, aut sint publica contagione absumpti. Feria sexta pro miseris nautis et navigantibus, qui fluctibus obruti extremum vitae ediderint spiritum. Sabbato pro inopia laborantibus, qui in nosocomiis decesserint. Die denique dominico pro omnibus vagis hominibus, quorum mors ignoretur, nec non pro iis, qui sint aliquo infortunio interfecti.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XXVIII Maii MDCCCCX Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. -© S. *a Secretis Status.*

II.

RECURRENTE CENTENARIO ADEPTAE LIBERTATIS ANNIVERSARIO CONCEDUNTUR FIDELIBUS REIPUBLICAE MEXICANAE INDULGENTIAE PLENARIAE ET PARTIALES HOC ANNO TANTUM.

PIUS PP. X.

Gratiae, quae sunt auctori Deo pro omnibus bonis assidue persolvendae, iure meritoque Mexicanam gentem impellunt ad memoriam fausti suae nationis eventus religiosis auspiciis celebrandam. Primum enim iam volvitur saeculum, a quo populus ille se in libertatem vindicare coepit; et felicem hanc nacta occasionem patria Sodalitas, a catholicis diurnis commentariis, Sacrorum Antistitum votis ac suffragiis innixa, proposuit, ut a Mexico iusiurandum renovaretur, quo inde ab anno MDCCXXXVII se suaeque Deiparae Virginis *a Guadalupe* Patrocinio respublica credidit atque commisit.

Cum vero huiusmodi religionem fel. rec. Benedictus XIV Decessor Noster anno MDCCLIV auctoritate sua confirmaverit, cumque Nos semel atque iterum propensam voluntatem Nostram erga illam nobilem regionem ostenderimus, hoc potissimum gaudio affecti, quod ibi cuncti civium ordines se tantae Patronae beneficiis devinctos profiteantur, eamque eximia veneratione colant, precibus Mexicani Archiepiscopi ceterorumque eius Reipublicae Praesulum benigne exceptis, sollemne hoc fidei futurum testimonium caelestibus Ecclesiae thesauris libentes locupletamus. Quare quum secundo dominico die, proximi mensis Octobris, Beatae Virgini Mariae, divae Matri, sacro, in Mexici templis, pia praehabita in novem continuos dies supplicatione, sanctum, quod supra memoravimus, iusiurandum denuo dari constitutum sit; Nos, quo hoc fidei et pietatis opus in uberius animarum emolumentum cedat, omnibus ac singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, quoties quamlibet ex Ecclesiis Cathedralibus, Basilicis, Conlegiatis, Parochialibus et Vicariis Reipublicae Mexicanae, secunda, uti diximus dominica Octobris huius vertentis anni, a primis vesperis ad occasum solis diei huiusmodi devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, toties plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino cencedimus. Iis vero fidelibus,

qui corde saltem contrito, quocumque die novendiali praedictae supplicatio^ in quavis Ecclesia vel publico oratorio eiusdem Mexicanae ditionis adstiterint, septem annos totidemque quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium in Purgatorio igne detentis per modum suffragii applicari posse misericorditer in Domino concedimus et largimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvi Iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

L. S.

III.

ECCLESIA METROPOLITANA LEOPOLIENSIS LATINORUM TITULO BASILICAE MINORIS DECORATUR.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Constat apprime Cathedralem Leopoliensem Latinorum Ecclesiam, anno MCCCLXX sub titulo Deiparae Virginis Sideribus receptae aedificatam, ac deinde anno MCCCCXII in Metropolitanam erectam et constitutam, merito omnium sacrarum aedium Provinciae Galiciae, caput haberi atque appellari. Illuc quotannis innumeri peragre adventantes fideles, turmatim confluere solent, vetustissimam Deiparae Imaginem veneraturi, quae ex decreto Capituli Vaticani iam inde ab anno MDCCLXII aureo diademate redimita fuit. Virginis enim praesentem opem nobilis illius regionis incolae iugiter experti sunt. Ipse Poloniae, Russiae, et Lituaniae rex Ioannes Casimirus, una cum regni Proceribus, Senatu, nobiliumque virorum coetu, templum superenunciatum adivit ut in trepidis rebus atque in ancipiti Regni fortuna, praesidium numinis supplex impetrare!; et Deiparam Regni Polonorum Regulam praedicans, instituens, Ipsius tutelae ac patrocinio se Regnumque suum sollemni nuncupato voto concredidit. Praeterea eadem in sacra

aede praestantibus artis operibus exculta, et divite suppellectili praedita, Beati Confessoris Iacobi de Strepa, Archiepiscopi Leopoliensis, sacrae exuviae summa quidem religione asservantur, mox per decretum Sanctae huius apostolicae Sedis in aream argenteam elegantiorem transferendam Nunc autem cum haec omnia memoria repetens venerabilis frater Iosephus Bilczewski, Archiepiscopus Leopoliensis Latinorum, Capituli, cleri, populique sibi commissi votis obsecundans, Nos enixis precibus flagitaverit, ut Leopoliensem Metropolitanam Ecclesiam Basilicae Minoris titulo ac dignitatem cohonestare dignaremur Nos ut perinsigne idem templum potiori per Nos splendore renideat, optatis his annuendum propensa voluntate existimavimus. Quare cum ita sint, auctoritate Nostra Apostolica, praesentium vi, perpetuumque in modum Metropolitanam aedem Leopoliensem Latinorum sub titulo B. M. Virginis in coelum Assumptae, ad Minoris Basilicae titulum et dignitatem evehimus, omnibus et singulis privilegiis eidem attributis quae Basilicis Minoribus almae huius Urbis de iure competunt. Decernentes praesentes litteras firmas atque efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris., die xxi Iunii McMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. £g S. *a Secretis Status.*

IV.

SACERDOTIBUS INSCRIPTIS IN RECENTER ADIECTA QUARTA SECTIONE PII CONSORTII SUB TITULO DEIPARAE VIRGINIS PERDOLENTIS, DIOECESIS MEDIOLANENSIS, CONCEDITUR PRIVILEGIUM MISSARUM.

PIUS PP x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Nobis exponendum curavit dilectus filius Paulus Colli, sacerdos, Moderator spiritualis theologici seminarii Mediolanensis, in hac dioecesi iam a duobus saeculis pium extare

sub titulo Deiparae Virginis Perdolentis sacerdotum consortium, cuius finis est Sacrum pro defunctis sodalibus gratuito litare. Cum vero tribus sectionibus, ex quibus huiusmodi consortium hucusque constitit, quarta sit recens adiecta, enixe Nos idem dilectus filius rogavit, ut quartae quoque huic sectioni easdem spirituales gratias, quae tribus aliis semel atque iterum concessae fuerint, impertiri dignaremur. Nos piis hisce votis obsecundantes, ac de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, praesentium tenore Apostolica auctoritate Nostra concedimus ac largimur, ut Missae quae de Ordinarii licentia, atque ex praedictae consortionis praescripto a presbyteris sociis pro defunctis confratribus ad quodlibet cuiusque Ecclesiae altare rite celebrabuntur, animae seu animabus pro qua seu pro quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad privilegiatum altare peractae fuerint. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxi Iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. *ffc* S. *a Secretis Status.*

V.

ECCLESIA CATHEDRALIS PLOCENSIS AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Cathedralis Plocensis Ecclesia titulo S. Mariae Masoviensis, Cathedralibus omnibus Poloniae Russicae vetustate antecellit. Eminet structura, picturis muralibus vitreisque; nec minus innumeris priscae artis monumentis nobilitatur. Duo Polonorum reges inibi compositi in pace expectant immutationem, et splendida ipsorum sepulcra sacram eandem aedem exornant. Perinsignibus etiam Sanctorum reliquiis gaudet, et Sancti Sigismundi Burgundiae Regis caput antiqua ibidem religione asservatur. Est Sedes dioecesanae Confraterni-

tatis a SS. Sacramento; Sacrarium abundat mirandis sacris vasis, et pretiosa supellectile; adiacet Ecclesiae musaeum quod omnigenae artis conspicuis documentis excellet. Iam vero cum venerabilis frater Antonius Iulianus, Episcopus Plocensis Nos enixis precibus flagitaverit, ut Cathedralem ipsam suam, Basilicam Minorem renuntiare dignaremur, Nos gloriosas animo repetentes sacrae illius aedis memorias, votis his annuendum propensa voluntate censuimus. Quare cum ita sint Apostolica Nostra auctoritate, praesentium tenore, cathedrale templum Plocense titulo S. Mariae Masoviensis, ad Basilicae Minoris dignitatem evehimus; illique privilegia omnia tribuimus quae Minoribus almae huius Urbis Nostrae Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes litteras firmas atque efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nos obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die i Iulii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. ✠ S. *a Secretis Status.*

VI.

PIACULARIS PERPETUA MISSA, IN OMNIBUS GALLIAE ECCLESIIS INSTITUITUR ADDITA PLENARIA INDULGENTIA.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam. — Romanum decet Pontificem, cui Militantis Ecclesiae divinitus regimen commissum est, ad Purgantem etiam Ecclesiam animum paterno studio convertere. Quare magno in primis animi solatio novimus non deesse pios in Gallia sacerdotes qui plures quotannis Missas sponte celebrent, ut abolita a civilibus legibus Missarum legata, quantum est situm in iis, suppleant; ipsosque sacerdotes merito laudis praeconio cohonestantes, minime dubitamus asserere, eosdem Deo Nobisque acceptissimum opus inchoasse. Nos ipsi praeterea iuxta mentem piorum fundatorum duo Missarum millia singulos in

annos celebranda providimus, ne vita functorum fidelium in purgatorio igne detentae animae tanto spirituali bono destituantur. Nunc autem novum cupientes Pontificalis sollicitudinis argumentum proferre, placet Nobis multorum Galliae Antistitum votis annuere, et sollemnem in universa eadem natione supplicationem indicere, ut animae defunctorum ipsorum piaculari Sacro ritu litato a peccati» solvantur. Itaque Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi perpetuumque in modum edicimus, ut singulis annis uno e Novembris mensis dominicis diebus in universis Galliae Ecclesiis ad eum quem supra diximus finem, requietis Missa celebretur; omnibusque et singulis fidelibus ex utroque sexu qui eadem dominica in Ecclesiis ipsis admissorum confessione expiati, coelestibus epulis se reficiant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ad labes poenasque defunctorum in forma Ecclesiae solita expiandas concedimus. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die vi Iulii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. % S. *a Secretis Status.*

S. CONGREGATIO S. OFFICII

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

DUBIA CIRCA INTERPRETATIONEM MOTUS PROPRII " CUM PER APOSTOLICAS ", DIEI 7 APRILIS 1910.

Feria IV, die 13 Iulii 1910.

Circa interpretationem Motus Proprii « *Cum per Apostolicas* » diei 7 Aprilis currentis anni 1910 Supremae huic Sacrae Congregationi S. Officii sequentia dubia proposita sunt:

1. ° Utrum Sacrae Congregationi S. Officii recognoscendae exhiberi debeant concessiones Indulgentiarum et facultatum Indulgentias respicientium, quae ante diem l^{am} Novembris 1908 a S. Congregatione de Propaganda Fide factae fuerunt suis subditis.

2. ° Utrum exhiberi debeant recognitioni Congregationis S. Officii concessiones Indulgentiarum et facultatum Indulgentias respicientium factae ab eadem Congregatione de Propaganda Fide post diem l^{am} Novembris 1908 et in posterum ab eadem faciendae suis subditis.

Quibus mature perpensis, Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores Generales in plenario conventu habito feria IV, die 13 curr. mensis Iulii, respondendum decreverunt:

Ad l.^{um} Negative.

Ad 2.um Negative.

Et ad mentem. Mens est ut firma et observanda maneat lata lex per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum ac SS. Reliquiarum a Benedicto XIV approbatum die 28 Ianuarii 1756, confirmatum a Pio PP. IX, die 14 Aprilis 1856, iterumque confirmatum a SSmo Dno Nostro Pio PP. X, die 29 Septembris 1908 *(Ordo servandus in Romana Curia, Normae peculiares cap. VII, art. 2, n. 81)* hoc est:

« Impetrantes posthac generales Indulgentiarum concessiones teneri sub poena nullitatis gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad Secretariam S. Congregationis deferre ». Idest ad Secretariam S. Officii.

Sequenti vero feria V, die 14 eiusdem mensis, SSmus D. N. D. Pius

divina providentia Papa X, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, Emorum Patrum resolutiones adprobare et confirmare dignatus est.

Romae, ex Aedibus S. Officii, die 15 Iulii 1910.

Aloisius Giambene, *Substitutus pro Indulgentiis.*

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM.

Postulante Archiepiscopo S. Ioannis Terraenovae quaenam methodus posthac servanda esset in providendis episcopalibus sedibus illius provinciae quae nonnullos ante annos erecta est, SSmus Dominus Noster Pius PP. X, de consulto "S. Congregationis Consistorialis iuxta votum Delegati apostolici Canadiensis dominii et Terranovae, statuit et decrevit ut in provisione sedium episcopalium memoratae provinciae ecclesiasticae eaedem serventur normae quae vigent in provinciis dominii Canadiensis, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 18 Iulii 1910.

C. CARD. DE LAI, *Secretarius.*

L. S. S. Tecchi, *Adsessor.*

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis, elegit:

25 iulii 1910. — R. P. D. Aloisium Boschi, episcopum Ripanum, in Delegatum Apostolicum dioecesis Montis Alti, durante infirmitate illius episcopi et ad nutum S. Sedis.

26 iulii 1910. — R. P. D. Paulum Aemilium Bergamaschi, episcopum cathedralis ecclesiae Troianae, in archiepiscopum titularis ecclesiae Areopolitanae.

27 iulii 1910. — R. D. Iosephum Chartrand, rectorem cathedralis ecclesiae Indianopolitanae ibique vicarium generalem episcopi, in episcopum titularis ecclesiae Flaviadensis cum deputatione in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Francisci Silas Chatard, episcopi Indianopolitani.

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

S. CONGREGATIO DE SACRAMENTIS

DECRETUM

DE AETATE ADM1TTENDORUM AD PRIMAM COMMUNIONEM EUCHARISTICAM.

Quam singulari Christus amore parvulos in terris fuerit prosequutus, Evangelii paginae plane testantur. Cum ipsis enim versari in deliciis habuit; ipsis manus imponere consuevit; ipsos complecti, ipsis benedicere. Idem indigne tulit repelli eos a discipulis, quos gravibus his dictis reprehendit: *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium est enim regnum Dei*[1]. Quanti vero eorundem innocentiam animique candorem faceret, satis ostendit quum, advocato parvulo, discipulis ait: *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic èst maior in regno coelorum. - Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo me suscipit*[2].

[1] MARC, X, 13, 14, 16.

[2] MATTH., XVIII, 3, 4, 5.

Haec memorans catholica Ecclesia, vel a sui primordiis, admovere Christo parvulos curavit per eucharisticam Communionem, quam iisdem subministrare solita est etiam lactentibus. Id, ut in omnibus fere antiquis libris ritualibus ad usque saeculum XIII praescriptum est, in baptizando fiebat, eaque consuetudo alicubi diutius obtinuit; apud Graecos et Orientales adhuc perseverat. Ad summovendum autem periculum, ne lactentes praesertim panem consecratum eiicerent, ab initio mos invaluit Eucharistiam iisdem sub vini tantum specie ministrandi.

Neque in baptismate solum, sed subinde saepius divino epulo reficiebantur infantes. Nam et ecclesiarum quarundam consuetudo fuit Eucharistiam praebendi puerulis continuo post clerum, et alibi post adultorum Communionem residua fragmenta iisdem tradendi.

Mos hic deinde in Ecclesia latina obsolevit, nec sacrae mensae participes fieri coeperunt infantes, nisi illucescentis rationis usum aliquem haberent et Augusti Sacramenti notitiam quandam. Quae nova disciplina, ab aliquot Synodis particularibus iam recepta, solemni sanctione firmata est oecumenici Concilii Lateranensis IV, anno MCCXV, promulgato celebri canone XXI, quo fidelibus, postquam aetatem rationis attigerint, sacramentalis Confessio praescribitur et Sacra Communio, hisce verbis: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discre-
« tionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem
« semel in anno proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam
« studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in
« Pascha Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacer-
« dotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione
« duxerit abstinendum ».

Concilium Tridentinum [1], nullo pacto reprobans antiquam disciplinam ministrandae parvulis Eucharistiae ante usum rationis, Lateranense decretum confirmavit et anathema dixit in eos qui contra sentirent:
« Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus,
« quum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem
« in Paschate, ad communicandum, iuxta praeceptum S. Matris Eccle-
siae, anathema sit » [2].

Igitur vi aliati et adhuc vigentis decreti Lateranensis, Christi fideles, ubi primum ad annos discretionis pervenerint, obligatione tenentur accedendi, saltem semel in anno, ad Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta.

[1] Sess. XXI, *de Communione,* c. 4.

[2] Sess. XIII, *de Eucharistia,* c. 8, can. 9.

Verum in hac rationis, seu discretionis aetate statuenda haud pauci errores plorandique abusus decursu temporis inducti sunt. Fuerunt enim qui aliam sacramento Poenitentiae, aliam Eucharistiae suscipiendae discretionis aetatem assignandam esse censerent. Ad Poenitentiarii quidem eam esse aetatem discretionis iudicarunt, in qua rectum ab inhonesto discerni posset, adeoque peccari; ad Eucharistiam vero seriorem requiri aetatem, in qua rerum fidei notitia plenior animique praeparatio posset afferri maturior. Atque ita, pro variis locorum usibus hominum ve opinionibus, ad primam Eucharistiae receptionem hinc decem annorum aetas vel duodecim, hinc quatuordecim vel maior etiam est constituta, prohibitis interim ab eucharistica Communione pueris vel adolescentibus praescripta aetate minoribus.

Istiusmodi consuetudo, qua per speciem tutandi decoris augusti Sacramenti arcentur ab ipso fideles, complurium exstitit causa maiorum. Fiebat enim ut puerilis aetatis innocentia a Christi complexu divulsa, nullo interioris vitae succo aleretur; ex quo illud etiam consequebatur, ut praevalido destituta praesidio iuventus, tot insidiis circumventa, amisso candore, ante in vitia rueret, quam sancta mysteria delibasset. Etiamsi vero primae Communioni diligentior institutio et accurata sacramentalis Confessio praemittatur, quod quidem non ubique fit, dolenda tamen semper est primae innocentiae iactura, quae, sumpta tenerioribus annis Eucharistia, poterat fortasse vitari.

Nec minus est reprobandus mos pluribus vigens in locis, quo sacramentalis Confessio inhibetur pueris nondum ad eucharisticam mensam admissis, aut iisdem absolutio non impertitur. Quo fit ut ipsi peccatorum fortasse gravium laqueis irretiti magno cum periculo diu iaceant.

Quod vero maximum est, quibusdam in locis pueri nondum ad primam Communionem admissi, ne instante quidem mortis discrimine, Sacro muniri Viatico permittuntur, atque ita, defuncti et more infantium illati tumulo, Ecclesiae suffragiis non iuvantur.

Eiusmodi damna inierunt qui extraordinariis praeparationibus primae Communioni praemittendis plus aequo insistunt, forte minus animadvertentes, id genus cautelae a Iansenianis erroribus esse profectum, qui Sanctissimam Eucharistiam praemium esse contendunt, non humanae fragilitatis medelam. Contra tamen profecto sensit Tridentina Synodus quum docuit, eam esse « antidotum quo liberemur a culpis «quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur »[1]; quae doctrina

[1] Sess. XIII, *de Eucharistia,* c. 2.

nuper a Sacra Congregatione Concilii pressius inculcata est decreto die xxvi mensis Decembris an. MDCCCCV lato, quo ad Communionem quotidianam aditus universis, tum provectioris tum tenerioris aetatis patuit, duabus tantummodo impositis conditionibus, statu gratiae et recto voluntatis proposito.

Nec sane iusta causa esse videtur quamobrem, quum antiquitus sacrarum specierum residua parvulis etiam lactentibus distribuerentur, extraordinaria nunc praeparatio a puerulis exigatur qui in primi candoris et innocentiae felicissima conditione versantur, mysticoque illo cibo, propter tot huius temporis insidias et pericula indigent maxime.

Quos reprehendimus abusus ex eo sunt repetendi, quod nec scite nec recte definiverint, quaenam sit aetas discretionis, qui aliam Poenitentiae, aliam Eucharistiae assignarunt. Unam tamen eandemque aetatem ad utrumque Sacramentum requirit Lateranense Concilium, quum coniunctum Confessionis et Communionis onus imponit. Igitur, quemadmodum ad Confessionem aetas discretionis ea censetur, in qua honestum ab inhonesto distingui potest, nempe qua ad usum aliquem rationis pervenitur; sic ad Communionem ea esse dicenda est, qua eucharisticus panis queat a communi dignosci; quae rursus eadem est aetas in qua puer usum rationis est assequutus.

Nec rem aliter acceperunt praecipui Concilii Lateranensis interpretes et aequales illorum temporum. Ex historia enim Ecclesiae constat, synodos plures et episcopalia decreta, iam inde a saeculo XII, paulo post Lateranense Concilium, pueros annorum septem ad primam Communionem admisisse. Exstat praeterea summae auctoritatis testimonium, Doctor Aquinas, cuius haec legimus: « Quando iam pueri *incipiunt aliqualem* usum rationis habere, ut possint devotionem concipere huius « Sacramenti (Eucharistiae), tunc potest eis hoc Sacramentum conferri » Quod sic explanat Ledesma: « Dico ex omnium consensu, quod omnibus habentibus usum rationis danda est Eucharistia, quantumcumque « cito habeant illum usum rationis; esto quod adhuc confuse cognoscat « ille puer quid faciat »[2]. Eumdem locum his verbis explicat Vasquez: « Si puer semel ad hunc usum rationis pervenerit, statim ipso iure « divino ita obligatur, ut Ecclesia non possit ipsum omnino liberare »[3]. Eadem docuit S. Antoninus, scribens: « Sed cum est doli capax (puer), « cum scilicet potest peccare mortaliter, tum obligatur ad praeceptum

[1] *Summ. Theol.*, 3 part., q. 80, a. 9, ad 3.

[2] In S. **THOM.**, 3 p., q. 80, a. 9, dub. 6.

* In 3 P., S. THOM., disp. 214, c. 4, n. 43.

« de Confessione, et per consequens de Communione » Tridentinum quoque Concilium ad hanc impellit conclusionem. Dum enim memorat Sess. XXI, c. 4: «parvulos usu rationis carentes nulla obligari neces-« sitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem », unam hanc rei rationem assignat, quod peccare non possint: « Siquidem, inquit, ade-« ptam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt ». Ex quo patet hanc esse Concilii mentem, tunc pueros Communionis necessitate atque obligatione teneri quum gratiam peccando possunt amittere. His consonant Concilii Romani verba, sub Benedicto XIII celebrati ac docentis, obligationem Eucharistiae sumendae incipere « postquam pue-« ruli ac puellae ad annum discretionis pervenerint, ad illam videlicet « aetatem in qua sunt apti ad discernendum hunc sacramentalem cibum, « qui alius non est quam verum Iesu Christi corpus, a pane communi « et profano, et sciunt accedere cum debita pietate ac religione »[2]. Catechismi^ Romanus autem, « qua aetate, inquit, pueris sacra mysteria « danda sint, nemo melius constituere potest quam pater et sacerdos, «cui illi confiteantur peccata. Ad illos enim pertinet explorare, et a « pueris percunctari, an huius admirabilis Sacramenti cognitionem ali-« quam acceperint et gustum habeant »[3].

Ex quibus omnibus colligitur aetatem discretionis ad Communionem eam esse, in qua puer panem eucharisticum a pane communi et corporali distinguere sciat ut ad altare possit devote accedere. Itaque non perfecta rerum Fidei cognitio requiritur, quum aliqua dumtaxat elementa sint satis, hoc est *aliqua cognitio;* neque plenus rationis usus, quum sufficiat usus quidam incipiens, hoc est *aliqualis usus rationis:* Quapropter Communionem ulterius differre, ad eamque recipiendam maturiorem aetatem constituere, improbandum omnino est; idque Apostolica Sedes damnavit pluries. Sic fel. rec. Pius Papa IX litteris Cardinalis Antonelli ad episcopos Galliae datis die xii Martii anno MDCCCLXVI invalescentem in quibusdam dioecesibus morem protrahendae primae Communionis ad maturiores eosque praefixos annos acriter improbavit. Sacra vero Congregatio Concilii, die xv mensis Martii an. MOCCOLI Concilii Provincialis Rothomagensis caput emendavit, quo pueri vetabantur infra duodecimum aetatis annum ad Communionem accedere. Nec absimili ratione se gessit haec S. Congregatio de disciplina Sacramentorum in causa Argentinensi die xxv mensis Martii anno MDCCCCX; in qua cum

[1] P. III, tit. 14, c. % § 5.

[2] *Istruzione per quei che debbono la prima volta ammettersi alla S. Comunione.* Append. XXX, P. 11.

[3] P. II, *De Sacr. Euchar.*, n. 63.

ageretur, admittine possent ad sacram. Communionem pueri vel duodecim vel quatuordecim annorum, rescripsit: « Pueros et puellas, cum « ad annos discretionis seu ad usum rationis pervenerint, ad sacram « mensam admittendos esse ».

Hisce omnibus mature perpensis, Sacer hic Ordo de disciplina Sacramentorum, in generali Congregatione habita die xv mensis Iulii a. MDCCCCX, ut memorati abusus prorsus amoveantur et pueri vel a teneris annis Iesu Christo adhaereant, Eius vitam vivant, ac tutelam inveniant contra corruptelae pericula, sequentem normam de prima puerorum Communione, ubique servandam statuere opportunum censuit.

I. Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis.

II. Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere.

III. Cognitio religionis quae in puero requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se praeparet, ea est, qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat ut ea devotione quam ipsius fert aetas ad SS. Eucharistiam accedat.

IV. Obligatio praecepti Confessionis et Communionis, quae puerum gravat, in eos praecipue recidit qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum. Ad patrem vero, aut ad illos qui vices eius gerunt, et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem.

V. Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu, ut supra dictum est, iam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemittantur.

VI. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Iesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert aetas. Meminerint praeterea quibus ea cura est gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse

pergant, sin minus, eorundem religiosae institutioni alio modo suppleant.

'VII. Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut numquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est ^omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt ut penitus de medio tollatur.

VIII. Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant.

Haec a PP. Cardinalibus Sacrae huius Congregationis sancita SSmus D. N. Pius Papa X, in audientia diei VII currentis mensis omnia adprobavit, iussitque praesens edi ac promulgari decretum. Singulis autem Ordinariis mandavit ut idem decretum, non modo parochis et clero significarent, sed etiam populo, cui voluit legi quotannis tempore praecepti paschalis, vernacula lingua. Ipsi autem Ordinarii debebunt, unoquoque exacto quinquennio, una cum ceteris dioecesis negotiis, etiam de huius observantia decreti ad S. Sedem referre.

Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae ex Aedibus eiusdem S. Congregationis, die VIII mensis Augusti anno MDCCCCX.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus.*

Ph. Giustini, *a secretis.*

S. CONGREGATIO CONCILII

Cum haec S. C. ad dubium propositum a R. P. D. Episcopo Gerundensi, in plenario coetu, diei 22 Ianuarii currentis anni reposuerit: « Pauperes (in Hispania) ut fruantur indulto quadragesimali non teneri ad eleemosynam elargiendam: teneri autem si frui velint aliis privilegiis Bullae Cruciatae »; postea quaesitum etiam fuit utrum iidem pauperes tenerentur, erogata eleemosyna, Summarium Bullae accipere ut gaudere possint indulto ibidem expresso, quo « tam quadragesimalibus quam ceteris anni diebus ovis et lacticiniis uti et vesci libere et licite valeant ». Re autem relata SS. D. N. Pio Papae X ab infrascripto S. C. Cardinali Praefecto in audientia diei 28 Iunii nuper elapsi, Sanctitas Sua declarare dignata est: Pauperes in. Hispania, non soluta eleemosyna pro

Bulla Cruciatae adsignata, posse frui indulto quoad ova et lacticinia, quod in memorata Bulla continetur; et hanc declarationem ab hac S. C. edi mandavit. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Datum in S. C. Concilii, die 4 Iulii 1910.

C. CARD. GENNARI, *Praefectus.*

L. © S.

Basilius Pompili, *Secretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

BALTIMOREN.

NULLITATIS MATRIMONII. (REID-PARKHUST).

Pio PP. X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno septimo, die 30 Iunii 1910, RR. PP. DD. Auditores M. Lega, Decanus, Ponens, *Gustavus Persiani, Guilelmus Sebastianelli, Seraphinus Many, Franciscus Heiner, Ioannes Prior, Aloisius Sincero, Ioseph Mori, Fridericus Cattani, Antonius Perathoner, Ioseph Alberti, videntes, per commissionem cum clausula « videntibus omnibus » in hac Causa* Baltimoren. - Nullitatis Matrimonii, *inter Dñam Mariam Reid, repraesentatam per legitimos procuratores Santucci et Astorri, Advocatos, et Fridericum Parkhust, interveniente et disceptante in causa Vinculi Defensore ex officio> sequentem tulerunt sententiam.*

Die 21 Sept. anno 1887, Maria Reid catholica, matrimonium inivit cum Friderico Parkhust, acatholico non baptizato, in urbe Washington, coram Rev. Dno Chapelle, rectore paroeciae S. Matthaei illius civitatis, legitime servata Tridentina forma. Vita communis duravit ad 11 annos et inde nati sunt quatuor filii. Sensim enatae sunt discordiae inter coniuges et eousque creverunt ut vir divortium, ita dictum civile, petierit et obtinuerit. Anno 1901 domina Maria Reid mense Iulio Romam se contulit ac mense Augusto anno 1901 matrimonium quod dicunt civile, cum quodam viro principe romano contraxit. Cupiens vero cum eodem viro matrimonium etiam religiosum inire, matrimonium cum Domino Parkhust initum accusare coepit, contendens hoc invalidum fuisse vel quia nulla intercessit dispensatio ab

impedimento disparitatis cultus, aut si concessa fuit, irrita dicenda est, utpote a se non expetita, atque concessa, praetermissis necessariis *cautionibus;* eo magis quia eius persuasio et intentio fuit contrahendi cum baptizato, minime vero cum infideli.

Causa haec antea cognita fuit a S. Congregatione Propagandae Fidei, quae censuit non constare de nullitate matrimonii, anno 1905, mense Maio. Instante Maria Reid haec caussa ex commissione Beatissimi Patris delata fuit ad Hunc S. O. definienda, *videntibus omnibus,* et in hodierna actione quaestio proponitur sub dubio: « *An constet de matrimonii nullitate in casu ?* »

In solutionem quaestionis in primis considerarunt RR. DD. matrimonium, quamvis dubium et controversum, frui beneficio possessionis in casu: unde in partem negantem refunditur onus probandi quod eadem contendit. Ad rem Card. D'Annibale haec habet. (P. III,. n. 478): « .... si certo non appareat matrimonium irritum fuisse, pro matrimonio (quod possidet) *regulariter* respondendum est: ideoque tametsi pro valore matrimonii *nulla,* pro nullitate *probabilis* tantum ratio subsit ».

Et S. Officii Instructio 18 Decembr. 1872, a Patronis citata, docet: « in dubium standum est pro valore matrimonii .... licet autem ab hoc principio recedere aequum sit, quando nimirum .... *quaestio agitatur de facto,* utrum scilicet fuerit, numquam contractum, necne ». Hac de caussa Card. D'Annibale apponit limitationem *regulariter,* innuens casum exceptionis ab Instructione positae, quando scilicet dubium est utrum matrimonium contractum fuerit, necne. In themate autem nullam quaestionem subesse patet, utrum nempe matrimonium fuerit contractum, necne in facie Ecclesiae, servata Tridentina forma: sed dubium est utrum fuerit valide contractum, praevia dispensatione impedimenti disparitatis cultus. Ipsam autem dispensationem frui hac praesumptione, et hinc, esse in *possessione* evincitur *ex iuris* principiis in genere et ex *facto.*

In primis deducitur *ex facto* quod referatur in libris Curiae Baltimoren. Solemne est in H. S. O. ut libri, etsi non subscripti, qui detinentur in Archiviis, plenam fidem faciant de actis inibi relatis: « *idem esse scripturam esse publicam, sive quod illa sit sumpta ex publico Archivio » (dec. 3, n. 18, p. 8, Recent).* - Et in *decis. 766, n. 2, p. 3.* Domini firmarunt libros *<i uti detentos ex necessitate officii et a personis auctoritate publica deputatis, fidem mereri* » et in *decis. 252, n. 3, p. 3:* « Liber .... factus ab Officiali ex necessitate officii sui probat » et in *decis. 91, n. 1, p. 14,* librorum pro usu Reipublicae conscriptorum « *fides et auctoritas magna esse debet* ». Neque in adnotationibus in libris protocollaribus ad fidem faciendam requiri subscriptionem, tradit De Luca, *de iudic. disc. 27,*

n. 27, et firmatam est in *decis. 628, n. 1, sq., p. 2, Recent.* Deinde considerarunt RR. DD. adnotationes in libris Curiae aequivalere *Protocollo,* quod Reiffenstuel, - *de fid. instrument.* - definit « *esse primam et originalem scripturam, in qua breviter a Tabellione adnotatur substantia actus gesti* ». Item tradit cum communi Schmalzgrueber, - *de fid. instrument, n. 25,* - *Protocollum, quamvis non subscriptum, eamdem vim habere quam ipsum originale seu solemne instrumentum.*

Praeterea *I.* c, *n. 47,* docet idem Schmalzg.: Quaeritur IV, quid probent libri officialium publicorum? Si scriptus sit talis liber ab officiali publico ad hoc deputato, et de iis quae ad officium illius pertinent plene probant factum ibi relatum, non minus quam instrumentum confectum a Notario ». Libros autem Curiae Baltimoren. confici a Cancellano refert Rev. Dnus Marchetti: « Il Cancelliere infatti teneva e « tiene conto del numero delle dispense ». Magnam vero auctoritatem habere eiusmodi scripturas, utpote asservatas in publico Archivio, probat idem Schmalz., *I.* e, *n. 40,* et asserit: « Licet talis scriptura secundum se publica non sit, prout est illa quae per publicum notarium confecta est, vim tamen publici instrumenti habet, tum ratione loci quod in Archivio recondita fuerit; tum ratione personae, quod per publicum et iuratum officialem, seu ministrum, sit registrata » et confirmat Rota in *decis. 379, La seconda n. 6 et 7, p. 13, Recent:* « . . . . . Archivium Episcopi . . . . publicum reputatur, et ideo regulariter scripturis in eo retentis integra fides quoad omnia praestari debet ad text. in c. *2,* ibique Gloss., in verb. sigillum. *De fid. instrument* . . . . Rota c. Merlino, *decis. 264, num. 3 ».*

Considerarunt insuper Domini de sequuta dispensatione fidem fieri debuisse a Curia Baltimoren., quae uti videtur, eamdem concessit *in forma gratiosa,* producentem suum effectum a *momento* concessionis, adeo ut parochus coniunxerit sponsos, iam coniugio idoneos, seu *dispensatos.* Eo magis haec valent, quia Patroni absolute nec negare audent dispensationem concessam fuisse, sed super eius authenticitate et genuinitate dubia movent, quia in quatuor diversis exemplaribus relatum fuerit authographum, seu Protocollum, dispensationis conservatum in Curia Baltimoren. Quum vero *ex facto,* quod referatur in libris Curiae Baltimoren., *possessionem* nanciscatur dispensatio, consequitur quod, si aliquod moveatur dubium circa eius valorem, invocandum est principium « *in dubium standum est pro valore actus»* et quidem, sive dubitetur an dispensatio rite petita, sive quaeratur an rationabiliter aut legitime concessa vel partibus significata fuerit. Quae valent etsi agatur de Delegato aut de exequutore dispensationis, uti animadvertit De Iustis *(de dispens.*

matrim. I. III, c. 1, n. 84): tanto magis quando quaestio est de matrimonio iam inito. Ait S. Alphonsus: « Non potest matrimonium contrahi si impedimentum sit certum et dubitatur num obtenta sit dispensatio: tunc enim possidet impedimentum. *Secus esset, si constet de dispensatione et dubitetur de eius valore: quia tunc possessio stat pro valore dispensationis » (Theol, mor., I. VI, n. 902).*

Sed antea quam ad examen revocentur singulae oppositae exceptiones, iuvat firmare Regulam ab H. S. O. solemniter enunciatam in una Romana, *2 maii 1727, c. Ratto, n. 1.* « Omnis praesumptio militare debet pro validitate matrimonii, nullaque ratio habenda est de oppositis exceptionibus quando illae non sunt adeo perstringentes et efficaces, ut incontinenti et concludentissime evincant praetensam nullitatem, sive ex defectu liberi consensus, sive ex alia irritanti caussa promanantem ». Maxime notabilis visa est RR. DD. regula quae firmatur in *dec. 406, n. 1, p. 1, Recent;* scilicet « *Responsum est, tempus decennii esse necessarium ad praesumendum matrimonium legitimum quando de eo aliter non constat* ». Sane heic agitur de simplici praesumptione quae quamcumque admittit contrariam probationem; siquidem in re matrimoniali introduci non poterat praescriptio, constituta in re patrimoniali « *ne rerum dominia semper incerta manerent* ». - Ast praesumptiones pro valore matrimonii eo graviores et fortiores habendae sunt, quum maxime expediat Reipublicae Catholicae ne matrimonia in facie Ecclesiae inita, facile in dubitationem adducantur, neque facile praevalere possint exceptiones adversum matrimonii valorem adductae. Nam, praecipue post longi temporis lapsum a celebratione, si facilius et commodius dubia excitantur adversus actus valorem, difficilius dilui possunt. Huc spectat sententia Innocentii III, in *cap. 47, De testibus:* « tolerabilius est, aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos quam coniunctos legitime contra statuta Domini separare ».

In meritum autem factarum exceptionum *ad factum* controversum quod attinet, RR. DD. haec considerarunt: 1. ° hodie ne in controversiam quidem adducitur, Fridericum non fuisse baptizatum, ut hinc revera impedimentum obstitisse disparitatis cultus.

%° Ab omnibus admittitur Dnum Parkhust esse virum fidedignum; actrix absque ambagibus fatetur. « Era ritenuto per uomo rispettabilissimo » ita etiam eius mater; et Dnus Sweeny: « Io lo considero tale « di stima generale ».

3. ° Certum est Mariam actricem parum aut nihil sollicitam fuisse de cognoscenda veritate circa sectam religiosam cui addictus erat Fridericus; et utrum baptisma susceperat, interrogata enim: « à l'epoque

« où vous avez consenti à épouser Frideric Haie Parkhust, avez vous « jamais demandé s'il avait été baptizé ou non; ou avez vous autorisé « d'autres à le lui demander ? » reponit: « No giammai ». Haec responsio vero pro intentione actricis profluere videtur a persuasione quam ipsa praesefert, suum sponsum fuisse baptizatum: sed in praesentiarum «certum est, Mariam suam intimam hanc persuasionem numquam intendisse ponere uti conditionem *sine qua non* seu, se refundentem in errorem personae; nam, interrogata: « Avez-vous posé au moment « même de votre mariage soit oralement, soit mentalement la condi- « tion suivante: Je te marie, Frideric Haie Parkhust parceque je te crois « baptizé, et si tu n'es pas baptizé, je ne te prende pas pour mon époux ? « reponit: « No, non mi entrò mai per la testa ».

4° Item in probatis existit tractatus habitos fuisse cum Parocho Chapelle circa dispensationem necessariam pro matrimonio ineundo: hoc affirmat ipse Dnus Chapelle, actricis Mater et Parkhust, et confirmat Dnus Sweeny: Actrix vero negat se in his aliquam partem habuisse; ast contradicit Dnus Chapelle et Dnus Parkhust. Actrix vero non infi¬ciatur eius matrem huic negotio incubuisse: ait enim: « Io ritenevo che « tutte le pratiche necessarie venivano fatte dal parroco Chapelle e da « mia madre, siccome non fui richiesta di nulla in quest'affare ». - « Nes- « suno mi fece da agente, ma [siccome il Dott. Chapelle doveva ese- « guire la cerimonia nuziale, ritenevo eh' egli avesse sistemata ogni cosa « regolarmente ».

Mater vero ad interrogationem: « Era detto allora qualche cosa « intorno alla dispensa? » R. « Sì, signore ». Item interrogata: « Voi e « vostra figlia parlaste col Prete intorno alla dispensa ? » R. « Io faceva ». « Sapevate se il Prete scrisse o disse ch'egli scriverebbe per la neces- « saria dispensa ? » R. « Il Prete disse, egli attenderebbe a quello ». Item mater apprime edocta erat de dispensatione quae obtinenda erat pro validitate matrimonii initi a catholico cum viro infideli, et in casu percontata est parochum loci Bangor Dnum Sweeny de conditione religiosa Dñi Parkhust; at certe rescire non potuit, utrum hic fuerit baptizatus: refert enim parochus: « Io scrissi a lui a tale scopo che io « capiva che egli apparteneva ad una famiglia metodista: il fatto è che « io ricevetti una lettera da lei, riguardante lui, e dava informazioni che « la famiglia apparteneva alla denominazione metodista.... Io non ho « alcuna prova di questa idea al di là di una chiacchiera generale ». Quae autem hac de re mater scivit aut scire certo non potuit, omni procul dubio et filiam non latebant. Fluit autem ex tenore attestationum et sponsam eiusque matrem non admodum fuisse sollicitas de

conditione religiosa sponsi: hoc Parkhust diserte testatur, aiens: « La « questione non era trattata come di grande importanza, e per quanto « io adesso possa ricordare, fu soltanto il soggetto di una singola con- « versazione ».

5. ° Item certum est dispensationem non fuisse lectam in actu celebrationis nuptiarum; prouti dubitare non licet, cautiones ex parte viri non scriptis sed dumtaxat oretenus datas fuisse et significatas fuisse, saltem coram parocho.

6. ° Nullum serium dubium moveri potest adversus authenticitatem actus dispensationis deductum ex quadruplici exemplari, nam si demas exemplar a Rmo Dno Marchetti exhibitum, alia exemplaria non erant de verbo ad verbum exscripta ab authographo sed simplices erant attestationes de sequuta dispensatione, et animadversum fuit ex ratione qua obtentum est primum exemplar, excludi penitus et absolute sive quod authographum corrumpi potuerit aut voluerit, sive quod non fideliter, data opera, exscriptum fuerit. Nam inopinato a Curia Baltimoren., seu nulla praevia notitia de negotio controverso, telegrammate Consulis Statuum Foederatorum, Romae degentis, exquiritur exemplar dispensationis et prima responsio fuit die 31 Iulii 1901: « Cancelliere assente, « Archivio chiuso a chiave, segue lettera ». Interim Vice-cancellarius totius rei ignarus, regesta exquisivit Ecclesiae Cathedralis quaerens an ibi adnotaretur matrimonium de quo inquirendum erat: ast illico sciscitatus urgentiore telegrammate die 1 Augusti insequenti, per telegramma reponit: « Dispensa disparitatis cultus, registra Chapelle, segue lettera »: « Et in litteris refertur dispensatio in suis elementis necessariis, apprime respondens exemplari ad verbum exscriptum a Revmo Dno Marchetti. Refertur autem in litteris, Archivium reseratum fuisse per vim, inscio et forsan invito cancellano »; « forzando la serratura dell'Archivio col gri- « maldello potemmo avere i registri delle dispense matrimoniali; da essi « risulta che il 17 Settembre 1887 il Dott. Chapelle.... avanzò domanda « ed ottenne dispensa *disparitatis cultus* per Mary Reid cattolica e Fri- « deric Parkhust ». Ita se habet exemplar a Revmo Dno Marchetti confectum, ubi Parkhust neque catholicus, neque *non baptizatus* adnotatur.

7. ° Obiectum fuit, ad minuendam librorum fidem, Regestum Curiae incoatum fuisse *die 2 Ianuarii 1873,* sed primam dispensationem super impedimento disparitatis cultus inscriptam fuisse tantummodo *die 4 Aprilis 1885;* ideoque per undecim annos nulla fuit adnotata dispensatio, dum spatio triginta mensium inscribuntur 120: nulla notatur per undecim annos dispensatio ab impedimento *mixtae religionis,* dum ab anno ineunte 1885 usque ad mensem Septembris 1887 inscribuntur 642

huiusmodi dispensationes. Animadverterunt vero RR. PP., obiectionem parvi esse momenti, quia Revmus Marchetti libros inspexit et eosdem retulit esse legitime confectos. - Ast facilis et probabilissima occurrit explicatio quae persuade!, obiectionem niti falso supposito: nempe sedem numerorum de qua loquitur Rev. D. Marchetti, comprehendere omnes dispensationes in eodem libro conscriptas. E contra visum est RR. DD. duplicem seriem numerorum, in qua respective notantur dispensationes disparitatis cultus et mixtae religionis, in Regesto esse positas ut impleatur mandatum Apostolicae Sedis impositum in formula *D « facultatum* » quo iubentur Ordinarii eidem Apostolicae Sedis rationem reddere sub fine cuiusque triennii de numero casuum super quibus dispensaverunt. Ita in formula relata a Putzer « *Comment, in Facult. Apost.* » editum Neo-eboraci a. 1898. Tum facultates concedi solebant ad *decennium,* sed singulo quoque triennio, referendum erat quot in casibus dispensatur» fuerit. Deinceps ad quinquennium facultates concedere solitum fuit, et singulo quinquennio de dispensationum concessarum numero referendum erat. Proinde, concluso triennio vel quinquennio, concludebatur series numerorum et ratio reddebatur Sanctae Sedi. In libris autem nova series numerorum instituebatur. Unde si supponatur incoeptum triennium mense Ianuario 1873 cum initio regesti in casu, quartum triennium esset conclusum in fine anni 1884, et quintum inciperet mense Ianuario-1885 et de facto prima dispensatio huius seriei concessa fuit die 2 Februarii 1885; dispensationes igitur omnes per 12 primos annos concessas, in regesto inscriptas fuisse dicendum est, licet sub aliis numerorum seriebus istae contineantur.

Hisce in facto adnotatis, ad ius quod attinet haec animadversa sunt.

Quamvis Maria et eius mater affirment, contradicentibus Dominis Chapelle et Parkhust, ipsas non cognovisse defectum baptismatis in sponso, tamen si concedatur hunc adfuisse in Maria errorem, hic error non refunditur in *errorem personae, seu in substantiam actus,* cum fassa sit Maria 'de hoc se ne cogitasse quidem. « No, non mi entrò mai per « la testa ».

Propositum vero quod manifestat Maria: « Io sposai Federico Parkhust come protestante battezzato », « no, io lo sposai coll'idea che fosse « un protestante battezzato » aequivalet voluntati interpretativae. Ergo in casu agitur de errore concomitante, seu de voluntate interpretativa, et omnes Doctores unanimi sententia asserunt, huiusmodi errores nec contractus in genere nec matrimonium in specie irritare; *arg.* c. *18, De sponsal.* Siquidem ex tali errore qui de iure naturali non vitiat actum, ius canonicum impedimentum instituere noluit, ne innumera coniugia

evaderent dubia et litibus exposita. Qui enim ducit uxorem vult sanam, honestam, bonae indolis foeminam sibi coniugem unire; sed non vacillat matrimonium in suo valore, si uxore hisce dotibus non praestet. Ita Card. D'Annibale, *III, 444;* Card. Gasparri, *De matr., n. 786;* Wernz, *De matr., n. 227.* Quo, circa, ex hoc capite et si certo constaret, Mariam non scivisse Fridericum non fuisse baptizatum, decerni non valeret matrimonium esse nullum; quod caput accusationis revera patroni in hodierna actione praetermiserunt.

Praeterea exquisierunt domini, an fuerit legitime concessa dispensatio ab impedimento disparitatis cultus, et utrum valide iuxta regulas iuris exequutioni fuerit demandata.

Positum est extra dubitationis aleam, Curiam Baltimoren. facultatibus praeditam fuisse concessis a S. C. de Propaganda Fide, iuxta consuetam formulam *D,* quae de impedimento disparitatis cultus ita se habet: « Dispensandi cum suis subditis super impedimento disparitatis cultus, quatenus sine contumelia Creatoris fieri possit et dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis praesertim de amovendo acatholico coniuge perversionis periculo, deque conversione coniugis infidelis pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda, servatis in reliquis adiecta instructione typis impressa . . . . etc. ». Hac freta potestate • Curia Baltimoren. dispensationem concessit quam in forma *pure granosa* impertiisse non esse ambigendum videtur: legitur enim in forma concessionis, Dnus Chapelle simpliciter *petiisse* dispensationem, sponsos vero exinde fuisse *dispensatos;* seu, nullo medio exequutore eisdem concessam fuisse dispensationem. In casu autem dispensatio concedi non poterat nisi *in forma gratiosa:* « siquidem ex textu concessionis, limitata est facultas subdelegandi. Ita « subdelegandi praesentes facultates suo Vicario Gen. quoties absit a residentia vel legitime sit impeditus, atque duobus vel tribus presbyteris, sibi benevisis, in locis remotioribus propriae dioecesis pro aliquo tamen numero casuum urgentiorum in quibus recursus ad ipsum haberi non possit ». Si dispensatio vero concedatur in forma *pure commissoria,* ita ut gratia sit facienda ab exequutore, continetur aliqua subdelegalo quae in themate concedi non poterat, ob terminos quibus conceditur ex relatis verbis potestas subdelegandi.

Sane in *comment, in has facultates,* Putzer, *pag. 402,* ita interpretatur praefatam clausulam *subdelegandi.* « Alii proinde quam hi (duo vel tres) recensiti sacerdotes subdelegar! valide non possunt ut dispensent; sed tantum ut de precum veritate inquirant (casu quo haec inqui-

sitio non facta sit ante dispensationis relationem) ac datam dispensationem partibus intiment. Iamvero hisce tribus sacerdotibus subdelegatio fieri nequit nisi sub sequentibus conditionibus: *a)* Ut ipsi in locis remotioribus dioecesis existant vel operentur, etc:.... « Commissa autem exe•quutori ut gratiam exequatur, antea inspecta precum veritate, gratia in stylo Curiae Romanae, dicitur facta in forma mixta, et tunc revera gratia est iam facta, quamvis ab exequutore praemittenda sit inquisitio de veritate precum. Ita S. Sedes hodie impertitur dispensationes matrimoniales, uti testatur Card. Gasparri, *op. cit., n. 363,* et Wernz, *op. cit, n. 638,* quare Curiam Baltimoren. controversam dispensationem concedere non potuit in forma *pure commissoria,* sed tantum *in forma gratiosa* vel *pura* vel *mixta,* adeo ut gratia facta fuerit in actu concessionis. Forma autem qua significata est in regestis Curiae gratiae concessio, videtur non dubie exprimere, gratiam concessam fuisse in forma *pure gratiosa.* Aliam perpenderunt difficultatem RR. DD. quoad ipsam dispensationis concessionem, scilicet nullam habitam esse mentionem de caussis dispensandi in actu dispensationis: attenta vero facti specie non videtur extitisse in nupturientibus aliqua ex iis caussis requisitis iuxta stylum Curiae Romanae pro valida concessione dispensationis.

Sane docet Card. Gasparri, *I. c, n. 423.* « Delegatus nequit valide dispensare, nisi propter caussam canonicam quae in praxi S. Sedis motiva est, et habere debet tamquam impulsivam tantum, vel prorsus inefficacem eam caussam quae talis est in praxi Romanae Curiae; secus non solum illicite, sed et invalide dispensat ». Nec minus clara est praescriptio quae continetur in tenore facultatum delegatarum quae ita concluduntur: « Voluit tamen S. Sua, et omnino praecipit ut praedictas Episcopus superioribus facultatibus iussis dumtaxat gravibusque accedentibus caussis uteretur »: ad rem animadverterunt RR. DD. AA., iuris praesumptionem quae iubet omnem actum praesumi recte factum, donec evidenter contrarium evincatur, extendi etiam ad caussas dispensandi quae adfuisse praesumuntur morali modo consideratae, nisi contrarium probetur.

Succurrit auctoritas Card. D'Annibale, *I, n. 233,* docentis: « Sufficit caussa probabiliter iusta ut dispensatio nedum licite peti, sed (quia publice expedit haec eximi scrupulis) licite ac valide dari possit. Et in dubio an concessa fuerit ex iusta caussa, stat; nec revocatur si postea haec minus iusta apparuerit. Equidem sive dubitetur an dispensatio rite petita, vel rationabiliter aut legitime concessa vel partibus significata fuerit. Quae valent etsi agatur de delegato aut de exequutore dispensationis, ut animadvertit De Iustis, *Dispens. matr., 1, 3, c. 1, n. 84;* item

S. Alphonsus, *Theol, mor., 1, 6, n. 902;* Sanchez, *De matr., 1, 8, Disp. 21, n. 25.* Caussae vero considerari solitae uti sufficientes in Curia Romana perpendi debent morali modo, seu non taxative, et potissimum quoad dissitas regiones, ita difformes a nostris moribus, ubi applicari debent iuxta prudentem aestimationem Ordinariorum ».

Sane in Statibus Foederatis Americae Catholici non solum vivunt permixti acatholicis, sive baptizatis sive non, sed hi longe numero maiores sunt: unde difficile matrimonia mixta evitari possunt. In instructione iam mentionata die 15 Novembris 1858, adnexa facultatibus dispensandi, cavetur has dispensationes « gravibus dumtaxat de caussis » esse concedendas. Porro in casu non defuit huiusmodi caussa: praeter enim alias caussas de quibus sponsi agere potuerunt cum Domino Chapelle et de quarum aequitate hic iudex fuit, certe adfuit etiam illa quam memorant cummuniter Doctores pro his regionibus scribentes, nimirum timor gravioris mali, seu timor ne sponsi, denegata dispensatione, matrimonium coram magistratu civili vel ministro haeretico ineant; quae caussa plerumque adest in regionibus Statuum Foederatorum, ut notat Putzer, *I. c, n. 219, pag., 382.*

Eo magis, uti animadverterunt patres Concilii plenarii Baltimoren. II, quia in his locis sacerdos aditur pro contrahendis nuptiis, quum res iam eousque processerunt, ut vix sperandum sit matrimonium per Ecclesiae monita abrumpi posse. (Conc. Baltimoren. II, *n. 335, Collect. Lacen., t. III, collect. 488);* atque huiusmodi probabilis timor procul dubio gravibus caussis, in casu nostro, sufficientibus accensendus -est, uti eruitur ex Instruct. S. C. de Prop. Fide, diei 9 Maii 1877, ad II; nec non ex dictis patrum Plenarii Concilii Baltimoren. II, ubi sic aiunt: « Insuper iusta gravisque caussa canonica omnino requiritur, sine qua permitti prorsus nequit ut fideles gravibus fidei et moribus periculis, etiam sub opportunis cautionibus, sese opponant. Hac in re attendenda etiam sunt locorum, rerum et personarum adiuncta, praesertim ubi periculum est gravioris mali, ne, videlicet, denegata dispensatione, matrimonia mixta nihilominus idque sine cautionibus, clandestine contrahantur». Et Card. Gasparri ad rem notat: « Responsum absolute certum in abstracto dari non posse, cum semper considerandae sint «. •cuiusque casus circumstantiae », *I. c, n. 454.*

In themate animadversum praeterea fuit, ipsum Dnum Chapelle apprime perspectas habuisse conditiones familiares sponsae, ait enim: « Addo quod ipsam Mariam Reid a pueritia cognovi, eiusque familiam, -erga quam pastoralem curam totam adhibui, ut concordiam inter coniuges separatos restituerem et duo fratres Mariae Reid christiana vita

institueretur ». Omnibus vero attentis, et in primis, discordiis familiaribus, excludi nequit matrimonium Mariae cum Friderico non spernendum commodum Mariae attulisse quae non praediviti dote pollebat: Fridericum autem bonis moribus praeditus erat et de se optimam dabat spem. Hic nedum religioni non erat infensus, sed uti facilem et docilem' se praebebat ad recipiendum baptisma, si opportunum Dno Chapelle videretur; ita aequum erat coniicere in posterum posse fieri virum fidelem et catholicum per mulierem fidelem et catholicam. Etenim si coniugium exitum non habuisset infelicem, consideranti respectum et venerationem Friderici adversus catholicam religionem, eius doctrinam et Ecclesiae Praelatos, animo subiit persuasio, quod difficile non erat eumdem perducere ad amplectendam religionem catholicam, eo facilius quod nulli sectae ex corde adhaerebat.

Denique animadversum fuit, Fridericum maximo amore captum fuisse erga Mariam, cuius adhuc, post tot discrimina rerum, oblivisci plane nequit: quod cognoscens Dnus Chapelle, perpensa quoque iuvenili aetate nupturientium, Maria enim 17 aetatis annum vix expleverat, Fridericus vigesimum secundum annum agebat, studiorum curriculo nondum emenso, iudicare prudenter potuit, impedimentum disparitatis cultu» certe maiorem vim non habiturum ad disiungendas voluntates, quam amoris impetus habebat ad animos copulandos.

Cautiones autem quod attinet, consideratum est in rescripto concessionis facultatum, necessitatem cautionum poni diserte uti conditionem necessariam pro valida dispensatione: in adnexa instructione iam citata, haec caventur: « Hinc porro evenit ut haec Apostolicas Sede, ad quam unice spectat potestas dispensandi super huiusmodi mixtae religionis impedimento, si de canonum severitate aliquid remittens, mixta haec coniugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis aegre admodum fecit, et nonnisi sub expressa semper conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse coniux teneri se sciret, ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis; hisce matrimoniis procreanda, in sanctitate catholicae religionis educari omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti seu dispensari numquam possunt, cum in ipsa naturali et Divina lege fundentur quam Ecclesia et S. Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit, contra quam sine ullo dubio gravissime peccant qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis, seu prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt ». Hae cautiones sane remitti et praetermitti non possunt, quia fundan-

tur in iure naturali Divino et quoad promissionem ex parte acatholici non pervertendi catholicum et prolem susceptam in catholica religione educandam, nullum potest esse dubium, uti considerat Card. Gasparri, *I. c, n. 452,* et Card. D'Annibale, *III, n. 437,* qui asserit « verum quia haec conditio (nempe duo praefatae conditiones) impedimenti naturam non mutat, ea non servata perinde est ac si dispensatio data non esset ». **Tertia** promissio vero quod nempe catholicus ipse coniux teneatur ad acathocum pro viribus ab errore retrahendum, haec magis videtur pertinere ad praeceptum charitatis: quare potest ab Ecclesia non expresse exigi seu remitti, uti considerat Card. Gasparri in *I. c, n. c,* et D'Annibale *I. et n. cit.*

Quod formam autem in qua praestitae sunt in casu cautiones, viva voce factae sunt et sine scriptis, uti testatur Dmus Chapelle in suis interrogatone: Nam percontatus an datae fuerint cautiones et quomodo, respondit: « Utique, sed verbo tenus. Et revera, quoad scio, vir promissis suis stetit ». Et Parkhust interrogatus de hisce cautionibus, respondit se referens ad factum quod ita explicat: « Durante gli anni che Maria -« Reid era con me, come mia moglie, essa godeva intiera libertà riguardo « alla pratica della sua religione. Io attendeva alla Chiesa Cattolica con « lei frequentemente ed urgeva la di lei dipendenza su essa. I due figli « adesso viventi che erano nati da quel matrimonio... erano battezzati « colla mia approvazione, durante il periodo tra la loro nascita e la mia « separazione dalla loro madre, essi attendevano alla Chiesa constan- « temente colla mia approvazione e sotto la mia direzione, ed io ho « atteso alla Chiesa con loro; dacché io divorziava dalla loro madre, « essi hanno continuato nella pratica della loro religione cattolica con « la mia approvazione e sotto la mia direzione ».

Et interrogatus Sacerdos Sweeny: « Domandaste a lui la ragione « perchè egli educava i suoi figli cattolici e che cosa egli diceva in « risposta a ciò? - R. Sì, in conversazione egli riferiva al fatto che « egli educava i suoi figli nella fede cattolica in adempimento di una « promessa fatta quando egli era sposato ».

Cautiones praestitas fuisse oretenus nihil officit ad validitatem dispensationis: nihil enim de forma cautionum iure communi aut tenore indulti praescriptum est: unde sufficit promissio verbalis, modo sit seria. Quod mandat S. C. Inquisitionis Epist. 17 Febr. 1875 in Collect. S. C. de Prop. Fide *(n. 1433, Tom. II.)*... « Per farsi luogo alla dispensa « dei matrimonii misti, è essenziale solamente la promessa delle solite « cauzioni, la quale deve essere così seria, che il Vescovo riesca a for- « marsi la certezza morale che sarà dal coniuge eterodosso osservata

«ed adempita fedelmente» Vernz, *Ius matr., n. 510, not. 41;* Putzer, *I. c. p. 380.*

Nec ius particulare illarum regionum aliquid aliud requirit praeter seriam promissionem: immo patres plenarii Concilii Baltimoren. *II, n. 335* sic pastores monitos volunt: « moneantur tamen pastores ut in hisce promissionibus exigendis, fortiter quidem in re, in modo tamen suaviter se gerant, ne... utrumque sponsum exasperent, indeque mala oriantur graviora ».

Quoad vero promissionem a parte catholica faciendam, ex processu id eruitur. Interrogata actrix, an huiusmodi cautiones spoponderit?. - *B.* No. - Nihilominus postea asserit se huic scopo adlaborasse, narrans: « Sì, in tutte le maniere possibili e mediante relazioni coi sacer- « doti più distinti ove io dimorava ». At etiam in hoc actrix discrepat a reo convento qui refert: « Mary Reid non ha fatto in qualunque « modo uno sforzo per indurmi a unire alla Chiesa Cattolica ». Quidquid sit de hoc, mulieris catholicae promissio seu cautio, ut iam animadversum est non est absolute necessaria ad substantiam dispensationis, prouti necessario praestandae sunt cautiones a parte infideli. Quae cum de facto observatae sint, post contractum coniugium, supervacaneum est quaerere an promissae fuerint cautiones ante contractum: eo magis quia pars infidelis has nescivisset et hinc observare non potuisset nisi si antea denunciatae essent et intimatae.

Sed alia occurrit diluenda exceptio oratricis, nempe non sibi seu actrici potuisse applicari dispensationem disparitatis cultus cum eam non petiisset, nec cognovisset tempore initi coniugii. Hoc affirmat actrix in supplici libello: « se per assurda ipotesi volesse sostenersi che la dispensa « si fosse potuta concedere ad insaputa dell' oratrice... etc. », iamvero in casu animadverterunt DD. AA., rem versari in dubio *iuris* et in dubio *facti.* Nam in primis est valde dubium in *facto,* utrum actrix revera nesciverit aut saltem serio dubitaverit Fridericum non fuisse baptizatum, quum eius mater de hoc quaesierit a Sac. Sweeny, parocho loci Bangor, et responsionem omne dubium excludentem non obtinuit: ipsa actrix vero sciebat certo aliquam dispensationem necessariam esse, et se remiserat Dno Chapelle in ea persuasione. « Siccome il Dott. Chapelle « doveva sistemare la cerimonia nuziale ritenevo che egli avrebbe siste- « mata ogni cosa regolarmente ». Aliunde actrix, et fassa est, se validum voluisse inire matrimonium itemque aperte affirmavit, defectum baptismatis non apposuisse contractui uti conditionem substantialem: ergo saltem implicite exquirebat necessariam dispensationem ut actus valeret.

Nec praetermittenda est attestatio Friderici Parkhust et Dñi Chapelle

unde constat, Dñam Mariam Reid ante matrimonium optime scivisse Dnum Parkhust non esse baptizatum eamdemque a Dno Chapelle petiisse dispensationem casui necessariam. Sufficere autem petitionem dispensationis etiam implicitam, nemo est qui nesciat. Card. Gasparri. *De Matr., n. 428'* docet: « petitio dispensationis ab ipsis partibus facta etiam implicite vel facta a tertia persona de earum mandato etiam implicite, ex. g. faciendi omnia necessaria pro matrimonii celebratione, implicitam continet acceptationem dispensationis ». Denique in facto animadversum fuit, quod si vera esset assertio actricis, se nimirum dumtaxat occasione nativitatis primi filii, defectum baptismi in Friderico detexisse et se numquam contracturam fore si hoc scivisset, non intelligitur quomodo cum ipso,, nihilominus, per decem annos vitam coniugalem egerit, quin tentaverit eumdem, iam ad baptismum suscipiendum dispositum, ad hoc perducere vel matrimonii nullitatem accusaverit. Quocirca sufficeret hoc dubium *facti* ut respondendum esset pro valore actus. Sed accedit etiam dubium *iuris* cum quaerant Doctores, an valeat dispensatio concessa inscio. Et D'Annibale de sententia negante *et* de eius contraria haec scribit: « haec (negans) recepta hodie sententia videtur; sed non caret controversia, eaque gravi. Quamobrem si quis nec ipse eam (gratiam)- petiit, nec scit ab alio concessam fuisse, eaque nihilominus forte usus fuerit, standum est pro valore actus ». Idem opinatur Emus Gasparri, qui concludit: « In dubio autem favendum est matrimonio ». *De matr.,, n. 398* et Vernz, *I. c., n. 641, not. 215.* Quare neque haec exceptio actricis evincit intentionem.

Denique opponitur silentium librorum parochialium, quod Patroni aiunt ostendere vel dispensationem non fuisse concessam vel non fuisse exequutam. Sed visum est RR. DD. neque hanc exceptionem prodesse caussae actricis, nam dispensationem concessam fuisse probant, ut supra demonstratum est, libri Curiae Baltimoren., satis aperte testantes dispensationem uti par erat. concessam fuisse in forma *gratiosa.* Monet vero et instructio S. Officii diei 20 Ian. 1883, et S. C. de Prop. Fide, *vol. II, n. 587, Par. 45,* quoad probationem sequutae dispensationis hoc observandum esse: « ad probandum vero utrum interpellatio vel eius dispensatio intercesserit, consulendi erunt libri matrimoniorum vel etiam regesta Curiae in quibus haec accurate erunt recensenda ». Quare idem fons probationis habetur vel liber parochialis, vel regestum seu protocollum Curiae; unde etiam eruitur, nullo iure cautum esse ad validitatem saltem dispensationum has deberi recenseri in libris parochialibus.

Quamvis vero admittatur Dnus Chapelle aliquantulum fuisse negligentem, uti notat Dnus Marchetti in sua relatione, certum est Dnum

Chapelle hunc defectum supplevisse in suo iurato interrogatorio. Quod vero attestatio parochi efficaciter suppleat defectus et omissiones propriorum librorum matrimonialium indubitati iuris est: Hoc pluries H. S. O. firmavit, uti in *Decis. 127, n. 39, p. 12. Recent,* scilicet: « Defectus descriptionis in libro non dem parochi attestatione neque negligentiam parochi debere parti praeiudicium afferre ». Ast actrix impugnat ipsum testimonium parochi, utpote sibi non coerentis in suis responsionibus, circa baptismum Dñi Parkhust, nimirum dubius apparet in affirmando num defectus baptismi notus fuerit actrici ante matrimonii celebrationem. Sane in primo interrogatorio respondit: « Io non ricordo », dum in secundo expresse affirmat tum actricem tum eius matrem optime novisse Dnum Parkhust baptismo carere. Confirma Stonor. - Sed ex adverso nullam dari contradictionem de rebus assertis animadverterunt RR. D affirmat in uno quod negat in alio, cum in primo interrogatorio asserat se non recordari, in alter visse ante matrimonium Dnum Parkhust non fuisse baptizatum. Graviora apparent quae refert praefatus Patronus de colloquio, Romae habito, cum Rmo Chapelle.

At etiam haec haud difficulter explicantur si animadvertatur post multos annos *(a. 14)* a celebratione controversi matrimonii verisimilem fuisse oblivionem eorum quae matrimonium praecesserat, praesertim in parocho qui non uni vel alteri sed pluribus et variis adstiterat matrimoniis, nec non in viro qui iam ad fastigium sacerdotalis ordinis electus amplissimam dioecesim administrandam susceperat. Addendum est, Dominum Chapelle inopinato, et proinde imparatum, a Domino Lombardi fuisse interrogatum, quapropter in secundo colloquio, habito cum eodem sacerdote Lombardi, extemplo fassus est: « Ora sono certo « che il matrimonio è valido ed ho avuto informazioni ».

De qua sua oblivione testatus est ipse Rev. Chapelle qui Domino Lombardi, in eodem contextu, fassus est: « Ripete che egli non ricordava nulla delle circostanze cioè la Signora Reid si fece aspettare: » Attamen non obstante hac

oblivione, fuit semper constans in affirmanda matrimonii validitate. In hac vero lucta vagarum attestationum recolere praestat iuridicum principium quo firmatur status quaestionis, prouti factum est in *Decr. 434 n. 7, p. 1 Recent,* c. Calcagnin. ubi advertitur: « Quando aliquid est factum semper praesumitur legitime factum potius quam illegitime, praesertim ad tollendum delictum in Parocho, viro probo et literato ». De eius dili-

gentia in hisce negotiis testatur Dnus Mackin, olim coadiutor Parochi Chapelle: « Era il Dr. Chapelle molto accurato nell'esaminare le parti « contraenti, e egli era *molto diligente* nel vedere che la propria dispensa, « se necessaria, fosse richiesta ». Idem testatur alter Coadiutor Kervich. Quia in aliis casibus idem Chapelle adnotavit in litteris matrimonialibus nupturientes obtinuisse dispensationes disparitatis cultus vel mixtae religionis, placet potius quam negligentiae eumdem arguere, fingere hypothesim, nimirum revera Parkhust vulgo tunc haberi uti baptizatum, vel saltem aliquod dubium extitisse, ad minus in communi opinione, utrum fuisset baptizatus vel non: revera refert Rev. Sweeny: « Io scrissi « a lei (matri Mariae) a tale scopo che io capiva che egli apparteneva « ad una famiglia metodista ».

« Io non ho alcuna prova di questa idea, al di là di una chiac¬ « chiera generale ». Inde non est mira memoriae oscillatio in parocho Chapelle multo post tempore, hac de re interrogato, qui tamen tempore, coniugii sequutus est, uti debebat, partem tutiorem, obtenta dispensatione disparitatis cultus; sed noluit in libris parochialibus illam adnotare, seu, affirmare carentiam baptismatis, uti non satis certam et ne haec uni vel alteri parti, et praesertim sponso, qui vulgo habebatur uti baptizatus, forte displiceret, securus quod exinde nullum fieret praeiudicium validitati actus, cum dispensatio adnotaretur in regestis Curiae. Haec confirmat ipse Rmus Dnus Chapelle, fassus: « Mentionem non feci in actu redacto dicti matrimonii.... de dispensatione obtenta in casu, quia hoc non reputabam necessarium, cum lege cautum sit ut haec omnia notarentur in libro Curiae Archiepiscopalis Baltimoren. a qua obtenta fuit dispensatio ».

Postremo loco animadverterunt Domini Patres Auditores, argumenta a parte actrice deducta, cuius erat invicte probare, solido fundamento haud inniti, et ex actis et deductis in casu, matrimonium nullimode fuisse exturbatum a sua possessione: quare omnia iura clamant, respondendum esse pro eius valore.

Hisce omnibus attente consideratis et perpensis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus et definitive sententiamus: *Non constare de matrimonii nullitate in casu,* seu: *Negative* proposito dubio respondemus.

In expensis iudicialibus partem actricem condemnamus. Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium ad quos spectat ut exequutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam et adversus reluctantes procedant ad formam Sacrorum Canonum,

et praesertim *C. 3, Sess. 25. De Reform. Conc. Trid.* iis adhibitis executivis et coercitivis mediis quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis extitura sunt.

Romae e Sede Tribunalis, die 30 Iunii 1910.

Signati: M. Lega, Decanus, *Ponens,*
Gustavus Persiani.
Guilelmus Sebastianelli.
Seraphinus Many.
Franciscus Heiner.
Ioannes Prior.
Aloisius Sincero.
Ioseph Mori.
Fridericus Cattani.
Antonius Perathoner.
Ioseph Alberti.

L. £g S.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Sua Santità, con biglietto e con Breve della Segreteria di Stato, si è degnata di nominare:

, Prelati domestici di S. S.:

13 Luglio 1910. — Il Rev. D. Guglielmo Enrico Brown, della diocesi di Hexham e Newcastl, Presidente del Collegio di S. Cuthberto in Husaw.

14. Luglio. — Il Rev. D. Melchiorre Faust, decano forense in Assinins, diocesi di Sault S. Maria e Marquette.

16 Luglio. — Il Rev. D. Filippo R. Mac Devitt, della diocesi di Filadelfia, sopraintendente dell'Unione interdiocesana delle Scuole Cattoliche negli Stati Uniti.

ONORIFICENZE

Il Santo Padre, con biglietto e con Breve della Segreteria di Stato, si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

22 Maggio 1910. — Al Dott. Felice Porsch, Vicepresidente del Parlamento in Prussia.

— Al Sig. Alfredo dei conti de Strachiwitz, deputato al Parlamento medesimo.

L'Uso della Placca del medesimo Ordine:

24 Giugno 1910. — Al Sig. Conte Comm. Agostino Caterini, della diocesi di Roma.

La Commenda dello stesso Ordine, classe civile:

12 Luglio 1910. — Al Sig. Ing. Uberto Gangel, della diocesi di Vienna.

14 Luglio. — Al Sig. Giuseppe de Bothmer, Gran Maestro di corte di S. A. R. la principessa Anna Langravia di Assia.

La Commenda dello stesso Ordine, classe militare:

19 Luglio 1910. — Al Sig. Conte Salvatore Salimei, Cadetto della Guardia' Nobile Pontifìcia, della diocesi di Roma.

lì Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

15 Luglio 1910. — Al Sig. Enrico 0' Kelly, Maestro di Cappella, in Parigi.

Il Cavalierato dello stesso Ordine, classe militare:

9 Luglio 1910. — Al Sig. tenente Eugenio Gasiorowski, istruttore degli allievi cannonieri, in Traiskirchen.

13 Luglio. — Al Sig. Dott. Mariano Tacchi-Venturi, capitano medico della Guardia Palatina d'Onore.

19 Luglio. — Al Sig. Conte Francesco Bezzi, prima Guardia nel corpo delle Guardie Nobili Pontifìcie.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

21 Luglio 1910. — Al Sig. Rag. Angelo Ferranti, già Direttore della Banca Cattolica, di Fabriano.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggior domo, si è degnata di nominare:

Cameriere segreto soprannumerario:

29 Luglio 1910. — Mons. Domenico Spada, Minutante della Segreteria di Stato.

Cameriere segreto di spada e cappa soprannumerario:

3 Agosto 1910. — Il Sig. Conte Gio. Batt. d'Oncieu de la Bàtie, dell'arch. di Chambéry.

Camerieri d'onore in abito paonazzo:

19 Luglio 1910. — Mons. Giovanni Zambarelli, dell'archidiocesi di Gaeta.
27 Luglio. — Mons. Giuseppe Fanti, dell'archidiocesi di Bologna.

NECROLOGIO

9 Agosto 1910. — Mons. Severo Araujo y Silva, Vescovo titolare di Temno.

APPENDIX

FACULTATES ORDINARIIS GALLIAE CONCESSAE DE BONIS ECCLESIASTICIS *.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Die 21 Septembris 1907.

SSmus D. N. Pius Divina Providentia PP. X, referente me infrascripto Cardinali a Secretis Status, attentis specialibus circumstantiis in quibus nunc Ecclesia catholica in Gallia versatur, fidelium spirituali bono consulere cupiens in iis quae bonorum ecclesiasticorum alienationem respiciunt, facultates quae sequuntur illius nationis Ordinariis concedere dignatus est:

a) *Facultates de bonis immobilibus.*

I.

1. *Admittendi* ad aequam compositionem, iuxta normas quae sequuntur, Christifideles qui bona immobilia Ecclesiae erepta, sine eiusdem Ecclesiae venia acquisierunt; vel acquisita alienaverunt; et praedictorum heredes et quoscumque successores.

2. Procedat Ordinarius, in compositione facienda, de intelligentia aliorum Ordinariorum si quorum intersit, et de consensu eorum qui respectivas causas pias canonice repraesentat, aliorumque canonice interesse habentium.

3. In quantitate aequae compositionis determinanda considerentur.

a) fundorum valor realis eo tempore quo compositio initur;

[1] Cfr. etiam litteras S. Poenitentiariae ad Ordinarios Galliarum de compositionibus quoad bona ecclesiastica datas die 16 Ianuarii 1909 (*Acta Apostolicae Sedis*, ann. I, vol. I, pag. 239).

b) pretium emptionis;

c) praesens oratorum status;

d) id in quo ipsi oratoris cum damno Ecclesiae ditiores facti sunt;

e) onera pia, quorum, si adsint, praecipue ratio habenda est.

Quoad vero eorumdem onerum redemptionem, condonationem vel reductionem, quatenus opus fuerit, provisum est in sequenti n. 17.

4. Benignior esse potest compositio si pretium solutum, citra culpam emptoris, superet praesentem valorem fundorum; et pro heredibus eorum, qui bona ecclesiastica ut supra iniuste possederunt, sed alias causas pias fundaverunt aut iuvarunt.

5. Ordinarius, quando agitur de fundis in quibus aliqua sita est ecclesia, vel agitur de rebus sacris mobilibus, oratores oretenus moneat de obligatione qua tenentur faciendi, sub directione Ordinarii pro tempore, quod poterunt pro sacrarum aedium et templorum conservatione, et res sacras nunquam in usus profanos convertendi seu deputandi, idque debitis modis notlficandi suis heredibus et successoribus.

6. Pecuniae vero summas ex compositione acceptas, etiam tenues, ipse Ordinarius quamprimum et quam Ultissime possit, favore causarum piarum ad quas de iure pertinent, in titulos liberos *(valeurs au porteur)* quos viri competentes tutos agnoverint, investire et ad nutum S. Sedis conservare satagat; neque alienet sine eiusdem venia, neque commutet, nisi urgeat necessitas et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem.

Quod si supradictae summae pertineant ad causam piam alterius dioecesis, transmittendae erunt ad eiusdem Ordinarium.

Si eaedem pertineant ad Ordines vel Congregationes religiosas, requiritur, ut eis tradi possint, venia S. Sedis in singulis casibus.

Quod si summae spectarent ad causam piam iam extinctam, vel ad ecclesiam in qua divina officia amplius celebrari non valeant, Ordinarius ipsarum fructus impendat in bonum alterius causae piae, praesertim ecclesiarum, presbyterorum et clericorum pauperum, prout melius in Domino iudicaverit, celebratis tamen missis et ceteris persolutis suffragiis, si quae praefinita fuerint.

7. Nullum documentum peractae compositionis cuipiam tradatur; quod si illud omnino exigatur, Episcopus iis qui se composuerunt, poterit in scriptis id tantum declarare « eos omni obligatione conscientiae erga Ecclesiam ratione fundorum etc, exemptos et solutos esse ».

8. Ad compositionem Ordinarius admittere poterit etiam fideles, qui iuxta leges civiles per actionem recuperationis *(action en reprise,*

en revendication, en révocation ou en résolution) in utilitatem propriam vindicarunt bona sive immobilia sive mobilia, Ecclesiae donata pro legatis piis adimplendis, quoties vindicata bona ex integro Ecclesiae restituere nequeant.

n.

9. *Absolvendi,* Apostolica auctoritate, sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam, ad hoc in singulis casibus subdelegandam, oratores in praemissis culpabiles, postquam ut supra se composuerint, a censuris et poenis ecclesiasticis in quas propterea quomodolibet inciderint, cum congrua poenitentia salutari et reparatione scandali, meliori quo fieri poterit modo, prudenti iudicio absolvendis.

10. Qui ob paupertatem compositionem inire nequeunt, absolvi poterunt cum obligatione, ut si ad meliorem conditionem devenerint, Ecclesiae satisfaciant, ac interim scandalum removeant.

Item qui statim nequeunt statutam compositionem solvere, si obligationem emittant de ea opportuno tempore solvenda; remoto interim scandalo.

11. Ordinarius moneat confessarios, ut si ad poenitentes in periculo mortis constitutos et in praemissis culpabiles vocentur, prudenter compositionem urgeant: quod si haec obtineri nequeat vel quia tempus non suppetit vel ob alias rationabiles causas, satis erit si aegrotus eam heredibus imponat, vel serio promittat eam initurum si convaluerit, remoto scandalo.

12. Ordinarius confessariis sibi benevisis, tempore quadragesimae, vel sacrarum missionum, vel urgente paschali praecepto, facultatem concedere poterit absolvendi eos qui compositionem statim inire nequeunt, dummodo iidem serio promittat se, intra duos menses ab accepta absolutione, recursum habituros ad Ordinarium pro obtinenda compositione, remoto interim scandalo.

III.

13. *Permittendi* Christifidelibus ut bona Ecclesiae acquirere valeant, remoto scandalo et ea conditione ut statim ad compositionem, ut supra faciendam, de veniant.

14. Si agatur de bonis ad Ordinem vel Congregationem religiosam pertinentibus, requiritur consensus Superiorum eiusdem Congregationis.

15. Exceptas tamen voluit Sanctitas Sua ecclesias, seminaria nec non domus episcopales et parochiales, pro quibus emendis ad S. Sedem recurrendum erit in singulis casibus.

16. Ordinarius permittere poterit (imo suadeat) ut fideles, qui iuxta leges civiles ius habent, actionem recuperationis *(action en reprise, en revendication, en révocation ou en résolution)* exerceant ad hoc, ut pia onera iuxta mentem fundatorum adimpleri possint. Datur autem Ordinario facultas concedendi oratoribus partialem remissionem bonorum recuperatorum quoties speciales circumstantiae in aliquo casu occurrant, quae, iuxta prudens eiusdem Ordinarii iudicium et conscientiam, id exigant.

IV.

17. *Indulgendo* iis qui super bonis quibuscumque habent imposita legata pia vel missarum onera, ut ea redimere valeant data summa, cuius fructus quotannis reditus sufficientes ac tutos praebeat pro integro eorumdem onerum adimplemento. Quod si aliqua condonatio ex toto vel ex parte, si eis satisfactum non fuerit, vel reductio pro futuro, sive ad tempus sive in perpetuum, concedenda videatur, id Ordinarius facere poterit, omnibus tamen circumstantiis et causis consideratis et perpensis,

Summa vero ex hac redemptione accepta, ab Ordinario tuto investiatur in titulos liberos et caute servetur, ut supra n. 6.

b) *Facultates de rebus mobilibus et conditionibus.*

Insuper Eadem Sanctitas Sua praelaudatis Ordinariis infrascriptas concedit facultates, quibus sive per se sive per vicarium in spiritualibus generalem, sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc, etiam habitualiter, specialiter subdelegandas, uti licite et libere valeant:

I.

18. *Indulgendi* christifidelibus ut res annonarias, fructus terrae, res mobiles, vel inter mobiles adnumerandas, ad ecclesias aut loca pia spectantes, et a gubernio usurpatas, acquirere licite valeant, remoto prudenter scandalo, atque erogata aliqua eleemosyna favore praesertim ecclesiarum seu personarum, ad quas res ipsae spectabant, ab Ordinario sive a subdelegato taxanda, quatenus emerint pretio, quod iudicio Ordinarii aut subdelegati fuerit minus iusto; ita tamen, ut si agatur de rebus, quae non sint usu consumptibiles, sive quae servando servari possint, earum rerum elenchum Ordinario tradere emptores teneantur, et parati sint eas quandocumque ecclesiis, seu locis piis, recepto soluto pretio, restituere; et curando pro viribus, ut supellectiles vasa ac utensilia sacra in usum aliarum ecclesiarum transferantur, nec in usus profanos assumantur.

II.

19. *Providendi* sub iisdem conditionibus ut supra, et praevia eorum absolutione cum congrua poenitentia salutari, iis qui easdem res iam emerint.

III.

20. *Indulgendi* pariter christifidelibus, ut bona ecclesiastica a gubernio occupata, vel ab iis qui a gubernio illa acquisierunt sine licentia S. Sedis, conducere, seu iam conducta retinere valeant, imposita illis aliqua eleemosyna favore personarum seu ecclesiarum, ad quas eadem bona de iure pertinent, quatenus conduxerint pretio quod iudicio Ordinarii seu subdelegati fuerit minus iusto, et obligatione faciendi quantum poterunt sub directione Ordinarii pro conservatione praesertim sacrarum aedium ac templorum, quae eisdem bonis fuerint adnexa, ac praevia absolutione cum poenitentia salutari, quatenus licite conduxerint, nec non remoto ac reparato scandalo.

21. Quamvis autem optandum maxime sit, ut huiusmodi conductiones ad breve tempus fiant, Sanctitas Sua declarat non obstare quominus, sic iubente gubernio seu locatore, conductio fiat ultra triennium, sed tamen infra decennium.

22. Vult autem SSmus Pater ut locationes ecclesiarum, seminariorum domorumque episcopalium et parochialium permitti nequeant nisi in casibus necessitatis vel evidentis Ecclesiae utilitatis.

Contrariis quibuscumque minime non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Vaticanis, die, mense et anno praedictis.

L. © S. R. CARD. MERRY DEL VAL.

Annus II. - Vol. II. Die 31 Augusti 1910. Num. 16.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

LETTRE AUX ARCHEVÊQUES ET ÉVÊQUES FRANÇAIS

i NOS BIENAIMÉS FILS
PIERRE HECTOR COULLIÉ, CARDINAL PRÊTRE DE LA S. E. R.
ARCHEVÊQUE DE LYON,

LOUIS HENRI LUÇON, CARDINAL PRÊTRE DE LA S. E. R.
ARCHEVÊQUE DE REIMS,

PAULIN PIERRE ANDRIEU, CARDINAL PRÊTRE DE LA S. E. R.
ARCHEVÊQUE DE BORDEAUX,

ET 1 TOUS NOS AUTRES VÉNÉRABLES FRÈRES
LES ARCHEVÊQUES ET ÉVÊQUES FRANÇAIS

PIE X PAPE

VÉNÉRABLES FRÈRES SALUT ET BÉNÉDICTION APOSTOLIQUE

Notre charge apostolique nous fait un devoir de veiller à la pureté de la foi et à l'intégrité de la discipline catholique, de préserver les fidèles des dangers de l'erreur et du mal, surtout quand l'erreur et le mal leur sont présentés dans un langage entraînant, qui, voilant le vague des idées et l'équivoque des expressions sous l'ardeur du sentiment et la sonorité des mots, peut enflammer les cœurs pour des causes séduisantes mais funestes. Telles ont été naguère les doctrines des prétendus philosophes du dix-huitième siècle, celles de la Révolution et du libéralisme tant c
core aujourd'hui les théories du *Sillon*, qui, sous leurs apparences brillantes et généreuses, manquent trop souvent de clarté,

de logique et de vérité, et, sous ce rapport, ne relèvent pas du génie catholique et français.

Nous avons hésité longtemps, Vénérables Frères, à dire publiquement et solennellement notre pensée sur le *Sillon.* Il a fallu que vos préoccupations vinssent s'ajouter aux nôtres pour nous décider à le faire. Car nous aimons la vaillante jeunesse enrôlée sous le drapeau du *Sillon,* et nous la croyons digne, à bien des égards, d'éloge et d'admiration. Nous aimons ses chefs, en qui nous nous plaisons à reconnaître des âmes élevées, supérieures aux passions vulgaires et animées du plus noble enthousiasme pour le bien. Vous les avez vus, Vénérables Frères, pénétrés d'un sentiment très vif de la fraternité humaine, aller au devant de ceux qui travaillent et qui souffrent pour les relever, soutenus dans leur dévouement par leur amour pour Jésus-Christ et la pratique exemplaire de la religion.

C'était au lendemain de la mémorable Encyclique de notre prédécesseur d'heureuse mémoire, Léon XIII, sur la condition des ouvriers. L'Eglise, par la bouche de son chef suprême, avait déversé sur les humbles et les petits toutes les tendresses de son cœur maternel, et semblait appeler de ses vœux des champions toujours plus nombreux de la restauration de l'ordre et de la justice dans notre société troublée. Les fondateurs du *Sillon* ne venaient-ils pas, au moment opportun, mettre à son service des troupes jeunes et croyantes pour la réalisation de ses désirs. et de ses espérances? Et, de fait, le *Sillon* éleva parmi les classes ouvrières l'étendard de Jésus-Christ, le signe du salut pour les individus et les nations, alimentant son activité sociale aux sources de la grâce, imposant le respect de la religion aux milieux les moins favorables, habituant les ignorants et les impies à entendre parler de Dieu, et souvent, dans des conférences contradictoires, en face d'un auditoire hostile, surgissant, éveillé par une question ou un sarcasme, pour crier hautement et fièrement sa foi. C'étaient les beaux temps du *SU-*

"Um; c'est son beau côté, qui explique les encouragements et les approbations que ne lui ont pas ménagés l'Episcopat et le Saint-Siège, tant que cette ferveur religieuse a pu voiler le vrai caractère du mouvement silloniste.

Car, il faut le dire, Vénérables Frères, nos espérances ont été, en grande partie, trompées. Un jour vint où le *Sillon* accusa, pour les yeux clairvoyants, des tendances inquiétantes. Le *Sillon* s'égarait. Pouvait-il en être autrement? Ses fondateurs, jeunes, enthousiastes et pleins de confiance en eux-mêmes, n'étaient pas suffisamment armés de science historique, de saine philosophie et de forte théologie pour affronter sans péril les difficiles problèmes sociaux vers lesquels ils étaient entraînés par leur activité et leur cœur, et pour se prémunir, sur le terrain do la doctrine et de l'obéissance, contre les infiltrations libérales et protestantes.

Les conseils ne leur ont pas manqué; les admonestations vinrent après les conseils; mais nous avons eu la douleur de voir et les avis et les reproches glisser sur leurs âmes fuyantes et demeurer sans résultat. Les choses en sont venues à ce point que nous trahirions notre devoir, si nous gardions plus longtemps le silence. Nous devons la vérité à nos chers enfants du *Sillon* qu'une ardeur généreuse a emportés dans une voie aussi fausse que dangereuse. Nous la devons à un grand nombre de séminaristes et de prêtres que le *Sillon* a soustraits, sinon à l'autorité, au moins à la direction et à l'influence de leurs évêques; nous la devons enfin à l'Eglise, où le *Sillon* sème la division et dont il compromet les intérêts.

En premier lieu il convient de relever sévèrement la prétention du *Sillon* d'échapper à la direction de l'autorité ecclésiastique. Les chefs du *Sillon,* en effet, allèguent qu'ils évoluent sur un terrain qui n'est pas celui de l'Eglise; qu'ils ne poursuivent que des intérêts de l'ordre temporel et non de l'ordre spirituel; que le Silloniste est tout simplement un catholique voué à

la cause des classes laborieuses, aux œuvres démocratiques, et puisant dans les pratiques de sa foi l'énergie de son dévoûment; que ni plus ni moins que les artisans, les laboureurs, les économistes et les politiciens catholiques, il demeure soumis aux règles de la morale communes à tous, sans relever, ni plus ni moins qu'eux, d'une façon spéciale, de l'autorité ecclésiastique.

La réponse à ces subterfuges n'est que trop facile. A qui fera-t-on croire en effet que les Sillonistes catholiques, que les prêtres et les séminaristes enrôlés dans leurs rangs n'ont en vue, dans leur activité sociale, que les intérêts temporels des classes ouvrières[1]? Ce serait, pensons-nous, leur faire injure que de le soutenir. La vérité est que les chefs du *Sillon* se proclament des idéalistes irréductibles, qu'ils prétendent relever les classes laborieuses en relevant d'abord la conscience humaine, qu'ils ont une doctrine sociale et des principes philosophiques et religieux pour reconstruire la société sur un plan nouveau, qu'ils ont une conception spéciale de la dignité humaine, de la liberté, de la justice et de la fraternité, et que, pour justifier leurs rêves sociaux, ils en appellent à l'Evangile interprété à leur manière, et, ce qui est plus grave encore, à un Christ défiguré et diminué. De plus, ces idées ils les enseignent dans leurs cercles d'études, ils les inculquent à leurs camarades; ils les font passer dans leurs œuvres. Ils sont donc vraiment professeurs de morale sociale, civique et religieuse; et, quelques modifications qu'ils puissent introduire dans l'organisation du mouvement silloniste, nous avons le droit de dire que le but du *Sillon,* son caractère, son action ressortissent au domaine moral, qui est le domaine propre de l'Eglise, et, qu'en conséquence, les Sillonistes se font illusion lorsqu'ils croient évoluer sur un terrain aux confins duquel expirent les droits du pouvoir doctrinal et directif de l'autorité ecclésiastique.

Si leurs doctrines étaient exemptes d'erreur, c'eût déjà été un manquement très grave à la discipline catholique, que de se

soustraire obstinément à la direction de ceux qui ont reçu du Ciel la mission de guider les individus et les sociétés dans le droit chemin de la vérité et du bien. Mais le mal est plus profond, nous l'avons déjà dit: le *Sillon*, emporté par un amour mal entendu des faibles, a glissé dans l'erreur.

En effet, le *Sillon* se propose le relèvement et la régénération des classes ouvrières. Or sur cette matière les principes de la doctrine catholique sont fixés, et l'histoire de la civilisation chrétienne est là pour en attester la bienfaisante fécondité. Notre prédécesseur, d'heureuse mémoire, les a rappelés dans des pages magistrales, que les catholiques occupés de questions sociales doivent étudier et toujours garder sous les yeux. Il a enseigné notamment que la démocratie chrétienne doit « maintenir la diversité des classes qui est assurément le propre de « la cité bien constituée, et vouloir pour la société humaine la « forme et le caractère que Dieu, son auteur, lui a imprimés »[1]. Il a flétri « une certaine démocratie qui va jusqu'à ce degré de « perversité que d'attribuer dans la société la souveraineté au « peuple et à poursuivre la suppression et le nivellement des « classes ». En même temps, Léon XIII imposait aux catholiques un programme d'action, le seul programme capable de replacer et de maintenir la société sur ses bases chrétiennes séculaires. Or, qu'ont fait les chefs du *Sillon?* Non seulement ils ont adopté un programme et un enseignement différents de celui de Léon XIII (ce qui serait déjà singulièrement audacieux de la part de laïques se posant ainsi, concurrement avec le Souverain Pontife, en directeurs de l'activité sociale dans l'Eglise); mais ils ont ouvertement rejeté le programme tracé par Léon XIII et en ont adopté un diamétralement opposé; de plus ils repoussent la doctrine rappelée par Léon XIII sur les principes essentiels de la société, placent l'autorité dans le peu-

[1] «Dispares tueatur ordines, sane proprios bene constitutae civitatis; « eam demum humano convictui velit formam atque indolem esse, qualem « Deus auctor indidit » (Encyclique « *Graves de communi* »).

pie ou la suppriment à peu près, et prennent comme idéal à réaliser le nivellement des classes. Ils vont donc, au rebours de la doctrine catholique, vers un idéal condamné.

Nous savons bien qu'ils se flattent de relever la dignité humaine et la condition trop méprisée des classes laborieuses, de rendre justes et parfaites les lois du travail et les relations entre le capital et les salariés, enfin de faire régner sur terre une meilleure justice et plus de charité, et, par des mouvements sociaux profonds et féconds, de promouvoir dans l'humanité un progrès inattendu. Et certes nous ne blâmons pas ces efforts qui seraient, de tous points, excellents, si les Sillonistes n'oubliaient pas que le progrès d'un être consiste à fortifier ses facultés naturelles par des énergies nouvelles et à faciliter le jeu de leur activité dans le cadre et conformément aux lois de sa constitution, et, qu'au contraire, en blessant ses organes essentiels, en brisant le cadre de leur activité, on pousse l'être non pas vers le progrès, mais vers la mort. C'est cependant ce qu'ils veulent faire de la société humaine; c'est leur rêve de changer ses bases naturelles et traditionnelles, et de promettre une cité future édifiée sur d'autres principes, qu'ils osent déclarer plus féconds, plus bienfaisants que les principes sur lesquels repose la cité chrétienne actuelle.

Non, Vénérables Frères, — il faut le rappeler énergiquement dans ces temps d'anarchie sociale et intellectuelle où chacun se pose en docteur et en législateur, — on ne bâtira pas la cité autrement que Dieu ne l'a bâtie; on n'édifiera pas la société, si l'Eglise n'en jette les bases et ne dirige les travaux; non, la civilisation n'est plus à inventer, ni la cité nouvelle à bâtir dans les nuées. Elle a été, elle est; c'est la civilisation chrétienne, c'est la cité catholique. Il ne s'agit que de l'instaurer et la restaurer sans cesse sur ses fondements naturels et divins contre les attaques toujours renaissantes de l'utopie malsaine, de la révolte et de l'impiété: *omnia instaurare in Christo.*

Et pour qu'on ne nous accuse pas de juger trop sommaire-

ment et avec une rigueur non justifiée les théories sociales du *Sillon* nous voulons en rappeler les points essentiels.

Le *Sillon* a le noble souci de la dignité humaine. Mais cette dignité, il la comprend à la manière de certains philosophes dont l'Eglise est loin d'avoir à se louer. Le premier élément de cette dignité est la liberté, entendue en ce sens que, sauf en matière de religion, chaque homme est autonome. De ce principe fondamental il tire les conclusions suivantes: Aujourd'hui le peuple est en tutelle sous une autorité distincte de lui, il doit s'en affranchir: *émancipation politique.* Il est sous la dépendance de patrons qui, détenant ses instruments de travail, l'exploitent, l'oppriment et l'abaissent; il doit secouer leur joug: *émancipation économique.* U est dominé enfin par une caste appelée dirigeante, à qui son développement intellectuel assure une prépondérance indue dans la direction des affaires; il doit se soustraire à sa domination: *émancipation intellectuelle.* Le nivellement des conditions à ce triple point de vue établira parmi les hommes l'égalité, et cette égalité est la vraie justice humaine. Une organisation politique et sociale fondée sur cette double base, la liberté et l'égalité (auxquelles viendra bientôt s'ajouter la fraternité), voilà ce qu'ils appellent Démocratie.

Néanmoins la liberté et l'égalité n'en constituent que le côté pour ainsi dire négatif. Ce qui fait proprement et positivement la Démocratie, c'est la participation la plus grande possible de chacun au gouvernement de la chose publique. Et cela comprend un triple élément, politique, économique et moral.

D'abord en politique, le *Sillon* n'abolit pas l'autorité; il l'estime, au contraire, nécessaire; mais il veut la partager, ou, pour mieux dire, la multiplier de telle façon que chaque citoyen deviendra une sorte de roi. L'autorité, il est vrai, émane de Dieu, mais elle réside primordialement dans le peuple et s'en dégage par voie d'élection ou, mieux encore, de sélection, sans pour cela

quitter le peuple et devenir indépendante de lui; elle sera extérieure, mais en apparence seulement; en réalité elle sera intérieure, parce que ce sera une autorité consentie.

Proportions gardées, il en sera de même dans Tordre économique. Soustrait à une classe particulière, le patronat sera si bien multiplié que chaque ouvrier deviendra une sorte de patron. La forme appelée à réaliser cet idéal économique n'est point, affirme-t-on, celle du socialisme; c'est un système de coopératives suffisamment multipliées pour provoquer une concurrence féconde et pour sauvegarder l'indépendance des ouvriers qui ne seront enchaînés *h* aucune d'entre elles.

Voici maintenant l'élément capital, l'élément moral. Comme l'autorité, on l'a vu, est très réduite, il faut une autre force pour la suppléer et pour opposer une réaction permanente à l'égoïsme individuel. Ce nouveau principe, cette force, c'est l'amour de l'intérêt professionnel et de l'intérêt public, c'est-à-dire de la fin même de la profession et de la société. Imaginez une société où dans l'âme d'un chacun, avec l'amour inné du bien individuel et du bien familial, régnerait l'amour du bien professionnel et du bien public; où dans la conscience d'un chacun ces amours se subordonneraient de telle façon que le bien supérieur primât toujours le bien inférieur, cette société-là ne pourrait-elle pas à peu près se passer d'autorité, et n'offrirait-elle pas l'idéal de la dignité humaine, chaque citoyen ayant une âme de roi, chaque ouvrier une âme de patron. Arraché à l'étroitesse de ses intérêts privés et élevé jusqu'aux intérêts de sa profession, et plus haut, jusqu'à ceux de la nation entière, et plus haut encore, jusqu'à ceux de l'humanité (car l'horizon du *Sillon* ne s'arrête pas aux frontières de la patrie, il s'étend à tous les hommes jusqu'aux confins du monde), le cœur humain, élargi par l'amour du bien commun, embrasserait tous les camarades de la même profession, tous les compatriotes, tous les hommes. Et voilà la grandeur et la noblesse humaine idéale réalisée par la célèbre trilogie: Liberté, Egalité, Fraternité.

Or ces trois éléments, politique, économique et moral, sont subordonnés l'un à l'autre, et c'est l'élément moral, nous l'avons dit, qui est le principal. En effet, nulle démocratie politique n'est viable, si elle n'a des points d'attache profonds dans la démocratie économique. A leur tour, ni l'une ni l'autre ne sont possibles, si elles ne s'enracinent pas dans un état d'esprit où la conscience se trouve investie de responsabilités et d'énergies morales proportionnées. Mais supposez cet état d'esprit, ainsi fait de responsabilité consciente et de forces morales, la démocratie économique s'en dégagera naturellement par traduction en actes de cette conscience et de ces énergies; et de même, et par la même voie, du régime corporatif sortira la démocratie politique; et la démocratie politique et économique, celle-ci portant l'autre, se trouveront fixées dans la conscience même du peuple sur des assises inébranlables.

Telle est, en résumé, la théorie, on pourrait dire le rêve, du *Sillon,* et c'est à cela que tend son enseignement et ce qu'il appelle l'éducation démocratique du peuple, c'est-à-dire à porter à son maximum la conscience et la responsabilité civique de chacun, d'où découlera la démocratie économique et politique, et le règne de la justice, de la liberté, de l'égalité et de la fraternité.

Ce rapide exposé, Vénérables Frères, vous montre déjà clairement combien nous avions raison de dire que le *Sillon* oppose doctrine à doctrine, qu'il bâtit sa cité sur une théorie contraire à la vérité catholique et qu'il fausse les notions essentielles et fondamentales qui règlent les rapports sociaux dans toute société humaine. Cette opposition ressortira davantage encore des considérations suivantes.

Le *Sillon* place primordialement l'autorité publique dans le peuple, de qui elle dérive ensuite aux gouvernants, de telle façon cependant qu'elle continue à résider en lui. Or Léon XIII a formellement condamné cette doctrine dans son encyclique

« *Diuturnum illud* » du Principat politique, où il dit: « Des mo-
« dernes en grand nombre, marchant sur les traces de ceux qui,
« au siècle dernier, se donnèrent le nom de philosophes, décla-
« rent que toute puissance vient du peuple; qu'en conséquence
« ceux qui exercent le pouvoir dans la société ne l'exercent pas
« comme leur autorité propre, mais comme une autorité à eux
« déléguée par le peuple et sous la condition qu'elle puisse être
« révoquée par la volonté du peuple de qui ils la tiennent. Tout
« contraire est le sentiment des catholiques qui font dériver le
« droit de commander de Dieu, comme de son principe naturel
« et nécessaire »[1]. Sans doute le *Sillon* fait descendre de Dieu cette autorité qu'il place d'abord dans le peuple, mais de telle sorte qu' « elle remonte d'en bas pour aller en haut, tandisque
« dans l'organisation de l'Eglise le pouvoir descend d'en haut
« pour aller en bas »[2]. Mais outre qu'il est anormal que la délégation monte, puis qu'il est de sa nature de descendre, Léon XIII a réfuté par avance cette tentative de conciliation de la doctrine catholique avec l'erreur du philosophisme. Car il poursuit: « Il
« importe de le remarquer ici; ceux qui président au gouverne-
« ment de la chose publique peuvent bien, en certains cas être
« élus par la volonté et le jugement de la multitude, sans répu-
« gnance ni opposition avec la doctrine catholique. Mais si ce
« choix désigne le gouvernant, il ne lui confère pas l'autorité
« de gouverner; il ne délègue pas le pouvoir, il désigne la per-
« sonne qui en sera investie »[3].

[1] « Imo recentiores perplures, eorum vestigiis ingredientes, qui sibi su-
« periore saeculo philosophorum nomen inscripserunt, omnem inquiunt pote-
« statem a populo esse: quare qui eam in civitate gerunt, [ab iis non uti suam
« geri, sed ut a populo sibi mandatam, et hac quidem lege, ut populi ipsius
« voluntate a quo mandata est revocari possit. Ab his vero dissentiunt catho-
lici homines, qui ius imperandi a Deo repetunt veluti a naturali necessa-
« rioque principio ».

[2] MARC SANGNIER, *Discours de Rouen*, 1907.

[3] « Interest autem attendere hoc loco eos qui reipublicae praefuturi sint
« posse in quibusdam caussis voluntate iudicioque deligi multitudinis, non

Au-reste, si le peuple demeure le détenteur du pouvoir, que devient l'autorité? une ombre, un mythe; il n'y a plus de loi proprement dite, il n'y a plus d'obéissance. Le *Sillon* l'a reconnu; puisqu'en effet il réclame, au nom de la dignité humaine, la triple émancipation politique, économique et intellectuelle, la cité future à laquelle il travaille n'aura plus de maîtres ni de serviteurs; les citoyens y seront tous libres, tous camarades, tous rois. Un ordre, un précepte serait un attentat à la liberté, la subordination à une supériorité quelconque serait une diminution de l'homme, l'obéissance une déchéance. Est-ce ainsi, Vénérables Frères, que la doctrine traditionnelle de l'Eglise nous représente les relations sociales dans la cité même la plus parfaite possible? Est-ce que toute société de créatures indépendantes et inégales par nature n'a pas besoin d'une autorité qui dirige leur activité vers le bien commun et qui impose sa loi? Et si dans la société il se trouve des êtres pervers (et il y en aura toujours), l'autorité ne devra-t-elle pas être d'autant plus forte que l'égoïsme des méchants sera plus menaçant? Ensuite, peut-on dire avec une ombre de raison qu'il y a incompatibilité entre l'autorité et la liberté, à moins de se tromper lourdement sur le concept de la liberté? Peut-on enseigner que l'obéissance est contraire à la dignité humaine et que l'idéal serait de la remplacer par « l'autorité consentie? » Est-ce que l'apôtre Saint-Paul n'avait pas en vue la société humaine à toutes ses étapes possibles, quand il prescrivait aux fidèles d'être soumis à toute autorité? Est-ce que l'obéissance aux hommes en tant que représentants légitimes de Dieu, c'est-à-dire en fin de compte l'obéissance à Dieu, abaisse l'homme et le ravale au dessous de lui-même? Est-ce que l'état religieux fondé sur l'obéissance serait contraire à l'idéal de la nature humaine? Est-ce que les Saints, qui ont été les plus obéis-

« adversante neque répugnante doctrina catholica. Quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur iura principatus, neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum ».

sants des hommes étaient des esclaves et des dégénérés? Est-ce qu'enfin on peut imaginer un état social, où Jésus-Christ revenu sur terre ne donnerait plus l'exemple de l'obéissance et ne dirait plus: Rendez à César ce qui est à César, et à Dieu ce qui est à Dieu?

Le *Sillon,* qui enseigne de pareilles doctrines et les met en pratique dans sa vie intérieure, sème donc parmi votre jeunesse catholique des notions erronées et funestes sur l'autorité, la liberté et l'obéissance. Il n'en est pas autrement de la justice et de l'égalité. Il travaille, dit-il, à réaliser une ère d'égalité qui serait par la même une ère de meilleure justice. Ainsi pour lui, toute inégalité de condition est une injustice ou, au moins, une moindre justice! Principe souverainement contraire à la nature des choses, générateur de jalousie et d'injustice et subversif de tout ordre social. Ainsi la démocratie seule inaugurera le règne de la parfaite justice! N'est-ce pas une injure faite aux autres formes de gouvernement qu'on ravale, de la sorte, au rang de gouvernements de pis-aller impuissants? Au reste le *Sillon* se heurte encore sur ce point à l'enseignement de Léon XIII. Il aurait pu lire dans l'Encyclique déjà citée du Principat politique que *«la justice sauvegardée,* il n'est pas interdit aux peuples de se donner le gouvernement qui répond ((le mieux à leur caractère ou aux institutions et coutumes qu'ils « ont reçus de leurs ancêtres »[1]; et l'Encyclique fait allusion à la triple forme de gouvernement bien connue. Elle suppose donc que la justice est compatible avec chacune d'elles. Et l'Encyclique sur la condition des ouvriers n'affirme-t-elle pas clairement la possibilité de restaurer la justice dans les organisations actuelles de la société, puisqu'elle en indique les moyens. Or, sans aucun doute, Léon XIII entendait parler, non pas d'une justice quelconque, mais de la justice parfaite. En enseignant

[1] « Quamobrem, salva iustitia, non prohibentur populi illud sibi genus « comparare reipublicae, quod aut ipsorum ingenio aut maiorum institutis « moribusque magis respondeat ».

donc que la justice est compatible avec lès trois formes de gouvernement qu'on sait, il enseignait que, sous ce rapport, la Démocratie ne jouit pas d'un privilège spécial. Les Sillonistes qui prétendent le contraire, ou bien refusent d'écouter l'Eglise ou se forment de la justice et de l'égalité un concept qui n'est pas catholique.

Il en est de même de la notion de la fraternité, dont ils mettent la base dans l'amour des intérêts communs, ou, par delà toutes les philosophies et toutes les religions, dans la simple notion d'humanité, englobant ainsi dans le même amour et une égale tolérance tous les hommes avec toutes leurs misères, aussi bien intellectuelles et morales que physiques et temporelles. Or la doctrine catholique nous enseigne que le premier devoir de la charité n'est pas dans la tolérance des convictions erronées, quelque sincères qu'elles soient, ni dans l'indifférence théorique ou pratique pour l'erreur ou le vice où nous voyons plongés nos frères, mais dans le zèle pour leur amélioration intellectuelle et morale non moins que pour leur bien être matériel. Cette même doctrine catholique nous enseigne aussi que la source de l'amour du prochain se trouve dans l'amour de Dieu, père commun et fin commune de toute la famille humaine, et dans l'amour de Jésus-Christ, dont nous sommes les membres au point que soulager un malheureux c'est faire du bien à Jésus-Christ lui-même. Tout autre amour est illusion ou sentiment stérile et passager. Certes l'expérience humaine est là, dans les sociétés païennes ou laïques de tous les temps, pour prouver qu'à certaines heures la considération des intérêts communs ou de la similitude de nature pèse fort peu devant les passions et les convoitises du cœur. Non, Vénérables Frères, il n'y a pas de vraie fraternité en dehors de la charité chrétienne qui par amour pour Dieu et son Fils Jésus-Christ, notre Sauveur, embrasse tous les hommes pour les soulager tous et pour les amener tous à la même foi et au même bonheur du ciel. En séparant la fraternité de la charité chrétienne ainsi entendue, la Démocratie, loin d'être un progrès,

constituerait un recul désastreux pour la civilisation. Car si l'on veut arriver, et nous le désirons de toute notre âme, à la plus grande somme de bien être possible pour la société et pour chacun de ses membres par la fraternité, ou comme on dit encore par la solidarité universelle, il faut l'union des esprits dans la vérité, l'union des volontés dans la morale, l'union des cœurs dans l'amour de Dieu et de son Fils, Jésus-Christ. Or cette union n'est réalisable que par la charité catholique, laquelle, seule par conséquent, peut conduire les peuples dans la marche du progrès vers l'idéal de la civilisation.

Enfin à la base de toutes les falsifications des notions sociales fondamentales, le *Sillon* place une fausse idée de la dignité humaine. D'après lui, l'homme ne sera vraiment homme, digne de ce nom, que du jour où il aura acquis une conscience éclairée, forte, indépendante, autonome, pouvant se passer de maître, ne s'obéissant qu'à elle-même et capable d'assumer et de porter, sans forfaire, les plus graves responsabilités. Voilà de ces grands mots avec lesquels on. exalte le sentiment de l'orgueil humain; tel un rêve qui entraîne l'homme sans lumière, sans guide et sans secours dans la voie de l'illusion, où, en attendant le grand jour de la pleine conscience, il sera dévoré par l'erreur et les passions. Et ce grand jour quand viendra-t-il? A moins de changer la nature humaine (ce qui n'est pas au pouvoir du *Sillon)* viendra-t-il jamais? Est-ce que les Saints, qui ont porté la dignité humaine à son apogée, avaient cette dignité-là? Et les humbles de la terre, qui ne peuvent monter si haut, et qui se contentent de tracer modestement leur sillon, au rang que la Providence leur a assigné, en remplissant énergiquement leurs devoirs dans l'humilité, l'obéissance et la patience chrétienne, ne seraient-ils pas dignes du nom d'hommes, eux que le Seigneur tirera un jour de leur condition obscure pour les placer au ciel parmi, les princes de son peuple?

Nous arrêtons là nos réflexions sur les erreurs du *Sillon.* Nous ne prétendons pas épuiser le sujet, car il y aurait encore

à attirer votre attention, sur d'autres points également faux et dangereux, par exemple, sur sa manière de comprendre le pouvoir coercitif de l'Eglise. Il importe maintenant de voir l'influence de ces erreurs sur la conduite pratique du *Sillon* et sur son action sociale.

Les doctrines du *Sillon* ne restent pas dans le domaine de l'abstraction philosophique. Elles sont enseignées à la jeunesse catholique, et, bien plus, on s'essaie à les *vivre.* Le *Sillon* se regarde comme le noyau de la cité future; il la reflète donc aussi fidèlement que possible. En effet, il n'y a pas de hiérarchie dans le *Sillon.* L'élite qui le dirige s'est dégagée de la masse par sélection, c'est-à-dire en s'imposant par son autorité morale et par ses vertus. On y entre librement, comme librement on en sort. Les études s'y font sans maître, tout au plus avec un conseiller. Les cercles d'études sont de véritables coopératives intellectuelles, où chacun est tout ensemble maître et élève. La camaraderie la plus absolue règne entre les membres et met en contact total leurs âmes; de là, l'âme commune du *Sillon.* On l'a défini « une amitié ». Le prêtre lui-même, quand il y entre, abaisse l'éminente dignité de son sacerdoce, et, par le plus étrange renversement des rôles, se fait élève, se met au niveau de ses jeunes amis et n'est plus qu'un camarade.

Dans ces habitudes démocratiques et les théories sur la cité idéale qui les inspirent, vous reconnaîtrez, Vénérables Frères, la cause secrète des manquements disciplinaires que vous avez dû, si souvent, reprocher au *Sillon.* Il n'est pas étonnant que vous ne trouviez pas chez les chefs et chez leurs camarades ainsi formés, fussent-ils séminaristes ou prêtres, le respect, la docilité et l'obéissance qui sont dûs à vos personnes et à votre autorité; que vous sentiez de leur part une sourde opposition, et que vous ayez le regret de les voir se soustraire totalement, ou, quand ils y sont forcés par l'obéissance, se livrer avec dé-

goût à des œuvres non sillonistes. Vous êtes le passé; eux sont les pionniers de la civilisation future. Vous représentez la hiérarchie, les innégalités sociales, l'autorité et l'obéissance: institutions vieillies, auxquelles leurs âmes, éprises d'un autre idéal, ne peuvent plus se plier. Nous avons sur cet état d'esprit le témoignage de faits doulourex, capables d'arracher des larmes; et nous ne pouvons, malgré notre longanimité, nous défendre d'un juste sentiment d'indignation. Eh quoi! on inspire à votre jeunesse catholique la défiance envers l'Eglise, leur mère; on leur apprend que depuis dix-neuf siècles elle n'a pas encore réussi dans le monde à constituer la société sur ses vraies bases; qu'elle n'a pas compris les notions sociales de l'autorité, de la liberté, de l'égalité, de la fraternité et de la dignité humaine; que les grands évêques et les grands monarques, qui ont créé et si glorieusement gouverné la France n'ont pas su donner à leur peuple, ni la vraie justice ni le vrai bonheur, parce qu'ils n'avaient pas l'idéal du *Sillon!*

Le souffle de la Révolution a passé par là, et nous pouvons conclure que si les doctrines sociales du *Sillon* sont erronées, son esprit est dangereux et son éducation funeste.

Mais alors que devons-nous penser de son action dans l'Eglise, lui dont le catholicisme est si pointilleux que d'un peu plus, à moins d'embrasser sa cause, on serait, à ses yeux, un ennemi intérieur du catholicisme et l'on ne comprendrait rien à l'Evangile et à Jésus-Christ? Nous croyons bon d'insister sur cette question, parce que c'est précisément son ardeur catholique qui a valu au *Sillon,* jusque dans ces derniers temps, de précieux encouragements et d'illustres suffrages. Eh bien! devant les paroles et les faits nous sommes obligés de dire que dans son action comme dans sa doctrine le *Sillon* ne donne pas satisfaction à l'Eglise.

D'abord son catholicisme ne s'accommode que de la forme du gouvernement démocratique, qu'il estime être la plus favorable à l'Eglise et se confondre pour ainsi dire avec elle; il

inféode donc sa religion à un parti politique. Nous n'avons pas à démontrer que l'avènement de la démocratie universelle n'importe pas à l'action de l'Eglise dans le monde; nous avons déjà rappelé que l'Eglise a toujours laissé aux nations le souci de se donner le gouvernement qu'elles estiment le plus avantageux pour leur intérêts. Ce que nous voulons affirmer encore une fois, après notre prédécesseur, c'est qu'il y a erreur et danger à inféoder, par principe, le catholicisme à une forme de gouvernement; erreur et danger qui sont d'autant plus grands lorsqu'on synthétise la religion avec un genre de démocratie dont les doctrines sont erronées. Or c'est le cas du *Sillon;* lequel, par le fait, et pour une forme politique spéciale, en compromettant l'Eglise, divise les catholiques, arrache la jeunesse et même des prêtres et des séminaristes à l'action simplement catholique et dépense, en pure perte, les forces vives d'une partie de la nation.

Et voyez, Vénérables Frères, une étonnante contradiction, C'est précisément parce que la religion doit dominer tous les partis, c'est en invoquant ce principe que le *Sillon* s'abstient de défendre l'Eglise attaquée. Certes ce n'est pas l'Eglise qui est descendue dans l'arène politique; on l'y a entraînée et pour la mutiler et pour la dépouiller. Le devoir de tout catholique n'est-il donc pas d'user des armes politiques qu'il tient en mains pour la défendre, et aussi pour forcer la politique à rester dans son domaine et à ne s'occuper de l'Eglise que pour lui rendre ce qui lui est dû? Eh bien! en face de l'Eglise ainsi violentée, on a souvent la douleur de voir les Sillonistes se croiser les bras, si ce n'est qu'à la défendre ils trouvent leur compte; on les voit dicter ou soutenir un programme qui nulle part ni à aucun degré ne révèle le catholique. Ce qui n'empêche pas les mêmes hommes, en pleine lutte politique, sous le coup d'une provocation, d'afficher publiquement leur foi. Qu'est-ce à dire, sinon qu'il y a deux hommes dans le Silloniste: l'individu qui est catholique; le Silloniste, l'homme d'action, qui est neutre.

U fut un temps où le *Sillon,* comme tel, était formellement

catholique. En fait de force morale, il n'en connaissait qu'une, la force catholique, et il allait proclamant que la démocratie serait catholique ou qu'elle ne serait pas. Un moment vint où il se ravisa. Il laissa à chacun sa religion ou sa philosophie. Il cessa lui-même de se qualifier de catholique, et à la formule: « la démocratie sera catholique », il substitua cette autre: « la « démocratie ne sera pas anticatholique », pas plus d'ailleurs qu'anti-juive ou anti-boudhiste. Ce fut l'époque du *plus grand. Sillon.* On appela à la construction de la cité future tous les ouvriers de toutes les religions et de toutes les sectes. On ne leur demanda que d'embrasser le même idéal social, de respecter toutes les croyances et d'apporter un certain appoint de forces morales. Certes, proclamait-on, « les chefs du *Sillon* met- « tent leur foi religieuse au dessus de tout. Mais peuvent-ils ôter « aux autres le droit de puiser leur énergie morale là où ils « peuvent? En revanche, ils veulent que les autres respectent « leur droit, à eux, de la puiser dans la foi catholique. Ils de- « mandent donc à tous ceux qui veulent transformer la société « présente dans le sens de la démocratie de ne pas se repousser « mutuellement à cause des convictions philosophiques ou reli- « gieuses qui peuvent les séparer, mais de marcher la main « dans la main, non pas en renonçant à leurs convictions, mais « en essayant de faire sur le terrain des réalités pratiques la « preuve de l'excellence de leurs convictions personnelles. Peut- « être sur ce terrain de l'émulation entre âmes attachées à diffé- « rentes convictions religieuses ou philosophiques l'union « pourra se réaliser » [1]. Et l'on déclara en même temps (comment cela pouvait-il s'accomplir?) que le petit Sillon catholique serait l'âme du grand Sillon cosmopolite.

Récemment le nom du *plus grand Sillon* a disparu, et une nouvelle organisation est intervenue, sans modifier, bien au contraire, l'esprit et le fond des choses « pour mettre de l'ordre

[1] MARC SANGNIER, *Discours de Rouen,* 1907.

« dans le travail et organiser les diverses forces d'activité. Le « *Sillon* reste toujours une âme, un esprit, qui se mêlera aux « groupes et inspirera leur activité ». Et tous les groupements nouveaux, devenus en apparence autonomes: catholiques, protestants, libres penseurs, sont priés de se mettre à l'œuvre. « Les « camarades catholiques travailleront entre eux dans une orga- « nisation spéciale à s'instruire et à s'éduquer. Les démocrates « protestants et libres penseurs en feront autant de leur côté. « Tous, catholiques, protestants et libres penseurs auront à « cœur d'armer la jeunesse, non pas pour une lutte fratricide, « mais pour une généreuse émulation sur le terrain des vertus « sociales et civiques » [1].

Ces déclarations et cette nouvelle organisation de l'action silloniste appellent de bien graves réflexions.

Voici fondée par des catholiques une association interconfessionelle, pour travailler à la réforme de la civilisation, œuvre religieuse au premier chef; car pas de vraie civilisation sans civilisation morale, et pas de vraie civilisation morale sans la vraie religion: c'est une vérité démontrée, c'est un fait d'histoire. Et les nouveaux Sillonistes ne pourront pas prétexter qu'ils ne travailleront que « sur le terrain des réalités pratiques » où la diversité des croyances n'importe pas. Leur chef sent si bien cette influence des convictions de l'esprit sur le résultat de l'action, qu'il les invite, à quelque religion qu'ils appartiennent, à « faire sur le terrain des réalités pratiques la « preuve de l'excellence de leurs convictions personnelles ». Et avec raison, car les réalisations pratiques revêtent le caractère des convictions religieuses, comme les membres d'un corps jusqu'à leurs dernières extrémités reçoivent leur forme du principe vital qui l'anime.

Ceci dit, que faut-il penser de la promiscuité où se trouveront engagés les jeunes catholiques avec des hétérodoxes

[1] MARC SANGNIER, Paris, Mai, 1910.

et des incroyants de toute sorte dans une œuvre de cette nature? N'est-elle pas mille fois plus dangereuse pour eux qu'une association neutre? Que faut-il penser de cet appel à tous les hétérodoxes et à tous les incroyants à prouver l'excellence de leurs convictions sur le terrain social, dans une espèce de concours apologétique, comme si ce concours ne durait pas depuis dix-neuf siècles, dans des conditions moins dangereuses pour la foi des fidèles et tout en l'honneur de l'Eglise Catholique? Que faut-il penser de ce respect de toutes les erreurs et de l'invitation étrange, faite par un catholique à tous les dissidents, de fortifier leurs convictions par l'étude et d'en faire des sources toujours plus abondantes de forces nouvelles? Que faut-il penser d'une association où toutes. les religions et même la libre-pensée peuvent se manifester hautement, à leur aise? car les Sillonistes qui dans les conférences publiques et ailleurs proclament fièrement leur foi individuelle n'entendent certainement pas fermer la bouche aux. autres et empêcher le protestant d'affirmer son protestantisme et le sceptique son scepticisme. Que penser enfin d'un catholique qui, en entrant dans son cercle d'études, laisse son Catholicisme à la porte, pour ne pas effrayer ses camarades, qui « rêvant d'une action so- « ciale désintéressée répugnent à la faire servir au triomphe « d'intérêts, de coteries ou même de convictions quelles qu'elles « soient ». Telle est la profession de foi du nouveau comité démocratique d'action sociale, qui a hérité de la plus grande tâche de l'ancienne organisation et qui, dit-il, « brisant l'équivoque « entretenue autour du *plus grand Sillon* tant dans les milieux « réactionnaires que dans les milieux anticléricaux », est ouvert à tous les hommes « respectueux des forces morales et religieuse ses et convaincus qu'aucune émancipation sociale véritable « n'est possible sans le ferment d'un *généreux idéalisme* ».

Oui, hélas! l'équivoque est brisée; l'action sociale du *Sillon* n'est plus catholique; le Silloniste, comme tel, ne travaille pas pour une coterie et « l'Eglise, il le dit, ne saurait à aucun titre être

« bénéficiaire des sympathies que son action pourra susciter ». Etrange insinuation vraiment! On craint que l'Eglise ne profite de l'action sociale du *Sillon* dans un but égoïste et intéressé, comme si tout ce qui profite à l'Eglise ne profitait pas à l'humanité! Etrange renversement des idées: c'est l'Eglise qui serait la bénéficiaire de l'action sociale, comme si les plus grands économistes n'avaient pas reconnu et démontré que c'est l'action sociale, qui, pour être sérieuse et féconde, doit bénéficier de l'Eglise. Mais plus étranges encore, effrayantes et attristantes à la fois, sont l'audace et la légèreté d'esprit d'hommes qui se disent catholiques, qui rêvent de refondre la société dans de pareilles conditions et d'établir sur terre, pardessus l'Eglise Catholique, ((le règne de la justice et de l'amour », avec des ouvriers venus de toute part, de toutes religions ou sans religion, avec ou sans croyances, pourvu qu'ils oublient ce qui les divise: leurs convictions religieuses et philosophiques, et qu'ils mettent en commun ce qui les unit: un *généreux idéalisme* et des forces morales prises « où ils peuvent ». Quand on songe à tout ce qu'il a fallu de forces, de science, de vertus surnaturelles pour établir la cité chrétienne, et les souffrances de millions de martyrs, et les lumières des Pères et des Docteurs de l'Eglise, et le dévouement de tous les héros de la charité, et une puissante hiérarchie née du Ciel, et des fleuves de grâce divine, et le tout édifié, relié, compénétré par la Vie et l'Esprit de Jésus-Christ, la Sagesse de Dieu, le Verbe fait homme, quand on songe, disons-nous, à tout cela, on est effrayé de voir de nouveaux apôtres s'acharner à faire mieux avec la mise en commun d'un vague idéalisme et de vertus civiques. Que vont-ils produire? qu'est-ce qui va sortir de cette collaboration? Une construction purement verbale et chimérique, où l'on verra miroiter pêle-mêle et dans une confusion séduisante les mots de liberté, de justice, de fraternité et d'amour, d'égalité et d'exaltation humaine, le tout basé sur une dignité humaine mal comprise. Ce sera une agitation tumultueuse, stérile pour le but

proposé et qui profitera aux remueurs de masses moins utopistes. Oui, vraiment, on peut dire que le *Sillon* convoie le socialisme l'oeil fixé sur une chimère.

Nous craignons qu'il n'y ait encore pire. Le résultat de cette promiscuité en travail, le bénéficiaire de cette action sociale cosmopolite, ne peut être qu'une démocratie qui ne sera ni catholique, ni protestante, ni juive; une religion (car le Sillonisme, les chefs l'on dit, est une religion) plus universelle que l'Eglise catholique, réunissant tous les hommes devenus enfin frères et camarades dans « le règne de Dieu ». - « On ne travaille pas pour l'Eglise, on travaille pour l'humanité ».

Et maintenant, pénétrés de la plus vive tristesse, nous nous demandons, Vénérables Frères, ce qu'est devenu le catholicisme du *Sillon*. Hélas! Lui qui donnait autrefois de si belles espérances, ce fleuve limpide et impétueux a été capté dans sa marche par les ennemis modernes de l'Eglise et ne forme plus dorénavant qu'un misérable affluent du grand mouvement d'apostasie, organisé, dans tous les pays, pour l'établissement d'une Eglise universelle qui n'aura ni dogmes ni hiérarchie, ni règle pour l'esprit ni frein pour les passions, et qui, sous prétexte de liberté et de dignité humaine, ramènerait dans le monde, si elle pouvait triompher, le règne légal de la ruse et de la force, et l'oppression des faibles, de ceux qui souffrent et qui travaillent.

Nous ne connaissons que trop les sombres officines où l'on élabore ces doctrines délétères, qui ne devraient pas séduire des esprits clairvoyants. Les chefs du *Sillon* n'ont pu s'en défendre; l'exaltation de leurs sentiments, l'aveugle bonté de leur cœur, leur mysticisme philosophique mêlé d'une part d'illuminisme les ont entraînés vers un nouvel évangile, dans lequel ils ont cru voir le véritable Evangile du Sauveur, au point qu'ils osent traiter Notre Seigneur Jésus-Christ avec une familiarité souverainement irrespectueuse et que, leur idéal étant apparenté à celui de la Révolution, ils ne craignent par de faire entre l'Evangile et la Révolution des rapprochements blasphé-

matoires, qui n'ont pas l'excuse d'avoir échappé à quelque improvisation tumultueuse.

Nous voulons attirer votre attention, Vénérables Frères, sur cette déformation de l'Evangile et du caractère sacré de Notre Seigneur Jésus Christ, Dieu et Homme, pratiquée dans le *Sillon* et ailleurs. Dès que l'on aborde la question sociale, il est de mode dans certains milieux d'écarter d'abord la Divinité de Jésus-Christ, et puis de ne parler que de sa souveraine mansuétude, de sa compassion pour toutes les misères humaines, de ses pressantes exhortations à l'amour du prochain et à la fraternité. Certes Jésus nous a aimés d'un amour immense, infini, et II est venu sur terre souffrir et mourir pour que, réunis autour de Lui, dans la justice et l'amour, animés des mêmes sentiments de charité mutuelle, tous les hommes vivent dans la paix et le bonheur. Mais à la réalisation de ce bonheur temporel et éternel II a mis, avec une souveraine autorité, la condition que l'on fasse partie de son troupeau, que l'on accepte sa doctrine, que l'on pratique la vertu et qu'on se laisse enseigner et guider par Pierre et ses successeurs. Puis si Jésus a été bon pour les égarés et les pécheurs, Il n'a pas respecté leurs convictions erronées, quelque sincères qu'elles parussent; il les a tous aimés pour les instruire, les convertir et les sauver. S'il a appelé à Lui, pour les soulager, ceux qui peinent et qui souffrent, ce n'a pas été pour leur prêcher la jalousie d'une égalité chimérique. S'il a relevé les humbles, ce n'a pas été pour leur inspirer le sentiment d'une dignité indépendante et rebelle à l'obéissance. Si son Cœur débordait de mansuétude pour les âmes de bonne volonté, Il a su également s'armer d'une sainte indignation contre les profanateurs de la maison de Dieu, contre les misérables qui scandalisent les petits, contre les autorités qui accablent le peuple sous le poids de lourds fardeaux sans y mettre le doigt pour les soulever. Il a été aussi fort que doux; il a grondé, menacé, châtié, sachant et nous enseignant que souvent la crainte est le commencement de la sagesse et qu'il con-

vient parfois de couper un membre pour sauver le corps. Enfin Il n'a pas annoncé pour la société future le règne d'une félicité idéale, d'où la souffrance serait bannie; mais par ses leçons et par ses exemples, Il a tracé le chemin du bonheur possible sur terre et du bonheur parfait au Ciel: la voie royale de la Croix. Ce sont là des enseignements qu'on aurait tort d'appliquer seulement à la vie individuelle en vue du salut éternel; ce sont des enseignements éminemment sociaux, et ils nous montrent en Notre-Seigneur Jésus-Christ autre chose qu'un humanitarisme sans consistance et sans autorité.

Pour vous, Vénérables Frères, continuez activement l'oeuvre du Sauveur des hommes par l'imitation de sa douceur et de sa force. Inclinez-vous vers toutes les misères, qu'aucune douleur n'échappe à votre sollicitude pastorale, qu'aucune plainte ne vous trouve indifférents. Mais aussi, prêchez hardiment leurs devoirs aux grands et aux petits; il vous appartient de former la conscience du peuple et dés pouvoirs publics. La question sociale sera bien près d'être résolue, lorsque les uns et les autres, moins exigeants sur leurs droits mutuels, rempliront plus exactement leurs devoirs.

De plus, comme dans le conflit des intérêts, et surtout dans la lutte avec des forces malhonnêtes, la vertu d'un homme, sa sainteté même ne suffit pas toujours à lui assurer le pain quotidien, et que les rouages sociaux devraient être organisés de telle façon que par leur jeu naturel ils paralysent les efforts des méchants et rendent abordable à toute bonne volonté sa part légitime de félicité temporelle, nous désirons vivement que vous preniez une parte active à l'organisation de la société dans ce but. Et à cette fin, pendant que vos prêtres se livreront avec ardeur au travail de la sanctification des âmes, de la défense de l'Eglise, et aux oeuvres de charité proprement dites, vous en choisirez quelques uns, actifs et d'esprit pondéré, munis des grades de docteurs en philosophie et en théologie, et possédant par-

faitement l'histoire de la civilisation antique et moderne, et vous les appliquerez aux études moins élevées et plus pratiques de la science sociale, pour les mettre, en temps opportun à la tête de vos œuvres d'action catholique. Toutefois que ces prêtres ne se laissent pas égarer, dans le dédale des opinions contemporaines, par le mirage d'une fausse démocratie; qu'ils n'empruntent pas à la rhétorique des pires ennemis de l'Eglise et du peuple un langage emphatique plein de promesses aussi sonores qu'irréalisables. Qu'ils soient persuadés que la question sociale et la science sociale ne sont pas nées d'hier; que, de tous temps, l'Eglise et l'Etat, heureusement concertés, ont suscité dans ce but des organisations fécondes; que l'Eglise, qui n'a jamais trahi le bonheur du peuple par des alliances compromettantes, n'a pas à se dégager du passé et qu'il lui suffit de reprendre, avec le concours des vrais ouvriers de la restauration sociale, les organismes brisés par la Révolution et de les adapter, dans le même esprit chrétien qui les a inspirés, au nouveau milieu créé par l'évolution matérielle de la société contemporaine: car les vrais amis du peuple ne sont ni révolutionnaires, ni novateurs, mais traditionnalistes.

Cette œuvre éminemment digne de votre zèle pastoral, nous désirons que, loin d'y faire obstacle, la jeunesse du *Sillon,* dégagée de ses erreurs, y apporte dans l'ordre et la soumission convenables un concours loyal et efficace.

Nous tournant donc vers les chefs du *Sillon,* avec la confiance d'un Père qui parle à ses enfants, nous leur demandons pour leur bien, pour le bien de l'Eglise et de la France, de vous céder leur place. Nous mesurons, certes, l'étendue du sacrifice que nous sollicitons d'eux, mais nous les savons assez généreux pour l'accomplir, et, d'avance, au nom de Notre-Seigneur Jésus-Christ, dont nous sommes l'indigne représentant, nous les en bénissons. Quant aux membres du *Sillon,* nous voulons qu'ils se rangent par diocèses pour travailler sous la direction

de leurs évêques respectifs à la régénération chrétienne et catholique du peuple, en même temps qu'à l'amélioration de son sort. Ces groupes diocésains seront, pour le moment, indépendants les uns des autres; et afin de bien marquer qu'ils ont brisé avec les erreurs du passé, ils prendront le nom de *Sillons catholiques* et chacun de leurs membres ajoutera à son titre de *Silloniste* le même qualificatif *de catholique*- II va sans dire que tout Silloniste catholique restera libre de garder par ailleurs ses préférences politiques, épurées de tout ce qui ne serait pas entièrement conforme, en cette matière, à la doctrine de l'Eglise. Que si, Vénérables Frères, des groupes refusaient de se soumettre à ces conditions, vous devriez les considérer comme refusant par le fait de se soumettre à votre direction; et, alors, il y aurait à examiner s'ils se confinent dans la politique ou l'économie pure, ou s'ils persévèrent dans leurs anciens errements. Dans le premier cas, il est clair que vous n'auriez pas plus à vous en occuper que du commun des fidèles; dans le second, vous devriez agir en conséquence, avec prudence mais avec fermeté. Les prêtres auront à se tenir totalement en dehors des groupes dissidents et se contenteront de prêter le secours du saint ministère individuellement à leurs membres, en leur appliquant au tribunal de la Pénitence les règles communes de 3a morale relativement à la doctrine et à la conduite. Quant aux groupes catholiques, les prêtres et les séminaristes, tout en les favorisant et en les secondant, s'abstiendront de s'y agréger comme membres; car il convient que la milice sacerdotale reste audessus des associations laïques, mêmes les plus utiles et animées du meilleur esprit.

Telles sont les mesures pratiques par lesquelles nous avons cru nécessaire de sanctionner cette lettre sur le *Sillon* et les Sillonistes. Que le Seigneur veuille bien, nous l'en prions du fond de l'âme, faire comprendre à ces hommes et à ces jeunes gens les graves raisons qui l'ont dictée, qu'il leur donne la docilité du cœur, avec le courage de prouver, en face de l'Eglise, la

sincérité de leur ferveur catholique; et à vous, Vénérables Frères, qu'il vous inspire pour eux, puisqu'ils sont désormais vôtres, les sentiments d'une affection toute paternelle.

C'est dans cet espoir, et pour obtenir ces résultats si désirables, que Nous vous accordons de tout cœur, ainsi qu'à votre clergé et à votre peuple, la Bénédiction Apostolique.

Donné à Rome, près de St. Pierre, le 25 Août 1910, la huitième année de Notre Pontificat.

PIVS PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

I.

TRANSFERTUR IN ALTUM DIEM FESTIVITAS CAELESTIS PATRONI PRO OPPIDO " ARMILLAS " IN ARCHIDIOECESI CAESARAUGUSTANA.

PIUS PP. x.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Ex nativo Supremi Apostolatus officio quo in terris fungimur, nihil antiquius est Nobis, quam ut christianus populus, diem sollemnem Domini sanctificet; eaque de causa, iis omnibus quae ad ecclesiastici praecepti observantiam pertinent, sollicito studio consulere maturamus. Decessorum vero Nostrorum vestigiis insistentes, christianae plebis commoditati prospicimus, et si forte Ecclesiastici praecepti observantia, et a servilibus operibus cessatio quibusdam diebus, grave fidelibus damnum pariat, de Apostolica benignitate in alios dies festivitates transferre satagimus. Hoc quidem consilio, cum tu, Venerabilis Frater, cura veris exponendum Nobis in votis tibi admodum esse, ut Apostolica auctoritate transferatur festum Sanctae Mariae Magdalenae in loco vulgo « Armillas » Archidioecesis huius tuae Caesaraugustanae intra lirnites, a die XXII mensis Iulii quo in Ecclesia agitur, ad diem xxiv Aprilis, quia mense Iulio fervet opus terendarum frugum, et oppidani in agris dispersi ad templum aegre possunt convenire, Nos rationabili inducti causa, optatis his annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, tibi, Venerabilis Frater, facultatem impertimur, ex qua in posterum perpetuumque in modum pro loco vulgo « Armillas » Archidioecesis tuae Caesaraugustanae intra fines, diem vicesimum

secundum mensis Iulii quoties in Dominicam non mei dat, ferialem declares, et saecularibus negotiis peragendis reddas; festivitatem vero Sanctae Mariae Magdalenae caelestis Patronae eiusdem oppidi, transferas. in diem Aprilis mensis xxiv, imposita fidelibus oppidi illius tum Sacro adstandi eodem die, tum a servilibus operibus abstinendi obligatione. Decernentes praesentes litteras firmas, validas atque efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque Constitutionibus et] Ordinationibus ceterisque, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris*, die XVIII Iulii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. j$| S. *a Secretis Status.*

II.

CONFRATERNITAS IMMACULATAE CONCEPTIONIS IN CIVITATE AQUAVIVENSI NULLIUS DIOECESIS TITULO ARCHICONPRATERN1TATIS AD HONOREM DECORATUR.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Constat apprime Confraternitatem Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae canonice erectam in civitate Aquavivensi nullius dioecesis, ceteris civitatis illius sodalitiis vetustate antecellere. Instituta enim fuit anno MDCVI frugiferum ad finem provehendi inter socios tum christianarum virtutum exercitationem, tum devotionem erga Virginem sine labe Conceptam, atque exinde ad nostra usque tempora fidelium numero et pietate, non minus quam studio divini cultus amplificandi floruit. Iamvero cum sodalitatis ipsius curatores Nos humili prece flagitent, ut singulari eam honore decorare de apostolica benignitate velimus, Nos animo reputantes id esse tam rationi consentaneum, quam Decessorum Nostrorum usu institutoque receptum, votis his annuendum ultro libenterque existimamus. Quae cum ita sint Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi, perpetuumque in modum Soda-

litatem, titulo Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae in civitate Aquavivensi nullius dioecesis erecta n, Archiconfraternitatis ad honorem titulo augemus atque decoramus. Decernentes praesentes litteras firmas atque efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xix Iulii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

L. **£B** S.

S. CONGREGATIO S. OFFICII

SUPER DOCTRINA RENOVATIONIS, QUAM VOCANT, ESCHATOLOGICAE.

DECRETUM

Feria IV, die 2 Martii 1910.

Cum renuntiatum esset Supremae huic Sacrae Congregationi Sancti Officii doctrinam Renovationis, ut aiunt, Eschatologicae, etsi iam alias per Sacram Indicis Congregationem proscriptam, libris ac diariis, inter quae nominanda cum primis ephemeris « Jésus-Roi » quae Pictavii in lucem prodiit, adhuc inter fideles evulgari; Emi ac Rmi Dñi Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales in plenario conventu habito supradicta feria IV, omnibus mature perpensis, decernendum censuerunt: « Doctrinam de Renovatione Eschatologica esse reprobandam ».

Quam Emorum Patrum resolutionem sequenti feria V die 3 eiusdem mensis et anni SSmus D. N. D. Pius divina providentia PP. X in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita benigne adprobare et confirmare dignatus est.

Aloisius Castellano S. R. et U. *I. Notarius.*

% S.

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I.

DE AMOTIONE ADMINISTRATA AB OFFICIO ET BENEFICIO CURATO.

DECRETUM.

Maxima cura semper Ecclesiae fuit, ut christiano populo praeessent et animarum saluti prospicerent selecti e sacerdotum numero viri, qui vitae integritate niterent et cum fructu suis muniis fungerentur.

Quamvis autem, ut hi rectores quae paroeciae utilia aut necessaria esse iudicarent alacriore possent animo suscipere soluti metu ne ab Ordinario amoverentur pro lubitu, praescriptum generatim fuerit, ut stabiles in suo officio permanerent; nihilominus, quia stabilitas haec in salutem est inducta fidelium, idcirco sapienti consilio cautum est, ut eadem non sic urgeatur, ut in perniciem potius ipsorum cedat.

Quapropter, si quis scelestus creditum sibi gregem destruat magis quam aedificet, is debet, iuxta antiquissimum et constantem Ecclesiae morem, quantum fas est, instituto iudicio de crimine, beneficio privari, hoc est a parochiali munere abduci. Quod si, vi canonici iuris, criminali iudicio ac poenali destitutioni non sit locus; parochus autem hac illâve de causa, etiam culpa semota, utile ministerium in paroecia non gerat, vel gerere nequeat, aut forte sua ibi praesentia noxius evadat; alia suppetunt remedia ad animarum saluti consulendum. In his potissimum est parochi amotio, quae oeconomica seu disciplinaris vulgo dicitur, et nullo iudiciali apparatu, sed administrativo modo decernitur, nec parochi poenam propositam habet, sed utilitatem fidelium. Salus enim populi suprema lex est: et parochi ministerium fuit in Ecclesia institutum, non in commodum eius cui committitur, sed in eorum salutem pro quibus confertur.

Verum, quum de hac amotione canonicae leges haud plane certae perspicuaeque viderentur, coetus Consultorum et Emorum Patrum ecclesiastico codici conficiendo praepositus, rem seorsim ac repetito studio tractandam suscepit; collatisque consiliis, censuit formam quandam accuratiorem esse statuendam, qua gravis haec ecclesiasticae disciplinae pars regeretur. Quae studia quum SSmus D. N. Pius PP. X et vidisset et probasset, quo tutius in re tanti momenti procederet, sententiam quoque sacrae huius Congregationis Consistorialis exquirendam duxit. Qua excepta et probata, ut Ecclesia posset, nulla interiecta mora, novae huius disciplinae beneficio frui, decretum per hanc S. Congregationem edi iussit, quo novae normae de amotione administrativa ab officio vel beneficio curato statutae promulgarentur, eaedemque canonicam legem pro universa Ecclesia constituere^, omnibus ad quos spectat rite religioseque servandam.

Hae autem normae hisce qui sequuntur canonibus continentur.

I. — De causis ad amotionem requisitis.

Can. 1.

Causae ob quas parochus administrativo modo amoveri potest hae sunt:

1. ° Insania, a qua ex peritorum sententia perfecte et sine relabendi periculo sanus fieri non posse videatur; aut ob quam parochi existimatio et auctoritas, etiamsi convaluerit, eam penes populum fecerit iacturam, ut noxium iudicetur eumdem in officio retinere.

2° Imperitia et ignorantia quae paroeciae rectorem imparem reddat suis sacris officiis.

3. ° Surditas, caecitas et alia quaelibet animae et corporis infirmitas, quae necessariis curae animarum officiis imparem in perpetuum vel etiam per diuturnum tempus sacerdotem reddant, nisi huic incommodo per coadiutorem vel vicarium occurri congrue possit.

4. ° Odium plebis, quamvis iniustum et non universale, dummodo tale sit quod utile parochi ministerium impediat, et prudenter praevideatur brevi non esse cessaturum.

5. ° Bonae aestimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec procedat ex inhonesta aut suspecta vivendi ratione parochi,

vel ex alia eius noxia, vel etiam ex antiquo eiusdem crimine, quod nuper detectum ob praescriptionem poena plecti amplius non possit; sive procedat ex facto et culpa familiarum et consanguineorum quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum.

6. ° Crimen quod, quamvis actu occultum, mox publicum cum magna populi offensione fieri posse prudenti Ordinarii iudicio praevideatur.

7. ° Noxia rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae aut beneficii damno; quoties huic malo remedium afferri nequeat auferendo administrationem parocho aut alio modo, et aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat.

8. ° Neglectio officiorum parochialium post unam et alteram monitionem perseverans et in re gravis momenti, ut in sacramentorum administratione, in necessaria infirmorum adsistentia, in catechismi et evangelii explicatione, in residentiae observantia.

9. ° Inobedientia praeceptis Ordinarii post unam et alteram monitionem et in re gravis momenti, ceu cavendi a familiaritate cum aliqua persona vel familia, curandi debitam custodiam et munditiem domus Dei, modum adhibendi in taxarum parochialium exactione et similium.

Monitio de qua superius sub extremo duplici numero, ut peremptoria sit et proximae amotionis praenuntia, fieri ab Ordinario debet, non paterno dumtaxat more, verbo tenus et clam omnibus; sed ita ut de eadem in actis Curiae legitime constet.

II. — De modo procedendo in generali.

Can. 2.

§ 1. Modus deveniendi ad amotionem administrativam hic est: ut ante omnia parochus invitetur ad renunciandum: si renuat, gradus fiat ad amotionis decretum: si recursum contra amotionis decretum interponat, procedatur ad revisionem actorum et ad praecedentis decreti confirmationem.

§ %. In quo procedendi gradu regulae infra statutae ita servandae sunt, ut, si violentur in iis quae substantiam attingunt, amotio ipsa nulla et irrita evadat.

III. — De personis ad motionem decernendam necessariis.

Can. 3.

§ 1. In *invitatione* parocho facienda tit renunciet, et in *amotionis decreto* ferendo, Ordinarius ut legitime agat, non potest ipse solus procedere; sed debet inter examinatores, de quibus statuit Sacra Tridentina Synodus, cap. XVIII, sess. XXIV, *de reform.*, duos sibi sociare et eorum consensum requirere in omnibus actibus pro quibus hic expresse exigitur: in ceteris vero consilium.

§ 2. In *revisione autem decreti amotionis,* quoties haec necessaria evadat, duos parochos consultores assumat, quorum consensum vel consilium requiret, eodem modo ac in § superiore de examinatoribus dictum est.

Can. 4.

Examinatoribus et parochis consultoribus eligendis lex in posterum ubilibet servanda haec esto:

§ 1. Si synodus habeatur, in ea, iuxta receptas normas, eligendi erunt tot numero quot Ordinarius prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit.

§ 2. Examinatoribus et parochis consultoribus medio tempore inter unam et aliam synodum demortuis, vel alia ratione a munere cessantibus, alios *prosynodales* Ordinarius substituet de consensu Capituli Cathedralis, et, hoc deficiente, de consensu Consultorum dioecesanorum.

§ 3. Quae regula servetur quoque in examinatoribus et parochis consultoribus eligendis, quoties synodus non habeatur.

§ 4. Examinatores et consultores sive in synodo, sive extra synodum eiecti, post quinquennium a sua nominatione, vel etiam prius, adveniente nova synodo, officio cadunt. Possunt tamen, servatis de iure servandis, denuo eligi.

§ 5. Removeri ab Ordinario durante quinquennio nequeunt, nisi ex gravi causa et de consensu capituli cathedralis, vel consultorum dioecesanorum.

Can. 5.

§ 1. Examinatores et parochi consultores ab Ordinario in causa amotionis assumendi, non quilibet erunt, sed duo seniores ratione ele-

ctionis; et in pari electione seniores ratione sacerdotii, vel, hac deficiente, ratione aetatis.

§ 2. Qui inter eos ob causam in iure recognitam suspecti evidenter appareant, possunt ab Ordinario, antequam rem tractandam suscipiat, excludi. Ob eamdem causam parochus potest contra ipsos excipere, cum primum in causa veniat.

§ 3. Alterutro vel utroque ex duobus prioribus examinatoribus vel consultoribus impedito vel excluso, tertius vel quartus eodem ordine assumetur.

Can. 6.

§ 1. Quoties in canonibus qui sequuntur expresse dicitur, Ordinario procedendum esse de examinatorum vel consultorum consensu, ipse debet per secreta suffragia rem dirimere, et ea sententia probata erit quae duo saltem suffragia favorabilia tulerit.

§ 2. Quoties vero Ordinarius de consilio examinatorum vel consultorum procedere potest, satis est ut eos audiat, nec ulla obligatione tenetur ad eorum votum, quamvis concors, accedendi.

§ 3. In utroque casu de consequentibus ex scrutinio scripta relatio fiat, et ab omnibus subsignetur.

Can. 7.

§ 1. Examinatores et consultores debent sub gravi, dato iureiurando, servare secretum officii circa omnia quae ratione sui muneris noverint, et maxime circa documenta secreta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum numerum et rationes.

§ 2. Si contra fecerint, non solum a munere examinatoris et consultoris amovendi erunt, sed alia etiam condigna poena ab Ordinario pro culpae gravitate, servatis servandis, multari poterunt: ac praeterea obligatione tenentur sarciendi damna, si quae fuerint inde sequuta.

IV. — **De invitatione ad renunciandum.**

Can. 8.

Quoties itaque, pro prudenti Ordinarii iudicio, videatur parochus incidisse in unam ex causis superius in *can. 1*, recensitis, ipse Ordinarius duos examinatores a iure statutos convocabit, omnia eis patefaciet, de veritate et gravitate causae cum eis disceptabit, ut statuatur sitne locus formali invitationi parochi ad renunciandum.

Can. 9.

§ 1. Formalis haec invitatio semper praemittenda est antequam ad amotionis decretum deveniatur, nisi agatur de insania, vel quoties invitandi modus non suppetat, ut si parochus lateat.

§. 2. Decernenda autem est de examinatorum consensu.

Can. 10.

§ 1. Invitatio scripto facienda generatim est. Potest tamen aliquando, si tutius et expeditius videatur, verbis fieri ab ipso Ordinario, vel ab eius delegato, adsistente aliquo sacerdote, qui actuarii munere fungatur, ac de ipsa invitatione documentum redigat in actis curiae servandum.

§ 2. Una cum invitatione ad renunciandum debent vel scripto vel verbis, ut supra, parocho patefieri causae seu ratio ob quam invitatio fit, argumenta quibus ratio ipsa innititur, servatis tamen debitis cautelis de quibus in *can. 11*, examinatorum suffragium postulatum et impetratum.

§ 3. Si agatur de occulto delieto, et invitatio ad renunciandum scripto fiat, causa aliqua dumtaxat generalis nuncianda est; ratio autem in specie cum argumentis quibus delicti veritas comprobatur, ab Ordinario verbis dumtaxat est explicanda, adsistente uno examinatorum qui actuarii munere fungatur, et cum cautelis ut supra.

§ 4. Denique sive scripto sive voce invitatio fiat, admonendus parochus est, nisi intra decem dies ab accepta invitatione aut renunciationem exhibuerit, aut efficacibus argumentis causas ad amotionem invocatas falsas esse demonstraverit, ad amotionis decretum esse deveniendum.

Can. 11.

§ 1. In communicandis argumentis quibus comprobatur veritas causae ad renunciationem obtinendam adductae, caveatur ne nomina patefiant recurrentium vel testium, si ii secretum petierint, aut, etiamsi secretum non petierint, si ex adiunctis praevideatur eos vexationibus facile expositum iri.

§ 2 . Item relationes ac documenta quae sine periculo magnae populi offensionis, rixarum vel querelarum palam proferri non possunt, scripto ne patefiant; imo ne verbis quidem, nisi cauto omnino ne memorata incommoda eveniant.

Can. 12.

Fas autem parocho est, invitatione cum assignato temporis limite accepta, dilationem ad deliberandum vel ad defensionem parandam postulare. Quam Ordinarius potest iusta de causa, cum examinatorum consensu, et modo id non cedat in detrimentum animarum, ad alios decem vel viginti dies concedere.

Can. 13.

§ 1. Si parochus invitationi sibi factae assentiri et paroecia se abdicare statuat, renunciationem edere potest etiam sub conditione, dummodo haec ab Ordinario legitime acceptari possit et acceptetur.

§ 2. Fas autem parocho renuncianti est loco causae ab Ordinario invocatae aliam ad renunciandum allegare sibi minus molestam vel gravem, dummodo vera et honesta sit, e. g. ut obsequatur Ordinarii desideriis.

§ 3. Renunciatione sequuta et ab Ordinario acceptata, Ordinarius beneficium vel officium vacans ex renunciatione declaret.

V. — De amotionis decreto.

Can. 14

§ 1. Si parochus intra utile tempus nec renunciationem emittat, nec dilationem postulet, nec causas ad amotionem invocatas oppugnet, Ordinarius, postquam constiterit invitationem ad renunciandum, rite factam, parocho innotuisse, neque ipsum quominus respondeat legitime impeditum fuisse, procedat ad amotionis decretum, servatis regulis quae in sequentibus canonibus statuuntur.

§ 2. Si vero non constet de superius indicatis duobus adiunctis, Ordinarius opportune provideat, aut iterans parocho invitationem ad renunciandum, aut eidem prorogans tempus utile ad respondendum.

Can. 15.

§ 1. Si parochus oppugnare velit causas ad amotionem decernendam invocatas, debet intra utile tempus scripto deducere iura sua, allegationibus ad hoc unum directis, ut causam ob quam renunciatio petitur impugnet et e vertat.

§ 2. Potest etiam ad aliquod factum vel assertum quod sua intersit comprobandum, duos vel tres testes proponere, et ut examinentur postulare.

§ 3. Ordinarii tamen est cum examinatorum consensu eos vel aliquot ipsorum, si idonei sint et eorum examen necessarium videatur, admittere et excutere; vel etiam, si causa amotionis liqueat et testium examen inutile et ad moras nectendas petitum appareat, excludere.

§ 4. Quod si, allegationibus exhibitis, dubium exoriatur quod diluere oporteat ut tuto procedi liceat, Ordinarii erit cum examinatorum consilio, etiam parocho non postulante, testes qui necessarii videantur inducere, et parochum ipsum, si opus sit, interrogare.

Can. 16.

§ 1. In examine testium sive ex officio sive rogante parocho inductorum, ea dumtaxat serventur quae necessaria sint ad veritatem in tuto ponendam, quolibet iudiciali apparatu et *reprobationibus* testium exclusis.

§ 2. Eadem regula in interrogatone parochi, si locum habeat, servetur.

Can. 17.

§ 1. Si parochus intersit et documenta ac nomina testium ipsi patefiant, ipsiusmet erit, si possit ac velit, contra ea quae afferuntur excipere.

§ 2. Quando vero parochus iuxta *can. 9* invitari nequeat ad iura sua deducenda, aut quando iuxta *can. 11* testium nomina et aliqua documenta ei manifestari nequeant, ipse Ordinarius curas et industrias omnes adhibeat, (seu *diligentias,* ut vulgo dicitur, peragat) ut de documentorum valore et de testium fide iustum iudicium fieri possit.

Can. 18.

§ 1. Ad renunciationem et amotionem impediendam nefas parocho est turbas ciere, publicas subscriptiones in sui favorem promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare, aliaque agere quae legitimum iurisdictionis ecclesiasticae exercitium impedire possunt: secus, iuxta prudens Ordinarii iudicium, pro gravitate culpae puniatur.

§ 2. Insuper cum agatur de re ad consulendum animarum bono directa et administrativo modo resolvenda, parochus, nisi legitime impeditus sit, debet ipse per se, excluso aliorum interventu, adstare. Si autem

impeditus sit, potest probum aliquem sacerdotem sibi ben e visum et ab Ordinario acceptatum procuratorem suum constituere.

Can. 19.

§ 1. Omnibus expletis quae ad iustam parochi tuitionem pertinent, de amotionis decreto ab Ordinario cum examinatoribus discutiendum est, et per secreta suffragia iuxta praescripta in *can. 6* res est definienda.

§ 2. Suffragium autem pro amotione nemo dare debet, nisi sibi certo constet causam parocho denuntiatam vere adesse eamque legitimam.

Can. 20.

§ 1. Si conclusio sit pro amotione, decretum ab Ordinario edi debet, quo generatim statuatur ratione boni animarum parochum amoveri. Propria autem et peculiaris amotionis causa exprimi potest pro prudenti Ordinarii iudicio, si id expediat et absque incommodis liceat. Mentio tamen semper facienda erit de invitatione facta ad renunciandum, de exhibitis a parocho allegationibus ac de requisito et obtento examinatorum suffragio.

§ 2. Decretum indicendum est sacerdoti; sed promulgari non debet, nisi elapso tempore utili ad interponendum recursum.

Can. 21.

Si conclusio non sit pro amotione, certior ea de re faciendus est parochus. Ordinarius autem ne omittat addere monitiones, salutaria consilia et praecepta quae pro casuum diversitate opportuna aut necessaria videantur: de quibus maxima ratio habenda erit, si denuo de illius sacerdotis amotione res futura sit.

VI. — De actorum revisione.

Can. 22.

§ 1. Contra decretum amotionis datur dumtaxat recursus ad eumdem Ordinarium pro revisione actorum coram novo Consilio, quod Ordinario et duobus parochis consultoribus constat iuxta *§ 2, can. S.*

§ 2. Recursus interponendus est intra decem dies ab indicto decreto; nec remedium datur contra lapsum fatalium, nisi parochus probet se vi maiori impeditum a recursu fuisse; de qua re videre debet Ordinarius cum examinatoribus, quorum consensus requiritur.

Can. 23.

Interposito recursu, dantur parocho adhuc decem dies ad novas allegationes producendas, iisdem servatis regulis quae superius in discussione coram examinatoribus statutae sunt, salva dispositione § 4, *can. seq.*

Can. 24.

§ 1. Consultores, convenientes cum Ordinario, de duobus tantum videre debent, utrum in actibus praecedentibus vitia formae in ea irrepserint quae rei substantiam attingant, et utrum adducta amotionis ratio sit fundamento destituta.

§ 2. Ad hunc finem omnia superius acta et adducta examinare debent atque perpendere.

§ 3. Possunt etiam ex officio ad illa duo memorata discussionis capita in tuto ponenda exquirere et percontari de rebus quas necessario cognoscendas putent, auditis etiam, si opus sit, novis testibus.

§ 4. Parochus tamen ius non habet exigendi ut novi testes inducatur et examinentur; nec ut sibi dilationes ulteriores ad deducenda sua iura concedantur.

Can. 25.

§ 1. Admissio vel reiectio recursus maiore suffragiorum numero est decernenda.

§ 2. Adversus huius consilii resolutionem non datur locus ulteriori expostulationi.

VII. — De amoti provisione.

Can. 26.

§ 1. Sacerdoti ex facta sibi invitatione renuncianti, aut administratio modo a paroecia amoto, Ordinarius pro viribus consulat, aut per translationem ad aliam paroeciam, aut per assignationem alicuius ecclesiastici officii, aut per pensionem aliquam, prout casus ferat et adiuncta permittant.

§ 2. In provisionis assignatione Ordinarius examinatores, vel parochos consultores si usque ad eos causa pervenerit, audire ne omittat.

Can. 27.

§ 1. Paroeciam Ordinarius ne assignet, nisi dignus idoneusque ad eam regendam sit sacerdos; proponere autem eidem potest paroeciam paris, inferioris aut etiam superioris ordinis, prout aequitas et prudentia videantur exigere.

§ 2. Si agatur de pensione, hanc Ordinarius ne assignet nisi servatis de iure servandis.

§ 3. In pari conditione, renuncianti magis favendum in provisione est, quam amoto.

Can. 28.

§ i. Negotium de provisione sacerdotis potest Ordinarius reservare post expletam causam amotionis, et generatim quam citius expediendum.

§ 2. Sed potest etiam in ipsa invitatione ad renuntiandum vel separatis litteris, pendente amotionis negotio, vel in ipso amotionis decreto provisionem hanc proponere et indicare, si expediens iudicaverit.

§ 3. In quolibet casu quaestio de provisione futura sacerdotis non debet commisceri cum quaestione praesenti de amotione a paroecia; neque illa hanc impedire aut remorari, si bonum animarum exigat ut expediatur.

Can. 29.

§ 1. Sacerdos qui renunciavit, aut a beneficio vel officio amotus fuit, debet quamprimum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent eius oeconomo regulariter tradere. Et si moras illegitime nectat, potest ecclesiasticis sanctionibus ad id cogi.

§ 2. Quod si agatur de infirmo, Ordinarius eidem permittat usum etiam *exclusivum,* ubi sit opus, paroeciarum aedium, usque dum possit pro prudenti eiusdem Ordinarii iudicio commode alio transferri. Interim vero novus paroeciae rector aliquam aliam temporariam habitationem in paroecia sibi comparari curet.

VIII. — De iis qui huic legi subiacent.

Can. 30.

Superius constitutis regulis, - adamussim applicandis iis omnibus qui paroeciam, quovis titulo, ut proprii eius rectores obtinent, sive nuncupentur Vicarii perpetui, sive *desservants*, sive alio quolibet nomine, - locus non est, quoties paroecia committatur curae alicuius sacerdotis qua oeconomi temporalis vel Vicarii ad tempus, sive ob infirmitatem parochi, sive ob vacationem beneficii, aut ob aliam similem causam.

Can. 31.

§ 1. Si parochus in ius rapiatur ut reus criminis, pendente criminali iudicio sive coram ecclesiastica sive coram civili potestate, locus non datur administrativae illius amotioni; sed exspectandus est exitus iudicii.

§ 2. Interim tamen si agatur de crimine quod infamiam facti inducat, Ordinarius parochum prohibere potest, quominus curam animarum exerceat ac temporalem administrationem beneficii gerat: ea vero munia cum congrua fructuum assignatione Vicario aliive a se eligendo committat.

§ 3. Iudicio autem criminali finito, locus erit restitutioni parochi, vel eius administrativae amotioni, vel canonicae destitutioni, prout iustitia exigat et adiuncta ferant.

Can. 32.

Ordinarii nomine pro omnibus quae in hoc titulo statuuntur non venit Vicarius Generalis, nisi speciali mandato ad hoc sit munitus.

Iis autem cito exsequendis quae in hoc decreto statuuntur, SSmus Dominus Noster mandat ut omnes et singuli Ordinarii quamprimum parochos aliquot consultores, iuxta praescripta *Can. 4*, constituant. Quod vero ad examinatores attinet, si hi in dioecesi, sive in synodo sive extra synodum eiecti, habeantur, statuit ut, de cathedralis capituli vel consultorum dioecesanorum consilio, aut eos in officio confirmare (hac tamen lege ut

post quinquennium a munere cessent), aut ad novam examinatorum electionem, servata regula *Can.* 4, devenire possint, prout prudentia et adiuncta suaserint. Deficientibus vero in dioecesi examinatoribus, ad eorum electionem, servatis superius statutis, sine mora deveniant.

Praesentibus valituris, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, die 20 Augusti 1910.

C. CARD. DE LAI, *Secretarius.*

L. & S.

Scipio Tecchi, *Adsessor.*

II.

DE SECRETO SERVANDO IN DESIGNANDIS AD SEDES EPISCOPALES.

DECRETUM.

Rogantibus nonnullis Antistitibus, ut decretum S. G. Consistorialis diei 30 Martii huius anni 1910, de secreto servando in iis designandis, qui ad sedes episcopales proponuntur in foederatis statibus Americae septentrionalis, extenderetur ad suas quoque dioeceses et provincias ubi eadem vel similis forma designationis obtinet, SSmus D. N. Pius PP. X, de consulto S. C. Consistorialis, votis sibi oblatis obsecundans in audientia diei 17 Iunii infrascripto Cardinali concessa, statuit ac decrevit, ut memoratum decretum, congrua congruis referendo, ad omnes praedictas regiones extendatur eiusque praescripta ab omnibus, ad quos spectat, adamussim serventur, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 2 Iulii 1910.

C. CARD. DE LAI,, *Secretarius.*

L. S.

Scipio Tecchi, *Adsessor.*

(Vide *Acta Apostolicae Sedis,* vol. II, num. 7, pag. 286).

III.

CIRCA COMPETENTIAM RELATE AD MISSAS VOTIVAS.

Propositis dubiis: 1. ° utrum ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum spectet concedere facultatem legendi Missam votivam, praeterquam coeco aut coecutienti, de quibus in normis Romanae Curiae (pars % cap. 7, art. 3, n. 10-g), etiam senio confectis vel alio morbo laborantibus; 2. ° utrum eadem Sacra Congregatio in superius memoratis casibus concedere valeat facultatem non solum legendi Missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis, sed etiam [alias Missas votivas a S. Sede adprobatas: haec Sacra Congregatio Consistorialis, praehabito voto Consultoris, omnibusque sedulo perpensis, respondendum censuit: *affirmative ad utrumque.*

Facta autem relatione ab Emo Card. Secretario, SSmus Dominus noster praedictas resolutiones ratas habuit et confirmavit.

Die 16 Augusti 1910.

Carolus Perosi, *Substitutus.*

IV.

ADIECTIONIS TITULI ARCHIEPISCOPO ACHERUNT1N0.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae huius Congregationis Consistorialis,

5 augusti 1910. — Archiepiscopo Acheruntino et Matheranensi suisque in archidioecesi successoribus concessit etiam titulum Abbatis S. Angeli Montis caveosi (S. Angelo di Montescaglioso).

V.

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis,

5 augusti 1910. — R. P. D. Antonium Mariam Bonito, ipso postulante, transtulit ab archiepiscopali sede Amalphitana, ad titularem archiepiscopalem sedem Auxumitanam.

6 augusti 1910. — R. P. D. Dominicum Mannaioli, ipso postulante, transtulit ab episcopali sede Montis Falisci, ad titularem episcopalem sedem Pomariensem.

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

S. CONGREGATIO DE SACRAMENTIS

ROMANA ET ALIARUM

DE FACULTATE DISPENSANDI AB IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS IMMINENTE MORTIS PERICULO.

Decreto S. Congregationis de disciplina Sacramentorum edito die 14 mensis maii anno 1909, statutum fuit: « Quemlibet Sacerdotem qui ad normam art. VII Decreti *Ne temere,* imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel Sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio adsistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adiunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita ».

Circa quod decretum eidem S. C. dirimendum propositum est dubium:

« An praefato decreto comprehendantur etiam parochi, etsi non fuerint ad normam declarationis S. Officii diei 9 ianuarii 1889, habitualiter subdelegati a propriis Ordinariis ».

Et haec S. C, re perpensa, respondendum censuit: « Affirmative ».

Datum ex aedibus eiusdem S. C, die 29 mensis iulii, anno 1910.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus.*

Ph. Giustini, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Il giorno 16 del corrente mese di Agosto, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si tenne la Congregazione Ordinaria dei Sacri Riti, per discutere le seguenti materie:

I. Introduzione 'della Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Venerabile Servo di Dio Giuseppe da Carabantes, Sacerdote Professo e Missionario dell' Ordine dei Frati Minori Cappuccini.

IL Concessione ed approvazione dell'Officio e Messa propria nella Festa della Beata Maria Maddalena Postel, Fondatrice e prima Superiora Generale dell'Istituto delle Suore delle Scuole Cristiane della Misericordia.

III. Concessione ed approvazione dell'Officio e della Messa in onore della Beata Vergine, sotto il titolo « Causa Nostrae Laetitiae » per la Diocesi di Soissons in Francia.

IV. Concessione ed approvazione dell'Officio e della Messa in onore del Reato Giacinto Casañeda, Martire dell'Ordine dei Predicatori.

V. Intorno all'elezione e dichiarazione della B. Maria Vergine detta di Guadalupe, a Patrona di tutta l'America Latina.

VI. Revisione degli scritti del Ven. Servo di Dio Giovanni Battista Iossa, laico napoletano.

VII. Revisione degli scritti della Ven. Serva di Dio, Elisabetta Sanna, Terziaria Professa Francescana.

Il giorno 23 dello stesso mese di Agosto, presso l'Emo e Rmo Cardinale Sebastiano Martinelli, in luogo e vece dell'Emo e Rmo Cardinale Vincenzo Vannutelli, Ponente della Causa, ebbe luogo la Congregazione Antipreparatoria dei Sacri Riti sopra le virtù in grado eroico del Venerabile Servo di Dio Andrea Uberto Fournet, Sacerdote, Fondatore della Congregazione delle Figlie della Croce, dette volgarmente Suore di Sant'Andrea.

SACRA ROMANA ROTA

NOMINA

Il Santo Padre nell'Udienza del 2 Agosto 1910, avuta relazione dal Rmo Mons. Decano del numero sempre crescente delle cause matrimoniali in Q. S. Tribunale, si degnò di ordinare, che si deputasse un SOSTITUTO DEL DIFENSORE DEL VINCOLO, nella persona de Sac. Prof. Roberto Vicentini.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Sua Santità, con biglietto e con Breve della Segreteria di Stato, si è degnata di nominare:

Vescovo assistente al Soglio:

26 Luglio 1910. — Mons. Guglielmo Walsh, arcivescovo di Dublino, Primate d'Irlanda.

Protonotario Apostolico ad instar:

22 Agosto 1910. — Il Rev. D. Lodovico Augusto da Costa, parroco nella diocesi di Beja (Portogallo).

Prelati domestici:

10 Agosto 1910. — Il Rev. D. Giuseppe Quadrini, Canonico Coadiutore nella Archibasilica Lateranense in Roma.

20 Agosto. — Il Rev. D. Bernardo Mac Givney, parroco a Du Bois, della diocesi di Erie, (St. Un.).

— Il Rev. D. Clemente Wienker, parroco decano ad Eleanor, della medesima diocesi, (St. Un.)

— Il Rev. D. Michele Meagher, parroco a Ridgway, della medesima diocesi, (St. Un.).

ONORIFICENZE

11 Santo Padre, con biglietto e con Breve della Segreteria di Stato, si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

1 Agosto 1910. — Al Sig. Clemente dei marchesi Sacchetti, Coadiutore al Foriere maggiore dei Sacri Palazzi Apostolici.

La Commenda dello stesso Ordine, classe civile:

8 ***Agosto 1910.*** — Al Sig. Pietro Wahlen, della diocesi di Colonia.

— Al Sig. Alessandro Croci, della diocesi di Siena.

Il Cavalierato dell'Ordine Piano:

20 Agosto 1910. — Al Sig. Barone Renato Pycke, della diocesi di Gand.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

23 Luglio 1910. — Al Sig. Avv. Giovanni van den Mortel, di Tilburg.

1 Agosto 1910. — Al Sig. Avv. Agostino Lenti, di Roma.

— Al Sig. Giovanni Richard, dottore medico nell'archidiocesi di Rennes.

— Al Sig. Giuseppe Felsmann, direttore della R. Scuola di Budapest.

2 Agosto. — Al Sig. Pio Pagliucchi, aggiunto d'Archivio nella Segreteria di Stato di S. S.

3 Agosto. — Al Sig. Giacomo I. Ryan, dell'archidiocesi di Filadelfia.

— Al Sig. Gualtiero Giorgio Smith, della medesima archidiocesi.

8 ***Agosto.*** — Al Sig. Cesare Gani, ingegnere in Siena.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

29 Luglio 1910. — Al Sig. Clodoveo Greggi, di Roma.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari:

6 Agosto 1910. — Mons. Francesco Saverio Kessler, della diocesi di Spira.

17 Agosto. — Mons. Stanislao Szuman, della diocesi di Kamenick.

— Mons. Francesco Vaschetti, dell'archidiocesi di Torino.

20 Agosto. — Mons. Antonio dos Santos Coelho, della diocesi di Beja.

— Mons. Stefano Bratanic, della diocesi di Lesina.

Cameriere d'onore di spada e cappa di numero:

8 Agosto 1910. — Il Sig. Conte Ottorino Gentiloni.

Cappellano segreto d'onore:

20 Agosto 1910. — Mons. Rocco Corronza, dell' archidiocesi di Buenos Ayres.

NECROLOGIO

Agosto 1910. — Mons. Rocco Anselmini, Vescovo di Nocera.

— Mons. Edoardo Dunne, Vescovo di Dallas (Nuova Orleans — Texas, Stati Uniti d'America).

Annus II. - Vol. II. Die 9 Septembris 1910. Num. 17.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

MOTU PROPRIO

QUO QUAEDAM STATUUNTUR LEGES AD MODERNISMI PERICULUM PROPULSANDUM.

Sacrorum antistitum neminem latere arbitramur, vaferrimum hominum genus, modernistas, persona quam induerant illis detracta per encyclicas Litteras *Pascendi dominici gregis* [1], consilia pacis in Ecclesia turbandae non abiecisse. Haud enim intermiserunt novos aucupari et in clandestinum foedus ascire socios, cum iisque in christianae reipublicae venas opinionum suarum virus inserere, editis libris commentariisque suppresso aut mentito scriptorum nomine. Haec audaciae maturitas, per quam tantus Nobis inustus est dolor, si perfectis iterum memoratis Litteris Nostris, consideretur attentius, facile apparebit, eius moris homines haud alios esse quam quos ibi descripsimus, adversarios eo magis timendos, quo propiores; ministerio suo abutentes ut venenatam hamis escam imponant ad intercipiendos incautos, doctrinae speciem circumferentes, in qua errorum omnium summa continetur.

Hac lue diffluente per agri Domini partem, unde laetiores essent exspectandi fructus, quum omnium Antistitum est in

[1] Dat. d. VIII septembr. MCMVII.

catholicae fidei defensione laborare, summâque diligentia cavere, ne integritas divini depositi quidquam detrimenti capiat, tum ad Nos maxime pertinet Christi Servatoris imperata facere, qui Petro, cuius principatum, licet indigni, obtinemus, dixit: *Confirma fratres tuos.* Hac nempe de causa, hoc est, ut iii praesenti dimicatione subeunda confirmentur bonorum animi, opportunum duximus memorati Nostri documenti sententias et praescripta referre hisce verbis expressa:

« Vos oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigilantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel minimum patiamini. Quod vero a vobis petimus et expectamus, idipsum et petimus aeque et expectamus a ceteris animarum pastoribus, ab educatoribus et magistris sacrae iuventutis, imprimis autem a summis religiosarum familiarum magistris.

I. Ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur. — Utique, *si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi* [1]- Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quum sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus quae a sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere, praesertim in re metaphysica,

[1] LEO XIII, Encycl. «*Aeterni Patris* ».

non sine magno detrimento esse. *Parvus error in principio,* sic verbis ipsius Aquinatis licet uti, *est magnus in fine* [1].

Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum aedificium extruatur diligentissime. — Theologiae studium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite, ut clerici e seminariis egredientes praeclara illius existimatione magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeant. Nam *in magna et multiplici disciplinarum copia quae menti veritatis cupidae obiicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientum effatum sit, ceteris scientiis et artibus officium incumbere, ut ei inserviant ac velut ancillarum more famulentur* [2]. — Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aeque omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato ab historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur utpotè qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despicere videantur.

De profanis vero disciplinis satis sit revocare quae Decessor Noster sapientissime dixit: *In rerum etiam naturalium consideratione strenue adlaboretis: quo in genere nostrorum temporum ingeniose inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt* [3]. Id tamen nullo sacrorum studiorum damno; quod idem Decessor Noster gravissimis hisce verbis monuit: *Quorum causam errorum, si quis diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent,*

[1] *De Ente et Essentia,* proëm.

[2] LEO XIII, Litt ap., x dec. MDCCCLXXXIX.

[3] Alloc., « *Pergratus Nobis* » ad scientiar. cultores, VII martii MDCCCLXXX.

tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt; quaedam remisse leviterque tradantur, et quod indignius est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur[1]. Ad hanc igitur legem naturalium disciplinarum studia in sacris seminariis temperari volumus.

II. His omnibus praeceptionibus tum Nostris tum Decessoris Nostri oculos adiici oportet, quum de Seminariorum vel Universitatum catholicarum moderatoribus et magistris eligendis agendum erit. Quicumque modo quopiam modernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cuiusvis respectu, tum a regundi tum a docendi munere arceantur; eo si iam funguntur, removeantur: item qui modernismo clam aperteve favent, aut modernistas laudando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et Magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticae potestati, in quocumque ea demum sit, obedientiam detrectando: item qui in historica re, vel archeologica, vel biblica nova student: item qui sacras negligunt disciplinas, aut profanas anteponere videntur- — Hoc in negotio, Venerabiles Fratres, praesertim in magistrorum delectu, nimia nunquam erit animadversio et constantia; ad doctorum enim exemplum plerumque componuntur discipuli. Quare, officii conscientia freti, prudenter hac in re et fortiter agitote.

Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac deligendi, qui sacris initiari postulent. Procul, procul esto a sacro ordine novitatum amor: superbos et contumaces animos odit Deus ! — Theologiae laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto. — Quae de celebrandis Universitatibus Sacrum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis praepositum clericis Italiae tum sae-

[1] Alloc, ut supra.

cularibus tum regularibus praecepit anno MDCCCXCVI; ea ad nationes omnes posthac pertinere decernimus. — Clerici et Sacerdotes qui catholicae cuipiam Universitati vel Instituto item catholico nomen dederint, disciplinas, de quibus magisteria in his fuerint, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in posterum ut ne fiat edicimus. — Episcopi, qui huiusmodi Universitatibus vel Institutis moderandis praesunt, curent diligentissime ut quae hactenus imperavimus, ea constanter serventur.

III. Episcoporum pariter officium est modernistarum scripta quaeve modernismum olent provehuntque, si in lucem edita, ne legantur cavere; si nondum edita, ne edantur prohibere. — Item libri omnes, ephemerides, commentaria quaevis huius generis neve adolescentibus in seminariis neve auditoribus in Universitatibus permittantur: non enim minus haec nocitura, quam quae contra mores conscripta; immo etiam magis, quod christianae vitae initia vitiant. — Nec secus iudicandum est de quorumdam catholicorum scriptionibus, hominum ceteroqui non malae mentis, sed qui theologicae disciplinae expertes ac recentiori philosophia imbuti, hanc cum fide componere nituntur et ad fidei, ut inquiunt, utilitates transferre. Hae, quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bonamque existimationem, pius periculi afferunt ut sensim ad modernismum quis vergat.

Generatim vero, Venerabiles Fratres, ut in re tam gravi praecipiamus, quicumque in vestra uniuscuiusque dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exulent fortiter contendite, solemni etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat; adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut serior quandoque paretur medicina, quum per longiores moras malum invaluit. Volumus igitur ut sacrorum Antistites, omni metu

abiecto, prudentia carnis deposita, maiorum clamoribus "posthabitis, suaviter quidem sed constanter suas quisque partes suscipiant; memores quae Leo XIII in Constitutione apostolica *Officiorum ac munerum* [1] praescribebat: *Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant.* Ius quidem his verbis tribuitur sed etiam officium mandatur. Nec quispiam hoc munus officii implevisse autumet, si unum alterumve librum ad Nos detulerit, dum alii bene multi dividi passim ac pervulgari sinuntur. — Nihil autem vos teneat, Venerabiles Fratres, quod forte libri alicuius auctor ea sit alibi facultate donatus, quam vulgo *Imprimatur* appellant: tum quia simulata esse possit, tum quia vel negligentius data vel benignitate nimia nimiave fiducia de auctore concepta, quod forte postremum in Religiosorum ordinibus aliqu idem omnibus convenit cibus, ita libri qui altero in loco sint innocentes, nocentes in altero ob rerum complexus esse queunt. Si igitur Episcopus, audita prudentum sententia, horum etiam librorum aliquem in sua dioecesi notandum censuerit, potestatem ultro facimus immo et officium mandamus. Res utique decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat, ad clerum unum coërcendo; integro tamen bibliopolarum catholicorum officio libros ab Episcopo notatos minime venales habendi. — Et quoniam de his sermo incidit, vigilent Episcopi ne, lucri cupiditate, malam librarii mercentur mercem: certe in aliquorum indicibus modernistarum libri abunde nec parva cum laude proponuntur. Hos, si obedientiam detrectent, Episcopi, monitione praemissa, bibliopolarum catholicorum titulo privare ne dubitent; item potioreque iure si episcopales audiant: qui vero pontificio titulo ornantur, eos ad Sedem Apostolicam deferant. — Universis demum in memoriam revocamus, quae memorata apostolica Constitutio *Officiorum* habet, articulo

[1] XXV **ian.** MDCCCXCVII.

XXVI: *Omnes, qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi ac retinendi libros a quibuscumque damnatos.*

IV. Nec tamen pravorum librorum satis est lectionem impedire ac venditionem; editionem etiam prohiberi oportet. Ideo edendi facultatem Episcopi severitate summa impertiant. — Quoniam vero magno numero ea sunt ex Constitutione *Officiorum*, quae Ordinarii permissionem ut edantur postulent, nec ipse per se Episcopus praecognoscere universa potest; in quibusdam dioecesibus ad cognitionem faciendam censores ex officio sufficienti numero destinantur. Huiusmodi censorum institutum laudamus quam maxime: illudque ut ad omnes dioeceses propagetur non hortamur modo sed omnino praescribimus. In universis igitur curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant: hi autem e gemino clero eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, quique in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. Ad illos scriptorum cognitio deferatur, quae ex articulis XLI et XLII memoratae Constitutionis praevio subsunt examini. Censor sententiam scripto dabit. Ea si faverit, Episcopus potestatem edendi faciet per verbum *Imprimatur*, cui tamen proponetur formula *Nihil obstat*, adscripto censoris nomine. — In Curia romana, non secus ac in ceteris omnibus, censores ex officio instituantur. Eos, audito prius Cardinali in Urbe Pontificis Vicario, tum vero annuente ac probante ipso Pontifice Maximo, Magister sacri Palatii apostolici designabit. Huius erit ad scripta singula cognoscenda censorem destinare. Editionis facultas ab eodem Magistro dabitur necnon a Cardinali Vicario Pontificis vel Antistite eius vices gerente, praemissa, prout supra diximus, approbationis formula adiectoque no-

mine censoria. — Extraordinariis tantum in adiunctis ac per quam raro, prudenti Episcopi arbitrio, censoris mentio intermitti poterit. — Auctoribus censoris nomen patebit nunquam, antequam hic faventem sententiam ediderit; ne quid molestiae censori exhibeatur vel dum scripta cognoscit, vel si editionem non probant. — Censores e religiosorum familiis nunquam eligantur, nisi prius moderatoris provinciae secreto sententia audiatur: is autem de eligendi moribus, scientia et doctrinae integritate pro officii conscientia testabitur. — Religiosorum moderatores de gravissimo officio monemus numquam sinendi aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipsorum et Ordinarii facultas intercesserit. — Postremum edicimus et declaramus, censoris titulum, quo quis ornatur, nihil valere prorsus nec unquam posse afferri ad privatas eiusdem opiniones firmandas.

His universe dictis, nominatim servari diligentius praecipimus, quae articulo XLII Constitutionis *Officiorum* in haec verba edicuntur: *Viri e clero saeculari prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel f olia periodica moderanda suscipiant.* Qua si qui venia perniciose utantur, eâ, moniti primum, priventur. — Ad sacerdotes quod attinet, qui *correspondentium* vel *collaboratorum* nomine vulgo veniunt, quoniam frequentius evenit eos in ephemeridibus vel commentariis scripta edere modernismi labe infecta; videant Episcopi ne quid hi, contra quam siverint, moliantur, datamque potestatem, si oportet retractent. Idipsum ut religiosorum moderatores praestent gravissime admonemus: qui si negligentius agant, Ordinarii auctoritate Pontificis Maximi provideant. — Ephemerides et commentaria, quae a catholicis scribuntur, quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Huius officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, integre attenteque perlegere: si quid dictum periculose fuerit, id in sequenti folio vel libello corrigendum iniungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit.

V. Congressus publicosque coetus iam supra memoravimus, utpote in quibus suas modernistae opiniones tueri palam ac propagare student. — Sacerdotum conventus Episcopi in posterum haberi ne siverint, nisi rarissime. Quod si siverint, ea tantum lege sinent, ut nulla fiat rerum tractatio quae ad Episcopos Sedemve Apostolicam pertinent; ut nihil proponatur vel postuletur, quod sacrae potestatis occupationem inferat; ut quidquid modernismum sapit quidquid presbyterianismum vel laicismum, de eo penitus sermo conticescat. — Coetibus eiusmodi, quos singulatim, scripto, aptaque tempestate permitti oportet, nullus ex alia dioecesi sacerdos intersit, nisi litteris sui Episcopi commendamus. — Omnibus autem sacerdotibus animo ne excidant, quae Leo XIII gravissime commendavit: *Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas: pro certo habeant sacerdotale munus nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum* [1].

VI. Sed enim, Venerabiles Fratres, quid iuverit iussa a Nobis praeceptionesque dari, si non haec rite constanterque serventur? Id ut feliciter pro votis cedat, visum est ad universas dioeceses proferre, quod Umbrorum Episcopi [2], ante annos plures, pro suis prudentissime decreverunt. *Ad errores,* sic illi, *iam diffusos expellendos atque ad impediendum quominus ulterius divulgentur, aut adhuc extent impietatis magistri per quos perniciosi perpetuentur effectus, qui ex illa divulgatione manarunt; sacer Conventus, sancti Caroli Borromaei vestigiis inhaerens, institui in unaquaque dioecesi decernit probatorum utriusque cleri consilium, cuius sit pervigilare an et quibus artibus novi errores serpant aut disseminentur atque Episcopum de hisce docere, ut collatis consiliis remedia capiat, quibus id mali ipso suo initio extingui possit, ne ad animarum perni-*

[1] Litt. Encycl. « *Nobilissima* », VIII febr. MDCCCLXXXIV.

[2] Act. Consess. Epp. Umbriae, novembri MDCCCXLIX, tit. II, art. 6.

*ciem magis magisque diffundatur, vel quod peius est in dies confirmetur **et crescat.*** — Tale igitur consilium, quod ***a** vigilantia* dici placet, in singulis dioecesibus institui quamprimum decernimus. Viri, qui in illud adsciscantur, eo fere modo cooptabuntur, quo supra de censoribus statuimus. Altero quoque mense statoque die cum Episcopo convenient: quae tractarint decreverint, ea arcani lege custodiunto. Officii munere haec sibi demandata habeant. Modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in magisteriis pervestigent vigilanter; pro cleri iuventaeque incolumitate, prudenter sed prompte et efficaciter praescribant. — Vocum novitatem caveant, meminerintque Leonis XIII monita: *Probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem quae, pravae novitati studens, pietatem fidelium ridere videatur, loquaturque novum christianae vitae ordinem, novas Ecclesiae praeceptiones, nova moerni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, novam christianam humanitatem, aliaque id genus multa* [1] Haec in libris praelectionibusque ne patiantur. — Libros ne negligant, in quibus piae cuiusque loci traditiones aut sacrae Reliquiae tractantur. Neu sinant eiusmodi quaestiones agitari in ephemeridibus vel in commentariis fovendae pietati destinatis, nec verbis ludibrium aut despectum sapientibus, nec stabilibus sententiis, praes probabilitatis fines non excedunt vel praeiudicatis nituntur opinionibus. — De sacris Reliquiis haec teneantur. Si Episcopi, qui uni in hac re possunt, certo norint Reliquiam esse subditiciam, fidelium cultu removeant. Si Reliquiae cuiuspiam auctoritates, ob civiles forte perturbationes vel alio quovis casu, interierint; ne publice ea proponatur nisi rite ab Episcopo recognita. Praescriptionis argumentum vel fundatae praesumptionis tunc tantum valebit, si cultus antiquitate commendetur; nimirum pro decreto, anno MDCCCXCVI a sacro

[1] Instruct. S. G. NN. EE. EE., XXVII ian. MCMII.

Consilio indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis edito, quo edicitur: *Reliquias antiquos conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel supposititias esse.* — Quum autem de piis traditionibus iudicium fuerit, illud meminisse oportet: Ecclesiam tanta in hac re uti prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto narrari permittat nisi cautione multa adhibita praemissaque declaratione ab Urbano VIII sancita; quod etsi rite fiat, non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad credendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, abhinc annis triginta, edicebat: *Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam* [1]. Hoc qui teneat, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis religio, prout factum ipsum spectat et *relativa* dicitur, conditionem semper habet implicitam de veritate facti: prout vero *absoluta* est, semper in veritate nititur, fertur enim in personas ipsas Sanctorum qui honorantur. Similiter de Reliquiis affirmandum. — Illud demum Consilio vigilantiae demandamus, ut ad socialia instituta itemque ad scripta quaevis de re sociali assidue ac diligenter adiiciant oculos, ne quid in illis modernismi lateat, sed Romanorum Pontificum praeceptionibus respondeant.

VII. Haec quae praecepimus ne forte oblivioni dentur, volumus et mandamus ut singularum dioecesum Episcopi, anno exacto ab editione praesentium litterarum, postea vero tertio quoque anno, diligenti ac iurata enarratione referant ad Sedem Apostolicam de his quae hac Nostra Epistola decer-

[1] Decr. ii maii MDCCCLXXVII.

nuntur, itemque de doctrinis quae in clero vigent, praesertim autem in Seminariis ceterisque catholicis Institutis, iis non exceptis quae Ordinarii auctoritati non subsunt. Idipsum Moderatoribus generalibus ordinum religiosorum pro suis alumnis iniungimus »

His, quae plane confirmamus omnia sub poena temeratae conscientiae adversus eos, qui dicto audientes esse renuerint, peculiaria quaedam adiicimus, quae ad sacrorum alumnos in Seminariis degentes et ad instituti religiosi tirones referuntur. — In Seminariis quidem oportet partes omnes institutionis eo tandem aliquando conspirent ut dignus tali nomine formetur sacerdos. Nec enim existimare licet, eiusmodi contubernia studiis dumtaxat aut pietati patere. Utraque re institutio tota coalescit, suntque ipsa tamquam palaestrae ad sacram Christi militiam diuturna praeparatione fingendam. Ex iis igitur ut acies optime instructa prodeat, omnino sunt duae res necessariae, doctrina ad cultum mentis, virtus ad perfectionem animi. Altera postulat ut alumna sacrorum iuventus iis artibus apprime erudiatur quae cum studiis rerum divinarum arctiorem habent cognationem; altera singularem exigit virtutis constantiaeque praestantiam. Videant ergo moderatores disciplinae ac pietatis, quam de se quisque spem iniiciant alumni, introspiciantque singulorum quae sit indoles; utrum suo ingenio plus aequo indulgeant, aut spiritus profanos videantur sumere; sintne ad parendum dociles, in pietatem proni, de se non alte sentientes, disciplinae retinentes; rectone sibi fine proposito, an humanis ducti rationibus ad sacerdotii dignitatem contendant; utrum denique convenienti vitae sanctimonia doctrinaque polleant; aut certe, si quid horum desit, sincero promptoque animo conentur acquirere. Nec nimium difficultatis habet investigatio; siquidem virtutum, quas diximus, defectum cito produnt et religionis officia fleto animo persoluta, et servata metus causa, non conscientiae voce, disciplina. Quam qui servili timore retineat,

aut animi levitate contemptuve frangat, is a spe sacerdotii sancte fungendi abest quam longissime. Haud enim facile creditur, domesticae disciplinae contemptorem a publicis Ecclesiae legibus minime discessurum. Hoc animo comparatum si quem deprehenderit sacri ephebei moderator, et si semel iterumque praemonitum, experimento facto per annum, intellexerit a consuetudine sua non recedere, eum sic expellat, ut neque a se neque ab ullo episcopo sit in posterum recipiendus.

Duo igitur haec ad promovendos clericos omnino requirantur; innocentia vitae cum doctrinae sanitate coniuncta: Neve illud praetereat, praecepta ac monita, quibus episcopi sacris ordinibus initiandos compellant, non minus ad hos quam ad candidatos esse conversa, prout ubi dicitur: « Providendum, ut caelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendet.... Sint probi et maturi in scientia simul et opere... eluceat in eis totius forma iustitiae ».

Ac de vitae quidem probitate satis dictum esset, si haec a doctrina et opinionibus, quas quisque sibi tuendas assumpserit, posset facili negotio seiungi. Sed, ut est in proverbiorum libro: *Doctrina sua noscetur vir*[1] utque docet Apostolus: Qui... *non permanet in doctrina Christi, Deum non habet*[2] Quantum operae vero dandum sit addiscendis rebus multis equidem et variis, vel ipsa huius aetatis conditio docet, nihil gloriosius efferentis quam lucem progredientis humanitatis. Quotquot igitur sunt ex ordine cleri si convenienter temporibus velint in suis versari muneribus; si cum fructu *exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere*[3]; si opes ingenii in Ecclesiae utilitatem transferre, oportet cognitionem rerum assequantur, eamque minime vulgarem, et ad excellentiam doctrinae propius accedant. Luctandum est enim cum hostibus non imperitis, qui ad elegantiam studiorum scientiam saepe dolis consutam adiungunt, quo-

[1] *Prov.* XII, 8.
[2] II Ioan. 9.
[3] *Tit.* I, 9.

rum speciosae vibrantesque sententiae magno verborum cursu sonituque feruntur, ut in iis videatur quasi quid peregrinum instrepere. Quapropter expedienda mature sunt arma, hoc est, opima doctrinae seges comparanda omnibus, quicumque sanctissimis perarduisque muneribus in umbratili vita se accingunt.

Verum, quia vita hominis iis est circumscripta limitibus ut ex uberrimo cognoscendarum rerum fonte vix detur aliquid summis labiis attingere, discendi quoque temperandus est ardor et retinenda Pauli sententia: *non pius sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* [1]. Quare, quum clericis multa iam satis eaque gravia sint imposita studia, sive quae pertinent ad sacras litteras, ad Fidei capita, ad mores, ad scientiam pietatis et officiorum, quam *asceticam* vocant, sive quae ad historiam Ecclesiae, ad ius canonicum, ad sacram eloquentiam referuntur; ne iuvenes aliis quaestionibus consectandis tempus terant et a studio praecipuo distrahantur, omnino vetamus diaria quaevis aut commentaria, quantumvis optima, ab iisdem legi, onerata moderatorum conscientia, qui ne id accidat religiose non caverint.

Ut autem suspicio segregetur omnis clanculum se inferentis modernismi, non solum omnino servari volumus quae sub numero secundo superius praescripta sunt, sed praeterea praecipimus ut singuli doctores, ante auspicandas ineunte anno praelectiones, Antistiti suo textum exhibeant, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones, sive *theses;* deinde ut per annum ipsum exploretur sua cuiusque magisterii ratio; quae si videatur a sana doctrina discedere, causa erit quamobrem doctor illico amoveatur. Denique, ut, praeter fidei professionem, iusiurandum det Antistiti suo, secundum adiectam infra formulam, et subscripto nomine.

Iusiurandum hoc, praemissa Fidei professione per formu-

[1] *Rom.* XII, 3.

Iam a sa. me. Decessore Nostro Pio IV praescriptam, cum adlectis definitionibus Concilii Vaticani, suo antistiti item dabunt:

I. Clerici maioribus ordinibus initiandi; quorum singulis antea tradatur exemplar tum professionis fidei, tum formulae edendi iurisiurandi ut eas accurate praenoscant, adiecta violati iurisiurandi, ut infra, sanctione.

II. Sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi.

III. Parochi, Canonici, Benéficiarii ante ineundam beneficii possessionem.

IV. Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicario generali et iudicibus.

V. Adiecti concionibus habendis per quadragesimae tempus.

VI. Officiales omnes in Romanis Congregationibus vel tribunalibus coram Cardinali Praefecto vel Secretario eiusdem sive Congregationis sive tribunalis.

VII. Religiosarum familiarum Congregationumque Moderatores et Doctores antequam ineant officium.

Professionis fidei, quam diximus, editique iurisiurandi documenta, peculiaribus in tabulis penes Curias episcopales adserventur, itemque penes Romanarum Congregationum sua quaeque officia. Si quis autem, quod Deus avertat, iusiurandum violare ausus fuerit, ad Sancti Officii tribunal illico deferatur.

IVRISIVRANDI FORMVLA

« Ego... firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo, externa revelationis argumenta, hoc

est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianae Religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intelligentiae esse maxime accommodata. Tertio: Firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, quum apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eandemque super Petrum, apostolicae hierarchiae principem eiusque in aevum successores aedificatam. Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia; pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito ab Eaque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae. Quinto; certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse coecum sensum religionis e latebris *sub conscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

« Me etiam, qua par est, reverentia, subiicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris « *Pascendi* » et in Decreto « *Lamentabili* » continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant. — Idem reprobo errorem affirmandum, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianae religionis originibus componi non posse. - Damno quoque ac reiicio eorum sententiam, qui dicunt, christianum hominem

eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam Ristorici, quasi Iiceret historico ea retinere quae credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegentur. — Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei, et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur. — Sententiam praeterea illorum reiicio qui tenent, dottori disciplinae historicae theologicae tradendae, aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari. — In universum denique me alienissimum ab errore profiteor, quo *modernistae* tenent in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque apostolis inchoatam per subsequentes aetates continuantium. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo,* quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successione* [1]; non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut *nunquam aliter credatur, nunquam aliter* intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata [2].

« Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque ser-

[1] IREN., 4, c. 26.

[2] *Praeser.* c. 28.

vaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus etc. ».

DE SACRA PRAEDICATIONE

Quandoquidem praeterea diuturna observatione sit cognitam Nobis, episcoporum curis ut annuntietur divinum Verbum pares non respondere fructus, idque, non tam audientium desidiae, quam oratorum iactantiae tribuendum putemus, qui hominis verbum exhibent magis quam Dei, opportunum censuimus, latine versum evulgare atque Ordinariis commendare documentum, iussu Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII a Sacra Congregatione episcoporum et regularium editum die XXXI mensis Iulii anno MDCCCXCIV et ad. Ordinarios Italiae atque ad religiosarum Familiarum. Congregationumque moderatores transmissum.

1. ° <(Et in primis quod ad ea pertinet virtutum ornamenta quibus sacri oratores emineant potissimum oportet, caveant ipsi Ordinarii ac religiosarum familiarum Moderatores ne unquam sanctum hoc et salutare divini verbi ministerium iis credant qui nec pietate in Deum nec in Christum Filium eius Dominum nostrum caritate ornentur ac redundent. Istae enim si in catholicae doctrinae praeconibus desiderentur animi dotes, quavis tandem ii polleant dicendi facultate, aliud nihil profecto praestabunt quam *aes sonans, aut cymbalum tinniens* [1]: neque unquam id ipsis suppetet a quo evangelicae praedicationis vis omnis ac virtus derivatur, studium videlicet divinae gloriae aeternaeque animorum salutis. Quae quidem oratoribus sacris apprime necessaria pietas, eluceat oportet etiam in. externa vitae eorumdem ratione: ne sermone celebratis praeceptis institutisque christianis disserentium mores refragentur: neve

[1] I *Cor.* XIII, 1.

iidem opere destruant quod aedificant verbo. Ne quid praeterea profani pietas eiusmodi redoleat: verum ea sit praedita gravitate, ut probet eos esse revera *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*[1]. Secus enim, ut scite animadvertit Angelicus, *si doctrina est bona et praedicatur maius, ipse est occasio blasphemiae doctrinae Dei*[2]. — At vero pietati ceterisque christianis virtutibus comes ne desit scientia: quum et per se pateat, et diuturna experientia comprobetur, nec sapiens, nec compositum, nec frugiferum dicendi genus posse ab iis afferri, qui doctrina, praesertim sacra, non affluant, quique ingenita quadam freti celeritate verborum, suggestum temere adscendunt ac ferme imparati. Hi profecto aerem verberant, et inscii divina eloquia contemptu! obiiciunt ac derisioni; plane digni quibus aptetur divina illa sententia: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*[3] ».

2. ° <(Igitur episcopi et religiosarum familiarum antistites divini verbi ministerium ne cui sacerdoti committant, nisi ante constiterit, ipsum esse pietatis doctrinaeque copia rite instructum. Iidem sedulo advigilent ut ea tantum pertractanda sumantur, quae sacrae praedicationis sunt propria. Quae vero eiusmodi sint Christus Dominus tunc aperuit quum ait: *Praedicate evangelium,..*[4] *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*[5]. Ad quae verba apte S. Thomas: *Praedicatores debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare, et modo comminando, modo exhortando, hominibus praedicare*[6]. Et sacrosanctum Concilium Tridentinum: *Annuntiantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi*

[1] I *Cor.* iv, 1.
[2] Comm. in *Matth.* v.
[3] Os. iv, 6.
[4] *Marc,* xvi, 15.
[5] *Matth,* xxviii, 20.
[6] Loc. cit.

valeant ". Quae omnia fusiore calamo persequutus f. r. Pius IX, haec scripsit: *Non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes, sanctissimae religionis nostrae dogmata et praecepta, iuxta catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam, gravi ac splendido orationis genere, populo clare aperteque annuncienti peculiaria singulorum officia accurate explicent, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles, Dei verbo salubriter refecti, vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere et caelestem gloriam consequi valeant*[2]. Ex quibus omnibus perspicuum fit, symbolum Apostolorum, divinum decalogum, Ecclesiae praecepta, Sacramenta, virtutes ac vitia, sua cuiusque conditionis officia, novissima hominis et cetera id genus aeterna vera, haec esse propria argumenta de quibus oporteat concionari ».

3. ° « Sed rerum talium copiam et uberrimam et gravissimam recentiores divini verbi ministri haud raro nil pensi habent; uti obsoletum quid et inane negligunt ac paene abiiciunt. Hi nimirum quum probe compertum habeant recensita rerum momenta captandae populari gratiae, cui tantum inhiant, minus esse idonea; *quae sua sunt quaerentes, non quae Iesu Christi*[3], eadem plane seponunt; idque vel ipsis quadragesimae diebus ac reliquis solemnioribus anni tempestatibus. Una vero cum rebus immutantes nomina, antiquis concionibus recens quoddam ac minus recte intellectum alloquendi sufficiunt genus, quod CONFERENTIAE* dicunt, menti cogitationique alliciendae magis aptum quam impellendae voluntati atque instaurandis moribus. Hi profecto haud secum reputant conciones morales omnibus, *conferentias* vix paucis prodesse; quorum si moribus diligentius perspectum foret per inculcatam saepe castitatem, animi demissionem, obsequium in Ecclesiae auctoritatem, hoc ipso praeiudicatas de fide opiniones exuerent lucemque veritatis promptiore

[1] Sess. V, cap. % *De Reform.*

[2] Litt. Enc. ix nov. MDCCCXLVI.

[3] *Philip*, II, 21.

animo exciperent. Quod enim complures de religione prave sentiunt, maxime inter catholicas gentes, id effrenatis animi cupiditatibus potius est tribuendum, quam vitio aberrantis intelligentiae, secundum divinam sententiam: *De corde exeunt cogitationes malae... blasphemiae*[1]. Hinc Augustinus Psalmistae referens verba: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus*[2], commentatur: *in corde suo, non in mente sua ».*

4. ° <(Haec tamen non ita sunt accipienda quasi sermones id genus per se omnino sint improbandi, quum contra, si apte tractentur, perutiles possint esse aut etiam necessarii ad refellendos errores, quibus religio impetitur. Sed amovenda omnino est a suggestu pompa illa dicendi, quae in quadam rerum contemplatione magis quam in actione versatur; quae civitatem spectat propius quam religionem; quae denique specie nitet melius quam fructuum ubertate. Ea nempe omnia commentariis et academiis magis accommodata, dignitati atque amplitudini domus Dei minime congruunt. Sermones autem, seu *conferentiae,* quae propositam habent religionis tuitionem contra hostiles impugnationes, etsi quandoque necessarii, non omnium tamen humeris apti sunt, sed validioribus. Atque ipsis quidem oratoribus eximiis magna est adhibenda cautela, quod eiusmodi defensiones haberi non decet nisi ubi tempus aut locus aut audientium conditio eas necessario postulent, spesque adsit non fore fructu vacuas: cuius rei iudicium legitimum penes Ordinarios esse ambiget nemo. Oportet praeterea in sermonibus id genus probandi vis sacris doctrinis multo pius quam humanae sapientiae verbis innitatur, omniaque nervose dicantur ac dilucide, ne forte mentibus auditorum haereant altius impressae falsae opiniones quam opposita vera, neve obiecta magis quam responsa percellant. Ante omnia vero illud cavendum, ne talium sermonum frequentia moralium concionum dignitatem deminuat ab usuve removeat, quasi hae inferioris ordinis essent ac

[1] *Matth,* xv, 19.
[2] *Psal.* XIII, 1.

minoris faciendae prae pugnaci illo dicendi genere, adeoque concionatorum et auditorum vulgo relinquendae; quum contra verissimum sit conciones de moribus plerisque fidelibus esse maxime necessarias; dignitate vero contentiosis disceptationibus minime cedere; ita ut vel a praestantissimis oratoribus, coram quovis elegantiori frequentiorique coetu, saltem identidem summo cum studio essent habendae. Quod nisi fiat, multitudo fidelium cogetur audire semper loquentem de erroribus, a quibus plerique ipsorum abhorrent; nunquam de vitiis ac noxis, quibus eiusmodi auditoria prae ceteris inficiuntur ».

5.° « Quod si vitiis haud vacat argumenti delectus, alia, eaque graviora etiam, querenda occurrunt si animum quis referat ad orationis speciem ac formam. Quae, prout egregie edisserit Aquinas, ut reapse sit *lux mundi, tria debet habere praedicator verbi divini: primum est stabilitas, ut non deviet a veritate: secundum est claritas, ut non doceat cum obscuritate: tertium est utilitas, ut quaerat Dei laudem et non suam* [1]. At vero forma hodierna dicendi saepenumero, non modo longe abest ab illa evangelica perspicuitate ac simplicitate quae iisdem deberet esse propria, sed tota posita est in verborum anfractibus atque abditis rebus, quae communem populi captum excedunt. Dolenda sane res ac prophetae deflenda verbis: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangerei eis* [2]. Sed illud etiam miserius, quod saepe his concionibus deest illa species religionis, afflatus ille christianae pietatis, illa denique vis divina ac Sancti Spiritus virtus interius loquentis et ad bonum pie permoventis animos: qua sane vi ac virtute sacris praeconibus semper essent usurpanda Apostoli verba: *Sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostentione spiritus et virtutis* [3]. Iidem contra freti *persuasibilibus* humanae sapientiae verbis, vix aut ne vix quidem animum ad divina elo-

[1] Loc. cit.

[2] *Thren.* iv, 4.

[3] I. *Cor.* II, 4.

quia intendunt et ad Scripturas Sanctas, quae sacrae praedicationi potiores uberioresque recludunt latices, uti diserte docebat nuper Sanctissimus Dominus Leo XIII hisce verbis gravissimis: - <(Haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille non loquitur •*in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa*[1]. Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enunciant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei, eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus*[2]. Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam; id quod Augustinus pervidit diserteque arguit[3], atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assidute Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo, affirmarunt[4] ».

« En igitur eloquentiae sacrae fons facile princeps, Biblia. Sed qui ad nova exempla componuntur praecones, dicendi copiam non e *fonte* hauriunt *aquae vivae,* sed abusu haud sane ferendo, se ad *humanae sapientiae cisternas dissipatas* convertunt, et seposita doctrina divinitus inspirata, vel Ecclesiae Pa-

[1] I. *Thess.* I, 5.

[2] *Hebr.* iv, 12.

[3] *De Doctr. christ.* iv, 6, 7.

[4] Litt. encycl, *de Studiis Script. Sacr.*, xviii nov. MDCCCXCIII.

trum et Conciliorum, toti sunt in profanorum recentiorumque atque adeo viventium scriptorum nominibus sententiisque proferendis: quae sane sententiae saepe interpretationibus ansam praebent, aut ambiguis aut valde periculosis. — « Alterum offensionis caput iniiciunt qui ita de rebus religionis disserunt, quasi omnia caducae huius vitae emolumentis commodisque metiantur, futurae ac sempiternae pene obliti: qui fructus quidem a christiana religione illatos hominum societati praeclare persequuntur; officia vero ab iisdem servanda dissimulant; Christi Servatoris unam efferunt caritatem; iustitiam silent. Inde istius praedicationis exiguus fructus, qua audita profanus homo persuasionem secumfert, etiam non mutatis moribus se fore christianum, dum dicat: Credo in Christum Iesum[1] ». - Verum, quid ipsorum interest fructus colligere? Non id sane propositum habent, sed illud maxime, ut auditorum *prurientes auribus* iisdem assententur; dumque tempia referta videant, vacuos animos remanere patiuntur. Hac nempe de causa mentionem iniiciunt nullam de peccato, de novissimis, aliisque maximi momenti rebus, sed in eo toti sunt ut *verba placentia* effundant, tribunicia magis et profana eloquentia quam apostolica et sacra, ut clamores plaususque aucupentur; contra quos ita Hieronymus: *Docente in Ecclesia te, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: auditorum lacrimae laudes tuae sint*[2]. Quo fit ut istorum conciones, quum in sacris aedibus tum extra, scenicum quendam apparatum exhibeant,, omnemque speciem sanctitatis et efficaciam adimant. Hinc ab « auribus populi et plurium etiam e clero migravit voluptas, omnis quae a divino verbo hauritur; hinc bonis omnibus iniectae offensiones; hinc vel admodum exiguus, vel plane nullus, aberrantium profectus, qui, etiamsi interdum concurrant auditum, verba placentia, praesertim si magnificis illis illecti centies resonantibus *humanitatis adscensum, patriam, scientiam recen-*

[1] Card. BAUSA, Archiep, Florentin., *ad iuniorem clerum, 1892.*

[2] *Ad Nepotian.*

tius invectam, postquam dicendi peritum effuso prosequuti sunt plausu, templo iidem qui antea discedunt, haud eorum absimiles, qui *mirabantur, sed non convertebantur*[1] ».

« Volens igitur haec Sacra Congregatio, ex mandato Sanctissimi Domini Nostri, tot ac tam improbandos abusus cohibere, Episcopos omnes et eos, qui religiosis Familiis institutisve ecclesiasticis praesunt tamquam supremi moderatores, compellat, ut apostolico pectore sese iisdem opponant omnique studio exstirpandos curent. Memores igitur eorum, quae a SS. Concilio Tridentino praescripta sunt[2] - *Viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere tenentur,* - in hoc negotio perquam diligenter cauteque se gerant. Si de sacerdotibus agatur suae dioecesis impense caveant Ordinarii ne unquam iidem ad id muneris admittantur, quin *prius de vita et scientia et moribus probati fuerint*[3] hoc est nisi facto periculo aut alia opportuna ratione illos idoneos esse constiterit. Si vero de sacerdotibus res sit alienae dioecesis, neminem suggestum adscendere sinant, idque solemnioribus praesertim diebus, nisi prius ex testimonio^ scripto proprii Ordinarii vel religiosi Antistitis constiterit eosdem bonis moribus esse praeditos eique muneri pares. Moderatores vero sui cuiusque Ordinis, Societatis vel Congregationis religiosae neminem prorsus ex propriae disciplinae alumnis obire sinant concionatoris munus, eoque minus litterarum testimonio commendent locorum Ordinariis, nisi eiusdem perspectam habeant et morum probitatem et facultatem concionandi uti decet. Si quem vero commendatum sibi litteris oratorem exceperint ac subinde experti cognoverint, eum in concionando a normis praesentium Litterarum discedere, cito in obsequium adigant. Quod si non audierit, a suggestu prohibeant, iis etiam, si opus fuerit, adhibitis canonicis poenis, quas res videatur postulare)).

[1] Ex Aug. in *Matth,* xix, 25.
[2] Sess. V, c. % *De reform.*
[3] Conc. Trid., Sess. V, c. 2, *De reform.*

Haec praescribenda censuimus aut recolenda, mandantes ut religiose observentur, gravitate permoti succrescentis in dies mali, cui serius occurri non potest sine summo periculo. Neque enim iam res est, quemadmodum ab initio, cum disputatoribus prodeuntibus *in vestimentis ovium,* sed cum apertis infensisque inimicis, iisque domesticis, qui facto foedere cum Ecclesiae capitalibus hostibus, propositam habent fidei eversionem. Sunt hi nempe, quorum audacia adversus deductam caelo sapientiam quotidie consurgit, cuius corrigendae sibi ius arrogant, quasi esset corrupta; renovandae, quasi esset senio confecta; augendae aptandaeque saeculi placitis, progressionibus, commodis, quasi eadem, non levitati paucorum, sed bono societatis esset adversa.

Hisce ausibus contra evangelicam doctrinam et ecclesiasticam traditionem nunquam satis opponetur vigilantiae aut severitatis nimium ab iis quibus commissa est sacri huius depositi custodia fidelis.

Quae igitur monita et salutaria mandata Motu hoc proprio ac certa scientia ediximus, ab universis catholici orbis quum Ordinariis tum etiam regularium Ordinum institutorumque ecclesiasticorum supremis Magistris religiosissime servanda, rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum, Romae, apud Sanctum Petrum, die i mensis Septembris, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIVS PP. X

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I.

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis, elegit:

23 iulii 1910. — R. P. D. Gregorium Mariam Grasso, abbatem nullius Montis Virginis, in administratorem apostolicum archidioecesis Amalphitanae.

16 augusti 1910. — R. D. Agathum Philippum Alvarado, vicarium capitularem dioecesis de Barquisimeto, in episcopum ipsius cathedralis ecclesiae de Barquisimeto.

— R. D. Arturum Coelestinum Alvarez, parochum loci *Zaraza* in dioecesi de Calabozo, in episcopum cathedralis ecclesiae Zuliensis.

26 augusti 1910. — R. P. D. Nicolaum Cola, episcopum Marsorum, in episcopum cathedralis ecclesiae Nucerinae.

29 augusti 1910. — R. D. Iosephum Angelucci, canonicum cathedralis ecclesiae Praenestinae, in episcopum cathedralis ecclesiae Civitatis Plebis.

— R. D. Franciscum Emanuelli, rectorem seminarii Calaritani, in episcopum cathedralium ecclesiarum perpetuo unitarum Uxellensis et Terralbensis.

6 septembris 1910. — R. P. D. Carolum Hugonem Gauthier ab ecclesia Kingstoniensi transtulit ad sedem metropolitanam Ottaviensem.

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae ad tramitem iuris^expediantur.

II.

ERECTIONES DIOECESUM.

SSmus Dominus noster Pius PP. X decreto sacrae huius Congregationis,

15 augusti 1910. — Sedem cathedralem S. Petri de Rio grande do Sul ad dignitatem Metropolitanae ecclesiae erexit, vetere titulo in novum mutato, hoc est Portalegrensis in Brasilia,. eique suffraganeas constituit dioecesim Floranopolitanam necnon tres alias noviter per idem decretum erectas, hoc est dioeceses Pelotensem (Pelota) Uruguayanensem (Uruguayana) et Sanctae Mariae (S. Maria).

Has tres postremas memoratas dioeceses eadem Sanctitas Sua e territorio dioecesis Rio Grande do Sul (modo vero archidioecesi Portalegrensi in Brasilia) eodem decreto perpetuo distrahit atque seiungit hoc qui sequitur modo:

Novae dioecesi Pelotensi assignat territorium quod hisce paroeciis constat *Pelotas, Povo Novo, Pio Grande, S. José do Norte, S. Izabel, Tahim, Arroto Grande, Jaguar do, Santa Victoria, Serrito, Cangussú, Piratiny, Cacimbinhas, Boquete, Santo Antonio da Bòa Vista, S. Lourenço, S. Joâs Baptista da Reserva, Conceiçâo do Boqueirdo, Bagé, Lavras, S. Joâo Baptista do Herval, Estreito, Mostardas, et José do Patrocinio.*

Dioecesi autem Uruguayanensi attribuit territorium quod complectitur paroecias *Uruguaiana, S. Joâo Baptista do Quarahy, Itaqy, S. Borgia, Alegrete, Povinho (S. Thiago do Boqueirâo), S. Francisco de Assis, S. Anna do Livramento, S. Gabriel, S. Luiz de Gonzaga, Passo do Rosario, Dom Pedrito, colonia Ijuhy, colonia Guarany,* et *colonia Serro Azul* nuncupatas.

Dioecesi denique S. Mariae assignat territorium paroeciarum *S, Maria, S. Francisco de Paola, Vaccaria, colonia Sananduva, Soledade, Passo Fundo, Nonohay, S. Antonio da Palmeira, S. Miguel, S. Angelo, S. Pedro do Ninçao, Cruz Alta, Silveira Martins, Valle Veneto, S. Martinho, Julio de Castilhos (Villa Rica), S. Vicente, colonia Jaguary, Cachoeira, Rio Pardo, Santo Amaro, S. Luiz do Casca o de Guapuré.*

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

ERECTIO NOVAE PRAEFECTURAE APOSTOLICAE DE KATANGA IN CONGO BELGICO.

Ut uberes salutis fructus in Apostolico Vicariatu Congi Belgici seu Independentis feliciter iam suscepti laetius augeantur, opportunum consilium visum est ab eodem Apostolico Vicariatu curis concredito missionariorum ab Immaculato Corde Mariae de Scheut, qui amplissimo territorio patet, portionem regionis de Katanga distrahere ad novam in eo dissito tractu Missionem erigendam. Emi itaque Patres Sacri huius Consilii Christiano Nomini propagando in Plenario Consessu habito die 25 superioris mensis Iulii novam Apostolicam Praefecturam de Katanga nuncupandam, erigendam esse censuerunt, cuius territorium a praedicto Vicariatu Congi Belgici distrahendum, sequentibus limitibus contineretur: Ad Occidentem flumine *Lualaba* ab eius origine usque ad

eius confluxum cum numine *Luvua,* inde ad Boream eodem numine Luvua usque ad lacum *Moero,* postea ad Orientem cursu fluminis *Luapula* usque ad lacum Bangweolo, unde Luapula flumen scaturit. Ab origine vero fluminis Luapula usque ad originem praedicti fluminis Lualaba limes orientalis et meridionalis Praefecturae idem erit cum limitibus politicis Congum Belgicum a Rhodesia Anglica separantibus. Novam vero hanc Apostolicam Praefecturam curis committendam esse censuerunt alumnorum Congregationis Brasiliensis Ordinis S. Benedicti Abbatiae S. Andreae ad Brugas in Belgio, ut eadem Apostolica Praefectura in Abbatiam Nullius, cum opportuna adiuncta praesto erunt, erigi possit. Hanc vero Emorum Patrum sententiam SSmo D. N. Pio div. prov. PP. X ab infrascripto eiusdem S. Congregationis Secretario relatam in Audientia diei 2 vertentis mensis Augusti, Sanctitas Sua benigne adprobare ratamque habere dignata est, ac praesens ea super re Decretum confici iussit.

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Prop. Fide, die 5 Augusti 1910.

Fr. H. M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

L. £g S.

Aloisius Veccia, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

ROMANA SEU PARISIEN.

CANONIZATIONIS BEATAE MAGDALENAE SOPHIAE BARAT, VIRGINIS, FUNDATRICIS SOCIETATIS SORORUM A SACRO CORDE IESU.

In muliere forti quam Sacrae Litterae partite, definite distincteque describunt, prophetico spiritu adumbrata prospicitur novi foederis Ecclesia e sacratissimo Christi latere et corde producta, sanctis Patribus atque Doctoribus communiter praedicantibus: « Si mulier gloria viri, Ecclesia gloria Christi ». Haec autem alma mater, mater simul et virgo, ex divina sui Sponsi virtute, cooperante Spiritus Sancti gratia, sicut vitis abundans in vinea electa aut ager bene cultus, innumeras quoque protulit ac profert in Christo filias, maternae fortitudinis et pulchritudinis copiose participes. Istae enim magistrae fidei et castitatis effectae, per novam quandoque prolem, per omnigena charitatis opera, potissimum per civilem religiosamque puellarum institutionem, christianam

familiam amplificant atque illustrarli Ex his iure meritoque recensetur inclyta virgo Magdalena Sophia Barat. In oppidulo *Joigny,* Senonensis dioecesis, die 13 Decembris an. 1779, ab honestis parentibus Iacobo et Maria Magdalena Foufé orta, quum quatuordecim circiter annos ageret, cura Ludovici fratris, Parisios traducta, humanioribus litteris ac superioribus disciplinis illic instituta est. Doctrina et virtute iam ornata, adhuc adolescentula, divinae vocationi parens et conscientiae suae moderatoris R. P. Varin consilio acquiescens, se Deo totam cum aliquot sodalibus devovit, die 21 Novembris an. 1800. Subsequentibus annis Societatem Sororum a Sacro Corde Iesu fundavit, rexit ac propagavit. Eius nomen una cum ipsa Societate per diversas Orbis partes diffusum, sanctitatis, virtutum et prodigiorum fama inde ab obitu concelebratur. Inquisitionibus Ordinariis super eadem fama absolutis ac probatis, Commissio de Causa Beatificationis introducenda, a Summo Pontifice Leone XIII, fel. rec, an. 1879 signata fuit. Postremis hisce temporibus actione speciatim instaurata, tum super virtutibus in gradu heroico exercitis, tum super miraculis eiusdem Ven. Servae Dei intercessione patratis, quum haec omnia ita comprobata et sancita fuissent, ut ad ulteriora et ad solemnem Beatificationem procedi posset, per Litteras Apostolicas in forma Brevis Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X, Beatorum coelitum honores Ven. Magdalenae Sophiae Barat, Fundatrici Societatis Sororum a Sacro Corde Iesu decreti et collati sunt; atque solemnia Beatificationis peracta in Patriarchali Basilica Vaticana die 24 Maii an. 1908. Hoc etiam placet commemorare ex domibus et collegiis memoratae Societatis non tantum Urbis, sed etiam Europae, Americae aliarumque regionum illuc convenisse et religiosae solemnitas cum summa devotione ac iucunditate adstitisse. Interim per solemne triduum celebratum intra annum a Beatificatione, per annuum festum cum Officio et Missa concessum, per vitae synopsim, reliquias atque imagines large distributas gratiasque inde obtentas, magis invaluit Christifidelium pietas ac fiducia in novensilem Beatam, quam ipsi in suis necessitatibus ferventius invocare et colere coeperunt. Atque nova iam asseruntur, Beata Magdalena suffragante, a Deo patrata prodigia, de quorum legitima inquisitione mox agendum est eo potissimum fine ut, servato iuris ordine, ad solemnis Canonizationis fastigium procedi possit. Quapropter, instante Rmo Dno Raphaele Maria Virili, Episcopo titulari Troadensi, huius causae Postulatore, attentisque litteris postulatoriis tum quorundam regiae celsitudinis Principum atque Emorum S. R. E. Cardinalium, tum plurium Sacrorum Antistitum ac Praepositorum Generalium Ordinum et Congregationum utriusque sexus ac praesertim Prae-

sidis et Consilii Generalis Societatis Sororum a Sacro Corde Iesu, Emus ac Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata, eiusdem causae Ponens seu Relator, in ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit: « An sit signanda Commissio reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur ». Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem eiusdem Emi Cardinalis Ponentis, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde, sanctae Fidei Promotore, re sedulo expensa, respondendum censuerunt: « *Affirmative,* seu Commissionem reassumptionis Causae esse signandam, si Sanctissimo placuerit ». Die 21 Iunii 1910.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem reassumptionis causae Canonizationis Beatae Magdalenae Sophiae Barat, Virginis, Fundatricis Societatis Sororum a Sacro Corde Iesu, die 22 eisdem mense et anno.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. % S.

f Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

II.

TROPIEN. SEU NUGERINA PAGANORUM.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI VITI MICHAELIS DI NETTA, SACERDOTIS PROFESSI, E CONGREGATIONE SANCTISSIMI REDEMPTORIS.

Vitus Michael Di Netta, alter e Ligoriana Familia sodalis ac sacerdos, opere ac sermone clarus, Calabras regiones sanctitate ac ministerio perlustrans, Calabriae Apostolus meruit appellari. In oppido Vallatae, dioecesis Sancti Angeli de Lombardis, die 26 Februarii an. 1788 natus ex probis honestisque coniugibus Platone et Rosa Villani, eodemque die sacris undis ablutus, sanctorum Viti et Michaelis nomine ac patrocinio decoratur. Domi religiose institutus, praesertim a pia genitrice, adhuc quinquennis sacro Chrismate inunctus, Spiritus Sancti gratia et robore confirmatur. Puer mitis, humilis et obediens, ad pietatem inclinatus, virtutis ac sapientiae christianae laude cohonestatur. Ad sacram Synaxim admissus, cum ardenti desiderio frequenter ad eam accedebat atque oris compositione animique devotione adstantium admirationem cum existimatione sibi conciliabat. A iuvenilibus ludis alienus et quieti

ac orationi indulgens, ad parvam aram domesticam a se extructam sacras functiones imitando, sacerdotalem vocationem portendebat. Litterarum rudimentis ac latina lingua satis imbutus, cura et sumptu avunculi et magistri sui Felicis Villani, archipresbyteri, seminarium Sancti Angeli de Lombardis petiit. Illic studiorum curriculum impense atque alacriter prosecutus est; donec, divinae obtemperans vocationi, Ligorianum Institutum ingredi postulavit. Quo facilius voti compos fieret, Beneventum, tunc pontificiae ditionis, adiit, ubi in domum religiosam a praeposito P. Francisco de Paola benigne receptus, die 1 Aprilis an. 1808 Alphonsianae Sodalitati gaudenti libentique animo nomen dedit. Vertente adhuc anno tyrocinii, dum Vitus Michael studio orationis ac religiosae observantiae sedulo intendit, ex improviso rei publicae conversio ac perturbalo exoritur. Tunc enim Summo Pontifici per vim Principatu Beneventano erepto, bonis Ecclesiae proscriptis, coenobiis suppressis ac religiosis utriusque sexus dispersis, huius adversitatis atque spoliationis tristes effectus persentit ac suffert etiam Dei Famulus, qui, Vallatam ad suos redire coactus, eam vitae rationem constanter ducit quae iuveni religioso apprime convenit. Re quidem vera, in proposito susceptoque consilio permanens, statim ac illa tempestas aliquantulum quievit, Vitus Michael in domum Nucerinam Congregationis SSmi Redemptoris, de licentia Summi Praesidis Blasucci, transivit. Altero tyrocinio Ciorani peracto, Iliceti religiosa vota nuncupavit die 25 Aprilis an. 1808. Philosophicis ac theologicis disciplinis iam excultus ac probatus, per singulos Ordinum gradus, ad sacerdotium promotus fuit die 11 Martii an. 1811. Quo animi sensu et ardore de sacerdotali dignitate ac munere excogitaret, iuxta spiritum et regulam sui Sancti Fundatoris, eius opera testantur, signanter in sacrarum missionum ministerio, quo, usque ad vitae exitum, per Calabras praesertim regiones, totis viribus sancte ac recte perfunctus est. Catacii exorsus fuit apostolicos labores, Tropeae moram ac sedem fixit, Rhegium, Miletum, Nucerinam Paganorum aliasque civitates et oppida salutariter peragravit. Bonus Christi miles ac minister hanc sibi regulam sequi proposuit: numquam esse quiescendum cum de divina gloria et de animarum salute negotium agitur. Hinc assiduus et optimus non minus concionator quam confessarius omnibus et singulis praesto erat, debitorem se exhibens in multa patientia et doctrina, ut omnes et singulos Christo lucrifaceret. Neque defuere dominicae vineae cultori uberes sanctificationis fructus, Deo peccatorum conversionem et iustorum perfectionem adiuvante. Ecclesiasticis viris, etiam Episcopis, consilio profuit Vitus Michael. Puellis religiosisque virginibus uti pater et conscientiae moderator adstitit. Alumnis Collegii

Tropiensis ac tyronibus praepositus, per vias rectas eos ad virtutem et scientiam sanctorum deduxisse fertur. Dum vero de aliorum aeterna salute sollicitus erat, religiosae suae perfectioni studium ponebat. Caelestium enim rerum lectione ac meditatione spiritum fovebat, sacrisque quotidie operando ab ipso vitae fonte salutiferas aquas hauriebat. In Christum Redemptorem, praesertim sub utroque Passionis et Eucharistiae Mysterio, atque in eius Virginem Matrem, sub speciali titulo Immaculatae Conceptionis, singulari pietatis affectu ferebatur, verus S. Alphonsi discipulus ac filius. Sanctos quoque Angelos tutelares coelitesque patronos peculiari devotione colebat. Decorem Domus Dei summopere dilexit ac templis instaurandis sacraque supellectili instruendis impiger incubuit. Quibus operibus adiecit sui corporis macerationem per voluntarias afflictationes, probe sciens potentes haberi adversarios in via Domini, sive externos, sive domesticos, eosque oratione et ieiunio esse superandos ac vincendos. Tandem, aegritudine ac labore fractus iamque coelo maturus, postquam Ecclesiae sacramenta devotissime accepisset et diem sui obitus praenunciasset, venia a Sodalibus circumstantibus petita, fidei, spei et charitatis actus cum signo crucis eliciens pie obiit, die 3 Decembris in festo Sancti Francisci Xaverii an. 1849. Pretiosa mors Servi Dei in luctum communem Tropiensium civium se vertit, qui Eum tamquam sanctum habebant et Calabriae Apostolum praedicabant. Interim solemnia funera, clero populoque adstante, persoluta fuere, Episcopo Ordinario Missam pontificalem celebrante, habita etiam a sacerdote Congregationis SSmi Redemptoris apposita oratione laudativa. Corpus ab ecclesia Patrum SSmi Redemptoris ad ecclesiam. Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo extra muros delatum cum magno comitatu, ibidem honorifice tumulatum fuit; donec, paucos post annos, obtenta licentia, templo Ligoriano restitutum, in eo quiescit, magni Dei et Salvatoris nostri expectans adventum. Fama sanctitatis quam Vitus Michael adhuc vivens adeptus fuerat, post obitum, etiam ob asserta signa et prodigia in favorem Eius opem implorantium, magis in dies clara adeo emicuit ut super ea in ecclesiasticis Curiis Tropiensi et Nucerina Paganorum Inquisitiones Ordinariae confectae sint et Romam ad Sacram Rituum Congregationem deductae. Quum vero omnia in promptu essent, instante Rmo P. Claudio Benedetti, Congregationis SSmi Redemptoris Postulatore Generali, attentisque litteris postulatoriis quorumdam Emrum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum aliorumque virorum ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Praenestinus et huius Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum

Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: « An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur ». Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, omnibus accurate discussis ac perpensis, rescribendum- censuerunt: « Supplicandum esse Sanctissimo Domino Nostro ut dignetur signare Commissionem ». Die 21 Iunii 1910.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Viti Michaelis Di Netta, sacerdotis professi e Congregatione SSmi Redemptoris, die 22 eisdem mense et anno.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *S. B. C. Praefectus.*

L. £g S. f Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

III.

TUNQUEN. *(Tunja)*

RESOLUTIO DUBIORUM CIRCA CONSUETUDINES IN MISSA NEO-SACERDOTIS, EXPOSITIONEM SANCTISSIMI SACRAMENTI, USUM CANDELARUM EX CERA STEARINA, PALMATORIAM IN OFFICIO FERIAE VI, IN PARASCEVE, BENEDICTIONEM IN COMMUNIONE EXTRA MISSAM ET BENEDICTIONEM CUM AUGUSTISSIMO SACRAMENTO IN IANUA ECCLESIAE POST PROCESSIONEM.

Hodiernus Sacrae Liturgiae Professor in Seminario Tunquensis Dioeceseos, in Columbia, annuente suo Rmo Episcopo Ordinario, insequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expostulavit, nimirum:

I. In prima Missa cantata a Neo-Sacerdote, praeter Ministros in Missa solemni adhiberi consuetos, duo inserviunt laici, quos Patrinos vocant, qui in parte et a latere Presbyterii stant, et quorum officium praecipue est aquam odoriferam ad manuum lotionem ter Neo-Sacerdoti effondere, videlicet, ante Missam, ad *Lavabo* et post sumptionem Calicis. Quaeritur: An continuari possit hic usus Patrinorum ?

II. Absoluta sua prima Missa, Neo-Sacerdos, retenta vel interdum deposita casula et sumpto pluviali, a matre sua in Presbyterium ingressa et stante, genuflexus benedictionem sic paratus recipit; mox surgens, matri genuflexae et ipse benedicit. Eodem modo fit quoad patrem Neo-Sacerdotis. Quaeritur: An haec consuetudo, quae vetustissima videtur, retineri queat?

III. Ex Decreto S. R. G. C*olimen.*, 12 Iulii 1901 ad I expositio ac repositio SSmi Sacramenti fieri nequit eo modo quo velum extensam in tabernaculo expositionis plicatur, et ipsum in repositione explicatur, media chordulae cuiusdam distensione in repositione, aut relaxatione in expositione, quae omnia a sacrista vel acolytho peraguntur. Hic vero modus expositionis et repositionis usurpatur fere in omnibus Ecclesiis et Oratoriis sive publicis sive semi-publicis, nec non et in Ecclesiis Regularium, ac diffìcile foret hanc generalem et vetustam consuetudinem tollere, quia thronus expositionis sic in altari est constructus, ut ad eum non facilis pateat accessus. Aliunde benedictio cum SSmo Sacramento in fine expositionis non datur, ut patet, quum ex S. R. G. Decretis dari debeat, nisi in aliquibus tantum Ecclesiis ditioribus, ubi aliud praesto est Ostensorium, in quo celeriter exponitur alia Hostia super altare, et tunc datur benedictio. Quaeritur: An, attentis peculiaribus circumstantes, praedicta consuetudo tolerari possit?

IV. Aliqui doctores liturgici affirmant posse in solemni expositione SSmi Sacramenti adhiberi tantum sex cereos. Quaeritur: An haec opinio ad praxim deduci liceat, praesertim in pauperibus Ecclesiis?

V. Ex variis S. R. G. Decretis, v. g. n. ° 2865 *Massilien.,* 16 Septembris 1843, n. ° 3376 *Policastren.,* 4 Septembris 1875 ad III, candelae ex stearina pro usu sacro prohibentur. In expositione tamen solemni SSmi Sacramenti nec non et in Missis solemnioribus, praeter numerum praescriptum cereorum, aliae permultae frequenter adhibentur candelae ex stearina, quae quidem collocantur hinc et hinc a latere tabernaculi et Crucis, extra tamen ambitum altaris. Quum autem aliquibus in locis altarium structura, saepe saepius perantiqua, non sinat candelas collocari nisi intra ambitum ipsius altaris, et ex altera parte propter cerae penuriam sumptus faciendi nimii esse deberent. Quaeritur: An praeter cereos praescriptos, sive in Missa, sive in benedictionibus cum SSmo Sacramento, aliae candelae ex stearina intra ambitum altaris adhiberi possint? Et quatenus negative, an, attentis circumstantes, praedicta consuetudo tolerari possit?

VI. Iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXV, n. 13, *Episcopus legit ex libro Prophetiam sine candela accensa,* qui modus loquendi significare videtur candelam in hoc officio non esse adhibendam. Quaeritur: Utrum in casu nullo modo adhibenda sit candela, an adhiberi debeat candela extincta?

VII. Ex S. R. C. Decreto n. ° 3792 *Strigonien.,* 30 Augusti 1892 ad X, post distributionem Communionis extra Missam benedictio, sub formula *Benedictio Dei,* semper danda est (uno excepto casu, quando datur imme-

diate ante vel post Missam Defunctorum). In Rituali autem Romano, tit. IV, cap. II, n. 11, dicitur quod Sacerdos, sumpto Sanctissimo Sanguine, porrigit communicandis Eucharistiam et finita Communione non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Missae. Quaeritur: Si certo constaret communicantes ante Missam usque ad eiusdem finem esse mansuros: an illa benedictio omitti possit vel debeat?

VIII. Ex Decreto S. R. C. n.° 1784 *Fanen.,* 19 Iulii 1687, benedictio cum SSmo Sacramento impertiri debet super altare in Ecclesia et non in ianua post Processionem. Attamen cum Decreto n. ° 3225 *Utinen.,* 20 Augusti 1870, Sacra rituum Congregatio rescripsit, praefatam consuetudinem (impertiendi benedictionem in ianua) esse tolerandam. Porro quamvis temporum et locorum circumstantiae de quibus in Decreto n. ° 3225, adamussim non verificantur, tamen eadem consuetudo pluribus in locis et Parochiis viget, ea praesertim de causa, qua permulti Christifideles, etiam milites, SSmum Eucharistiae Sacramentum comitantes, Ecclesiam, peracta Processione, ingredi nequeunt propter angustiam ipsius Ecclesiae et sic discedunt, et benedictionem, nisi in ianua ipsis impertiatur, non reciperent. Quaeritur: An in casu consuetudo retineri possit?

Et Sacra eadem Congregatio, requisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque accurate discussis et perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Tolerari posse; sed, quoad manuum lotionem, tantum ad *Lavabo.*

Ad II. Prouti exponitur, negative et ad mentem. Mens est: consuetudinem de qua in casu continuali posse, non tamen in Presbyterio et in Ecclesia, sed in sacristia vel alibi; et postquam Neo-Sacerdos deposuerit sacra paramenta.

Ad III. Standum Rubricis, Decretis et praxi universali.

Ad IV. Ad Ordinarium.

Ad V. Negative ad utrumque et standum Decretis, praesertim recentioribus ad rem datis, uti in uno *Natcheten.,* 16 Maii 1902, et in altero *Plurimum Dioecesium,* 14 Decembris 1904.

Ad VI. Candelam seu Palmatoriam nullo modo esse adhibendam.

Ad VII. Negative.

Ad VIII. Attentis expositis, consuetudinem servari posse.

Atque ita rescripsit, die 30 Iulii 1910.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

• i.

CRACOVIEN. *(Cracovia)*

NULLITATIS MATRIMONII - KRASINSKA-CHELKOWSKI.

Pio PP. X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno septimo, die 11 Iunii 1910, RR. PP. DD. Michael Lega, Decanus Ponens, *Gustavus Persiani et Guilelmus Sebastianelli, Auditores de Turno in causa* Cracovien. - Nullitatis Matrimonii *in gradu appellationis adversus sententiam rotalem diei 21 Ianuarii 1910, appellante Defensore Vinculi ex officio, eodemque in causa disceptante; appellatis autem Sophia Krasinska et Severino Chelkowski, repraesentat per procuratorem Nazarenum Ferrata, advocatum, sequentem tulerunt sententiam.*

Sententia ab H. S. Ordine prolata *die 21 Ianuarii 1910* in causa nullitatis matrimonii initi Cracoviae a Sophia Krasinska et a Severino Chelkowski, appellationis instantia, impetitur, iure ipso cogente, a Defensore Vinculi *ex officio.* Sententia enim rotalis edixit constare de nullitate matrimonii et ita infirmavit sententiam appellatam Curiae Cracovien. *die 4 Iunii 1909* quae de nullitate matrimonii non constare declaraverat.

Controversum matrimonium celebratum fuit Cracoviae in Ecclesia PP. Carmelitarum, nuncupata a B. M. V. *Piasku, die 28 Ianuarii 1892,* praesente R. D. Mikulski, parocho Ecclesiae Omn. Sanctorum, qui persuasum habebat, se non esse parochum *proprium* nupturientium ratione neque *domicilii* neque *quasi domicilii,* nec delegatione *legitima* pollebat, sed ratus est nihilo secius, matrimonium validum esse, quia, uti ipse reposuit in suo interrogatorio « R. D. Servatoski a Roma (S. Sede) habuit «facultatem assistendi matrimoniis illorum, qui matrimonia inire non « poterant intra fines imperii russiaci: mortuo autem R. P. D. Servatoski « fuit apud me b. m. P. Stanislaus Zaleski S. I. ostenditque mihi docu- « menta typis mandata ut mihi persuaderei, me eiusmodi personarum «matrimoniis valide assistere posse. *Dominus Chelkowski vero asseruit « suam sponsam esse inter numerum eiusmodi personarum* ». Quare opi¬natus est, sponsam immunem esse a lege Tridentina capitis *Tametsi,*

ob incommoda graviora, quae experta esset in observanda forma Tridentina coram parocho proprio, proindeque ubique contrahere posse valide.

Sub anno 1908 de validitate huius matrimonii introducta est quaestio, ad instantiam Sophiae, quae coniugalem vitam abruperat, sed *de nullitate matrimonii non constare* pronunciavit Curia Cracovien, duplici ex capite - *primo* quia dubium erat an tempore coniugii, Sophiae mater dereliquerit domicilium Cracoviae acquisitum, quippe quae propriam habuit domum omni supellectili instructam ad plateam Wolska n. 12, quamque habitare aliquando Sophiae parentes consueverant. - *Secundo* quia satis exploratum non erat, utrum obligatio servandae formae tridentinae cessaverit pro Sophia, propter graves difficultates eidem obstantes si matrimonium in Russia contraheret. - Quoad primum difficultatis caput, inter disputandum omne evanuit pondus, siquidem per incontroversum documentum patuit, matrem sponsae animum habere non potuisse tempore initi coniugii, iterum redeundi suam domum Cracoviae possessam, quum in mandatis dederit suo procuratori Dno Francisco Slenk eamdem domum vendendi. - Remanet *alia* dubitandi ratio, quam tamen e medio abstulisse documenta dein exhibita censuerunt RR. PP. Domini in sententia rotali diei *21 Ian. 1910,* pronunciantes *constare de nullitate matrimonii.* - In hodierna actione quaestio agitatur sub hac rogandi formula. *An sententia rotalis diei 21 Ian. 1910 sit confirmanda vel infirmanda in casu?*

In solutionem dubii haec perpenderunt RR. PP. Domini in primis *ad factum* quod spectat. 1. ° Plures attestationes confirmant assertionem Dominae Sophiae, se nempe Cracoviam contulisse, nuptias celebraturam, non ad effugienda pericula persecutionum sed ut suae devotioni satisfacere! erga Virginem Mariam sub titulo *na Piasku.* Eius soror Francisca Edwiges testatur: « Soror mea Cracoviam venit, die ante nuptias, et « divertii ad Hospitium " Grand-Hotel ", quia adhuc virgo proposuerat, «nuptias in Ecclesia B. M. V. *na Piasku* celebrare » et alia soror, Elisabeth, fatetur: « quin imo votum emiserat nuptias celebrandi in Sacello « B. M. V. *na Piasku* ». Item testatur Sophiae vir, Chelkowski, excludens alia ex causa, Cracoviae matrimonium celebratum fuisse. 2. ° Mater Sophiae in sua attestatione, non diffitetur, incommoda oriri potuisse ex matrimonio in Russiaco imperio celebrato, ait enim: « Recordor tamen « me semel adiisse Archiepiscopum (Varsavien.) Popiel et cum ipso de «hac re locutam. fuisse, atque ipsum dixisse: suadeo vobis ut potius « Cracoviam proficiscamini; tunc enim erat tempus aliquantulum peri« culosum » subdit vero eadem testis « modo recordor, quod non age« batur de matrimonio Sophiae, sed filiae natu maioris ». - Eadem

testis asseverati « Filius meus Henricus matrimonium iniit Wilnae, neque « ulla passus est obstacula vel incommoda ». Eademque testatur: « Demum « postquam maritus meus civitatem austriacam obtinuit, liberos palam « baptizare fecimus intra fines imperii russiaci et filiam Hedvigem pri- « mam baptizavimus et matrici inscripsimus Varsaviae ». 3. ° Constat ex eadem attestatione matris Sophiae, huius patrem eo consilio impetrasse civitatem austriacam « ut liberos suos contra persecutionem gubernii, et « poporum schismaticorum tueretur ». 4. ° Hanc conditionem autem ignorabat Parochus Mikulski cum deliberavit matrimonio Sophiae assistere; fatetur enim « de eorum civitate austriaca nihil scivi et persuasum mihi « erat, eos esse cives russiacos ». Postea vero subdit veluti in suam excusationem: « Etiam hodie puto, nupturientes, qui vel solam austriacam civitatem habent, sed bona possident intra fines imperii russiaci, posse esse expositos persecutionibus, si nuptias celebrare vellent intra fines imperii russiaci. *Ad me veniebant uniti, nati in Galicia, cives austriaci sed habitantes in imperio russiaco et dicebant, se ibi matrimonium inire non posse* ». Sed ipsum factum quod attinet, comparatio non habet fundamentum; hi enim *uniti* « (nempe *uniti* ecclesiae catholicae iidemque *desertores Ecclesiae orthodoxae russiacae* sed adhuc profitentes *ritum graecum)* in odio sunt legibus russiacis quippe qui videntur viam nimis facilem complanare Fidei Catholicae, sub ritu quoque graeco, profitendae. Quare *uniti* confundendi non sunt cum aliis fidem catholicam sub *ritu latino* profitentibus, etsi conversis e schismate orthodoxo.

Hisce in facto animadversis, ad *ius* quod spectat haec considerarunt RR. Domini. Quia ius naturale prae valet positivo vel ecclesiastico, S. Officium in Instruct. diei 7 Iulii 1877 declaravit: « legem tridentinam, « quoad suum effectum suspensam manere etiam quoad illa loca in « quibus fuit publicata atque in observantia servata, quoties aut non « amplius observari potest aut non potest observari quin pericula et « obstacula insuperabilia aut operatu difficilia offendantur ». Ad constabiliendum autem fundamentum huius declarationis, docet ipsa Instructio « in medium afferemus concordem theologorum canonistarumque opi- « nionem, multiplices S. C. Concilii resolutiones, recentem denique Pii « f. r. Papae VI decisionem in eius epistola in forma Brevis, Episcopo « Lucionensi in Gallia directa, die 28 Maii 1793, quae incipit: " *Perlectae « sunt etc. " ».*

Sacri Vinculi adsertor hanc declarationem obiecit contendens, Sophiam a sua nativitate inscriptam fuisse in tabulis schismaticorum et tantummodo clam et secreto s. baptisma, ritu catholico, suscepisse; quocirca coram parocho *proprio* in dioecesi Zhotopoliensi si contraxisset,

servata Tridentina lege, severitatem russiacarum legum, uti in suam ecclesiam rebellis, in se concitasset. - Ex adverso animadverterunt RR. DD. Auditores, Sophiae patrem suam suorumque conversionem ad fidem catholicam nedum protexisse a legibus russiacis per adoptatum *ritum catholicum latinum,* sed maxime *per susceptam austriacam civitatem.* Sibi. vero et suis efficaciter consuluisse, pro libertate catholicae confessionis, Sophiae patrem disertis verbis testatus est Consul Russiacus, ita: « Par conséquent une jeune fille dont le père originairement sujet russe « aurait changé de nationalité dans les formes légales avec toute sa « postérité et baptisée à l'étranger dans la religion catholique romaine, « quoique d'après les lois russes sur les mariages mixtes, elle eût dû « être baptizée ortodoxe-grecque, désirant épouser un catholique ro- « main de nationalité allemande ou de toute autre nationalité, et se « trouvant être au moment de son mariage catholique romaine et léga- « lement sujette étrangère, doit faire célébrer son mariage en Russie « dans une Eglise catholique romaine afin que le mariage soit reconnu « valide, d'après la loi russe en vigueur aussi en 1892 ».

Haec quae a Consule relata sunt se referunt ad catholicos *ritus latini* seu *romani;* cum in catholicos ritus graeci seu Ruthenos unitos vigeat lex exceptionis, quam Pater Roth. S. I. in litteris datis ad S. Congr. Concilii, 24 Iunii 1909, ita enunciat: « Catholici *ritus graeci* ***(i.*** e. uniti Rutheni) quamvis essent *cives austriaci* in Russia *degentes,* fere ad nostra usque tempora a gubernio russiaco cogebantur schisma profiteri et sacramenta in Ecclesiis schismaticis profiteri. Inde per documenta, quae exhibita sunt aliaque reperta in tabulario S. Congregationis *negotiis extraordinariis ecclesiasticis praeposita* patet S. Sedem provide succurrisse horum fidelium conditioni eosque fovisse omnimode, eosdemque securam tutelam pro sua fide protegenda expertes esse in professione *ritus latini* coniuncti cum *civitate austriaca* ».

Re sane vera (animadverterunt RR. Domini) gratiosae concessiones factae a S. Sede et ad acta exhibitae relate ad impedimentum *clandestinitatis,* omnes se referunt ad catholicos *ritus graeci* seu ad *unitos Ruthenos* et dumtaxat sub anno 1896 impertitae sunt Episcopo Cracovien, speciales facultates, scilicet « benedicendi matrimonia fidelium russiaci «imperii subditorum, qui, gravibus de causis, coram parocho proprio « nuptias celebrare nequeunt » nullo facto discrimine inter catholicos *latinos* et unitos Ruthenos seu *ritus graeci.* - Unde fluet consequens, tempore initi matrimonii hodie controversi, Ordinarium Cracoviensem neque pro se neque pro suis parochis obtinuisse extraordinarias facultates quoad catholicos *ritus latini,* in imperio Russiaco degentes. Ad

omnem vero diluendam dubietatem, perquisitum est tabularium praefatae S. Congregationis et exitus fuit ut modo posita consequentia plane confirmaretur.

Perpenderunt insuper RR. Patres praefatam concessionem factam a. 1896, hoc docere, ipsos catholicos *ritus latini* subditos imperii russiaci seu russiacos non in iis versari difficultatibus in susceptione sacramentorum et praecipue in celebratione *matrimonii* ut lex tridentina clandestinitatis eos non urgeret. Saltem hoc valde dubium fuisse, dicendum est; in dubio autem, plane vigere pro catholicis ritus latini legem communem et non fieri locum exceptioni seu immunitati ab eadem lege, nemo est qui ambigere possit: D'Annibale, *I, n. 184.*

Neque refert Sophiam in publicis tabulariis habitam fuisse non uti *catholicam,* sed veluti *schismaticam;* siquidem cum desierit esse civis russiaca, probatio ex praefatis tabulis vim habet usque dum legitimis documentis non probetur, eamdem alteri nationi adscriptam religionem catholicam profiteri. Unde Pater Roth S. T. in citatis litteris habet: « Dubitari nequit quin Sophia Krasinska, quippe quae tempore celebrationis erat civis austriaca atque insuper probare poterat, tum testimonio sui baptismi tum alio testimonio exarato a Reverendo Mikulski se esse catholicam *ritus latini,* libere potuerit nuptias celebrare intra fines imperii russiaci et consequenter obnoxia erat servandae formae tridentinae ».

Quod autem Sophia propter mutatam nationalitatem et per professionem religionis catholicae nullum periculum pertimescere posset ex parte gubernii russiaci, si contraxisset servata forma Tridentina, deducitur ex *facto;* scilicet ab exemplis desumptis a personis ipsius familiae Krasinska. Constat enim Hedwigem, sororem Sophiae solemniter baptismum suscepisse Varsaviae, quin tamen cuiquam de familia aliquod damnum e civili auctoritate obvenerit. Pariter ab ipsa Sophiae matre accipimus, Henricum Sophiae fratrem matrimonium Vilnae contraxisse a. 1897, publicis bannis in parochia praemissis, quin unquam vel levissimas poenas quilibet pertulerit.

Cuius argumenti vim RR. Auditores censuerunt, non enervari per animadversionem Defensoris vinculi animadvertentis, legum russiacarum severitatem effecisse ut matrimonium a Sophia *non potuerit perfici coram Parocho domicilii in dioecesi Zhotopoliensi,* quamvis idem celebrari, potuerit, *absque ullo incommodo in una ex ecclesiis catholicis in imperio russiaco positis.* Quod si veritati responderet, sequeretur absurdum, nempe ab ipsis severioribus legibus viam facilem aperiri fidelibus catholicis pro suscipiendis sacramentis a sacerdotibus catholicis, qui non expe-

rirentur severitatem legum dum opem et auxilium praeberent iisdem catholicis ad eludendas leges russiacas.

Difficultatem potius aliquam facere visa est attestatio Sophiae matris, asserentis, se Archiepiscopum Varsaviensem adiisse, eumdem consultum - *quia erat tempus aliquantulum periculosum* - cuius aliqualis periculi existentiam asserit etiam Dr. Stephanus Slek. - Quae assertiones hoc probare videntur, et *susceptam austriacam civitatem, et professionem catholicae religionis* sub *ritu latino,* saltem tunc temporis, non satis protexisse eum qui bona possideret in imperio russiaco, ibique domicilium fovebat. - Nihilo secius Patres Domini censuerunt, non heic agi de illa difficultate seu de illo graviori incommodo eximente a lege clandestinitatis. Nam mater ait, tempus fuisse aliquantulum periculosum, et Dr. Slek ait: « *Opinor eam timere potuisse sed cum certitudine id asserere non possum* ». Unde agitur *de non gravi eodemque dubio periculo* quod non eximit a lege communi. Nam relata Instructio S. Officii exquirit *pericula* et *obstacula insuperabilia aut operatu difficilia,* et Pius VI in Epistola ad Episcopum Genevensem die 5 Oct. 1793, docet non obligare legem clandestinitatis, si ad *parochum proprium recurri, nonnisi difficillime et periculosissime,* possit.

Sed alio ex capite DD. Auditores adverterunt, deduci posse usque ad evidentiam, in casu non habitam fuisse immunitatem a lege Tridentina. Nam eiusmodi *impossibilitas aut difficultas* debet esse *communis.* Card. Gasparri *De Matr. vol. II, n. 1175* edit. tert.; Wernz, *De Matr. n. 173.* Ast pro civibus austriacis iisdemque catholicis certe nullum periculum subest in susceptione sacramentorum intra fines imperii russiaci et dumtaxat propter politicas vicissitudines et nimium zelum alicuius Magistratus, aliquando aliquale periculum imminere potest iis qui tamen bona possident in dictione russiaca, ibique commorantur. Sed quantae iis civibus austriacis non suppetunt efficaciores rationes tum ad effugiendum aut arcendum periculum tum ad alibi *licite valide* et *commode* sacramenta suscipienda? Ut unum recolamus facile effugium, quo sibi consulere poterat Sophia, advertendum est quod refert ipse Vinculi adsertor, nempe ab altera Sophiae sorore contractum fuisse matrimonium non *coram parocho proprio in Russia* nec *ex huius delegatione,* sed Cracoviae *vi delegationis parochi sui viri.* Et iure merito, nam parochus *proprius viri,* fit et sponsae *parochus proprius* qui alterum delegare valet. Quare ergo et Sophia non servavit legem Tridentinam contrahens coram parocho proprio viri aut ex huius delegatione quod commode et absque ullo periculo perficere poterat?

Cum vero agatur de interpretanda voluntate legis *communis,* quae

non obligat ipsam *communitatem* cui eidem immineat, ex observantia, grave incommodum, versamur in odiosis et hinc non censetur subesse incommodum in communitatem pro aliquo particulari casu, si idem effugi valeat, aliqua non difficili ratione. Exinde *loc. cit.* docet Card. Gasparri: « At e contrario, stante communi impossibilitate, lex Tridentina obligat eum qui adhuc potest adire proprium sacerdotem vel delegatum aut saltem per litteras potest infra mensem obtinere a proprio sacerdote, id est a parocho, vel ab Ordinario vel ab ipso R. Pontifice delegationem alteri Sacerdoti qui matrimonio assistat ».

Quamobrem quaecumque fuerit persuasio Sacerdotis Mikulski et etiam Dñi Chelkowski qui videtur asseruisse *suam sponsam esse inter numerum personarum a lege clandestinitatis exemptarum,* tamen propter exposita nihili facienda esse visa est RR. Patribus, quia iuxta effatum: *«nostra existimatio rerum veritatem non mutat».* Notatum tamen voluerunt RR. PP. eumdem D. Mikulski in sua attestatione asseruisse: *de eorum* (nupturientium) *civitate austriaca nihil scivi.*

Quibus omnibus consideratis et sedulo perpensis.

Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes decernimus, pronunciamus et definitive sententiamus: *sententiam rotalem esse confirmandam* et ita ad propositum dubium *affirmative* respondemus.

Praeterea mandamus ut expensas iudiciales Dnus Severinus Chelkowski et Dna Sophia Krasinska, in aequali parte, sustineant et solvant.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium ad quos pertinet ut hanc nostram definitivam sententiam executioni mandent et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim *cap. 3, Sess. XXV* Conc. Trid. *de Reform.* iis adhibitis exsecutivis et coercitivis remediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in Sede Tribunalis, die 11 Iunii 1910.

Michael Lega, Decanus, *Ponens.*
L. S. Gustavus Persiani.
Guilelmus Sebastianelli.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

II.

Citatio Edictalis

SANCTI CHRISTOPHORI DE HABANA.

NULLITATIS MATRIMONII.

Cum ignoretur domicilium et locus actualis commorationis Duae Catharinae Laza, eamdem per praesens edictum citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 8 Novembris an. 1910, hora undecima, ad videndum subscribi infrascriptum dubium, necnon destinari diem, in qua habebitur Turnus Rotalis pro tractatione causae: « An sententia Rotalis sit confirmanda vel infirmanda in casu ».

Ordinarii locorum et fideles quicumque notitiam habentes de domicilio aut commorationis loco Dominae conventae, curare debent, si et quatenus fieri posset, ut de hac edictali citatione moneatur.

Romae, die 24 Augusti 1910.

Guilelmus Sebastianelli, *Ponens.*

Ioannes Ladelci,
Notarius S. R. Rotae.

(Traduction).

TRIBUNAL DE LA SACRÉE ROTE ROMAINE.

Citation par Edit.

DE ST. CHRISTOPHE DE ABANA - NULLITÉ DE MARIAGE.

Étant inconnu le domicile et le lieu de la demeure actuelle de Madame Catherine Laza, par le présent édit Nous citons la même Dame Catherine Laza à comparaître par propre personne ou par un procureur légitimement constitué au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine, le 8 Novembre 1910, à 11 heures du matin, pour voir souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote. - *Doute:* « La sentence Rotale doit-elle être confirmée ou infirmée ? »

Les Ordinaires des lieux et les fidèles ayant connaissance du domicile ou du lieu de la demeure actuelle de la dite défenderesse, doivent, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.,

Rome, le 24 Août 1910.

Guillaume Sebastianelli, *Ponent.*

Jean Ladelci,
Notaire de la S. M. Rote.

SIGNATURA APOSTOLICA

PLATIEN. (*Piazza Armerina*).

REDDITIONIS RATIONUM.

Inter Administratores Ecclesiae Matricis oppidi Castri Ioannis actores, repraesentatos per legitimum Procuratorem Adv. Christophorum Astorri; atque Illmum et Revmum Episcopum Platien. conventum, repraesentatum per legitimum Procuratorem Adv. Aloisium Lavitrano.

Administratores Ecclesiae Matricis et Collegiatis in oppido Castri Ioannis, dioecesis Platien., quorum quatuor sunt Dignitates Capituli et duo Procuratores laici - (ex bulla fundationis Capituli an. 1708, ad Capitulum qua tale nullimode pertinet administratio eiusdem Ecclesiae) - asserunt se gaudere privilegio, quod plusquam centenaria consuetudo confirmaverit, exhibendi Ordinario suo tantum redditionem rationum expensarum, quae iam factae essent, (vulgo *bilancio consuntivo),* et quidem singulis trienniis atque in cursu S. Visitationis. Nihilominus hodiernus Antistes Platien. anno 1905 extra S. Visitationis tempus repetiit provisionem accepti et expensi atque redditionem rationum expensarum universim *(bilancio preventivo e consuntivo)* contra praesumptam inveteratam consuetudinem. Tum Administratores obtemperare Episcopo iubenti renuerunt, allegantes privilegiatam suam conditionem, quae a reddendis expensarum rationibus extra S. Visitationis tempus eos eximeret.

Ordinarius autem poposcit ab uno ex Procuratoribus atque obtinuit nonnulla saltem ex documentis, quae praesumptum privilegium adstruere dicebantur. Haec quidem documenta ipse Ordinarius Romam misit ad S. C. Concilii implorans, ista super controversia, Supremi Consessui decisionem.

S. C. Concilii rem *per Summaria precum* pertractans, sub die 18 Novembris 1905 respondit: *Servetur ius commune.* Qua quidem decisione fultus Ordinarius, die 22 Iunii 1908 decretum protulit, quo singulis Administratoribus rerum ecclesiasticarum praecipiebatur, ut quolibet anno provisionem accepti et expensi *(conto preventivo)* item et rationum expensarum redditionem *(conto consuntivo)* sibi exhiberent, nulla facta men-

tione praesumpti privilegii Ecclesiae Matricis. Administratores eiusdem Ecclesiae contra hoc decretum ad S. G. Concilii recursum fecerunt.

Quae tamen, recursum ad Emorum Patrum examen non admisit, responditque: *In decisis.* Quum autem alia plurima documenta, quibus praesumptum privilegium Ecclesiae Matricis demonstrari asserebatur, in medium afferrentur, et ad S. C. Concilii transmissa fuissent, haec deliberavi! propositam quaestionem denuo examinandam suscipere. Interim post editam Pontificiam Constitutionem « *Sapienti Consilio* » de Romanae Curiae reformatione, haec Causa penes S. C. Concilii ad exitum perduci non potuit. Proinde Administratores Ecclesiae Matricis petierunt, ut Causa remitteretur ad Supremum hoc Apostolicae Signaturae Tribunal. Igitur humillimae preces SS. D. N. Pio Papae *X* porrectae fuere, ut *Commissionem Pontificiam* indulgere dignaretur, cuius vi Causa Platien. rationum redditionis ad Supremum hoc Tribunal definienda traderetur tum circa restitutionem in integrum, tum circa praesumpti privilegii valorem de reddendis ab Administratoribus Ecclesiae Matricis in oppido Castri Ioannis tantum rationibus expensarum, quae iam factae fuerint *(bilancio consuntivo)* Ordinario Platien., singulis trienniis et in cursu S. Visitationis. Sanctissimus *Commissione Pontificia* benigne indulta, iussit Auctoritate Sua Causam hanc proponi apud Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, ut Emi Iudices eam *de novo* cognoscerent atque dirimerent.

Causa igitur funditus pertractata est in Ordinaria Supremi Tribunalis Sessione habita in aedibus Vaticanis die 18[a] mensis Iunii currentis an. 1910, relatore Rmo et Emo P. D. Sebastiano Card. Martinelli, propositis, antea inter partes concordatis dubiis, scilicet:

1. ° *An restitutio in integrum concedenda sit in casu?* Et quatenus affirmative;

%°. An privilegium quod sibi vindicant, quoad rationum redditiones, Administratores sustineatur in casu; ita ut eximantur a quavis redditione rationum, praeter rationes expensarum (vulgo *conto consuntivo) exhibendas Ordinario singulis trienniis et in cursu S. Visitationis?*

Eminentissimi Iudices responderunt:

Ad l.[um] *Non esse locum restitutioni in integrum.*

Ad 2.[um] *Negative.*

In expensis autem iudicialibus Supremum idem Tribunal condemnavit Administratores Ecclesiae Matricis oppidi Castri Ioannis, dempto tamen honorario advocati Illmi ac Revmi Episcopi Platien.

Atque ita editum est, pronunciatum, decretum, declaratum, iudicatam; mandatumque ut haec definitiva sententia publici iuris fieret, atque ab omnibus ad quos spectet executioni mandaretur, non solum etc. sed et omni etc.

Datum Romae ex aedibus Supremi Tribunalis die 26ª mensis Iunii 1910.

L. £g S. Nicolaus Marini, *a Secretis.*

Ita est.

Iosephus Adv. Fornari, *S. T. A.*

SECRETARIA STATUS

EPISTOLAE

AD BARONEM DE MONTENACH, PRAESIDIS VICES GERENTEM SOCIETATIS POPULARIS CATHOLICAE HELVETIAE, OCCASIONE PRIMAE " HEBDOMADAE SOCIALIS " CATHOLICORUM HELVETIORUM.

J'ai reçu la lettre par laquelle vous faites connaître au Saint Siège le Programme de la première « Semaine Sociale"» des Catholiques Suisses, ainsi que les principes directeurs que ses promoteurs donnent à ce mouvement d'action sociale, organisé sous les auspices de l'Association Populaire catholique Suisse, approuvé et béni par vos Evêques très vénérés.

C'est avec une vive satisfaction que le Saint-Père reçoit de vous l'assurance que les organisateurs de votre « Semaine Sociale » sont profondément attachés aux directions du Saint Siège, et fermement résolus à les suivre dans la pratique, en plaçant leurs œuvres sur les plus solides fondements religieux, et en leur donnant un lien d'union dans la vaste fédération de vos œuvres catholiques. Vous les préserverez ainsi des divisions stérilisantes et des infiltrations dangereuses.

Les orateurs et les conférenciers de vos cours devant s'inspirer des mêmes principes, nul doute, que votre « Semaine Sociale » ne soit bien profitable au développement de vos institutions catholiques.

Le Saint-Père me donne l'agréable mandat d'envoyer, avec Ses paternels encouragements, la bénédiction apostolique aux organisateurs de la première « Semaine Sociale » Suisse.

Veuillez agréer, Monsieur, l'assurance de mes sentiments très distingués.

Le 4 Juillet 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L.)$(S. a *Secretis Status.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE CONCISTORIALE

AVVISO DI CONCORSO.

Nella sacra Congregazione Concistoriale, il giorno 15 del prossimo mese di Ottobre, avrà luogo il concorso ad un posto di Officiale.

Coloro, che desiderassero di prendervi parte, dovranno, entro un mese dalla data del presente, esibire nella Segreteria di detta sacra Congregazione la domanda corredata dei titoli necessari per l'ammissione.

Roma, 7 Settembre 1910.

Scipione Tecchi, ***Assessore.***

S. CONGREGAZIONE DEI RELIGIOSI

AVVISO DI CONCORSO.

Nella Sacra Congregazione dei Religiosi, il giorno 15 del prossimo mese di Ottobre, avrà luogo il concorso a un posto di Ufficiale minore.

Coloro, che desiderassero di prendervi parte, dovranno, entro un mese dalla data del presente, esibire nella Segreteria di detta Sacra Congregazione la domanda corredata dei titoli necessari per l'ammissione.

Roma, 9 Settembre 1910.

Francesco Cherubini, *Sotto-Segretario,*

Annus II. - Vol. II. Die 15 Septembris 1910. Num. 18.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

I.

SUPERIORI PRO TEMPORE SANCTUARII B. M. VIRGINIS DE " POUPSIS " IN DIOECESI HIERACENSI (GERACE) TITULUS PRAELATI DOMEST1CT IN PERPETUUM CONCEDITUR.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Constat apprime Sanctuarium de Poupsis appellatum in dioecesi Hieracensi extans, inter sanctiora ac vetustiora totius Calabriae iure meritoque accenseri posse. A Decessore enim Nostro Sancto Silvestro Papa, uti fertur, in honorem Virginis erectum, labentibus saeculis a Romanis Pontificibus, atque Archiepiscopis et Episcopis auctum ornatumque fuit, et mirificis artis operibus conspicuum, ad nostra usque tempora quasi perenne monumentum Calabriae regionis, germanas fidem devotionemque luculente testatur. Illuc innumerae turmae fidelium, gratiarum sequestrae Virginis opem implorantium, confluere solent quotannis; sed nuper Sanctuarium idem gravi damno, immanis terraemotus vi perculsum, supremum in discrimen venit, et Cleri populique ope indiget, ut reficiatur et instauretur. Nos vero quibus nobilis Calabra terra summopere cordi est opem prope certam foventes, futurum ut Sanctuarium idem brevi ad pristinum splendorem redeat, ut perinsignis aedis Virginis de Poupsis, quantum est situm in Nobis, singulari Pontificiae voluntati» significatione, provehendo decori consulamus, votis quoque annuentes Antistitis Hieracensis, qui utpote Supra«uperior in eodem Sanctuario supremam auctoritatem exercet, Apostolica Nostra auctoritate, vi praesentium, perpetuum in modum concedimus, ut hodiernus Superior et alii in posterum Superiores, ipsius Sanctuarii Virginis de Poupsis in dioecesi Hieracensi, ad nutum Episcopi eligendi et vocandi ad munus praefatum arbitrio illius Antistitis duraturum, An-

tistitum Urbanorum, idest domesticorum Praelatorum titulo ac dignitate, ipso dumtaxat durante munere, polleant. Itaque hodiernis aliisque ad nutum Episcopi designandis in posterum, memorati Sanctuarii superioribus, quousque in munere permaneant, pariter per praesentes, Apostolica auctoritate veniam tribuimus, ex qua ipsi violaceas vestes induere, atque etiam in Romana Curia, lineum amiculum manicatum sive Rochetum gestare licite possint ac valeant, atque fruantur, utantur singulis quibusque honoribus, privilegiis, praerogativis, indultis quibus alii ecclesiastici viri hac dignitate aucti fruuntur, utuntur, vel uti frui possunt ac poterunt. Verum expresse praecipimus ut superiores iidem, quum quavis de causa vel ab officio gerendo amoveantur, vel ab ipso sponte abdicent, haud amplius, ulla unquam ratione, huiusmodi domesticorum Praelatorum titulo atque insignibus uti praesumant. Decernentes praesentes litteras firmas, validas atque efficaces existere et fore,, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae regula de iure quaesito non tollendo, aliis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die iv Maii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. S. *a Secretis Status.*

II.

EMINENTISSIMIS VIRIS S. R. E. CARDINALIBUS GEORGIO KOPP, EPISCOPO WRATISLAVIENSIUM, ANTONIO FISCHER, ARCHIEPISCOPO COLONIENSIUM CETERISQUE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS REGNI BORUSSICI FULDENSEM CONVENTUM CELEBRATURIS.

PIUS PP. X.

Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem.— Fuldensem de more acturi Conventum quo sitis animo comparati, satis declarant plenae amoris et observantiae litterae ad Nos datae die XXIII proxime lapsi mensis Augusti. Rati enim eam esse condicionem temporum, quae singularem postulet sacrorum Antistitum

vigilantiam atque solertiam, nihil opportunius censuistis quam Caroli Borromaei praeclara exempla vobismetipsis imitanda proponere, simulque habere prae oculis quae nuperrimis encyclicis Litteris de Sancto illo Viro fuse monuimus. Cuius exempli luce vobis ad intuendum constituta, vix est cur nova studiis vestris adiciantur incitamenta ut, funestos huius aetatis errores a commisso vobis grege arceatis, ut foveatis pietatem, ut populi mores ad christianae vitae instituta conformandos curetis. Quapropter nihil dubitantes quin vestrae congressiones dignum explorata prudentia vestra et exspectatione Nostra habiturae sint exitum, clementissimum Deum vehementer precamur, ut vos in proposito sancto confirmet, Nobiscum et cogitando et agendo arctius usque coniungat, impavidos efficiat catholicae Fidei adsertores disciplinaeque vindices, quo possitis de religione ac de populo vestro, sicut antea, mereri quam optime. Quae omnia ut pro votis cedant, Apostolicam Benedictionem, paternae dilectionis testem, vobis, dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II mensis Septembris MDCCCCX, Pontificatus Nostri anno octavo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. ✠ S. *a Secretis Status.*

III.

AD MINISTROS GENERALES TRIPLICIS FRATRUM MINORUM FAMILIAE DIONYSIO SCHULER, DOMINICO REUTER, PACIFICO A SEIANO[1].

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Paucis ante diebus, ex occasione saecularium solemnium ob memoriam Franciscalis Ordinis instituti, Apostolicas Litteras « *Septimo iam pleno saeculo* » edidimus in eum quidem finem, ut fraternam concordiam, quae inter tres Ordinis vestri familias intercedere debet, apte confirmaremus. Nunc, eiusdem concordiae studio adducti, ad ea revertimur, quae per ipsas illas Litteras vel declaravimus vel decrevimus, quo nempe mens et voluntas Apostolicae Sedis in hoc argumento illustretur magis et pateat. Quas enim contentionum conviciorumque causas aut humanae cupiditates sub

[1] Improbantur dicta in quodam *Memoriali.* Eius auctores humiliter se subiecerunt.

specie recti aut opinionum errores afferre consueverunt, eas omnes resecari de medioque tolli iam tandem oportet. Igitur, habentes rata quaecumque a Nobis in iisdem, quas memoravimus, Apostolicis Litteris definita, constituta, concessa sunt, haec praeterea documenta praeceptaque Nostra inviolate ab omnibus in perpetuum custodiri volumus.

I. Etsi beatus Franciscus simplici *Fratrum Minorum* nomine sodales Ordinis sui nominavit, id tamen minime prohibuit, quominus, Ordine Franciscali in duas primo, in tres deinde Familias canonice diviso, hae Familiae peculiarem appellationem, nomini Fratrum Minorum additam, invenirent, qua nimirum inter se facile distinguerentur: quod cum mente Seraphici Patriarchae pugnare, nemo sine temeritate dixerit.

II. Minores Conventuales profecto, ut corpus distinctum, ante annum MDXVII non extiterunt: sed pariter Minores a Regulari Observantia, ut corpus distinctum, ipso dumtaxat anno ac die, quo Conventuales, legitime esse coeperunt. Ante editam a Leone X Constitutionem « *Ite et vos,* » quae quidem prodiit die xxix maii anno MDXVII, non ex Conventualibus tantum, nec ex solis Observantibus constabat Ordo Minorum; sed ex utrisque. Ipse Leo X in ea Constitutione Fratres « Regulam ipsam B. Francisci pure et simpliciter observantes » inter se copulans, « ex quibus omnibus supradictis, inquit, *unum corpus insimul facientes,* eosdem ad invicem perpetuo unimus ». Quod factum attingens, Leo XIII affirmat: « Aliorum ab aliis secessione facta, hinc Observantes orti, illinc Conventuales... Ex prioribus iis Fratrum Capulatorum Familiâ coalitâ, divisio tripartita consecuta est ».

III. Nec vero fas est a Conventualibus nomen propriamque rationem abiudicare Fratrum Minorum, quasi Regulam Sancti Francisci in maximis quibusdam rebus non observent. Iniurium hoc est iis religiosis viris, qui, licet in quibusdam Regulae Seraphicae capitibus, ex venia Sedis Apostolicae, mitiorem sequantur disciplinam, praecepta tamen consiliaque, in quibus ipsius Regulae summa consistit, numquam non observarunt. Quod si legitimus usus privilegii aut indulti, religiosam aliqua ex parte mitigantis Regulam, degenerem sancti cuiuspiam Conditoris prolem argueret, iam haud facile religiosum Ordinem reperires, cuius sodales, sive antistites sive alumni, se iure semper Auctoris sui filios praedicare possent; quandoquidem saepe fit, ut indulgentia Sedis Apostolicae indigeant, quae Regulae rigorem temperet. Hoc plurima Apostolicae Sedis acta, tum vetera tum recentia, confirmant; ex quibus apparet huiusmodi indulta Observantibus quoque et Capuccinis ipsis haud raro tributa esse, atque illa non modo sodalibus singulis aut coenobiis, sed etiam certis provinciis et ad tempus universae eorum Fami-

Hae, idque in causa paupertatis atque in tractatione pecuniarum: nec tamen quisquam propterea suspicatus est ipsos vere Fratres Minores, quales fuissent, esse desiisse.

IV. Quod autem Minores Capuccini e Minoribus Regularis Observantiae orti sunt, non idcirco inferioris conditionis sunt habendi, multoque minus Fratrum Minorum pura simplicique appellatione privandi. Ipsi enim non alii sunt, quam Franciscani sodales, qui, quum Regulae Seraphicae observantiam in sinu Familiae Observantium communiter usque a principio inivissent, eam ipsam deinde continuare cum severioris disciplinae studio instituerunt, coalescentes seorsum in corpus Minoriticum, canonice constitutum et Apostolicae Sedis auctoritate recognitum, sub Capuccinorum cognomine.

V. Plena temeritatis est ea sententia, illud recte argumentando colligi, beatum Franciscum unius tantum Familiae Minoriticae, nempe Fratrum a Regulari Observantia, legitimum seu authenticum esse parentem; nec minus temerarie contenditur, si tres Familiae proprium unaquaeque cognomen adhibere deberent, hoc sequuturum, nullam ex tribus Familiis Franciscanis, quae hodie exstent, a Francisco profectam esse, propterea que Ordinem Franciscanum veri nominis iam interiisse: quae quidem eo spectant ut inferatur, nec beatum Franciscum Conventualium et Capuccinorum esse legitimum seu authenticum Patrem, et harum Familiarum neutram verum esse Franciscalium Ordinem.

VI. Iniuriosum est in Conventuales et Capuccinos, negare ipsos in Primo Ordine numerari eodem prorsus pacto ac Sodales Regularis Observantiae, propterea quod priores illi pontificiis utantur indultis, alteri autem non admodum obsequantur Francisco, qui alumnos instituti sui omnes ***uni*** Ministro Generali parere iusserit.

VII. Persuadere autem velle, Familiam Fratrum Minorum Regularis Observantiae esse unicam, cuius perpetuitas vitae legitimae inde a beato Francisco ad hanc diem et historiae monumentis et iuris argumentis ostendi possit, contumeliosum est in duas reliquas Franciscalium Familias, ipsarumque iuri, ab Apostolica Sede sancito, contrarium; quo iure usque ad Seraphicum Conditorem sine ulla intermissione revehuntur.

VIII. Item falsa et duabus aliis Minorum Familiis iniuriosa sunt illa: vel successionem non interruptam pristini Minorum Ordinis tantummodo in Familia Fratrum Regularis Observantiae atque in serie Ministrorum eius Generalium inveniri, vel successorem Sancti Francisci legitimum, ob non interruptam decessorem seriem, nullum esse nisi Ministrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum, seu Regularis Observantiae.

IX. Quod si apud quemvis religiosorum Ordinem in duas pluresve Familias aut Congregationes canonice divisum, quae, quum unam eamdemque Regulam servent, Constitutiones tamen sequuntur monastica austeritate dispares, isti, quos hic improbamus, spiritus valerent, profecto passim increbrescerent exempla fratrum, pertinaci studio inter se de primatu Congregationum, de dignitate antistitum, de hereditate ac successione Auctoris sui contendentium, magna cum offensione christianae plebis, maiore cum iactura christianae humilitatis, caritatis fraternae, religiosaeque disciplinae. -— Igitur, de quolibet religiosorum Ordine, canonice diviso in plures Familias, quae unam eamdemque Regulam secundum suas quaeque Constitutiones observent, haec edicimus, in legitima Ordinis pristini seu indivisi stirpe omnes numerandos esse sodales, quotquot sunt e variis Familiis, in quas is ordo divisus rite fuit; eorumque summos moderatores habendos omnes esse pari iure veros Patris legiferi successores, utpote successione numquam interrupta ab eo profectos; atque ipsos, etiam quum eorum unus ab alio deberet suae creationis ratihabitionem petere, sui iuris seu *autonomos* inter se fuisse, plenamque auctoritatem et iurisdictionem in suos quemque subditos exercuisse.

X. Licet tres Minorum Familiae, quemadmodum hodie sunt canonice constitutae, antiquiores non sint saeculo xvi; omnes tamen eodem pacto ac pari iure « habent originem seu principium realiter et cum « effectu computandum a tempore primaevae et originalis institutionis « Regulae Seraphicae sine aliqua interruptione seu divisione, per veram « lineam rectam numquam interruptam », uti solemniter a decessoribus Nostris, Leone X, Clemente VIII, Paulo V, Urbano VIII, Clemente XII et a Nobis ipsis in causa Observantium, Reformatorum et Capuccinorum declaratum est; quae declarationes etiam Conventualibus pleno iure suffragentur.

XI. Itaque nullo pacto tolerandum est quod asseritur: « Duo vel « tres Ministros Generales Minorum non posse eodem tempore esse et « haberi veros legitimosque successores Sancti Francisci, nisi manifesta « ipsius praescriptione contempta, quemadmodum non licet simul esse « duos vel tres Pontifices Maximos, eosque haberi Vicarios Iesu Christi « et successores Sancti Petri, quum Christus ipse aperte iusserit unum « Ecclesiae suae praeesse Pastorem ». Hoc asserendo, primum magna fit ecclesiastici iuris cum divino confusio; deinde perniciosus error admittitur exaequando successioni Pontificum in Cathedra beati Petri successionem antistitum in supremo regimine Ordinum Religiosorum; quum quidem huius successionis vis omnis ab auctoritate manet Apostolicae

Sedis, cuius concessu Ordines Religiosi non solum habent, quidquid iuris habent, sed hoc omnino ut sint, successio autem Pontificum Romanorum Iesu Christi ordinatione nitatur.

XII. Tribus Familiis Minoriticis itemque singulis ipsarum alumnis aptanda perpetuo sunt ea verba, quibus S. Congr. Concilii, quum causa ageretur de Tertio Ordine, usa est, quaeque deinceps Benedictus XIV in Litteris Apostolicis « *Laudabile* » die II Augusti MDCCXLV adhibuit: « Facultatem hanc potestatemque Tertium Ordinem Poenitentiae instituendi « iis omnibus tributam fuisse, qui divi Francisci, horum omnium Pa« rentis, legitimi Filii sunt et veri Successores, quoque demum nomine « nuncupentur, sive Minores Observantes, sive Excalceati, sive Recollecti, « sive alio atque alio, eousque porrectum fuit, ut Minoribus etiam Ca« puccinis facultas illa tributa fuerit ». Idque recte: siquidem omnes pari iure Franciscales sunt. Quod si Apostolica Sedes singulos ipsos fratres veros Sancti Francisci successores agnoscit, dolendum sane, tam multum diuque de his rebus disceptatum esse eo consilio, ut una Familia Minoritica supra ceteras attolleretur.

XIII. Ea verba Constitutionis « *Felicitate quadam* » de Fratribus Regularis Observantiae: « Qui concessu Sedis Apostolicae antecedunt « loco et honore ceteros, quique *Fratrum Minorum* merum nomen a « Leone X acceptum retinent » itemque illa « Ministrum Generalem totius « Ordinis Minorum, uti ius est, vocant » non ita interpretanda sunt, tamquam primatum illius Familiae Minoriticae in reliquas duas significent, aut quasi indicent ipsam solam in possessione esse non interruptae Sancti Francisci successionis, verum ut haec denotent: in numerandis legitime Familiis Minoriticis primo loco Familiam Regularis Observantiae numerari debere; Ministrum eius Generalem duobus aliis Ministris Generalibus Minoriticis in coetibus sacrisque publicis praecedere; eumdem honoris causa rite posse et appellatione uti Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, et sigillum adhibere quod hunc ipsum titulum impressum habeat.

XIV. Nomen merum Fratrum Minorum Fratribus Regularis Observantiae certe Leo X dedit, idque, ut datum a Decessore fuerat, Leo XIII confirmavit. Sed utriusque Pontificis non ea mens fuit, ut huiusmodi appellatio nullum umquam appositum admitteret, etiam si ad vitandam ambiguitatem videretur necessarium; eoque minus, ut ipsa in instrumentum verteretur inanis gloriae ad sodales ceterarum Familiarum deprimendos. Etenim Leo X Fratribus, de quibus loquimur, facultatem quidem fecit, non necessitatem imposuit utendi eo mero nomine: nam, quum eos solemniter nuncupasset *Fratres Minores Sancti Francisci Re-*

gularis Observantiae, nihilominus liciturum eis dixit, *vel simul vel disiunctive,* usurpare hunc titulum, id est expresso tacitove cognomines *Regularis Observantiae.* Vix autem attinet dicere, hoc titulo non solum significari disciplinae laudem eorum sodalium propriam, sed etiam peculiarem notam, quae ipsos a ceteris Fratribus Minoribus distingueret. — Id. vero, nec aliud quidquam, voluisse Leonem X ex eo apparet, quod ipse paucis diebus post editam Constitutionem « *Ite et vos,* » in Litteris Apostolicis « *Cum in honorem* » die vi Iunii MDXVII, ac deinceps in aliis plurimis Fratres Minores quos coniunxerat, eos *Fratres Minores* appellat *Regularis Observantiae,* vel *de Observantia,* vel *Ordinis beati Francisci Regularis Observantiae.* Praeterea, Fratres commemorans duplicis Familiae Minoriticae ab ipso constitutae, sic eos vocat, *Fratres Observantes et Conventuales.* — Atque hoc loco animadvertendum est, non iure ex Constitutione « *Licet alias* » diei vi Decemb. MDXVII eiusdem Leonis quidquam colligi, quod Conventualibus et Capuccinis obsit. Ibi enim nihil aliud agit Pontifex, quam Fratres Regularis Observantiae defendit contra nonnullos, qui eos esse legitimos Francisci filios negabant. Quum igitur ait: « Quod.... veri et indubitati Fratres Ordinis beati Francisci et eius « Regulae observatores semper fuerint, ac, divina favente gratia, sint « futuri sine aliqua interruptione.....», de iis profecto illud affirmat quod ab adversariis negabatur *veros* esse Fratres Franciscales, nequaquam excludit alios. Adde, iisdem fere verbis deinceps Apostolicam Sedem in causa Minorum Strictioris Observantiae et Capuccinorum usam esse; quae verba Nos in Litteris Apostolicis « *Septimo iam* » attulimus. — Ceterum qui Leonem X subsecuti sunt Pontifices, similiter eosdem Fratres Minores ab ipso coniunctos adiecto *Regularis Observantiae* cognomine designare consueverunt. Ita Hadrianus VI, Clemens VII, Paulus III,, Iulius III, Paulus IV, Pius IV, Pius V, Gregorius XIII, Xystus V, Clemens VIII. Neque aliter reliqui factitarunt decessores Nostri usque ad promulgatam Constitutionem « *Felicitate quadam* », qui fere, quum de his Minoritis loquerentur, appellationem Regularis Observantiae usurparunt. Quin etiam huiusmodi appellatio apud ipsos Fratres in amore semper et in usu fuit: qua de re iniustam hanc [querelam habet recens quoddam *Manuale Historiae Fratrum Minorum* (ubi alia non pauca insunt minime probanda): « Dolendum est quod Ordo titulum Regularis « Observantiae ita adamavit, ut eum retineret ad annum usque 1897 »..

XV. Hic igitur titulus sexcentis Apostolicis Litteris, maxime ab anno MDXVII ad annum MDCCCXCVII usitatus, honestissimus fuit semper atque erit Familiae Minoriticae, de qua loquimur. Sed non minus honestus est ille quem Nos eidem attribuimus *Fratrum Minorum ab Unione*

Leoniana: quippe recordationem continet duplicis facti, utique memoria dignissimi, unionis scilicet semel a Leone X per Constitutionem *« Ite et vos »*, iterum a Leone XIII per Constitutionem « *Felicitate quadam »* peractae. Quod si tamen quis contenderet, oportere semper nomen Fratrum Minorum adhiberi, omni appositione reiecta, ille sane suspicionem moveret, non tam se suae Familiae vindicare titulum, qui numquam tributus est ut proprius et peculiaris, quam velle abuti hoc ipso titulo ad ceteras deprimendas Familias, suam extollendam.

XVI. Summum Moderatorem Fratrum ab Unione Leoniana saepissime Romani Pontifices non *Ministrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum,* sed *Ministrum Generalem Minorum de Observantia,* vel *Regularis Observantiae,* vel *Ordinis beati Francisci Regularis Observantiae,* vel *Ordinis Sancti francisci de Observantia* appellare soliti sunt. Ita Leo X post Unionem peractam, eiusque proxime successores in plurimis Litteris; ita ceteri decessores Nostri in non paucis usque ad Leonem XIII factitarunt, quemadmodum Apostolicae Sedis acta testantur. Quare is quidem titulum Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum et ipse adhibere suo arbitratu poterit, et exigere a suis subditis, ut adhibeant; verumtamen, si sapit, indigne non feret, quod ab iis praesertim, qui suae ditionis non sunt, ambiguitatis praecipue, vitandae causa, cum appositione nominetur aut Unionis Leonianae, quae nota est historica, aut Regularis Observantiae, quod est insigne Familiae.

XVII. Liquet ex his quanta iniuria improbetur titulus Unionis Leonianae :

a) vel quod *eum Fratrum Minorum Ordinem subruat, qui usque ab aetate Francisci, Conditoris sui, legitima vita pollet:* - quasi duae aliae Familiae Minorum non item legitime viverent, aut ab ipso Francisco originem non ducerent;

b) vel quod *eosdem Fratres Minores abhinc annis duodecim ipsis, quum Constitutio « Felicitate quadam » prodiit, legitime esse coepisse indicet:* - id enimvero Nostris Litteris « *Septimo iam »* manifeste repugnat ;

c) vel quod *menti Leonis XIII et verbis Constitutionis eius « Felicitate quadam » adversetur*: - tamquam is Pontifex merum nomen Fratrum Minorum aliter accepisset, ac Leo X, quem in hac sequutus est, accipiendum esse tam multis locis ostenderat. Quod si decessor Noster sapientissimus, Leo XIII, has verborum suorum non rectas interpretationes praesensisset, verisimile est, ipsum integro *Fratrum Minorum Regularis Observantiae* titulo usurum fuisse, ut Leo ipse et successores eius usque ad annum MDCCCXCVII fecerunt;

d) vel quod *continuationem intercipiat sanctarum laudum, quibus Ordo Fratrum Minorum hoc septem saeculorum spatio ornatus est:* - quibus verbis perperam significari vult, Sanctos Minoritas, qui ante Unionem a Leone X factam floruerunt, non tribus Familiis, ut commune patrimonium gloriae, adscribendos esse, verum uni Minorum ab Observantia Familiae. Quod si Conventuales et Capuccini beatos coelites, qui «e suis Familiis, postquam seorsum ab aliis rite constitutae sunt, prodierunt, de suo cognomine nuncupant, nullius ius violant; integrum est enim illis, itemque Fratribus Regularis Observantiae, id facere. Recte autem in Sanctorum Litaniis, quibus Franciscales ex Apostolico privilegio utuntur, omnes Sancti e primo Minoritarum Ordine, tum qui ante triplicem Familiarum divisionem, tum qui post ipsam fuerunt, nullo Familiae cognomine invocantur. Atque optabile est, ut in Kalendariis trium Familiarum Sancti Beatique Franciscales solo *Ordinis nostri* apposito notentur; quemadmodum, fraternae caritatis fovendae gratia, apud alios Religiosorum Ordines, in plures Familias Congregationesve divisos, fieri solet.

XVIII. Praeterea quid sit causae, cur *titulus historicus Unionis Leonianae nequeat Fratribus Minoribus,* quibus inditus est, *placere,* non videmus; quum utriusque Leonis, X et XIII, magna in eam Familiam promerita indicet. - Item quare *iste titulus Unionis Leonianae unionem ipsam intimam in discrimine adducat, quam Fratres non pauci ideo maxime amplexi sunt, ut simplex Fratrum Minorum nomen obtinerent,* non apparet; nisi quod eos fefellit opinio, tribuentes huic nomini vim cuiusdam primatus supra ceteros Franciscales, quem quidem Apostolica Sedes numquam concessit. - Affirmare autem hoc titulo Unionis Leonianae *magnam ignominiae notam Ordini Minorum inustam esse,* id enimvero iniuriosum est Apostolicae Sedi, et longe alienum a Seraphico spiritu. Titulum in honorem duorum Pontificum et in memoriam duplicis praeclarissimi facti datum, eumque per Litteras amoris benevolentiaeque plenas erga universam Minorum gentem, quibus Litteris honorifica quaedam privilegia Minoriticae a Regulari Observantia Familiae rata sunt, huiusmodi, inquimus, titulum nefas est vertere in ignominiam ipsius Familiae, quum eius potius cedat in gloriam. Sed enim iis tantum videri potest minus honestus, quibus obstat, quominus se sodalibus per iniuriam superiores iactent.

XIX. Nihilominus tamen, si Fratres Minores Unionis Leonianae malunt, quoties praesertim merum *Fratrum Minorum* nomen videbitur .ambiguum, adhibeatur titulus, antea usque ad Constitutionem editam

«Felicitate quadam» usitatus, *Regularis Observantiae,* id Nos quidem eis libenter concessuri sumus.

XX. Postremo universis et singulis Fratribus Minoribus trium Familiarum de quaestionibus huiusmodi perpetuum silentium imponimus; volumusque ut ex omnibus iis, utpote *filiis gemellis* unius Patris sanctissimi, *cor unum* fiat et *anima una.*

Atque haec omnia edicimus, iubemus, contrariis quibusvis, etiam specialissima mentione dignis, minime obstantibus. - Auspicem vero divinorum munerum, ac testem praecipuae benevolentiae Nostrae, vobis, dilecti filii, et universo Ordini Seraphico Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die i Novembris, in festo Omnium Sanctorum anno MCMIX, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. X.

IV.

DE IURE PRAECEDENTIAE IN PROCESSIONIBUS SACRISQUE FUNCTIONIBUS IN TRIBUS FAMILIIS MINORITICIS.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Seraphici Patriarchae universum Ordinem quum Romani Pontifices Praedecessores Nostri singulari benevolentia semper fuerint prosecuti, eiusque familias specialibus gratiis et privilegiis in bonum fidelium auxerint; Nos, qui pari amore impellimur erga praefatum Ordinem, de Ecclesia Dei praeclare meritum, perfectiori religiosae observantiae ex parte singulorum religiosorum, consulere summopere exoptantes, has litteras motu proprio et ex certa scientia conscribere opportunum duximus ad maiorem pacis et verae concordiae tutelam inter eosdem efficacius firmandam.

Humilitatis et mansuetudinis Magister inclitus Beatissimus Franciscus, dilectos filios suos hortatur in Regula cap. X: «ut caveant ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi, a detractione et murmuratione ». De qua re ait Seraphicus Doctor, in sermone super Regulam Fratrum Minorum: « *Ab omni superbia,* quae est mater, *vana gloria, invidia,* quae sunt proles superbiae secundum Gregorium. Et signanter dicit: *Ab omni superbia,* quia su-

perbia est respectu superioris, inferioris et paris. Unde super illud Iob: Parvulum occidit invidia, dicit Gregorius: Superbus invidet *superioribus?* quia non aequatur eis; *paribus,* quia aequantur ei; *inferioribus,* ne aequentur ei. - Tangit vitium principale quoad proximum, cum dicit: *Detractione et murmuratione.* Ideo dicitur Ecclesiastae cap. X, v. 11: Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. Morsus iste multum virus infundit Ordini, quia turbat multos, pacem habentes; et ideo susurrones et detractores Deo sunt odibiles ».

Unde in eadem Reg. cap. III, praescribit Institutor sanctissimus^ ut fratres sui « non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudi¬cent; sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles ». Quae verba ita in citato sermone exponit Doctor Seraphicus: « *Mites,* quoad animum; *pacifici,* quoad verbum; *modesti,* quoad factum; *mansueti,* quoad proximum; *humiles,* quoad Deum ». Et in sermone V de S. Francisco praefatus Doctor Seraphicum Patrem filios ad mansuetudinem praesertim et humilitatem inducentem introducit, et ait: « Non sit igitur oculus cuiusquam nequam, quia Deus bonus est; sed omnes doctrinam Christi, immo Francisci audiant et addiscant tamquam boni doctoris, qui docuit quod didicit, sine deceptione, sine fictione, sine oblivione, sine dubitatione. Dicat igitur Beatus Franciscus: Discite, alios excitando; dicat nihilominus alios informando: quia mitis sum et humilis corde Addiscite, hoc est, ad meum exemplum sitis mites et humiles. Mitis est homo per affectum fraternitatis; humilis, per affectum inferioritatis, sive minoritatis; unde esse mitem, hoc est esse omnium fratrem; esse humilem, hoc est esse omnibus minorem: esse ergo mitem et humilem corde,, hoc est esse vere Fratrem Minorem; discite igitur a me esse mites et humiles, hoc est esse Fratres Minores ».

In commentariis autem in Evangelium S. Lucae, cap. IX ait: « Quanto sumus humiliores, tanto sumus a tumore superbiae inaniores; et quanto inaniores a tumore superbiae, tanto pleniores dilectione; et quanto hac pleniores, tanto maiores... ideo minor est maior, quia, quanto quis humilior, tanto Christo similior, et per hoc tanto ei proximior; Christus autem est maximus; sed quanto aliquis maximo propinquior, tanto maior: quanto ergo quis minor, tanto maior; et hoc est quod ipse innuit infra vigesimo secundo... Ergo inter viros spirituales non debet esse contentio de primo loco, sed de postremo,- quia ille honorabilior est ». Quapropter in sermone IV de S. Francisco ita concludit: « Magnum pondus impositum est super nos, dico vobis, quod de hoc Minores, vocamur, quia debemus nos reputare omnibus inferiores et viliores

Displicet vobis aliquando de nobis, si videtis aliquando aliquem ex nobis superbum; certe multo magis displicet Deo ».

Optandum igitur esset, ut inter Francisci filios nunquam de primo loco esset contentio, sed unice de postremo; sed inimicus homo, sub specie boni, sub inani praetextu zeli decoris propriae sodalitatis, controversias plurimas inter tres Familias Minoriticas humillimi et mitissimi Patris suscitavit, quae innumeras crearunt lites, per S. Sedem diremptas, in quibus unaquaeque Familia eas victorias, quas anteactis litibus reportaverat contra aliam partem litigantem, opportune et importune allegare consuevit. Nec hodiernis temporibus cessarunt contentiones huiusmodi; nam a quatuor annis denuo disputare coeperunt inter se duae primae Familiae Minoriticae de iure praecedentiae in processionibus, aliisque sacris functionibus.

Quapropter, ut a triplici Familia Fratrum Minorum, contentiones de praecedentia penitus eliminentur, et vix natae excludantur, de plenitudine potestatis Nostrae Apostolicae (quidquid olim fuerit de iure vel de facto praecedentiae inter praefatas Familias Minoriticas), confirmatis prius omnibus et singulis, quae in Nostris Litteris Apostolicis « Septimo iam pleno saeculo », diei 4 Octobris 1909, et « Paucis ante diebus », editis sub die 1 Novembris eiusdem anni 1909 continentur, praesertim de praecedentia trium Ministrorum Generalium inter se, firma semper lege, quod haberi debeant et sint dignitate pares et quod praedecessorum suorum perpetuam seriem ab ipso Seraphico Patre omnes iure ducant; de praecedentia in singulis Conventibus, quae sequuntur, edicimus, declaramus, ordinamus, et omnino servari iubemus, videlicet:

I. In omnibus et singulis tribus Minoritici Ordinis Familiis haec norma praecedentiae observanda erit, scilicet: Illa Familia Minoritica, quae in civitate vel loco est antiquior, aliam vel alias Familias Minoriticas praecedat, nisi certo constet, Familiam Minoriticam in civitate vel loco recentiorem in possessione praecedentiae positam esse. Salvis tamen limitationibus infra praescriptis.

II. Quia tamen probatio possessionis, seu quasi possessionis saepissime fit controversiarum occasio, probatio autem antiquitatis in civitate vel loco planior ac facilior evadere solet, regulam possessionis, seu quasi possessionis quoad Familias Minoriticas *ad novissimum decennium* reducendam decernimus, hoc modo: Familia Minoritica, quae saltem, infra spatium temporis, a die 1 Ianuarii 1900 ad diem 15 Augusti 1910 inclusive computandum, in aliqua civitate vel loco realem et actualem possessionem praecedentiae super aliam vel alias Familias Minoriticas de facto habeat, aliam vel alias perpetuo praecedat, etiamsi

possessio illa, dummodo realis sit et actualis, aliquo vitio infecta inveniatur; quo in casu, pro sanata et convalidata habenda erit, prouti ex nunc sanare et convalidare intendimus. - Quod si, hoc durante decennio, nulla ex tribus Familiis Minoriticis occasionem habuerit ponendi actus actualis praecedentiae, quia nullae processiones in civitate vel loco factae sint, vel ad nullam ex iisdem accesserint Familiae illae Minoriticae, tunc ad solam prioritatem fundationis conventus attendendum est. - Quoad futuras autem fundationes conventuum Minoritarum, si lapsu temporis aliqua controversia inter ipsas Familias Minoriticas circa praecedentiam suscitetur in aliqua civitate vel loco, semper pariter ad solam prioritatem conventus, numquam vero ad possessionem attendatur.

III. Quia pariter vel ipsum principium antiquitatis unius conventus prae alio vel aliis, in tanta, a saeculo et ultra, rerum perturbatione, iniqua praesertim conventuum suppressione et destructione, difficultatibus haud levibus aliquando obnoxium existit, praesertim, si post longam annorum seriem, communitas in aliqua civitate vel loco primaeva fundatione antiquior, instauretur, et praecedentiam antiquam praetendat; Nos, ut etiam ex hoc capite, futuris controversiis aditum occludamus, decernimus, ut a Familiis Minoriticis inter se, principium antiquitatis conventus invocari amplius nequeat in futuris reassumptionibus veterum conventuum vel aedificationibus novorum, loco veterum, a Familia ob primaevam fundationem conventus antiquiori peractis, si haec Familia per quinquaginta integros annos ab illa civitate vel loco quacumque de causa absens de facto fuerit. Ideoque, si communitas per quinquaginta saltem annos integros absens, ad antiquum conventum redeat, vel novum extruat, antiquitas eius computanda erit a reditu tantum, seu a canonicae Familiae restauratione. - Quoad veteres autem conventus, ante datam huius motus proprii iam reassumptos vel de novo constructos a Familia Minoritica, quae antiquiorem in civitate vel loco habuerat conventum, serventur praescripta in articulis I et II.

IV. Salvis iis, quae de possessione dicta sunt, praecedentia quoad singulos conventus respiciat tantum civitatem cum suo suburbio, vel locum cum suo suburbio, ideoque solum districtum, qui alibi communalis, alibi municipalis dici solet. Unde extra districtum proprium, praecedant, qui in illo alio districtu conventum possident; quod si nulla ex Familiis Minoriticis in illo loco non proprio seu a proprio districtu communali seu municipali alieno, conventum habeat, praecedentia hunc ordinem servet: praecedant primo loco Fratres Minores ab Unione Leoniana; secundo loco Fratres Minores Conventuales; tertio loco Fratres Minores Capuccini.

V. Tandem, si ob certum defectum documentorum authenticorum vel possessionis, articulo II descriptae, dubium de antiquitate vel de ipsa possessione persistat, concedimus, ut praecedentia detur Minoribus ab Unione Leoniana supra Minores Conventuales et Minores Capuccinos,. et Conventualibus supra Capuccinos.

VI. Quoad conventus triplicis Familiae Minoriticae Romae et Assisii, nihil prorsus omnino immutetur.

VII. Si autem in posterum (quod Deus avertat) nova aliqua contentio de praecedentia inter tres Familias Minoriticas sit exoritura, rem auctoritate et nomine S. Sedis definiat Ordinarius loci, iuxta praescripta harum Litterarum Apostolicarum; ad quem finem sola documenta authentica admittat, et omni iudiciali solemnitate praetermissa, per summariam, extraiudicialem et administrativam provisionem, gratis omnino brevique decreto, controversiae finem imponat. Sacra autem Congregatio, negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, omnes recursus circa praecedentiam inter tres Familias Minoriticas ad Ordinarium loci remittat cum monito, ut, absque mora, controversiam dirimat: quod si in casu aliquo extraordinario ipsa Sacra Congregatio gravissimis de causis iudicium sibi reservandum duxerit, eamdem normam teneat, quae Ordinariis praescribitur; ideoque disquisitiones, scripturas et omnia, quae uti authentica documenta haberi non possunt, omnino reiiciat, et rem citissime definiat: quoties autem agatur de communitate Minoritica vel temere litigante, vel sub praetextu praecedentiae, dissensiones inter Minoriticas Familias eiusdem civitatis vel loci promovente, sententiam contra eamdem pronuntiet, nec amplius causam admittat.

Praesentes vero Litteras et quaecumque in ipsis habentur, nullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, sive intentionis Nostrae vitio, aliove quovis defectu notari, vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari, declarantes; contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali et specialissima mentione dignis; quibus omnibus ex plenitudine potestatis, certa scientia et motu proprio quoad praemissa expresse derogamus et derogatum esse declaramus.

Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis,, manu tamen notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significatione his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum «ius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis, xv Augusti MCMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

MOTU PROPRIO.

DE INVOCATIONE IN LITANIIS LAURETANIS APUD FRANCISCALES FAMILIAS ADDENDA.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Ob singularem benevolentiae et caritatis sensum, quo universam Fratrum Minorum Familiam prosequimur, arrepta occasione septimi iam expleti saeculi a tam praeclari Ordinis initiis, plurima in eiusdem laudem, decorem et gloriam dicere opportunum reputavimus. Ad incrementum autem pietatis, religiosae observantiae et fraternae concordiae inter omnes et singulos Seraphici Patris alumnos, et ad maius tutamen uniuscuiusque ex tribus Minoriticis Familiis, in plena aequalitate iurium et dignitatis, plura declaravimus, ediximus et perpetuo servanda constituimus. Quae omnia, hodie, sub speciali protectione beatae Mariae semper Virginis, collocanda, novoque dilectionis Nostrae argumento confirmanda censuimus.

Animo enim recolentes Sancti Francisci *incredibilem in Beatissimam Matrem Dei pietatem*[1], in memoriam filiorum tanti Patris, haec Thomae a Celano verba revocare exoptamus: « Peculiares illi persolvebat laudes, fundebat preces, offerebat affectus, quot et qualiter humana promere lingua non posset. Sed quod laetificat plurimum, Ordinis Advocatam ipsam constituit, suisque alis, quos relicturus erat filios, usque in finem fovendos et protegendos submisit »[2]. De qua re Seraphicus Doctor ait: «Matrem Domini Iesu Christi indicibili complectebatur amore, eo quod

[1] *Offic. Dedicat. S. Mariae Angelorum.*
[2] *Legenda II,* cap. 150.

Dominum maiestatis fratrem nobis effecerit, et per eam simus misericordiam consecuti. In ipsa, post Christum, praecipue fidens, eam sui ac suorum Advocatam constituit »[1]. Unde ab ipsis Ordinis sui primordiis (ita prosequitur praefatus Doctor) « pusilli gregis pastor Franciscus ad Sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum Fratrum numerum, superna gratia praeeunte, deduxit, ut, ubi meritis Matris Dei, Minorum sumpserat Ordo initium, ipsius illic susciperet auxiliis incrementum. Ibi quoque factus evangelicus praeco, civitates circuibat et castra, non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in virtute Spiritus annuntians regnum Dei »[2].

In humilitate praesertim idem Sanctissimus Doctor confratres suos voluit per Beatissimam Virginem Mariam magis magisque in dies confirmari, ut essent Minores non ficti, sed corde, ore et opere tales in dictis et factis, humiles revera vereque mites, ideoque et pauperes humiles, pauperes mites, pauperes evangelica paupertate in perfecta humilitate fundati. Quapropter frequenti sermone humilitatem hanc in vera paupertate et paupertatem in vera humilitate commendans, sic loquitur: « Franciscus Fratres suos voluit vocari Minores, et praelatos sui Ordinis dici Ministros, ut et verbis uteretur Evangelii, quod observare promiserat, et ex ipso nomine discerent discipuli eius, quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent. Magister siquidem humilitatis Christus Iesus, ut informaret discipulos ad humilitatem perfectam, dixit: Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus »[3]. Ad vindicanda vero iura huius paupertatis in humilitate fundatae, Dei Matrem ita interpellat: « Sed et tu, Regina mundi dignissima, defensatrix pauperum et humilium Advocata, longe sublimius quam Esther exaltata in populis et praeparata in tempore, Mardochaei tui, Francisci videlicet, excitare clamoribus, ut interpellare digneris ad Regem, quatenus pauperum statum, quem tibi voluit esse consimilem et speciali quadam germanitate coniunctum, sacris tuis exemplis et meritis clarificet et conservet. Quid enim magis dat paupertatis amori fomentum magisque ipsius declarat praerogativam et gloriam, quam tua forma vivendi, Beatissima Virgo et Mater Domini nostri Iesu Christi, quae adeo fuisti paupercula, ut sicut historia Evangelii sacra testatur, in ipso sacratissimo partu non haberes, ubi recli-

[1] *Leg.*, cap. 9.
[2] *Leg.*, cap. 4.
[3] *Leg.*, cap. 6.

nares Deum caeli et Dominum exercituum, nisi in via publica itinerantium et praesepio iumentorum? » [1].

Ut autem hortationes et consilia Legiferi Patris eiusque sanctissimi ac sapientissimi filii Bonaventurae, Doctoris Seraphici, in ministerio generali sui Ordinis successoris dignissimi, quae pluries in mentem omnium et singulorum Fratrum Minorum revocanda existimavimus, fidelissime semper ac devotissime serventur, et ut omnia, quae per iteratas Litteras Nostras declaravimus, ediximus, iussimus, perfectissima obedientia custodiantur, et fraternae dilectionis affectu cum virtutum omnium incremento teneantur; Nos, quod nonnullis religiosis Familiis ab Apostolica Sede concessum est, peculiari scilicet proprii Ordinis invocatione Sanctissimam Dei Matrem in Litaniis Lauretanis exorandi, id, de Nostrae potestatis Apostolicae plenitudine, tamquam novum specialis Nostrae in Sancti Francisci filios benevolentiae pignus, in perpetuum concedimus. Mandamus igitur, ut in omnibus et singulis Seraphici Ordinis conventibus, ecclesiis, oratoriis, et in processionibus propriis, sacrisque functionibus, in quibus Litaniae Lauretanae recitari vel decantari solent, post invocationem: *Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis,* haec addatur: *Regina Ordinis Minorum, ora pro nobis.*

Sub hac invocatione, speciale Immaculatae Virginis praesidium implorandum declaramus:

I. Pro omnibus et singulis triplicis Minoriticae Familiae alumnis, et pro earum Ministris Generalibus, qui omnes, pari iure, praedecessorum suorum perpetuam seriem ab ipso Seraphico Patre ducunt.

II. Pro Monialibus, quae Regulam Sanctae Clarae sequuntur, quocumque nomine vocentur.

III. Pro Tertiariis utriusque sexus, qui in religiosa communitate vitam degunt; et pro Tertiariis saecularibus, cuiuscumque e Franciscalibus Familiis iurisdictioni vel directioni subiectis.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die festo Nativitatis B. Virginis Mariae, VIII -Septembris MCMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

[1] *Apologia pauperum,* cap. 11.

EPISTOLAE.

I.

AD EMINENTISSIMUM VIRUM S. R. E. CARDINALEM VINCENTIUM VANNUTELLI, EPISCOPUM PRAENESTINUM, ELECTUM QUI PRAESIT EUCHARISTICO CONVENTUI MAR1ANOPOLITANO.

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Studium quo tenemur fovendi cultus erga sanctissimam Eucharistiam, unde, tamquam ex fonte, in singulos fideles et in christianam Societatem universam divinae gratiae latices derivantur uberrimi, acceptissimum Nobis efficit receptum fere morem, quo, statis temporibus, in variis terrarum orbis regionibus, solemnes habentur de tanto Mysterio conventus. Itaque cum nuntium acceperimus, eucharisticum congressum Marianopolitanum apud Canadenses apparari, Nos ei splendorem addere cupientes et obsequi dilectis Filiis Archiepiscopo Marianopolitano, qui celebritati ac decori eiusdem in sua urbe cogendi peculiari studio prospexit, et Antistiti Namurcensi, cuius diuturna cura in id genus congressionibus est collocata, consilium cepimus, Tibi, dilecte Fili, committendi ut Personam Nostram in eo coetu geras. Quamobrem hisce te Litteris Legatum Nostrum renuntiamus, qui Marianopolitano conventui Nomine Nostro ac vice praesideas. Negotium tibi defertur pietati ac dignitati tuae consonum et incremento christianae rei apprime conducens. Per hanc enim celebritatem eucharisticus Panis, et spatii nescius et divisionis expers, abscissas oceano terras consociabit, dissitisque gentibus calcar addet ad Servatoris Dei gloriam vindicandam ac proferendam, ad Eiusque in terris Vicarium, christianae coniunctionis centrum, debita fide atque oboedientia colendum. Quare agitanda in coetu ipso occurrent ea omnia, quibus Augusti Sacramenti religio ampliore in luce atque honore versetur; ut illatae eidem contumeliae sarciantur; ut frequens Eucharistiae usus reviviscat; ut sibi quisque suadeat nihil esse huiusmodi cultu efficacius ad coniungendos animos eo pacis mutuaeque benevolentiae nexu, quo christiana et civilis consociatio maxime indigent; ut scriptis denique et actione multiplici in hunc finem adhibitis homines ad meliora ducantur. Coetum vero ipsum felicem exitum habiturum persuasionem iniiciunt quum sacrorum antistitum atque illustrium virorum qui aderunt spectata virtus, tum nobilissimae istius gentis alacritas in iis excipiendis efficiendisque omnibus quaecumque vestris in consiliis erunt constituta. Sed

altius etiam fiducia nititur in Eius auxilio cuius agitur causa, Servatoris Nostri, qui dixit: *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Auspicem interea supernae gratiae hauriendae in gaudio de fontibus Salvatoris, ac peculiaris Nostrae benevolentiae testem, Tibi, dilecte Fili, et omnibus qui Marianopolitani conventus tecum participes futuri sunt, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die ix mensis Maii anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. X.

II.

AD R. P. D. IOANNEM VOLPI, EPISCOPUM ARRETINORUM, DE COETU HABITO A VICARIIS EIUS FORANEIS.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod significatum Nobis tuis litteris est, collectos in tuis aedibus Vicarios Foraneos istius Arretinae dioecesis erecto animo summaque consensione tecum studia contulisse et agitasse consilia de rebus, quibus cleri populique bono consuleretur, id animum Nostrum haud mediocri solatio pervidit. Nec tam accidit grata vestrae erga Nos atque hanc Apostolicam Sedem fidei et observantiae testificatio, multo quidem ante Nobis perspectae et cognitae, quam quod plane novimus intellectum persuasumque tuo Clero esse, quo tempore coniunctiores sunt inimicorum vires ad Ecclesiae perniciem, eo firmiorem postulari concordiam ad causam religionis et ad communem salutem. Pulchrum igitur ac salubre consilium fuit, a Vicariis cum episcopo coniunctis ad pietatem doctrinamque excitari et informari sacerdotes: ab his una cum Vicariis excoli plebem; ad utrumque vero finem contendi ea ratione ac via, quam Nostris Ipsi Litteris haud semel ostendimus, quibus et menstruos cleri secessus et "eorundem coetus de sacris disciplinis ac de moribus, et christianae catechesis tradendae sollicitudinem et frequentem fidelium ad sanctissimam Eucharistiam accessum, et fovendas catholicorum consociationes impense commendavimus. His rebus excitata fides et cum fide caritas, fiet vestra communitas qualem describit Cyprianus: « pastor! suo grex adhaerens et sacerdoti suo plebs coadunata ». Ex ea coniunctione parta vis fortior, quod unum ferme respicere adversarii videntur atque extimescere quotidianos dabit rei catholicae defensores ac vindices. Addat benignissimus Deus pro alacri quam attulistis voluntate et pro gaudio quo Nos affecistis mercedem uberis gratiae ad coepta ardentius usque per-

sequenda, eiusque doni sit auspex Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, Vicariis qui tecum convenerunt, clero denique ac populo Arretino universo peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis Iunii anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. X.

III.

AD R. P. D. IOANNEM BAPTISTAM CAZET, EPISCOPUM TITULO SOZUSEN., VICARIUM APOSTOLICUM INSULAE MADAGASCARIAE CENTRALIS, GRATULATIONES OB ANNUM EPISCOPATUS EIUS XXV-

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Tibi propediem celebraturo tui episcopatus natalem diem, quinque et viginti abhinc annos initi, deesse noluimus Nostrae gratulationis officia. Par est enim bonum militem Christi, multa emeritum stipendia, si quid ipsi laetum auspicatumque contigerit, peculiari benevolentiae significatione a supremo duce honestari. Quapropter, tui participes gaudii tecumque Deo gratias agentes, qui te servavit incolumem hactenus, preces adiicimus quibus Eum rogamus uti te diu sospitet adhuc, neve sinat animi vires aetatis nexu languescere, quo possis diutius ad incrementum catholicae Fidei, ad Ecclesiae decus et ad Nostrum solatium fungi ministerio frugifero. Hisce votis adiunctam habeas, coelestis auspicem gratiae, Apostolicam Benedictionem, quam tibi, Venerabilis Frater, peramanter in Domino impertimus.

* Datum Romae apud Sanctum Petrum, die i mensis Augusti anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. X.

IV.

AD EMINENTISSIMUM VIRUM PETRUM S. R. E. CARDINALEM COULLIÈ, ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM, GRATULANTEM ANNIVERSARIUM DIEM IMPOSITI SANCTISSIMO D. N. PONTIFICII DIADEMATIS.

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Amantissimis litteris, quibus anniversarium diem impositi Nobis pontificii diadematis es prosequutus, gestit animus quamprimum rescribere. Tuae namque pietatis officia et eius temporis excitata memoria, quo nihil tale

exspectantibus Nobis contigit ad Petri sedem ascendere, haud leviter commoverunt. Scilicet octavus iam annus vertitur ex quo redimita fons est eo serto, quod pertinax impiorum vecordia iamdiu spinis conatur subtexere. Sed praestat, auspicato die, a praesenti facie maiorum paullisper animum avocare ad eaque potius referre quae diuturnam aegritudinem levent. Ac tu ipse quidem, dilecte Fili, satis exhibes unde spem sustentemus, sive quum memoras plurimorum constantiam, qui, quo acrius furit inimica vis, eo Nobis arctius adhaerent; sive quum pergis efficacia tui ministerii voluntates hominum in Apostolicae Sedis obsequium amoremque compellere. Quare libenter, quam nanctus es occasionem faustissima quaeque Nobis adprecandi, eadem Nos utimur, ut et benevolentiam, qua te semper complexi sumus, testemur iterum et parem reddamus votorum vicem, a Deo tibi petentes eam lucis usuram eamque firmitatem virium, quae et Ecclesiae utilitati te servet et impediat ne desiderio teneamur tui in Urbem adventus. Supernae autem auspicem gratiae ac singularis Nostrae dilectionis testem Apostolicam Benedictionem tibi, tuo clero ac fideli populo, cui prees, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die viii mensis Augusti anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

V.

AD R. P. IOANNEM LOTTINI O. P. GRATULATIONES OB TRIA AB EO CONSCRIPTA VOLUMINA DE S. THEOLOGIA.

, Dilecte Fili Religiose Vir, salutem et apostolicam benedictionem. — Quantopere christianae reipublicae intersit, sacri cleri alumnos theologicis disciplinis recte atque accommodate institui, non communes modo causae declarant, sed etiam hodierni ratio periculi ob inductam quandam falsi nominis scientiam, imperitorum auribus insidias facientem. Existimare proinde debes, valde Nobis grata accidisse quae dono accepimus a te conscripta tria volumina, nuper secundis curis edita; quo in opere, prout ex peritorum testimonio comperimus, nihil occurrit quod a sana traditaque doctrina discedat. Nec sane tutior ulla haberi potest hoc in genere institutio, quam quae ducem sequatur ac magistrum Thomam, unde tantum hauserunt luminis ac firmitatis qui de rebus divinis ad eius mentem conscripserunt. Decet igitur diligentem voluntatem tuam ingeniique industriam, iam antea quidem perspectam Nobis et commen-

datam, illustriori laudis testimonio per Nos honestari, libetque spem gratam fovere, haud exiguam ex diuturno labore tuo sacris disciplinis utilitatem accessuram. Dum vero documentum hoc Nostrum et praemii loco et incitamenti esse volumus, coelestis auspicem gratiae ac paternae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem tibi, dilecte Fili, peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die ix mensis Augusti anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

VI

R. P. D. ALPHONSO MARIAE ANDREOLI, EPISCOPO FERETRANO, APPARANTI SOLEMNIA OB RESTITUTAM SUAE ECCLESIAE PRINCIPEM AEDEM.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod significabas recentibus litteris, apparari solemnia ob istius Ecclesiae principem aedem in elegantiorem formam restitutam, eique celebritati constitutum diem esse III Idus Septembres, sacrum Nomini Mariae recolendo, accidit periucundum. Auspice namque divina Matre, iterum patebit frequentiae civium augusta Dei domus, quam et Nos animo praesentes adibimus, bona precaturi vobis omnibus per ministerium dilecti Filii Nostri Cardinalis Caietani De Lai, qui splendidiore ritu sacris operabitur. Ac sane decet laetitiae significationes Nobiscum haberi communes ab amantissimis filiis, quorum cogitatio in iis festis decernendis ad Nos provolavit. Quapropter quas vos gratias Deo estis acturi, easdem et Nos agemus, enixe implorantes, ut instaurati templi dignitatem augeat pietatis accessio. Dum vero tuam, Venerabilis Frater, solertiam in opere per multos labores persequendo debita laude honestamus, gratulamur etiam, expletum iri annum aetatis tuae sexagesimum eo ipso die, qui, reclusi templi causa, tibi erit auspicatissimus. Reliquum tuae vitae cursum, quem diuturnum ominamur, prosperum efficiat divinorum copia munerum, eorumque sit conciliatrix Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, Clero, Collegio Canonicorum universoque fideli populo Feretrano effusa caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x mensis Augusti anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

VII.

AD R. P. D. RAYMUNDUM VILLARD, EPISCOPUM AUGUSTODUNENSIUM, DECIMO RECURRENTE SAECULO A CONDITO CLUNIACENSI COENOBIO.

Venerabilis Frater salutem et apostolicam benedictionem. — Quod significatum est Nobis, istic apparari solemnia elabentis decimi saeculi a coenobio Benedictinae Familiae Cluniaci condito, admodum placuit. Aequum est enim, nec fructu vacuum, antiqui Ordinis renovari memoriam, praesertim in iis civitatibus, quibus ille tantum attulit utilitatis et gloriae. Eadem praeterea commemoratio, quam et civium et advenarum frequentia, quasi quodam pietatis et obsequii certamine nobiliorem efficiet, documento erit gentibus, indigno conatu in eos invidiam conflari, quos christianus populus parentum loco, nedum amicorum, habere consuevit. Est igitur cur Deo gratias agamus, quod siverit Benedictinos alumnos novo memoris animi testimonio recreari, quo erecti queant ad maiora etiam capessenda redintegrare vires, pergantque invicto animo errores profligare, de religione ac de omni humanitate optime, sicut ante, mereri, suique nominis famam serae posteritati commendare. Haec ex animo vota concipimus; haec certa fiducia, Deo iuvante, ominamur. Interim, ut gaudio vestro significatio aliqua Nostrae voluntatis accedat, libenter concedimus, primum ut qui statis in triduum supplicationibus aderunt, plenissimam peccatorum indulgentiam lucrentur, quae applicari queat, per modum suffragii, etiam piis animis in igne piaculari detentis; deinde ut sacrorum antistites iisdem diebus, missa ritu pontificali absoluta, Nostro Nomine populo benedicant; denique ut per idem tempus divinum persolvatur officium de sanctis Odilone et Maiolo, abbatibus Cluniacensibus. Ut autem omnia rite prospereque succedant, divinae auspicem gratiae ac singularis Nostrae benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, religiosis Benedictinae Familiae sodalibus ac fideli populo tuae curae commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII mensis Sextilis anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

VIII.

AD R. P. D. EUGENIUM IACOBUM GRELLIER, EPISCOPUM VALLIS VIDONIS, ADHAERENTEM DECRETO **De** AETATE ADMITTENDORUM AD PRIMAM COMMUNIONEM EUCHARISTICAM.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quamvis explorata tua fides dubitare non sineret, quin recens a Nobis editum decretum, de aetate admittendorum ad primam Communionem, quo decet obsequio esses excepturus; nihilominus, quod conceptissimis verbis tuam tuique cleri egregiam voluntatem hac de re significaveris, id animum Nostrum affecit haud mediocri solatio. Licuit enim ex tuis litteris intelligere, iactum semen cecidisse in terram bonam, hoc est in eam dioecesim, quae instinctu quodam pietatis ad saluberrima quaeque feratur, et supremi Ecclesiae Pastoris quasi vota praeoccupet. Quare magna Nobis iniecta spes est, eos ex vestra novitate fructus consequuturos, quales in edendo documento propositos habuimus, ut innocentiae flos, ante quam pestilenti huius aetatis affletur sidere, ad Eum se recipiat, qui pascitur inter lilia; ut a pueritiae candore exoratus Deus ultricem abstineat manum; ut, conclamantibus filiis perditionis: « Nolumus hunc regnare super nos », dignius imperium Ipse sibi constituat in illorum animis, quorum est regnum coelorum. Vestra igitur diligentia in iis exsequendis, quae ad salutem christiani populi sanximus, non oboedientiae tantum habet laudem, sed auspicium etiam rerum ad meliora deducendarum. Adsit coeptis vestris Ille qui dixit: « Sinite parvulos venire ad me », vosque in partem vocet summae mercedis iis promissae, qui talium curam susceperint. Interea caritatis Nostrae grataeque voluntatis testem Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, omnibus qui ex isto clero epistolam subscripserunt, universoque fideli populo tuae vigilantiae commisso peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die v mensis Septembris anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM:

Feria IV, die 7 Septembris 1910.

In Generali Consessu Supremae huius Congregationis Sancti Officii Eminentissimi ac Reverendissimi DD. Cardinales in rebus fidei ac morum Inquisitores Generales damnarunt ac proscripserunt et in Indicem librorum prohibitorum referri mandarunt sequentia commentaria et opera:

A - Rivista Storico-critica delle Scienze Teologiche. - Pubblicazione mensile. Roma.

B - Libros Collectionis « *Manuali di Scienze Religiose* » hucusque editos, scilicet:

1. - *Alfonso Manaresi* - L'impero Romano e il Cristianesimo nei primi tre secoli - Vol. I. Da Nerone a Commodo. Roma, 1910.

2. - *Ernesto Buonaiuti* - Saggi di Filologia e Storia del Nuovo Testamento. Roma, 1910.

3. - *Francesco Mari* - Il Quarto Vangelo. Roma, 1910.

Et insequenti fer. V, die 8 eiusdem mensis et anni, Sanctissimus D. N. Pius Div. Prov. Papa X in audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, habita de re plena relatione, decretum Eminentissimorum Patrum approbavit ac confirmavit.

Datum Romae, in Aedibus Sancti Officii, die 10 Septembris 1910.

Aloisius Castellano, *S. R. et U. I. Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis elegit:

10 septembris 1910. — R. P. D. Angelum Hyacinthum Scapardini, hactenus episcopum Nuscanum, in archiepiscopum titularis ecclesiae episcopalis Antiochenae in Pisidia.

— R. D. Namitium Patritium Foley, rectorem cathedralis ecclesiae S. Augustini in America, in episcopum ecclesiae Tuguegaraoanae noviviter erectae in insulis Philippinis.

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

I.

DECRETUM.

DE ELEEMOSYNIS IN FAVOREM PII OPERIS, A TERRA SANCTA NUNCUPATI, COLLIGENDIS.

Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, ut pluribus iam exortis dubiis finem imponeret, vel forsan exorituris aditum praecluderet, declarandum censuit, prouti declarat, Decreto de Quaestuatione, d. d. 21 Novembris 1908, Ordines et Instituta Religiosa respiciente, eiusque normis minime fuisse comprehensum, nec comprehendi Pium Terrae' Sanctae Opus, Ordini Fratrum Minorum commissum; quum illud Opus peculiares eiusdem Ordinis necessitates et individuam utilitatem longe transgrediatur, ab Apostolica Sede pluries fuerit ac plenissime approbatum, privilegiis auctum ac vehementer commendatum. Eadem igitur Sacra Congregatio, nedum praedicto Operi

detrimentum praecavens, auxilium potius impendens, decernit ac iubet, ut collectae in favorem Terrae Sanctae, quae sive Feria sexta Parasceves, sive aliis per annum diebus usque adhuc fieri consueverunt, a Patribus Minoribus, sive per se, sive per alios probatae fidei viros, iuxta regulas et consuetudines hac in re laudabiliter servatas, ubique fiant etiam in posterum, memorato Decreto diei 21 Novembris 1908 aliisque in contrarium non obstantibus.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae Decimo ab infrascripto Cardinali Praefecto, die 1 Octobris 1909 relatis, Sanctitas Sua eadem rata habere et confirmare dignata est.

Fr. I. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

L. ©. S.

Vincentius La Puma.

II.

DECRETUM.

DE ALIQUA IN NOVITIATU STUDIIS OPERA DANDA.

Ad explorandum animum illumque religiosa perfectione gradatim imbuendum, Novitiatus institutus est, qui ideo, per unum saltem annum, sub Magistro, spiritualibus tantum exercitationibus totus insumitur.

Quum autem experientia constet, adsiduis pietatis officiis, licet opportune variis, adolescentium praesertim defatigari mentem, et ad continuos per diem religionis actus minus intentam afferri plerumque voluntatem; et quum in ipso Novitiatu moderata aliqua studiis assignatio possit Novitiis non parum utilitatis afferre, ne dediscant quae didicerunt, ac re ostendant quales sint ingenio, idoneitate et diligentia; Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, in Plenario Coetu Emorum Patrum, die 26 Augusti 1910 ad Vaticanum habito, sequentia statuit, a singulis Ordinibus et Congregationibus Religiosis apprime servanda:

1. Novitii, privatim, unam horam singulis diebus, festis tantum exceptis, studiis dedicabunt.

2. Studiis praeerunt Magister Novitiorum vel Vicemagister, qui respondente scientia pollere debent, vel, aptius, aliquis ex professoribus humaniorum litterarum, qui domi vel prope commoretur. Horum erit, non ultra ter in hebdomada, per unam horam, praeter aliam, quotidie a Novitiis studiis privatim addicendam, Novitios in unum colle-

ctos, veluti in Schola, instruere aut saltem eorum progressus in studiis exquirere.

3. Quamvis haec ut veri nominis schola censeri nequeat, non tamen veluti merum mortificationis exercitium habeatur. Ita igitur fiat, ut, inde, Novitii omni cum diligentia in eam incumbant ac verum fructum ex eadem percipiant; hinc autem, Magistri apta methodo studia moderentur, de uniuscuiusque tyronis talento ac sedulitate iudicium adipiscantur et progressum curent. Genus autem studiorum cuiusvis Ordinis vel Congregationis naturae respondeat. Linguae patriae, et pro Novitiis Ordini sacro destinatis, linguae latinae quoque ac graecae studium commendatur, sive per repetitionem eorum, quae iampridem Novitii didicerunt, praesertim grammatices, sive per lectionem eorum sanctorum Patrum et antiquorum Ecclesiae auctorum, quos litteris quoque enituisse constet, v. g. S. Ambrosii, S. Augustini, S. Hieronymi, Lactantii, S. Ioannis Chrysostomi, Eusebii et similium; item Evangelii S. Lucae et Actuum Apostolorum, graece conscriptorum.

Scripta quoque exercitia, v. g. extemporalia, exempla Mariana, magna cum utilitate accedere poterunt. Quae quidem omnia et alia, sive patrio sive latino sermone redacta, ut Novitii e suggestu legant vel memoriter recitent summopere convenit, ad veram pronuntiationem et quamdam publice dicendi dexteritatem adquirendam. Item opportunum erit, ut Novitii inter se colloquentes, loco patrii sermonis, lingua aliquando utantur latina, qua poterunt etiam interdum breves sermones vel catecheticas instructiones ad sodales habere.

4. Qui scholae praeest adnotet, in scriptis, cuiusvis Novitii diligentiam ac progressus, et horum, item scriptum, mittat ad Superiorem Generalem vel Moderatorem Provincialem testimonium, reliquis addendum, antequam Novitii, expleto Novitiatu, ad professionem votorum admittantur.

Quae omnia Sanctissimus Dominus noster Pius Papa Decimus, referente infrascripto Subsecretario, confirmare dignatus est, die 27 Augusti 1910. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 27 Augusti 1910.

Fr. J. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

L. © S.

Franciscus Cherubini, *Subsecretarius.*

III.

DECRETUM.

QUOAD SACERDOTES COMITANTES PRAESIDEM CAPITULI IN ELECTIONE PRIORISSAE.

Emi Patres Sacrae Congregationis, Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in Plenario Coetu, ad Vaticanum habito die 26 mensis Augusti 1910, quaestioni, saepe agitatae, si et quot Sacerdotes sociare sibi debeat Episcopus vel Praelatus Regularis, qui praeest Monialium Capitulo, ad eligendam Abbatissam vel Priorissam Monasterii coacto, re mature perpensa, responderunt:

« In electionibus Abbatissae aut Priorissae, sive Monasterium subii-
« ciatur Episcopo, sive Praelato Regulari, singula vota Monialium in
« urna clausa colligantur et a Praelato Praeside cum duobus Sacerdo-
« tibus scrutatoribus aperiantur; quod si gravi de causa, vota oretenus
« dentur, id fiat coram Praelato, adsistentibus tamen Sacerdotibus scru-
« tatoribus. Sacerdotes, de quibus agitur, sint maturae aetatis et pro-
« batae virtutis. Attamen uti scrutatores aut socii Episcopi vel Prae-
« lati non admittantur ipsi Monialium Confessarii ordinarii ».

Quae omnia Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, referente infrascripto Subsecretario die 27 eiusdem mensis Augusti 1910, rata habere et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 27 augusti 1910.

Fr. J. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

L. © S.

Franciscus Cherubini, *Subsecretarius.*

SIGNATURA APOSTOLICA

VERCELLEN. *(Vercelli).*

REMOTIONIS.

In turno Rotali habito die decima secunda mensis Maii 1909, Ponente R. P. D. Michaele Lega Decano, dubium *sub secreto* pertractatum est « an constaret de nullitate sententiae vel processus iudicialis, ita ut esset « locus remotioni parochi Fantone a paroecia loci *Asigliano,* vel priva- « tioni eiusdem beneficii parochialis in casu »; et RR. PP. respondere censuerunt: « constare de validitate sententiae, et locum esse remotioni « parochi Fantone, cum reservatione annuae pensionis mille libellarum « ad formam eiusdem sententiae archiepiscopalis die 21 Ianuarii 1908 » *.

Contra huiusmodi Rotalem Sententiam ipse parochus Fantone ad Supremum hoc Signaturae Apostolicae Tribunal recursum intra terminos a *Lege Propria* constitutos protulit. Cuius quidem recursus argumenta longe lateque perpensa sunt in Ordinaria Supremi Tribunalis Sessione habita in aedibus Vaticani, die decima sexta mensis Iulii currentis anni 1910, relatore Emo et Rmo P. D. Francisco de Paula Cassetta; propositoque dubio, scilicet:

Sitne nulla Rotalis Sententia et sitne locus eius circumscriptioni?

Eminentissimi Iudices responderunt:

Negative.

In expensis autem iudicialibus Supremum idem Tribunal condemnavit ipsum parochum Iosephum Fantone, dempto tamen honorario advocati paroeciae oppidi Asigliano.

Atque ita editum est, pronunciatum, decretum, declaratum ac definitive sententiatum; mandatumque ut haec definitiva sententia publici iuris fieret, atque ab omnibus ad quos spectet executioni mandaretur, non solum etc, sed et omni etc.

Datum Romae ex aedibus Supremi Tribunalis die 26 mensis Iulii 1910.

L. £g S. Nicolaus Marini, *a Secretis S. A. S. T.*

Ita est.

Iosephus Adv. Fornari, *S. T. A.*

[1] Cfr. *Acta Apostolicae Sedis,* an. I, vol. 1, n. 10, pag. 470-71.

SECRETARIA STATUS

EPISTOLA

AD R. P. D. FRANCISCUM E. RICARD, ARCHIEPISCOPUM AUX1TANUM, QUI BEATISSIMO PATRI MENTEM SUAM APERUIT CONDENDI IN PROPRIA DIOECESI SOCIETATEM PRO VOCATIONIBUS ECCLESIASTICORUM.

Je me suis empressé de porter à la connaissance du Saint-Père le projet *d'Association de prières et de zèle en faveur des vocations ecclé¬siastiques,* que vous avez l'intention d'établir dans votre diocèse, et j'ai reçu l'agréable mission de vous transmettre les paternels encouragements de Sa Sainteté.

La recherche et le choix des sujets aptes à être élevés à l'honneur du Sacerdoce, leur formation et le développement de leurs aptitudes dans les Séminaires par une féconde discipline morale et intellectuelle sont une œuvre d'une importance trop capitale pour ne pas être l'objet d'une sollicitude toute spéciale de la part du Saint-Père.

Aussi, est-ce une grande consolation pour Son cœur de Pasteur Suprême que de voir déjà un certain nombre d'Evêques de France, par des lettres pastorales ou par des œuvres généreuses, intéresser le clergé et les fidèles à cette formation des aspirants au Sacerdoce.

Pour ce qui concerne les Indulgences et faveurs spirituelles sollicitées, Votre Grandeur voudra bien en adresser directement la demande à la S. Congrégation du Saint-Office.

Le Saint-Père vous accorde paternellement à vous même, au clergé, aux élèves des Séminaires et aux fidèles de votre diocèse la bénédiction apostolique.

Le 4 Juillet 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. £g S. *a Secretis Status.*

Annus II. - Vol. Ii. Die 10 Octobris 1910. Num. 19.

A(III7POSTOIJGAE1EDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

EPISTOLAE.

I.

AD PRAEPOSITUM, CANONICOS, PAROCHOS ALIOSQUE SACERDOTES CATHEDRALIS ECCLESIAE PLACENTINAE, OB VENERATIONIS OBSEQUIUM OCCASIONE DIOECESANAE SYNODI BEATISSIMO PATRI EXHIBITUM.

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Grato sane officio se prodidit, sub exitum habitae istic dioecesanae Synodi, obsequium erga Nos vestrum studiumque Religionis provehendae. Quid enim aut Nobis optabilius aut rei catholicae salubrius cogitari potest, quam ut universi et singuli sacerdotes cum suo Antistite sint quasi « cor unum et anima una », per eamque coniunctionem supremo Ecclesiae Pastori firmius adhaereant? Quamobrem quas communiter dedistis litteras summa benevolentia excepimus, in quibus, non solum pietatis fideique vestrae pignus agnovimus, verum etiam actae cum fructu Synodi satis certum indicium. Restat ut consiliis et propositis vestris efficaciam addat in sentiendo agendoque constantia, et, quae virtutum omnium caput est, mutua caritas. Utriusque doni largiter sit vobis benignissimus Deus, auspice Apostolica Benedictione, quam, paternae Nostrae dilectionis testem vobis omnibus cum venerando Pastore vestro coniunctis peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die ix mensis Septembris anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

II.

AD R. P. D. THOMAM PIUM BOGGIANI, O. P., EPISCOPUM ADRIENSEM, OB VENERATIONIS OBSEQUIUM OCCASIONE SPIRITUALIUM EXERCITIORUM CLERI EIUSDEM DIOECESIS BEATISSIMO PATRI EXHIBITUM.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Utilitatum, quae a piis exercitationibus percipiuntur, in caritatis incremento summa consistit. Non enim fieri potest, ut, loquente ad cor hominis in solitudine Deo ipso, qui eius virtutis fons est inexhaustus, non comprobetur sacri vatis illa sententia: « In meditatione mea exardescet ignis ». Hoc vos igne satis esse succensos testantur litterae, quas, te duce, Venerabilis Frater, tuus iste clerus tecum congregatus ad Nos dedit, obsequii et amoris plenae. De qua egregia et prompta voluntate magnopere vobiscum gratulamur, adiectamque stipem, pietatis filiorum testimonium grato animo excipimus, Deum rogantes, ut vos in sanctis propositis confirmet et arctiore usque nexu Nobiscum coniungat. Caelestis autem auspicem gratiae ac paternae Nostrae dilectionis pignus Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, sacerdotibus qui tecum subscripserunt universoque fideli populo tuae vigilantiae commisso peramanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum die x mensis Septembris anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

III.

AD R. P. D. IOANNEM VINCENTIUM TASSO, EPISCOPUM AUGUSTAE PRETORIAE, OB DEVOTIONIS OBSEQUIUM SANCTITATI SUAE EXHIBITUM.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Haustum pietatis ardorem a pio secessu, in quo nuper statis animi meditationibus Deoque uni vacastis, abunde testantur datae a te cum tuo clero communiter ad Nos litterae die xxv proxime lapsi mensis Augusti. Ex quibus cum gaudio intelleximus, nihil apud vos esse sanctius, quam apostolicam auctoritatem vereri ab eiusque ductu ne latum quidem unguem discedere. Inde praeclara illa Nobiscum consensio in erroribus novissimis, improbandis, quos iterato damnavimus, in iisque sincero animo excipiendis documentis quae pro temporum opportunitate exhibenda duximus, sive de christianae Fidei rudimentis rite tradendis, sive de frequenti Sanctissimae Eucharistiae receptione, sive de pueris ad sacram mensam primum admittendis, sive de cantu sacro et populari. Quae quidem omnia

quanto diligentius excolentur, tanto maiora quum privatae tum publicae salutis adiumenta suppetent Ad haec omnia quod alacres vos et egregie comparatos inveniamus, merito gratulamur, simulque piae stipis accessionem grato animo memorique prosequimur, Deum effuse precantes, ut vos mutuae caritatis nexu in dies magis obstringat, sine qua nutare necesse est fidem ipsam et amorem erga Nos atque hanc Apostolicam Sedem. Interea coelestis auspicem gratiae ac paternae Nostrae dilectionis pignus Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, sacerdotibus tecum congregatis qui epistulam subsignarunt, ac fideli populo tuae curae concredito peramenter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum die x mensis Septembris, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

IV.

AD RR. PP. DD. IOANNEM FIDELEM BATTAGLIA, ARCHIEPISCOPUM TITULAREM CYZICENUM DECANUM EPISCOPORUM HELVETIAE ALIOSQUE HELVETIORUM EPISCOPOS, DE HABITO CONVENTU LUCANO.

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Opportunum sane locum habendo Conventui Lucanum elegistis, grate memores tum institutae abhinc quinque lustris in Ticinensi pago hierarchiae, tum expleti anni tercentesimi ab evecto ad sanctorum caelitum honores Mediolanensi Antistite Carolo Borromaeo. Quos autem hanc nancti occasionem profitemini sensus, Nostris votis plane respondent, nihil magis cupientibus Nobis quam ut sacri Ecclesiae Pastores tanti episcopi animum induant, aemulentur ardorem, virtutes imitentur. Illud etiam admodum placuit, adiutores operae vestrae non deesse catholicos e populo viros, qui publicis in coetibus incrementa religionis impense curent ac de recta iuvenum institutione sint apprime solliciti. His erecti praesidiis et Caroli patrocinio suffulti admovete operi manum, et « forma facti gregis ex animo », quae nuperrimis encyclicis litteris documenta dedimus in usum deducenda curate. Ut autem omnia e sententia cedant, caelestis auspicem gratiae ac paternae Nostrae benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, clero et fidelibus curae vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum die xi mensis Septembris anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

V.

AD EMINENTISSIMUM VIRUM ARISTIDEM S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM CAVALLARI, PATRIARCHAM VENETIARUM, DE HABITIS SPIRITUALIBUS EXERCITIIS.

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Sollertiae ac pietati vestrae additus ardor a sacro secessu, in quo piis meditationibus et sacerdotalibus recolendis officiis intento studio vacastis communibus litteris aperte significatus, admodum delectavit. A coeptum vero potissimum fuit, haerere vestris mentibus exhortationem Nostram ad Clerum, eoque vos esse animo comparatos, ut, quae fuse iis Litteris docuimus, in vitae vobis degendae normam et in christiani populi salutem traducatis. Quod modo superest, fundendae sunt preces clementissimo Deo, ut, quae in animum induxistis, ea constanter tueamini, ac parem istius Ecclesiae dignitati atque amplitudini virtutem operamque afferatis. Haec ut feliciter contingant, caelestis auspicem gratiae ac singularis Nostrae benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem tibi, dilecte Fili Noster, sacerdotibus qui epistolam subscripserunt et reliquo clero ac fideli populo tuae vigilantiae concredito peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die XII mensis Septembris anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

VI.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM GASPAREM DECURTINS, DOCTOREM DECURIALEM IN ATHENAEO CATHOLICO FRIBURGENSI, OB OPUS " DE MODERNISMO LITTERARIO " BEATISSIMO PATRI REVERENTER OBLATUM GRATULATIONIS CAUSA.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Tuum opus de modernismo litterario, firmissimis argumentis et magna disserendi subtilitate conscriptum, haud studiose minus quam iucunde perlegimus. In eo enim, qualem antea, te praebes fidelissimum Ecclesiae filium ac defensorem strenuum, dignum propterea quem, sicut illustris Decessor Noster, ita et Nos peculiari existimatione ac benevolentia prosequantur. Dudum quidem animadvertimus, multiplici sub forma se occulentem modernismum in litteras irrepsisse, nec solum in fabulas, quas romanenses appellant aliave narrationum genera, verum etiam in sermones, qui in criticorum arte versantur. Novum hoc propagandi erroris adminiculum, mentita specie tractandi litteras de iisque iudicandi, in dies evulgatius, eoque periculosius quo simulatum callidius et ad virus dif-

fundendum expeditius, acerbum Nobis dolorem attulit. Ea namque agendi ratio declarat, fidei ac disciplinae catholicae adversarios nihil intentatum relinquere ut deploranda consilia sua ad exitum perducant. Haec nempe causa est quamobrem, post editas encyclicas Litteras Nostras « *Pascendi* », quae modernismum philosophicum ac theologicum directo percellebant, transversae sint initae viae ad exitiosos illos errores longe lateque proferendos. Magnam enim, ut egregie tu disseris, in artibus et litteris vim sitam esse animadverterunt ad hanc novam dimicationem, maxime vero in romanensibus aliisve fabulis. Hinc mira illa librorum id genus colluvies, pluribus linguis redditorum, quibus propositum est humanitatem inimicorum Ecclesiae summis laudibus efferre; nostrorum studia et scripta commiserari, deridere, quasi longe inferiora; fatuam quandam religionem et commenticiam recti pulchrique formam, quam « *Idealismum* » dicunt, perpetuo celebrare, suo cuiusque sensu duce ac magistro reiecta quavis disciplinae norma et freno quovis legitimae auctoritatis excusso; implicite saltem promovere inductam illam philosophandi rationem, a qua, velut a fonte, singuli errores derivantur, quae absolutam veritatem cognosci posse negat, omnemque religionem nihil aliud esse contendit, nisi inchoatam quandam formam eamque mutabilem, hoc uno utilem homini, quod eius animum expleat in ea pronum quae naturam excedunt. Haec omnia quam falsa sint atque improbanda facile intellectu est. Primum enim, non fictam catholicae Ecclesiae historiam perlegenti patebit, hanc omnis humanitatis matrem et altricem fuisse, nulla cultus parte seclusa, Romanosque Pontifices eiusdem tuendae vindicandae auctores impigros extitisse. Quod vero pertinet ad novissima de religione iudicia, quibus modernistae conantur evincere, nihil aliud esse religionem quam insitum unicuique sensum rerum caelestium, cui minime res ipsa respondeat, Nos quidem refellimus iam atque damnavimus errorem funestissimum, quo fatalis via sternitur ad veri nominis despicientiam incuriamque rerum ad religionem spectantium quam *indifferentismum* vocant, vix dissimulatam fucatis verbis a rhetorum officina petitis. Haec lenocinia atque hae simulationes ingenii ad inventionem excolendi et critices artis exercendae, quae mire inserviunt erroribus disseminandis aut facilius divulgandis, haec pompa sententiarum ad incautos lectores decipiendos, existimari debent uti arma omnium funestissima ad falsi tutelam et ad oppugnationem veri. Oportet igitur omnes, quicumque haud inani gloriantur nomine catholicorum, insidias hasce denuntient repellantque viriliter. Qua in re nemo sane poterit melius ferre suppetias quam iuventutis institutores et auctores operum edendorum. Campus enim his patet latissimus, in quo possint subtile iudi-

cium atque elegans, idemque plane catholicum, in animis adulescentium inserere, proposito exemplo scriptorum qui ex eo numero immortalem sibi famam pepererunt; aut causam litterarum a catholico sensu prodeuntium suscipere contra novissimum agmen iniquo animo scriptitantium; aut, si cui Deus hanc facultatem concesserit, addere se scriptorum numero probe de religione sentientium. Huius navitatis exemplum, quod ipse, dilecte Fili, praebuisti nobilissimum, incitamento sit ceteris. Nobis gratissimum est praeclaram operam tuam pro Christo et Ecclesia impensam, excellens ingenium exquisitamque doctrinam, in obsequium veritatis collata contra erroris astutiam, publica laude honestare. Caelestis autem pignus mercedis, eademque excitatrix ad continuanda praelia Domini, sit Apostolica Benedictio, quam tibi, dilecte Fili, paterno animo effusoque impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum die xv mensis Septembris, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I.

DECLARATIONES CIRCA MOTUM PROPRIUM « SACRORUM ANTISTITUM ».

Propositis ad hanc Sacram Congregationem quae sequuntur dubiis circa Motum proprium *Sacrorum Antistitum,* datum die prima mensis huius:

I. An praeceptum quod nemo theologiae laurea sit donandus, nisi prius in philosophicis disciplinis lauream obtinuerit, vel saltem de curriculo in philosophia scholastica absoluto certum praebuerit testimonium, stricte sit observandum?

II. An praescriptio *Consilium vigilantiae* altero quoque mense congregandi sit item stricte intelligenda ?

III. An tamen ii, qui *Consilium vigilantiae* constituunt, si longe distent a civitate episcopali et legitime impediti sint ab interveniendo, possint, adducta causa impedimenti,scripto transmittere relationem suam?

IV. An prohibitio alumnis in seminariis et ecclesiasticis collegiis facta legendi diaria quaevis et commentaria quantumvis optima etiam ad iuvenes regulares in monasteriis et in congregationibus studiis operam dantes extendatur ?,

V. An *quotannis* doctores in seminariis teneantur textum, quem

sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones, sive theses, Episcopis exhibere, et ineunte anno iusiurandum dare?

VI. An idem quotannis praestare debeant suis moderatoribus doctores seu lectores in ordinibus religiosis ante auspicandas praelectiones ?

VII. An ad iusiurandum praestandum teneantur confessarii et sacri concionatores iamdudum adprobati, et parochi, beneficiarii atque canonici in possessione beneficii, nec non officiales omnes in curiis episcopalibus et romanis congregationibus vel tribunalibus, religiosarumque familiarum et congregationum moderatores, qui in praesenti sunt in officio?

VIII. An in casibus particularibus, data iusta causa, Episcopi et Moderatores ordinum et congregationum religiosarum delegare possint ad recipiendum iuramentum sacerdotem aliquem sive saecularem sive regularem in aliqua dignitate vel officio constitutum?

IX. An ad Sanctum Officium sint deferendi non solum qui iusiurandum violaverint, sed etiam qui iurisiurandi formulam subscribere renuerint?

X. An Episcopi et Moderatores regularium possint commendationis litteras absque nota concedere suis subditis, qui alicubi a praedicatione fuerint prohibiti?

XI. An invitari possint sacri oratores, qui in aliquo loco ab Episcopis fuerint improbati?

SSmus Dominus Noster in audientia die 24 huius mensis Emo Cardinali Secretario Sacrae Congregationis Consistorialis concessa respondendum mandavit:

Ad I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII et IX affirmative; - ad X et XI negative.

Iussit porro omnes vocatos iuriiurando obligari infra diem 31 decembris huius anni.

Quoad VII vero dubium SSmus benigne indulsit, ut in locis a residentia Episcopi dissitis parochi, confessarii et doctores formulam iurisiurandi ad eosdem missam et praecognitam vel una simul cum vicariis foraneis vel etiam quisque singillatim proprio nomine signent, itemque beneficiarii in collegiatis ecclesiis, nec non religiosi in conventibus cum eorumdem Superioribus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 25 septembris 1910.

C. CARD. DE LAI, *Secretarius.*

L. © S.

Scipio Tecchi, *Adsessor.*

II.

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis elegit:

23 septembris 1910. — R. P. D. Angelum Hyacinthum Scapardini, mutato titulo Antiocheno iam eidem adsignato, in archiepiscopum titularis ecclesiae Damascenae.

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

S. CONGREGATIO RITUUM

LUCEM.

DECRETUM BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI IOSEPHI A CARABANTES, SACERDOTIS PROFESSI, ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM ET MISSIONARII.

Inter tot et varia certamina atque internas externasque calamitates quae nos undique premunt, animus erigitur ac recreatur in memoriam revocando illustres sanctitate ac virtute viros, aeque de civili et christiana societate benemeritos. His haud immerito accensetur Iosephus a Carabantes, sacerdos professus seraphicae capulatorum familiae, qui tam Hispaniam quam Americam meridionalem integerrimae vitae fama, assidua verbi Dei praedicationis sacrisque expeditionibus, insignis missionarius, perlustrasse perhibetur, fructus referens conversionis et sanctificationis uberrimos. In oppido Carabantes veteris Castellae ex parentibus pietate ac genere claris Bartholomaeo Valasquez et Anastasia de Frensueda ortus est Iosephus, die 27 Iunii an. 1628. Mox pater morte praeripitur et mater vidua, quibusdam signis ac superna spe et consolatione sustentata, primaevam suscipit institutionem infantis qui eius curae ac sollicitudini congruenter respondet pius, obediens et ad caelestia inclinatus. Hisce laeta exordiis, solidiore doctrinae cibo puerum agere sciens, eum mittit in oppidum Deza ut hospes amitae sub idoneo praeceptore litterarum rudimentis imbuatur. Quum Iosephus adolesceret, ipsius matris iussu, Soriam urbem petit, ubi humanioribus litteris dans operam in iis quoque proficit quae divina sapiunt et ter-

rena despiciunt. Solitaria enim sibi eligit loca* eremitarum more, ut, ab hominum conversione segregatus, Dei famulatui mente et corde liberius vacet. Verum, inopinato Ioannis fratris obitu, in patriam revocatur; et divinae voluntati adhaerere reputans, clericali militiae se adscribit, atque tonsuram et ordines minores recipit. Deinceps Caesaraugustam se confert ad studia prosequenda; sed paucos post dies quodam animi moerore perculsus, quasi praenuntio proximi luctus, in patriam redit. Illic genitricem lethali morbo correptam ac morientem invenit, eique aegrotanti ac defunctae omnia iustitiae ac pietatis officia praestat filius amantissimus. Qui Soriam regredi statuit ubi humaniores disciplinas iam initas feliciter absolvit. Interim de perfectioris vitae statu, prouti iamdiu cogitaverat, cum probatis doctisque viris ac praecipue cum Deo, assidua oratione interposita, impensius agit. Dum Ipse propensior esset ad humilem capulatorum ordinem eligendum, atque hic ordo ex altera parte nimis rigidus ob tenuem Eius valetudinem existimaretur, attamen quasi divinitus actus, Servus Dei, huius Ordinis praelatis supplices porrigit preces, ut religionem cooptaretur. Voti compos effectus, in tyronem exceptus est die 10 Octobris 1645. Interim multiplex morbus et phtysis et tumoris in femore tyrunculum vexare coepit et ab inita via deterrere. Verum precibus exoratus clementissimus Deus optimo iuveni adest propitius, et ab omnibus malis eum sospitem incolumemque servat. Tyrocinio vix exacto, Iosephus die 11 Octobris an. 1646 in Franciscali coenobio Caesaraugustano solemnia vota nuncupavit, Philosophicis ac theologicis scientiis iam instructus, iuxta morem Ordinis qui in suis alumnis sensus inanis gloriae deprimere aliosque christianae humilitatis fovere studet, ad humile destinatur officium, nempe ad ostii custodiam quae fuit illi veluti gradus ad ascensum et praeparatio ad sacerdotii dignitatem qua insignitus fuit an. 1652, die 21 Septembris ab Episcopo Albarracensi. Paulo post, instante Apostolo Legato ad Iberos et consentiente ministro provinciae franciscanae, Iosephus cum sociis, Caesaraugusta relicta, Matritim proficiscitur, ubi ab ipsomet Legato benedictionem et missionem ad americanas regiones meridionales pro fide catholica tuenda ac propaganda accipit, cum Apostolica delegatione opportune adhibenda. Novi missionarii, dum in Archidioecesi Tolosana expectant occasionem navigandi propitiam, primaevos fructus ministerii percipiunt; dein iter maritimum aggressi post diuturnam navigationem Cumanum portum tenent. Illic statim, Iosepho praeside, missioni manus apposuerunt, neque solum Cumanae civitati, sed et proximis urbibus et oppidis evangelium pacis annuntiarunt, seminantes utique in lacrymis et in laboribus, sed metentes etiam in gaudio et exultatione, por-

tantes manipulos suos. Insuper consules provinciae, de fructu missionis laetantes, edixerunt rogandum esse Dominum messis, ut alios operarios mitteret in messem suam; simulque missionarios laudibus extulerunt per litteras ad Regem Catholicum Philippum IV quem exorarunt, ut primis missionariis et alios eiusdem coetus adiungi curaret. Neque spes fefellit. Nam missis ex Iberia novis subsidiis, auctoque virorum apostolorum agmine, impensiori studio et latiori extensione sacrae expeditiones resumptae sunt. Caracas primum, deinde Valentina nova, Segovia nova, Barcinonia nova aliaeque permultae civitates et oppida missionariis patuerunt, tanquam magnus campus antea incultus et post Evangelii praedicationem bene cultus ac Deo adiuvante fructuosus. Iosephus autem speciali modo Caraibum conversionem veluti suam provinciam, satis arduam, adlegit. Isti enim immanissimi quum essent et ex humana carne et sanguine, cibum et potum sumere assueti, Dei Famulum vix obvium viderunt, statim ceperunt et, iuxta morem, destinarunt ad novas epulas serius parandas. Verum brevi incredibili prorsus eventu, divina iuvante gratia factum est, ut barbari illi ad Eius genua provoluti tanquam hominem liberum et divini numinis nuncium illum habuerint et adoraverint. Inde facilior labor, facilior accessus ! Ipse cum suis linguam eorum didicit, christianam cathechesim, devotas preces, piasque laudes cum concentu neophytos docuit et baptismo regeneravit. Inter hos mentione dignus est quidam regulus crudelissimus, Ocapra nomine, qui gravi morbo affectus et ad extrema redactus, zelo ac ministerio Servi Dei ad Christi Fidem conversus est. Missio prospere incedebat, favente etiam Mazpato principe ac ipso Rege, quum repente tempestas oritur adversus Iosephum eiusque socius. Perfidi ac maligni daemonis invidia et suggestione, accusantur missionarii veluti sanctae religionis transfugae. Dei famulus Matritim petere cogitur ubi apud Pontificis Legatum missionariorum fidelitatem et constantiam probat et sceleratorum penuria et calumnias refutat, veniam etiam adprecatus ab ipso Legato pro calumniatores. Redeuntem victoriae ac pacis nuncium socii gaudio magno exceperunt, atque omnes alacriter ad sacrum ministerium se devoverunt qui etiam, Deo opitulante ac suffragante Deipara Virgine, a pluribus et imminentibus periculis, tum in mari, tum in continenti, liberati sunt. Caraibes autem Iosephum, veluti oves, secuti, non solum religionem catholicam, sed etiam catholici regis ditionem amplexati sunt; pace et concordia inter nationem caraibam et hispanam sancita et conclamata. Quin imo illius gentis ac finitimorum populorum principes recens ad fidem conversi ipsum Iosephum legatum delegerunt ut tam coram Rege catholico quam coram Summo Pontifice fidelitatis et religionis

sacramentum emitteret. Hinc, conscensa navi, Americana littora linquens in Europam revertitur Dei famulus; qui Cadicem, Hispalim ac Valentiam successive tenet et Labronem in Italia appulsus inde pedestri itinere Romam ingreditur. A Romano Pontifice Alexandro VII benigne exceptus, Patribus purpuratis adstantibus sermonem habuit de novis gentibus in Christi ovile cooptatis. Mox ipsarum servitutis fideique sacramentum ad pedes Beatissimi Patris obtulit, de mandato et nomine respectivorum Principum obsignatum nempe Dominici e natione Azagua, Gasparis e natione Iapias, Macarii e natione Cores, Stephani e natione Chayma et Christophori e natione Caraiba. Pontificis benevolentia et laudibus cohonestatus et Apostolica benedictione communitus, Romam illico relinquens, Hispaniam versus marino itinere proficiscitur. Mens erat Servi Dei statim ad suos neophytos et conversos filios trans Oceanum advolare, sed aliud erat divinae sapientiae consilium. Quod ostensum est per petitionem Episcopi Malacitani spiritualibus necessitatibus suae dioeceseos succurrere volentis et consensum ac iussum ministri provincialis capulatorum. Hoc satis innuere licet, quod Iosephus ipse Antonae marchioni de foecundis missionis malacitanae fructibus scribens, eiusmodi expeditiones maxime commendavit, exhortans ut per totam Hispaniam promoverentur. Hinc nil mirum si eidem Servo Dei eiusque sodalibus aliae similes missiones concreditae fuerint, quas per plures annos ad ultimam usque senectutem singulari sedulitate atque uberrimo fructu rite explevit per totam Iberiam, praesertim per Galloeciam provinciam, unde Galloeciae Apostolus appellari meruit. Quum autem amore erga Deum et divina mysteria aestuaret, peculiari pietatis affectu in SSmum Eucharistiae Sacramentum, necnon in Deiparam Virginem Immaculatam ferebatur, unde frequentiam ad templum et ad sacram sinaxim et quotidianam marialis Rosarii recitationem summopere inculcabat. In proximos suam effundebat charitatem praesertim pauperes, infirmos ac in carcere detentos, corpus simul ac animam sublevando, sicuti etiam defunctos in expiatorio igne cruciatos precibus bonisque operibus per se et per alios adiuvare curabat. Itaque Iosephus hisce aliisque donis ac virtutibus ornatus, iam coelo maturus, laboribus, senio morbisque afflictus praecipue febris et podagrae, in iis properantis mortis signa et monita recognovit et habuit. Hinc Deo mente et corde intentus, morbis infra maiorem Hebdomadam ingravescentibus, postquam, sacra exomologesi peracta, Christi viaticum et extremam unctionem devotissime recepisset, illucescente Paschatis die cum ipso Christo gloriose resurgente, e terreno exilio ad caelestem patriam migravit. Montifortis in urbe, die undecima Aprilis anno 1694. Ad invisendas Servi

Dei exuvias devoti cives ex omni ordine confluxerunt, certantes sibi aliquid arripere ex vestibus in memoriam et venerationem. In ecclesiam carmelitidum sororum eaedem exuviae deinceps illatae atque expositae, solemnibus exequiis honoratae sunt, subsequentibus aliis funeribus intra mensem et habitis duabus orationibus in laudem defuncti etiam praelo vulgatis. Exorta quaestione de loco sepulturae ac, per coeleste iridis signum, unanimi consensione resoluta, corpus Servi Dei in ecclesia franciscali Sanctae Clarae rite tumulatum fuit. Sanctitatis vero fama quam Iosephus in vita et post obitum sibi adeptus fuerat, in dies perseverans et ad haec usque tempora magis clara invaluit. Quare in ecclesiastica Curia Lucensi Processus Ordinarius Informativus super eadem fama confectus, Romam ad Sacram Rituum Congregationem transmissus fuit. Quum vero, peracta revisione scriptorum ipsius Servi Dei, nihil obstaret quominus ad ulteriora procedi posset, instante Rmo Dno Mauro Bernardo Nardi, Episcopo tit. Thebano et Ordinis Minorum Capuccinorum Postulatore generali, atque attentis litteris postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum aliorumque virorum civili vel ecclesiastica dignitate praestantium, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata huius Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die, ad Vaticanum coadunatis sequens dubium discutiendum proposuit: « An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur ? » Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem eiusdem Emi Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, omnibus sedulo discussis ac perpensis rescribendum censuerunt: « Signandam esse commissionem et supplicandum Sanctissimo ». Die 16 Augusti 1910.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habens, Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei Iosephi a Carabantes, sacerdotis professi Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum et Missionarii propria manu signare dignata est, die 24 eisdem mense et anno.

FR. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

† Petrus La Fontame, Ep. Charystien., *Secretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

i.

COLONIEN. - MONASTERIEN.

SUSPENSIONIS A DIVINIS AC IURISDICTIONIS.

Pio PP. X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno septimo, RR. PP. DD. Franciscus Heiner, Ponens, *Ioannes Prior et Aloysius Sincero, Auditores de Turno, in causa* Colonien.-Monasterien. *inter Officialatum Colonien., recurrentem adversus sententiam Curiae Monasteriensis, et sacerdotem Iosephum Schmelcher, interveniente ac disceptante in causa Promotore iustitiae sequentem definitivam tulerunt sententiam, die 23 Maii 1910.*

Iosephus Schmelcher, parochus emeritus Archidioecesis Coloniensis, quum per litteras, sub die *25* mensis Novembris anni 1905 datas, certior factus fuisset Emum Dnum Archiepiscopum Coloniensis Archidioecesis contra ipsum causam disciplinarem introduci mandasse, trinae citationi rite factae non obtemperavit.

Quapropter sacerdote Schmelcher per sententiam interlocutoriam contumace declarato, processus ad exitum adductus est, et per sententiam definitivam praedictus sacerdos condemnatus est.

Contra hanc sententiam sacerdos Schmelcher querelam nullitatis interposuit apud Episcopum Monasteriensem, tamquam Iudicem secundae instantiae a Sancta Sede Apostolica delegatum. Episcopus Monasteriensis querelam nullitatis reiecit; at de merito causae simul iudicans, poenam statutam a Curia Coloniensi immutavit eiusque rigorem temperavit.

Verum Officialatus Curiae Coloniensis, ut ipsius verbis fere utamur, quum opinatus esset Iudicem Superiorem Ecclesiasticum, si condemnatus solummodo de nullitate processus conqueritur, praesertim si propter contumaciam appellare nequit, nil aliud facere posse, quam ut processum ab inferiore Iudice instructum examinet et si iuste iudicatum fuerit, sententiam priorem confirmet, sin vero minus, causam ad priorem iudicem remittat, ut defectus corrigat, his potissimum causis commotus, Revmum Dnum Episcopum Monasteriensem rogavit ut sententiam suam reformaret, et, reiecta querela nullitatis a sacerdote Schmelcher interposita, priorem sententiam confirmaret.

Episcopus vero Monasteriensis rescripsit iurisdictionem a Sancta Sede sibi delegatam, causa iudicata, expirasse, ita ut sententiam iam latam reformare non "posset. Idque rite et iuste factum est, non quidem definito tantum ob causam allatam, nam delegata iurisdictio non circumscribebatur ad lirnites illius causae, querelaeque nullitatis in ea cognoscendae; sed potissimum quia nec Iudex primae instantiae, post sententiam a se datam, potest, qua iudex se iterum immiscere in processu et in sententia secundae instantiae, neque Iudex secundae instantiae sententiam a se iam datam potest ipse iterum, regulariter, reformare.

Quapropter Officialatus Coloniensis Summo Pontifici dubia sequentia proposuit solvenda, quatenus Eiusdem auctoritate et sapientissimo iudicio totum negotium terminaretur: dubia autem haec fuere:

1.° Num iudici secundae instantiae, reiecta ab eodem querela nullitatis contra sententiam inferioris iudicis, sententiam primae instantiae immutare liceat eo in casu, quo condemnatus propter suam contumaciam legitime declaratam appellationis gratia privatur ? et quatenus negative;

2.° Num querela nullitatis reiecta a superiore Iudice, sententia inferioris Iudicis statim vim suam obtineat? et quatenus affirmative;

3.° Num Officialatui Coloniensi in casu proposito fas sit sententiam suam die 5 mensis Decembris 1906 contra sacerdotem Schmelcher latam executioni mandare, non interposita auctoritate Revmi Iudicis superioris ?

At Summus Pontifex totam controversiam Colonien. Suspensionis a divinis ac iurisdictionis inter Emum Archiepiscopum Colonien, et sacerdotem Schmelcher et Episcopum Monasterien. huic sacro Ordini devolvit, annuens : « ut causa committetur Tribunali S. Rotae « Romanae pro iudicio definitivo, cum omnibus facultatibus necessa- « riis et opportunis, etiam excutiendi testes, et exquirendi documenta, « et potestate subdelegandi Curias dioecesanas, aliaque omnia peragendi, « quae necessaria sint ad controversiam definiendam ». Idque sapientissimo sane consilio factum est; de iis sententiis enim S. R. Rota iuxta Legem propriam competens est ad iudicandum tum de forma, tum de merito, et ceterum ex ipso suo veteri et glorioso stylo, Rota, ut docet Coccino in sua *magistrali decisione 474, part. 2, tom. 1 Recentior., a. n. 8:* « numquam ex sequitur sententias aliorum Tribunalium «nisi gustato de earum iustitia. Pute, *decisio 40, lib. 1;* Chissan, *decisio 179* et est notorium et tritum in Rota ».

Commissa autem causa S. R. Rotae, die assignata pro concorda-

tione dubiorum sac. Schmelcher non comparuit nec per procuratorem, nam is mandato accepto iam renuntiaverat, nec per se; at per litteras, sub diebus 25 et 28 Ianuarii datas, excusationem absentiae dedit, et dubia proposuit, vel saltem se paratum exhibuit ad ea proponenda. Dubia autem meritum quoque causae attingebant, haecque erant:

1.° An sententia secundae instantiae Monasterien. die 1 Maii 1908 ss. canonibus sit consentanea, et quatenus negative;

2.° An poena ab hac instantia inflicta, sustineri possit in casu.

Comparente igitur tantum Promotore Iustitiae coram Dno Ponente, dubiis ab Officialatu Coloniensi propositis in unum contractis, *ad instantiam Promotoris Iustitiae* sequens dubium mandatum est disputari: An constet de illegitimitate reformationis sententiae Colonien, inductae per sententiam Revmae Curiae Monasterien. die 1[a] Mensis Maii 1908, ita ut sententia Colonien, possit demandari exsecutioni in casu.

Quum vero istud dubium, ut per se patet, praecluderet omnino Iudici viam ad iudicandam causam de merito et ad dignoscendum num sententia secundae instantiae nimis, quam quod par est, extenuasset poenam statutam a Iudice primae instantiae, RR. PP. Auditores de Turno in die propositionis causae responderunt dubium esse reformandum in hoc sensu: An sive quoad legitimitatem, sive quoad mensuram poenae sustineri possit sententia Curiae Monasteriensis, in casu. Interim vero causam differendam esse, idque notificandum, ut nimirum ii, quorum intererat, suas observationes et deductiones possent, ut res loquitur ipsa, huic iudici exhibere.

Verum Promotor Iustitiae renuit, et postulavit ut dubio proposito haud mutato daretur responsio. Si, ut censeo, aiebat ipse, affirmative respondeatur, confirmantur sententia Colonien.; si negative, continuabitur sententia Monasterien.

Dubio igitur respondendum fuit, *prout proponabatur.* Quod ad dubium haec sunt observanda.

Factum quod spectat. — Sacerdos Ioseph Schmelcher, parochus loci vulgo *Thenhoven.* die 26 mensis Martii 1903 nominatus, parochiam cum licentia vel ex consilio Archiepiscopi Coloniensis resignavit. Post factam renunciationem recurrit ad S. Sedem, affirmans se iniuste coactum fuisse ad renunciandum suae parochiae. S. Congregatio EE. et RR. die 19 mensis Iulii 1905 responsum dedit: Recursus reponatur, et ad mentem: mens est quod Archiepiscopus curet providere alio modo sustentationi sacerdotis Schmelcher eumdemque, si ita in Domino expedire iudicaverit, titulo parochi emeriti in folio ecclesiastico decorare,

idque notificetur eidem Archiepiscopo per epistolam, quae quidem ab Archiepiscopo peracta fuere.

At quum sac. Schmelcher « ab advocato suo romano de recursu ad S. Congregationem EE. et RR. die 4 mensis Februarii 1905 habito, resolutionem eiusdem S. Congregationis non in forma authentica, sed ut putavit, ipsi favorabilem acceperit» ipse, ut scribebat Archiepiscopus Colonien, ad S. Congregationem EE. et RR., tam scripto quam oretenus de nuntio ipsi Roma misso gloriatus addereque ausus est ipsum de Archiepiscopo eiusque Vic. Generali victoriam gloriosam reportasse, Archiepiscopoque a S. Congregatione iniunctum fuisse, ut ipsi sive beneficium, sive canonicatum, sive parochiam conferret. Talibus autem obtrectationibus, id quod plurimum deplorandum erat, et auctoritas Archiepiscopi summopere laedebatur, et in parochia Thenhoven. post parochi Schmelcher resignationem vixdum paulisper ad pacem revocata, discordiae acerbissimae denuo concitatae sunt, ita ut parochum Schmelcher ea de re in ius vocare prorsus coactus Archiepiscopus sibi visus sit.

Per litteras autem diei 25 Novembris 1905 sac. Schmelcher certior factus est Emum Dnum Archiepiscopum Coloniensem contra ipsum causam disciplinarem introduci mandasse.

Porro sac. Schmelcher citatus fuit ad comparendum coram Iudice Instructore Doct. Vogt, quae citatio accepta fuit die 14 Februarii a Schmelcher.

Verum sacerdos Schmelcher in supplici libello, quem Summo Pontifici misit sub die 27 Febr. 1907 affirmat se postquam de hac inquisitione iudiciali certum nuntium accepisset, suam citationem non expectasse, sed statim die 22 Ian. et die 23 Febr. 1906 ad Emum epistolas direxisse, in quibus officialatus competentiam et processus validitatem negaverat, duabus rationibus innixus, quarum altera - quae hac in re probe est pensanda, quippe quae gravem suspicionem in aliquem ex iudicibus induceret - erat quia « agebatur de dictis, quae contra Ordinarii et quo-
« rumdam Superiorum " personas " dirigi affirmabantur.... hae personae
« vel procuratoris fiscalis, vel iudicis (v. g. Vicarius Generalis) officiis
« fungebantur ».

« Quamvis iterum - prosequitur ipse -, iterumque has rationes proposuissem, officialatus de iis sententiam numquam dixit, ita ut studiose impeditus sim, quominus appellare possem ».

« Per se patet, - concludit - quod citationes coram Iudice inquisitore me sistendi iure merito neglexi. Nam si in iis obtemperassem, competentiam affirmassem, et competentiae negatio tamquam frivola esset declarata ».

Deinde vero idem sacerdos Schmelcher a promotore fiscali fuit accusatus die 7 Maii 1906, quod:

a) iniurias intulerit Episcopo et Curiae Episcopali, necnon reverentiam et obedientiam, quam in ordinatione sacerdotali promiserat, graviter laeserit;

b) iniurias quoque intulerit parocho Stoffels in Thenhoven.;

c) alios quoque instigaverit ut obedientiam Superioribus Ecclesiasticis debitam renuerent;

d) pacem in parochia Thenhoven. perturbaverit.

Hic libellus accusatorius sacerdoti Schmelcher fuit traditus, una cum citatione comparendi coram Iudice Instructore. Non comparente dicto sacerdote, eidem alia citatio et quidem perentoria die 13 Iulii 1906 intimata fuit.

Citationes, scribit iterum sacerdos Schmelcher in citatis litteris, coram Iudice Inquisitore me apparere iubentes etiam hac occasione neglexi. Nam:

1.° Officialatus competentia, *praesertim quoad primam accusationem,* erat neganda;......

2.° omnes iuris formalitates a iudice inquisitore et ab Officialatu et a procuratore fiscali studiose sunt omissae, quamquam semper, data occasione, eos de iis certiores feci. (Cfr. *Acta: Epistolae d. d. 7, 11, 14, 22, 26, Mens. Maii; 15, 25, m. Iunii; 2, 3, 19, m. Iulii 1906 etc).*

Interim vero die 22 mensis Iunii 1906 per sententiam interlocutoriam exceptio, ab accusato contra competentiam Officialatus interposita, reiecta fuit. Accusatus autem ut docet ipsa sententia primae instantiae, ab hac sententia interlocutoria non appellavit.

Num vero in hac vel in alia sententia interlocutoria ipsorum iudicum, vel per aliquod arbitrorum iudicium, iudicatum fuerit de illa ratione incompetentiae deducta ex eo quod in causa agebatur de dictis seu iniuriis quoque in Vicarium Generalem, isque unus ex iudicibus erat, ex allatis in causa non constat. Nam haec ratio incompetentiae refundebatur in recusationem iudicis suspecti. Iamvero quum Officialatus Coloniensis hac in causa, ut docet ipsa sententia definitiva, ab omnibus subsignata, Collegium constitueret et procederet collegialiter, de hac ratione, prout infra explicandum erit, videre non poterat. De iudicio vero arbitrorum nullum, quod apparet, vestigium. Ceterum supra vidimus sac. Schmelcher conqueri quod de iis, seu de hac ratione, Officialatus numquam sententiam dixerit.

Quum post hanc sententiam interlocutoriam Officialatus Coloniensis, ut affirmat sac. Schmelcher in citatis litteris Summo Pontificis datis,

per tres menses continuos nil faceret .... ut tandem laboris finis adesset et sententia Officialatus aliqua lucem veniret, die 12 Octobris 1906 duo interlocutoria, ita loquitur ipse, sac. Schmelcher ad Officialatum misit: 1.° de eo quod procurator fiscalis esset suspectus; et 2.° de eo quod unus iudicum, nempe Revmus Dnus Vicarius Generalis esset inhabilis, sibi « persuasus fore ut nunc, quando ipsorum Superiorum agendi mo« dus secundum ss. canones diiudicaretur, certissime ab Officialatu sen« tentia diceretur ».

Iamvero in sessione Officialatus diei 29 mensis Octobris 1906 accusatus *contumax* declaratus fuit. At simul defensor legitime ei deputatus est, professor Seminarii Archiepiscopalis Berrenrath, iste vero defensionem uberiorem in scriptis ad acta dedit. Item per sententiam interlocutoriam eiusdem diei 29 mensis Octobris, exceptio declinatoria, ab eodem sac. Schmelcher facta contra personam canonici capitularis Düsterwald, promotoris fiscalis munere fungentis, et contra personam Vicarii Generalis Dott. Kreutzwald, consiliarii Officialatus, fuit reiecta, quia promotor fiscalis recusari nequit et altera exceptio tamquam frivola, ut docet sententia interlocutoria, reputanda est.

Appellavit sac. Schmelcher tum contra sententiam interlocutoriam, qua contumax declaratus fuit, ut affirmat in sua defensione, tum contra sententiam, qua sua exceptio illa reiecta fuit, et apostolos, ut coniicere licet ex sententia secundae instantiae, postulavit. Quin imo ipse affirmat se appellasse de tota inquisitione iudiciali, et iam recursum quemdam fecerat ad Summum Pontificem, die 27 Ianuarii 1906, seu, lite pendente, in prima instantia.

Appellatio vero ab accusato contra sententiam, qua sua exceptio reiecta fuit, interposita die 31 mensis Octobris 1906 reiecta fuit ab Officialatu Coloniensi, quia sac. Schmelcher tamquam contumax appellare non poterat, nec a sententia mere interlocutoria vim definitivae non habente appellare licet.

Interim processus ad finem deductus fuit atque in sententia definitiva die 5 mensis Decembris 1906 data, quum iudices consideraverint in merito:

« *a)* ex actis iudicialiter congestis certo constare, accusatum iniuriarum Archiepiscopo et *Curiae Archiepiscopali* illatarum necnon quavis violationis reverentiae debitae identidem esse reum, praesertim in suis litteris 19 mensis Novembris 1905 ad Archiepiscopum datis, praeterea quoque in litteris, quas mense Augusto ineunte anni elapsi (1905) ad Ioannem Koellen in Thenhoven. scripserat, de quibus ex testimonio duorum testium fide dignorum, qui eas inspexerunt et legerunt, satis

constat, deinde in aliis quoque litteris, quae iam in forma sua exteriori contemptionem receptoris prae se ferunt;

b) accusatum inobedientiae esse reum, quia neglexit vel *recusavit ad quaestiones a Vicario Generali ipsi propositas respondere,* nec citationi Officialatus die 7 mensis Maii, nec citationi die 13 mensis Iulii huius anni (1906) peremptoriae ipsi factae comparandi coram Iudice Instructore obtemperavit;

c) accusatum quoque esse reum iniuriae illatae sacerdoti Stoffels, qui ab Archiepiscopo parochus in Thenhoven. institutus est, per litteras die 6 mensis Ianuarii ad eum missas necnon per litteras, quas die 26 mensis Ianuarii huius anni ad Archiepiscopum dabat, praeterea quoque eumdem vehementer esse suspectum quod auctor sit litterarum iniuriosarum, quas soror sua Agnes in forma circularium contra parochum Stoffels scripsit;

d) accusatum quoque per suas litteras Iohanni Koellen mense Augusti anni 1905 datas, quae in parochia Thenhoven. divulgabantur, pacem et tranquillitatem, quae post recessum accusati ex dicta parochia redire coeperunt, perturbare tentasse et, sicut notorium est, revera graviter perturbasse;

e) accusatum quoque suspectum esse *videri,* quod Iohannem Koellen supradictum instigaverit, ut citationi Officialatus Archiepiscopalis comparendi coram, eodem et deponendi in causa disciplinari pertinaciter restiterit;

f) in favorem tamen accusati posse produci, quod ab advocato suo romano de recursu ad S. Congr. EE. et RR. die 4 mensis Februarii 1905 habito resolutionem eiusdem S. Congr, non in forma authentica, sed ut putaverit, ipsi favorabilem acceperit, accusatum autem per litteras Vicarii Generalis die 1 mensis Septembris 1905 missas de asserta resolutione ipsi communicata ancipitem fieri debuisse, et monitum fuisse ut respondendo ad dictas litteras dubium e medio tolleret, eum tamen hoc neglexisse ».

Quibus omnibus perpensis et consideratis accusatus condemnatus fuit iuxta c. *2, de maioritate et obedientia, I, 33;* c. *11, 12, 13, G XI, qu. 3; can. 5, dist. 46; G. V, qu. 1,* in suspensionem ab Ordine ad tempus unius mensis eidemque indictum est ut infra hoc tempus in aliquo monasterio ab Archiepiscopo approbando de delictis suis poenitentiam ageret.

Contra hanc definitivam sententiam accusatus querelam nullitatis interposuit, die 17 mensis Decembris 1906, coram Episcopo Monasterien., tamquam Iudice Superiore secundae instantiae a S. Sede dele-

gato, antequam fatalia appellationis, ut concludere licet (nam sententiam recepit die 11 Decemb querelam nullitatis reiecit, considerando nullum defectum substantialem in modo procedendi primae instantiae posse probari.

Verum totam causam etiam quoad meritum tractavit et cognovit. Considerando enim:

« 1.° litteras ab accusato die 26 mensis Ianuarii 1906 ad Archiepiscopum datas esse quidem humanitatis expertes, ex iisdem tamen iniuriam a sacerdote Schmelcher parocho Stoffels cum voluntate illatam clare non posse probari, non magis quam ex aliis litteris, quas sacerdos Schmelcher die 6 mensis Ianuarii 1906 ad parochum Stoffels ipsum misit;

2.° ex depositionibus testium item absque ulla declaratione probari non posse, accusatum litteris mense Augusto 1905 ad Iohannem Koellen missis, pacem et tranquillitatem in parochia Thenhoven. graviter perturbasse;

3.° ex actis denique suspicionem fundatam, quod sacerdos Schmelcher Iohannem Koellen instigaverit, ut citationi Officialatus comparendi coram eodem et deponendi in causa disciplinari pertinaciter restiterit, haud apperere;

Considerando autem:

4.° iudicialiter constare accusatum iniuriarum Archiepiscopo suo et *Curiae Archiepiscopali* illatarum necnon gravis laesionis reverentiae debitae identidem esse reum praesertim per litteras, quas 19 mensis Novembris 1905 ad Archiepiscopum dabat, aliasque litteras, eruas mense Augusto 1905 ad Iohannem Koellen in Thenhoven. dirigebat;

5.° vere esse probatum, accusatum pluribus in casibus superioribus suis ecclesiasticis obedientiam detrectavisse praesertim per rationem se habendi adversus litteras Vicarii Generalis diei 1 mensis Septembris 1905 et monita exinde sequuta atque etiam adversus citationes saepius repetitas comparendi coram Iudice Instructore ».

Quibus omnibus perpensis et consideratis sententia condemnatoria a prima instantia eo modo corrigitur, ut accusatus condemnatur: iuxta *cau. 5, dist. 46; c. U, 14, G XI, qu. 3; C.* 2, *X, 33;* c. *1, 3, G. V, quaest. 1:*

« 1.° ut ab Archiepiscopo petat, ut sibi ignoscat inobedientiam et irreverentiam contra ipsum et Curiam Archiepiscopalem commissam ipsique tamquam Ordinario suo de novo obedientiam et reverentiam promittat;

1° ut per tempus quinque dierum exercitiis spiritualibus vacet,

infra huius temporis spatium a missa celebranda abstineat et de exercitiis peractis superioribus ecclesiasticis testimonium fide dignum exhibeat;

3.° si vero ea, quae in *num. 1 et 2* statuta sunt, infra triginta dies post adeptam notitiam huius sententiae non adimpleverit, ipso facto ab Ordine suspendatur, usque dum ipsi commissa expleverit».

Contra hanc sententiam Officialatus Coloniensis prius recursum fecit ad Episcopum Monasteriensem ut ipse sententiam suam reformaret, et, reiecta querela nullitatis a sac. Schmelcher interposita, priorem sententiam confirmare dignaretur, dein autem decrevit die 11 mensis Iulii 1908 ut quaedam dubia proponerentur solvenda Summo Pontifici; et reapse Archiepiscopus Colonien, recursum habuit ad Summum Pontificem die 13 Iulii, de quo recursu, supra diximus, causam remissam fuisse huic Sacro Ordini.

Ius quod attinet:

Duplici ex capite legitimitas reformationis sententiae Curiae Coloniensis, inductae per sententiam Curiae Monasteriensis, impugnatur, tum ex eo quod sac. Schmelcher querelam nullitatis in secunda instantia tantum interposuerit, tum praesertim ex eo quod sac. Schmelcher, quia contumax, appellare non poterat.

A) Quoad querelam nullitatis, primo quidem notum in iure est oppositionem nullitatis proponi posse *per modum actionis* (quo in casu, si proponatur principaliter et per se sola, communiter docetur, praescribi triginta annis *ex I. 3, G. de Praescript., 30 vel 40 an.)* vel *per modum exceptionis* (quo in casu perpetua est iuxta iuris normam: quae temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum); item vel *principaliter* proponi posse, *et absque alio remedio,* vel *cumulatim cum appellatione,* nimirum sub disiunctione dicendo sententiam esse nullam, vel saltem iniustam. Pichler, *Ius Can., Lib. II, Tit. XXVIII, Sc. 4.*

Nullitatem sententiae potest declarare *ex officio* ipse iudex, qui eam tulit; item pars ipsa potest pro nullitate instare. Non necessario coram Superiore proponenda est, absolute saltem, sed coram eodem iudice, *attento iuris rigore,* ut ait Bouix, *Be Iudiciis, II, p. 407,* proponi potest, qui sententiam tulit, modo is fuerit ordinarius. Reiff., *Ius Can., Lib. II, Ut. XXVIII, n. 28;* Pichler, *ib.;* Engel, *Decret., Lib. II, Tit. XXVIII, n. 3, etc. . . .* Item proponi potest, ut patet, coram Iudice Superiore. Immo iuxta plures « hodie, ob contrariam generalem consuetudinem, causa nullitatis sententiae a solo iudice appellationis iudicanda est » Bouix, *De Iudiciis, II, pag. 410.* Primo in casu non proponitur, saltem quoad praxim ex Bouix, *cit. pag. 411,* nisi querela nullitatis; in secundo

casu querelans habet, ceteris paribus, ius proponendi quoque appellationem *cumulatim* et in *via subsidiaria,* ut aiunt, in hypothesi nempe quod querela nullitatis reiiciatur.

Immo ceteris paribus et nisi expresse remedium appellationis exclusum fuerit, utrumque remedium censetur deductum conditio¬naliter et disiunctive; idque tum - *a)* quia « in eo, quod plus sit, semper inest minus » *ex I., In eo, quod plus 110, ff., de Reg. Iuris; et I., In toto 113, ff., eod.,* seu quia « plus semper in se continet, quod est minus » *Reg., XXXV, in Sext.;* nullitas enim sententiae videtur esse plus, saltem in *qualitate,* ut loquitur Reiff., *Ius Can., Tom. VI, in Reg., XXXV, n. 2,* seu in re iudiciali, quam eius correctio vel infirmatio; tum - *b)* praesertim quia, ut optime docet Lega, *Be Iudiciis, I, pag. 566, n. 690:* « magis utile est unam intentionem ab alia non disiungere, ut nempe cumulatim expetatur vel declaratio nullitatis, vel sententiae validae correctio vel infirmatio », nemo autem censendum est vel suae utilitati renunciare. In factispecie vero sac. Schmelcher in II instantia apud Iudicem Monasteriensem demonstrare conatus est quoque iniustitiam sententiae primae instantiae: quare quantum ex ipso fuit, implicite saltem proposuisse censendum est quoque remedium appellationis.

Amplius, vel abstrahendo ab intentione querelantis, si iudex appellationis vel superior super causa nullitatis aditus sit, hoc casu, ut docet Vantius, *De Nullitatibus Process., Tit. III, n. 12, p. 29:* « nullitas coram Superiore iudice deducta, totam causam, ac principale negotium devolvit, prout devolvit appellatio a definitiva: unde talis iudex nedum super nullitate, quinimo etiam super principali negotio pronunciare potuerit, ut voluit idem Bartolus, in *d. I. (Absentem c. de accusat., I. 1, etc.) si expressim. colum. penult. et d. I. si ut proponis et I. 1.,* c. *quan. prov.;* Salic., in *dict. leg. si praeses, c. quam. et quan. et doctor in d. I. 4 de accus.;* Abb., in *cap.* cum Ioannes, in *fine de fid. instrum.;* cum aliis de quibus per Alexand., *cons. 179, prospectis lib. 2;* Bald., in *leg. 2, qu. 14, c. de rescind. vend.;* Franc., in *d. c. dilecto, quaest. 10 et quaest. 32 ubi not. loquitur;* et Lap., *alleg.* 2 cum simul. Abb., in *d. c. in litteris in fine* ».

Ius igitur atque competens iurisdictio ad iudicandum de merito sententiae primae instantiae Curiae Coloniensis denegari nequit Iudici Monasteriensi, nisi vel - *a)* quia Iudex Monasteriensis *non erat iudex superior,* vel quia sententia primae instantiae inappellabilis erat, idque vel - *b)* ex *seipsa* seu ex *parte materiae,* ut loquitur Pichler, *Ius Can., Lib. II, Tit. XXVIII,* § *1, n. 8,* et *rei,* circa quam versabatur sententia, vel - *c)* ex *parte appellantis,* quatenus querelans appellare non poterat

ex aliqua causa, quae ipsum subiectum attingebat, v. *a* quia contumax in casu.

Iamvero non primum; nam Iudex Monasteriensis tamquam Iudex secundae instantiae a Sancta Sede Apostolica delegatus erat, atque ut declarat ipse Archiepiscopus Coloniensis in Epistola ad S. Pontificem 13 Iulii 1908 tamquam *Iudex Superior* pro Archidioecesi Coloniensi constitutus erat. Non secundum ut planum est. Si tertium, quaestio tota reducitur ad contumaciam, de qua nunc.

B) Quoad contumaciam vero, haec generice sumpta est quaecumque inobedientia sive in iudicio sive extra iudicium commissa; specifice vero, et in re nostra, est inobedientia in non comparendo coram Iudice et definitur « inobedientia a legitime vocato erga iudicem, in iis, quae ad iudicium pertinent, commissa ». *Ex* c. *causam S, c. cum dilecti 6, de dolo et contumacia; I. contumacia 53, ff., de re iudicata;* Hostiens., *in summa in rubr., de contumacia, n. 1;* Pirhing, *Ius Can., Lib. II, Tit. XIV, Sect. II, n. 20;* Schmalzgr., *Ius Can., Pars U, Tit. XIV, § 2, n. 38.*

« Quam in definitionem, ut optime docet Lega, *De Iudiciis, I, Tit. XVII, n. 588,* advertatur in contumacia praecipue attendi *ex iure positivo canonico* inobedientiam erga iudicem eiusque auctoritatis contemptum, unde contumacia dicta fuit *delictum personale.* Etiam *iure romano* sub tali aspectu contumacia considerata fuit et proscripta quasi crimen iuris publici: cfr. *I. I. 11, ff., § <£, de interrog., et 53, ff.,* § *1, de re iudic.*

Nihilominus alia qualitas in contumacia attendi debuit, nimirum praesumptio renunciati iuris defensionis ex parte illius, sive actoris sive rei, qui instantiam prosequi negligit, vel citationi obtemperare praetermittit » renunciati scilicet iuris defensionis *saltem in illa instantia* (ib., *num. 600):* quo sub aspectu contumacia *est iuris omnino privati* (ib., *num. 590).*

« Ius canonicum, ut prosequitur idem Auctor, debuit et debet recognoscere utrumque contumaciae effectum ut remedia in contumaces magis responderent tum ordini can. iudiciali in lite inchoanda et prosequenda, tum maxime auctoritati et reverentiae iudicum ecclesiasticorum , praesertim Episcoporum, et naturae negotiorum ecclesiastici fori. Revera comparata sunt remedia omnimode *poenalia* in contumaces: alia vero non poenalia, quae permitterent parti non contumaci prosequi litem, altera parte absente et contumaci » (Ibid., *num. 590).*

Inter poenas quibus coercetur contumacia, quasque viginti quatuor enumerat Marant., *de ord. iudic, p. 6, tit. de contum., n. 9,* est privatio iuris seu beneficii appellandi. Hanc poenam ita, vigilantibus verbis,

enunciat Card. Tuschi, *Pract. concl. Iuris concl., MXXV:* « contumax verus *regulariter* non potest appellare: Clement., *si ante de dolo et contum.;* Gemin, *cons., 102, etc.* ». Item Lega, *cit., n. 599:* « iure canonico statuitur partes contumaces sive actorem sive reum *ordinarie* appellare non posse a sententia adversus ipsos contumaces prolata ».

Iamvero eo ipso quod in iure canonico statuitur contumacem *regulariter* et *ordinarie* appellare non posse, aperte supponitur eum quandoque, in aliquibus vel saltem aliquo in casu appellare posse. Porro iudicis est investigare an lex generalis comprehendat et applicari possit huic vel illi casui singulari, necne. « Singula enim facta vestiuntur diversis adiunctis, quae iudici dubitationem iniiciunt, an ille casus cadat in certam legem » Lega, *cit., n. 85.* In questionem igitur profunda descendendum est.

L Nam appellatio ex una parte est quaedam species defensionis seu defensionem sapit. Sabell., *Summ. appell., XXXII, 5;* Ojetti, *Synops. appell., 399.* « Patet proinde, ut docet Schmalzgr., *Ius Can., Pars IV, Tit. XXVIII, § 1, n. 6,* saluberrimum istud iuris remedium esse, *imo non iuris sed naturae;* cum species quaedam defensionis sit, et innocentiae praesidium non immerito Abb., in *Rubr., Tit., de dolo et contum., n. 6,* cum aliis docet appellationem quoad substantiam esse iuris naturalis; etsi quoad solemnitatem et modum, quo interponenda et promovenda est, iuris sit positivi». Item Pichler, *Ius Can., Lib. II, Tit. XXVIII, § 1, n. 7:* « appellatio materialiter sumpta et quoad substantiam est iuris naturalis . . . . cum appellatio sit species iustae defensionis* et remedium contra iniquum gravamen, ... aliud est de appellatione formaliter spectata . . . . ». Clarius vero Reiff., *Lib. II, Tit. XXVIII, § 10, n. 281.* « Ut inquit Abbas, *ad Rubr., h. Tit., n. 7;* et Scaccia, *quaest. 16, de appellat., n. 22,* citans alios, in appellatione sunt duo: videlicet substantia appellationis, consistens in hoc, ut iustitia reddatur adversus iniquitatem, vel imperitiam iudicis, et formalitas seu modalitas appellationis, secundum quam a sententia definitiva potest libere appellari, etiam non perallegata causa eius. Princeps igitur per clausulam *appellatione remota* (idem dicatur de aliis huiusmodi clausulis ac modis tollendi appellationem) removet dumtaxat formalitatem seu modalitatem appellationis, ne videlicet admittatur causa gravaminis antea non expressa, non vero tollit substantiam ipsius, qua non prohibet iustitiam reddi adversus iniquitatem vel imperitiam iudicis rite probatam . . . . ».

Quod si appellatio formaliter spectata, est de iure positivo, tamen ab ipso iure positivo est inducta *potissimum ob bonum commune.* Deducitur ex *B. 49,1,1:* « appellandi usus quam sit frequens quamque neces-

sarius nemo est, qui nesciat: quippe cum iniquitatem iudicantium vel imperitiam corrigat, licet nonnumquam bene latas sententias in peius reformet ». Et ut docet Renazzi, *Elem. Iur. Crim., Lib. III, Cap. XVII.* « Hinc appellatio habetur velut species civilis defensionis, cui in criminalibus causis renunciare nemo potest. Quod enim *pro communi bono invectum est . . . ».*

Quum igitur ius appellationis, quoad substantiam seu naturaliter seu materialiter, sit de iure naturae, et quoad modalitatem seu formaliter, sit potissimum ob bonum commune inductum, appellationis privatio *poena est strictae interpretationis, quam quae maxime.* Nam si « in poenis benignior interpretatio est facienda » *Reg. XLIX, in Sext.,* si « interpretatione legum poenae molliendae sunt, potius quam exasperandae » *L, Interpretatione, 42, ff., de Poenis,* id quam maxime obtinet, si poena auferat vel coarctet ius defensionis. Quare omnino aequum est ut haec poena applicari nequeat casui alicui particulari, nisi in eo: 1.° verificetur pravitas, ut aiunt, specifica, seu specialis malitia contumaciae; 2,° atque contumacia sit perfecta in genere suo, nempe omnia extrema, ut aiunt, contumaciae verificentur in casu.

Iamvero pravitas specifica seu specialis malitia contumaciae, praesertim quatenus est. delictum iuris publici, ex iure romano et ex stricto iure canonico, consistit *in contemptu iudicis qua talis,* et in casu nostro - *in contemptu iudicis ecclesiastici.*

Id innuitur in ipso Iure Romano, *D. 42, 1, 53.* « Contumax est, qui . . . praesentiam sui facere contemnit». Deducitur ex supra allatis a cl. Lega, *De Iudiciis, I, Tit. XVII:* qui clarius ib., *num. 591, 2,* docet: « cum contumacia consistat in contemptu auctoritatis iudicialis ». Item ex Pichler, *Ius Can., Lib. II, Tit. XIV, num. 11.* « Sciendum . . . contumacia in genere nihil esse aliud quam inobedientiam *cum contemptu »* et Ferraris, *Biblioth. Appel., art, IV, n. 53.* « Quinto per tò *contemptus* intelligitur quod contemptus iudicis, qui fit a vero contumaci legitime citato et contumaciter comparere renuenti ». Atque ex Scaccia, *De appellat., quaest. 17, Limit. III, n. 2,* « . . . . clypeus . . . . appellationis debet protegere . . . . non eum qui vult opprimere et contemnere iudicem ». Pariter Lud. Engel, *Coli. Univ. Iur. Can., Lib. II, Tit. XXVIII,* § 3, *n. 33:* « contemptus iudicis, qui fit a vero contumace impedit quominus a sententia in contumacem lata appellari possit . . . ., et Dom. Ursaya, *Discept, eccl., Tom. V, Lib. II, Tit. I, n. 88-89:* « contumacia dicitur a *con* et *tumeo,* ex quo inflatur et superbus efficitur in non comparendo, et Sam., *in Prax. Crim.,* c. *26, de Contum., n. 1 . . . .».* Devoti, *Inst, Lib. III, Tit. VI, § 1, n, 2.*

Quae auctoritates non equidem nimis urgendae sunt, quasi requiratur ad veram contumaciam ut contumax expresse declaret se velle iudicem contemnere; nam « dicta est contumacia a contemnendo, si pars litigans legitimo mandato Iudicis non pareat, is ab eodem contemptus censetur » Pirhing, *Ius Can., Lib. II, Tit. XIV, § 1, n. 20;* et contumacia est « a contemnendo dicta, quod iudicem videatur contemnere, qui iudici non obtemperat » Schmalzgr., *Ius Can., Lib. II, Tit. XIV, n. 38;* atque « contumax, qui non vult parere iudici est rebellis large sumpto vocabulo, ut sentiunt Bar., in *Extrav., qui sint rebelles, in verbo rebellando sub num. 2 . . . . et Dec . . . . dicens . . . .* quia rebelles intelliguntur omnes, qui sunt in proterva et notoria inobedientia . . . . ».

Quod si sufficit ut contemptus sit saltem in facto et in ipsa re, requiritur tamen ut factum particulare contumaciae, prout vestitum suis circumstantiis ostendat et valeat contemptum iudicis, qua talis. Etsi enim contumacia materialiter, seu « generatim loquendo et quantum ad propositum, est inobedientia erga iudicem commissa» Reiff., *Ius Can., Lib. II, Tit. XIV, § 2, n. 43,* tamen inobedientia est factum quoddam, quod procedere potest a diversis causis, nempe vel *a)* a contemptu iudicis, seu iudicialis auctoritatis, *b)* a diffidentia erga iudicem, quatenus est haec persona individua, vel *c)* quod in idem recedere videtur, a renunciatione iuris se defendendi saltem in illa instantia, vel ab exercitio iuris seu melius facultatis, quam ut hodierni civilistae docent, citatus habet comparendi vel secus. Mortara, *Princ. Proc. Civ., n. 132.* Quare omnis contumacia est inobedientia, et non omnis inobedientia est contumacia, « differtque contumacia, ut ait Ursaya, *loc. cit.,* ab inobedientia per hoc quod ad istam sufficit quilibet actus voluntatis nolentis obedire praecepto, ad illam vero requiritur animus obfirmatus . . . . ». Iudicis ergo est dignoscere formalem contumaciam a simplici non. obedientia in facto particulari inobedientiae cum omnibus suis circumstantiis; nam praesumptio contemptus, qui, ut patet ex Pirhing et Schmalzgr., etc, *cit.,* censetur inesse inobedientia, cedere debet veritati.

Porro in facti specie, ex actis et allatis in causa, ex agendi ratione sacerdotis Schmelcher, omniumque rerum circumstantiis ostenditur et patet ipsum potius diffidisse iudicis, in casu, quam auctoritatem iudicialem ecclesiasticam contempsisse.

Hinc enim sacerdos Schmelcher a Promotore Fiscali accusatus erat, et quidem principaliter quod « iniurias intulerit Archiepiscopo et *Curiae Archiepiscopali* ». Iamvero Officialatus Coloniensis seu Iudex in casu vel erat Curia Archiepiscopalis ipsa, vel ab ea vix distinguebatur in

casu. Expressius Archiepiscopus ipse declarat in *cit. Epist.:* « propter *iniuriam* mihi *vicarioque* meo *generali* illatam, necnon . . . ab Officialatu meo, cui iurisdictionem in hac Archidioecesi iudicialiter exercendam commisi, in ius vocatus est ». At Vicarius Generalis erat Consiliarius Officialatus, vices gerens Officialis, et unus ex quinque iudicibus, quibus causa commissa erat. Hi vero iudices in ea causa cognoscenda corpus seu collegium efficiebant, ut patet ex ipsa parte dispositiva sententiae ab omnibus Officialibus seu iudicibus subsignata: quare constituti erant simpliciter seu collegialiter, ea nempe lege ut omnes convenirent ad negotium expediendum. Lega, *De Iud., Cap. II, § 3, pag. 103, n. 92, et not. 1.* — Illinc vero, ut Pichler, *Ius Can., Lib. I, Tit. XXXII, n. 12,* et cum eo omnes Doctores ut Pirhing, *Ius Can., Lib. II, Tit. I, Sect. II, § 3,* docent « Iudex (nisi sit supremus Princeps alium supra se non cognoscens) non potest regulariter cognoscere et ferre sententiam in causa propria, requirente contentiosam iurisdictionem, *L., un. c,* ne quis in sua causa, *can.23, q.4.* «. Et prosequitur idem Doctor: « Dixi *regulariter* nam si iudici qua tali fiat iniuria, et quidem notorie potest eam in continenti punire, *I. 1, ff.,* si quis ius dicenti ». Ergo cum iniuria illata Vicario Generali Archiepiscopi Coloniensis non fuerit illata ipsi qua iudici, seu in iudicio, non poterat ipse de ea iudicialiter seu contentiose cognoscere. Quare cum Officialatus Coloniensis collegium in casu constitueret, quodammodo, seu saltem quod unum ex eius membris, cognoscebat in causa propria, et proinde in sacerdote Schmelcher vel eius agendi ratione suberat vel subesse poterat *exterius* - praescindendo nempe ab intima aequitate, omni malevolentia liberata Vicarii Generalis Dott. Kreutzwald, de qua minime dubitamus - causa vel causae species diffidendi, in casu.

Quam quidem diffidentiam sac. Schmelcher de facto aperte demonstravit; nam statim in limine litis, ut supra diximus, Officialatus competentiam et processus validitatem negavit, eo quod praesertim agebatur de dictis seu iniuriis contra quorundam Superiorum Personas, quae in iudicio, vel Procuratoris fiscalis vel Iudicis (v. gr. Vicarius Generalis) officiis fungebantur.

Quoad Procuratorem fiscalem, esto quidem quod ordinarie recusari nequit, at aequum omnino non est ut ipse, cuius tutelae committuntur iura reipublicae communia Lega, *De Iudic, I, Cap. VI, n. 132;* Card. Genn., *Sulla Privaz., p. 150,* personam reipublicae seu in casu, dioecesis, agat in iudicio, in quo agitur quoque de iniuriis contra ipsius personam ; nam tunc ordo iudiciorum fere evadit praeposterus et suspectus. Arg. ex Lega, *cit. Cap. IV, pag. 147, n. 136, not.*

Quoad Vicarium Generalem, ex dictis, ipsius incompetentia ex ipso

libello accusatorio evidens erat, et proinde velut notoria. Neque dicendum in contrarium quod collegium aliud sit ab unoquoque ex eius membris; nam iure positivo statutum est quod recusato uno ex iudicibus, si omnes simul collegialiter procedere debeant, collegium ipsum incompetens fit. *Cap. IV, De O ff. et pot. Iud. Deleg, in 6.*

Haec porro exceptio incompetentiae a sac. Schmelcher proposita ad eamdem conclusionem nos ducit, si sub alio aspectu consideretur, nempe sub aspectu recusationis iudicis, quae ut docet Lega, *I; Tit. XIV, n. 565:* « est analoga exceptioni incompetentiae ».

Neque opponi potest « quod iudex suspectus nonnisi ante litem contestatam . . . recusari potest » Reiff., *Lib. II, Tit. XXVIII, § 12, n. 320;* nam *a)* implicite saltem recusatus fuit ante citationem ipsam; *b)* aequum non est hanc regulam applicari in causis criminalibus, in quibus accusatus numquam praesumitur consentire « in approbationem iudicis suspecti » Arg. ex Reiff., *ib.; c)* haec causa suspicionis vel melius incompetentiae insanabilis erat, et proponenda ab ipso iudice ex officio; *d)* quin immo, uti iam supra innuimus, iudices utpote collegialiter procedentes, ne cognoscere quidem poterant de suspicione erga unum ex ipsis, ut docet Lega, *De Iud., I, n. 565 et 568.* Quare hic potius obtinent ea, quae docet Lega, *I, Tit. XIV, n. 570:* « quaestio suspicionis, iure naturali, est exceptio praeiudicialis, quae vi sua inficit valorem actorum, prohibens quominus ulterius procedi queat ».

Neque item opponi potest quod contumacia sacerdotis Schmelcher ex toto vel saltem praecipue fuerit in non comparendo coram iudice Instructore, isque alius fuerit et esse debuerit a iudice ferente sententiam. *Instruct. S. C. EE. et RR., 11 Iun. 1880, art. 12, et Epist. Card. Praefect., 10 Novemb. 1896, in Genn., cit. pag. 149.* Nam instructio processus commissa fuit ab ipso Officialatu, seu ab eius praeside, iudex instructor procedebat auctoritate Officialatus et proinde auctoritas iudicis iubentis aut citantis erat, ultimo saltem, auctoritas ipsa Officialatus, isque una cum iudice Instructore iudicem in causa et iudicium in casu integrabat.

Sed neque opponi potest factum contumaciae a reo ipso non negari, qui scripsit: citationes coram iudice Instructore me sistendi iure merito neglexi. Nam factum contumaciae est factum quoddam iuridicum, quod non a reo affirmandum est vel secus, sed a iudice cognoscendum.

Quare concludendum vel contumaciam in casu simpliciter deesse; nam « ut verificetur contumacia, iudex debet legitime iubere » Santi, *Tom. II, Tit. XIV, n. 5;* post allegatam vero suspicionem iudex legitime iubere non poterat in casu, iuxta quod cum aliis docet Pignatelli, *Cons., Tom. IX,*

Cons., CLI, n. 95: « post allegatam suspicionem quidquid a iudice fit est attentatum . . . si iudex ex legitima causa detur suspectus, et post allegatam suspicionem ad ulteriora procedat, gesta per eum sint ipso iure nulla «; vel sacerdotem Schmelcher iustam causam habuisse a non comparendo in notoria incompetentia iudicis citantis, Schmalzgr., *Pars II, Tit. XIV, § 2, n. 42;* Pichler, *Lib. II, Tit. XIV, n. 13;* vel ipsius inobedientiam reduci potius ad diffidentiam iudicis in casu, quam ad contemptum iudicis, qua talis. In nulla igitur hypothesi aequum et iustum est ipsum a iure privari beneficio appellationis.

At dato et non concesso quod in inobedientia sacerdotis Schmelcher non defecerit pravitas specifica, contumaciae, minime sequeretur hanc contumaciam fuisse perfectam, in eaque omnia extrema, uti aiunt, substantialia contumaciae verificari.

Contumax enim est qui *non* comparet: negatio autem est malignantis naturae. At sac. Schmelcher iterum iterumque exceptiones interlocutorias ipse iudici obtulit, appellavit a sententia, qua contumax declaratus fuit, et iterum appellavit ab alia vel a duobus aliis sententiis interlocutoriis. Item tot ipse instantias vel sui defensiones proposuit coram Archiepiscopo vel Officialatu litteris sub diebus 27 Nov. 1905; 6 et 26 Ianuar.; 13 et 16 Februar.; 2 et 14 Mart.; 22 Maii; 15 Iunii; 2, 3,-6 et 11 Iulii; 12, 28 et 31 Oct.; 26 Nov., a die nempe causae introductae ad sententiam definitivam. Sed nec in processu contumaciali ipso, defuit sacerdoti Schmelcher defensor. Hic enim, constitutus ex officio, uberiorem defensionem protulit. Etsi igitur sac. Schmelcher non comparuit personaliter coram iudice Instructore, comparuisse aequivalenter saltem in iudicio est dicendus, tot suis instantiis vel appellationibus, quibus et suam comtumaciam, facto et reipsa, veluti conatus est purgare. Quare haec omnia dum indubitanter confirmant in inobedientia sacerdotis Schmelcher defuisse contemptum iudicis, qua talis, demonstrant quoque defuisse extrema contumaciae ipsius.

A primo igitur usque ad ultimum concludendum est sacerdotem Schmelcher vel non fuisse stricte loquendo contumacem, vel non fuisse talem contumacem, cum poena illa seu appellationis privatio applicari possit, ac potuerit.

II. Quin immo nec in contumacia sacerdotis Schmelcher tota re adfuit elementum illud iuris omnino privati, seu praesumptio renunciati iuris, ut ex dictis liquet. Quare argumentari quoque licet, ex analogia, ex iis, quae docet Reiff., *Iur. Can., Lib. II, Tit. XIV, § 5, n. 148.* Ibi enim ait quod contumax in non exhibendo, si idcirco condemnetur, auditur appellans. Et rationem dat « quia plus delinquit contumax in

non veniendo, quam in non exhibendo: hic enim delinquit solum in uno, ille in duobus; quia et iudicis auctoritatem contemnit, et seipsum defendere negligit: nam horum posterius non facit contumax in non exhibendo ». A fortiori igitur sacerdos Schmelcher audiendus erat appellans; nam vel in neutro, vel in uno tantum deliquit.

III. Nunc vero, ut ulterius progrediamur in enucleanda definitione seu natura contumaciae, sciendum est eam communiter distingui a doctoribus in veram et fictam: *Vera* est « si citatio apprehendit citatum » *ficta* « si ipsum non apprehendit personaliter vel ad eius notitiam non pervenit » Reiff., *cit. Lib. II, Tit. XIV,* § *2, n. 57.*

At « Glossa, *fin. in Clem., nn. h. t., post Speculatorem, tit. de contumacia, num. 3,* addit tertium membrum, videlicet contumaciam *evidentem,* qualem committit ille qui citatus expresse dicit se non venturum » Reiff., *ib., n. 56.* Hanc contumaciam alii auctores vocant *formalem,* ut Pichler, *Ius Can., Lib. II, Tit. XXVIII, n. 10;* alii *confundunt cum notoria,* ut Pirhing, *Lib. II, Tit. XIV, Sect. II, n. XX;* et Schmalzgr:, *Pars II, Tit. XIV,* § *2, n. 39;* atque Durand., *Spec. iuris, Lib. II, Part. I de Contum., Summ.;* alii vero, ut ibi Durand., *Additio, distinguunt a notoria,* nempe « quando id dixisset in iudicio....; si extra iudicium.... sic dixit (non venturum).... dicitur evidens, vel vera, verior vel verissima ».

Quamvis autem Marant., *de ord. iud., p. 6, tit., de contumacia, n. 8,* notet haec intelligenda esse de citatione voluntaria; atque plerique doctores contumaces evidentem reducant ad contumaciam veram, Pirhing, Reiff., *cit, etc,* tamen quoad poenas in contumaces, retinenda est distinctio in contumaciam fictam, veram, evidentem et notoriam; nam notoria est qualificata, evidens est gravior quam vera. Durand., *cit. Summ. et Addit.*

Age vero Pichler, *Ius Can. Lib. II, Tit. XXVIII, n. 10,* expresse docet: Appellare prohibentur « *formaliter* contumaces h. e. qui peremptorie citati aperte dixerunt, se nolle venire, et sic formaliter contempserunt Iudicem: aliud est de illis, qui solum contumaces erant simpliciter in non comparendo, in non iurando de calumnia, in non restituendo, quia tales non evidentur contemnere Iudicem; sed potius diffidere iuri suo ». Idem quoque innuit in *Tit. XIV, n. 15.* « Ut aliquis condemnari possit ut contumax in poenas a iure statutas requiritur..... Excipe casum quo quis enormiter esset inobediens, ac ipsum iudicem formaliter contemneret.... ». Et Ojetti, *Synops. Appell., n. 399:* « a beneficio appellationis excluduntur in poenam.... formaliter contumaces, seu hi qui peremptorie citati noluerunt se iudici sistere ». Quin immo Pichler, **n.** *21,* ulterius progreditur, dum insinuare videtur ad poenam nega-

tionis appellationis forte requiri contumaciam stricte notoriam, commissam nempe in iudicio: « Vere contumax . . . . punitur . . . . negatione appellationis . . . . negatione novae citationis, sed probabilius *si simul sit notorie, contumax,* h. e. si *in iudicio* dixit, se nolle venire amplius, et non tantum nuntio citantis extra iudicium. Reiffenstuel, *n. 121,* quae notoria contumacia forte etiam requiritur ad priores duas poenas per c. 7, *§ 1, de Sent. Excommun. in 6 ».*

Conspirat quoque Devoti, *Ius Can. Univ., Lib. II, Tit. XIV, § 1,* qui (cum Tuschi, *cit.,* docente « quia verus contumax dicitur is qui citatus dixit nolle comparere », et aliis) implicite saltem, ad veram contumaciam requirit dolum seu gravitatem, quam alii Doctores contumaciae evidenti tribuunt. « Est autem contumacia non obedientia mandato Iudicis cum quis in iudicium vocatus non venit, vel illud non agit ac praestat, quod praestare deberet, eaque vel vera vel ficta et praesumpta est. Vera dicitur quando *evidens est dolus* et certa voluntas non obediendi: ficta et praesumpta quando quis se se iudici non sistit, neque agit quod agere deberet. Hic quidem contumax est . . . ». Et *Tit. XXVIII, § 5,* concludit: « ergo appellare nequit qui legitime citatus se se nolle in iudicium venire professus est, atque ita non fictam sed veram praesetulit contumaciam ». Quare merito dici potest non tantum novam, sed et antiquam doctrinam canonicam ita iam temperasse in stricto iure canonico rigorem illum a iure romano mutuatum vel acceptum, ut ius canonicum fere adaequaret canonicae aequitati, iuxta quam, ut statim videbimus, non solum fletus, sed etiam verus contumax absque distractione, appellat.

Neque opponatur hanc doctrinam non esse communem, Durand., *cit. Summ.;* Pirhing, *Tit. XIV,* § *5, n. 411, Nota septim.,* nam esset saltem probabilis, atque proinde reddit dubium ipsum ius: in dubio autem favendum est reo.

IV. Amplius docet Pirhing, *Ius Can. Lib. II, Tit. XIV, Sect. II,* § *5, n. 4:* « Si ante definitivam sententiam a Iudice quis appellando recedat, et Iudex appellationi illius non deferat (tamquam frivolae et illegitimae) sed eo citato vel etiam non citato (quia citare non tenetur) iuxta *c. 2, h. t., in 6,* contra ipsum etiam absentem sententiam definitivam ferat, et promulget, poterit is, qui prius appellavit, etiam a sententia definitiva, infra tempus debitum . . . . appellare, nisi prima eius appellatio manifeste frivola esset; prout statuit Clemens V, in Concilio Viennensi, et refertur in Clem. Si ante, *unic. h. t.* Ita quoque Ioannes Andreas, D*e dol. et cont., c. 3, 3.*

Iam vero ex his licet argumentari in rem nostram, saltem ex

analogia. Nam sacerdos Schmelcher et vere appellavit, etsi coram eodem iudice et recursus habuit, pendente causa, apud Summum Pontificem, et apostolos postulavit a sententia interlocutoria, quae vel definitivae sententiae vim habebat, vel saltem gravamen irreparabile ipsi inferebat. Iudex Coloniensis dum ipsum contumacem declaravit, de eius exceptionibus cognovit et iudicavit. Appellationes sacerdotis Schmelcher non omnes frivolae manifesto erant, et saltem talis non erat illa, qua a sententia contumaciae sacerdos Schmelcher declarat se appellare. Docet enim Scaccia, *De Appellat., quaest. II, art. III, 50.* « Illa enim appellatio dicitur frivola quae est manifeste frivola.... quando hoc est in evidenti, puta, inquit (Alb. de Ros.) aliquis appellavit contra electum, dicens eum monoculum et apparet contrarium, scilicet quod habet duos oculos.... ».

V. Postremo minime, in nostro foro tacendum est, prout habetur in Neapolitana - Crediti H. S. O. sub fine, *de aequitate canonica,* iuxta quam non solum iam temperata fuerat rigida illa iuris norma « contra contumacem omnia iura clamant » per regulam: « rei absentia suppletur Dei praesentia», Pichler, *Ius Can., Lib. Il, Tit. XIV, num. 19,* sed etiam poenae in contumaces, et praesertim rigor iuris civilis romani, quoad privationem appellationis, ita mitigatus fuit, ut etiam verus contumax ad appellationem admitteretur. Docet enim Card. De Luca, *De Iudiciis, Pars I, Lib. XV, Disc. X, n. 15:* « Regulariter contumax non admittitur ad appellandum de iuris rigore, sed *de aequitate canonica,* quae in Curia est recepta, *appellat, ubi sit contumax verus* infra decem dies a die latae sententiae, et ubi sit fletus, a die scientiae numerandos », Et Leur., *Lib. II, Tit. XIV, qu. 438:* « Dixi tertio de *rigore iuris civilis.* nam tam verus quam fletus contumax ad appellandum a sententia contra illum absentem lata *admittitur de aequitate canonica....* ». Et Scaccia, *De Appell., Quaest. XVII, Limit. III, n. 12:* « .... Observantia Rotae, (secundum quam potest appellare etiam verus contumax) *est fundata in aequitate canonica,* secundum quam etiam verus contumax potest appellare. Ferret., *cons. 216, vertitur, q., n. 3,* et ita servatur tam in Curia Romana, quam in toto statu ecclesiastico - omni prorsus difficultate remota ». Sabell., *Summ. Contumacia, XXXXVII, n. 2, seqq.;* Schmalzgr., *Pars II, Ut. XIV, % 2 n. 57, etc.* Novae autem civiles leges - Mattirolo, *Dir. giud., IV, n. 461, 462, etc.* - *velut aequitatem canonicam imitatae,* contumaci appellationem concedunt. Tancredi Canonico, *Dei Giudizio Penale - Dei Procedimento in contumacia;* Mortara, *Comment, dei Codice e delle Leggi di Proc. Civil., Tit. VI, n. 671. n. 7, etc.* - Iamvero quemadmodum rationi non est consonum repudiare quod nostrum est veluti ius, ut ad alienum

et obsoletum rigorem iuris romani recurramus, eique mordicus inhaereamus, ita « quod contra rationem iuris (nostri) receptum est, non est producendum ad consequentias » in foro nostro.

Hinc igitur rationibus sive singulatim, sive coniunctim sumptis concludendum est Iudicem Monasteriensem, etiam querela nullitatis reiecta, iure merito potuisse super principali negotio causae Coloniensis pronunciare, et causae meritum attingere.

Ut enim ex dictis patet, sacerdos Schmelcher minime iure appellationis privatus erat; querelam nullitatis, intra tempus ad appellationem utile, ut constat ex actis causae, interposuit apud Iudicem Superiorem, qui a Sancta Sede delegatus erat tamquam Iudex secundae instantiae, seu appellationis, et non tantum ad cognoscendum de nullitate in illo, vel similibus negotiis. Neque opponi potest Iudicem Monasteriensem ex una parte recognovisse factum contumaciae et retinuisse contumacem appellare non posse, et ex alia parte de merito causae iudicasse; nam hic defectus, aut aiunt, logicae iuridicae non abstulit ab eo iurisdictionem, in casu. Quare reiecta querela nullitatis, nec sententia primae instantiae evasit res iudicata, nec Iudex Monasteriensis officio ac iurisdictione sua cessit, nec poenam a primo iudice statutam ex arbitrio et illegitime abstulit, vel mutavit vel correxit.

Diximus *ex arbitrio et illegitime,* nam de merito, ut supra notavimus, minime nobis nunc iudicandum est.

Quoad leges et canones nobis obiectos hac in causa, ii reducuntur ad 1. 1, C. Quorum appellationes, VII, 65; ad 1. 53, D. De re iudicata, XLII, 1, atque ad declarationem S. Episcoporum Congr, de mandato et approbatione Clementis VIII, editam 16 m. Octobris 1600. Verum, ut ex dictis ceterum liquet, parum vel nil est textum legis afferre, nisi eius sensus rite intelligatur, eaque apte ad casum particularem applicetur. Nam « scire leges non est verba earum tenere, sed vim et potestatem ». D. I. III. 17.

Potissimum vero nobis allata est auctoritas Sigismundi Scaccia docentis: « in causis seu sententiis inappellabilibus remanet nullitatis oppositio sola et appellatio nullum operatur effectum, ac si non fuisset interposita seu cumulata, sicque iudex nullitatis pronuntiabit solum super nullitate, quia non est in potestate partis facere sententiam appellabilem, quam lex facit inappellabilem ». Verum hic textus ad rem nostram non est. Non enim hic igitur de sententia *inappellabili ex seipsa,* de qua non est dubium eam non posse de inappellabili fieri appellabilem, sed agitur *de privatione beneficii seu iuris appellationis ob contumaciam,* quae cum sit factum quoddam particulare, potest in

singulis casibus iis vestiri circumstantiis, ut non cadat in poenalem illam legem. « Notandum hic est, ait Pichler, *Ius Canon., Lib. II, Tit. XXVIII,* § *1, n. 8,* plures dari casus, in quibus iura denegant appellationem, quorum aliqui dantur ex parte.... *appellantis,* ut si contempsit Iudicem per contumaciam in non comparendo.... alii ex parte *materiae* et rei, circa versatur sententia, ut si.... versatur circa legitimam correctionem adhibendam,.... si circa rem valde modicam.... ».

Quibus omnibus tum quod factum, tum quod ius spectat, perspectis ac mature perpensis.

Christi nomine invocato, solumque Deum prae oculis habentes, Nos infrascripti Auditores pro tribunali sedentes, ad propositum dubium : « An constet de illegitimitate reformationis sententiae Colonien, inductae per sententiam Revmae Curiae Monasterien, latae die 1ª mensis Maii, ita ut sententia Coloniensis possit executioni demandari in casu », definitive sententiantes, respondemus: Negative, statuentes praeterea expensas compensandas esse inter partes.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam Sacrorum canonum et praesertim c. *3, sess. XXV, de Reform.* Concilii Tridentini, iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis extitura sint.

Romae, die 23 Maii 1910.

L. £g S.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

Franciscus Heiner, *Ponens.*
Ioannes Prior.
Aloisius Sincero.

II.

PHAREN.[1]

IURIUM ET POENARUM.

Regnante feliciter Pio PP. X, Pontificatus Dominationis suae anno septimo, die 10 Iunii anno 1910, RR. PP. DD. Gulielmus Sebastianelli, Ponens, *Seraphinus Many et Franciscus Heiner, Auditores de Turno, in causa* « Pharen. » - Iurium et poenarum - *inter parochum Cosimum Scarpa appellantem, repraesentatum prius per legitimum procuratorem Reverendum Dominicum Mancini, deinde per Reverendum Carmelum Conte, legitimum pariter procuratorem, et mensam episcopalem Pharensem ac Religiosos Ordinis Praedicatorum appellatos, repraesentatos per legitimum*

* *Acta Apostolicae Sedis,* vol. I, p. 708

Procuratorem sac. Aloysium Lavitrano, interveniente et disceptante in causa Reverendo Promotore iustitiae pro iuris et legis tutela, sequentem tulerunt sententiam.

Edicente Pharensi Ordinario die 9 Iunii 1905 parocho Cosimo Scarpa loci Urbis Veteris illius dioeceseos, ut sacras functiones in die dominica infra octavam Corporis Christi ita expleret, ut Patres Ordinis Sancti Dominici ibi incolentes processionem Theophoricam peragere possent intra lirnites paroeciae, parochus supplicem libellum misit inclito Capitanatui districtuali Lesinensi, ut contra episcopale decretum suam interponeret auctoritatem et processionem prohibendam curaret. Reiecta a Capitanatu supplicatione, et facta processione, novo recursu superiorem auctoritatem i. e. Locumtenentiam imperialem rogavit, ut pro temporibus futuris prohiberet, ne unquam fieret praedicta processio. Hac de causa Episcopus Pharensis parochum graviter reprehendit et per decretum 26 Iulii 1905 eum privavit officio Decanatus, quo potiebatur, eidem iniungens tamquam primum monitorium, ut recursus civilibus auctoritatibus exhibitos revocaret. Contra hoc decretum Reverendus Scarpa appellavit ad Metropolitanum per tramitem Curiae; sed haec appellationem transmittere recusavit, et recusationem notam fecit praefato parocho decreto 10 Augusti, in quo simul pro secunda et tertia vice eum admonuit. Sed inutiliter; eousque enim pervenit reverendi Curionis pervicacia, ut et directe a decreto Episcopi appellationem interponeret apud Metropolitanum et die 1 Septembris 1905 tertio recurreret ad Ministrum cultuum Viennensem. Curia Metropolitana die 7 Octobris reiiciebat parochi appellationem ob incompetentiam, et Ordinarius Pharensis certior factus de tertio recursu, decreto 16 Octobris parochum ab officio suspendit ad quindecim dies addendo, si parochus recursus ad auctoritatem civilem (qui tunc erant tres) non revocasset, suspensionem duraturam, usque dum eos non revocaverit. Hinc suspensio irrogata fuit et qua poena vindicativa et qua poena medicinalis, seu censura. Ab his Ordinarii Pharensis provisionibus, Reverendus Scarpa appellavit ad Sedem Apostolicam, et quaestio primitus agitari coepit apud Sacram Congregationem Concilii, deinde vi Pontificii rescripti transmissa fuit ad H. S. O. et sequentibus concordatis dubiis:

I. *An sustineatur tum remotio Sacerdotis Scarpa ab officio Decanatus, tum poenarum irrogatio in eumdem sacerdotem in casu.*

II. *Et quatenus negative; an sit respective locus reintegrationi in officio Decanatus et damnorum refectioni in casu.*

III. *An constet de iuribus Patrum Dominicanorum recognitis per decreta 9 Iunii 1905 et 10 Iunii 1906.*

RR. PP; DD. Auditores de turno, die 27 Iulii anni proxime elapsi, respondendum censuere :

Ad I. *Affirmative ad utramque partem; scilicet sustineri tum remotionem parochi Scarpa ab officio Decanatus, tum irrogationem suspensionis in eumdem sacerdotem in casu.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Ad III. *Affirmative.*

Cum ab hac sententia reverendus Parochus appellaverit ad Turnum Rotalem subsequentem, hodie iterum causa proponitur sub dubio:

An sententia rotalis diei 27 Iulii 1909 confirmanda vel infirmanda in casu.

Et in primis, ut occurramus iis, quae adversus rotalis sententiae validitatem obiecta sunt, animadvertendum est controversiam hanc a Sacra Congregatione Concilii transmissam fuisse ad H. S. Tribunal ex speciali Pontificis commissione diei 15 Decembris 1908. Et merito; non enim agebatur in casu de appellatione interposita a sententia iudiciali, sed de recursu facto ad S. Sedem contra decreta ac dispositiones administrativas Ordinarii Pharensis. Controversias autem potest Romanus Antistes nostro Tribunali committere sive motu proprio, sive ad instantiam partium ex *can. 14 Legis Propriae.* Neque requiritur ut commissio fiat forma aliqua solemni, v. g. per Breve aut per Bullam: sufficit enim simplex rescriptum, ex quo constet de rescribentis voluntate. Nec in eo Pontifex indicare tenetur rationes, quibus motus fuit, ad quaestiones transmittendas Sacrae Rotae pro definitivo iudicio. Parum etiam refert, an uno rescripto unam, duas aut numero plures causas nostro Tribunali Sedes Apostolica commiserit.

Hac brevi facta animadversione, ad primam partem quod spectat dubii primi, sat clare RR. Patres in appellata sententia probarunt Decanorum et Vicariorum Foraneorum potestatem non ex iure, sed ex commissione illis facta ab Episcopo, cuius sunt delegati metiendam esse; eorumque officium esse amovibile ad nutum delegantis, ita ut Episcopi beneplacito possit conservari, vel auferri, quamvis remotio fieri nequeat absque aequa et rationabili causa, cum quilibet habeat ius ad propriam aestimationem.

Commune hoc ius viget in Austria et in Dalmatia. Et quidem in concordato Austriaco anni 1855 nihil speciale occurrit quoad Decanos, seu Vicarios Foraneos, nisi quod in artic. 4 declaretur Episcopis liberum esse exercere: « Quod pro regimine dioecesium, sive ex declara-
« tione, sive ex dispositione sacrorum canonum iuxta praesentem et a
« Sancta Sede adprobatam Ecclesiae disciplinam ipsis competit, ac prae-

« sertim Vicarios, consiliarios et adiutores administrationis suae consti-
« tuere ecclesiasticos, quoscumque ad praedicta officia idoneos iudicave-
« rint ». Unde hac in re ius Austriacum concordat cum iure communi. Nec aliud ius viget in Dalmatia. Etenim in decreto organico die 18 Augusti 1849, quod in dioecesi Pharensi ab Episcopo publicatum fuit die 31 Augusti eiusdem anni, haec leguntur: « Le diocesi saranno primie-
« ramente ripartite in circondari decanali, sul quale proposito devesi
« però avvertire che la carica di decano non sarà stabile, nè annessa
« ad un beneficio ». Hinc perperam contenditur iuridicam inseparabilitatem officii Decani ab officio parochi desumi ex titulo Ecclesiae parochialis et decanalis: subiungitur enim in citato decreto: « Fu trovato
« conveniente al buon ordine di dare a ciascun decanato la denomina-
« zione della principale parrocchia del circondario, non senza prevenire
« che l'ufficio decanale non possa essere affidato a qualunque sacerdote
« del circondario degno di fiducia ». Quapropter cum parochus Urbis Veteris decanatum habuisset et retineret vi commissionis, seu delegationis proprii Ordinarii, et delegatio tota consistat tamquam in suo fundamento in fiducia delegantis; hac deficiente, iure meritoque ab officio decanatus amotus fuit. Remotio autem ab Ordinario Pharensi decreta est ex causa rationabili et gravi; grave enim est duplici vice recurrere ad forum saeculare ad impediendam executionem actus auctoritatis ecclesiasticae. Neque dicatur defuisse processum iuridicum. Nam praeterquamquod in casu agebatur de crimine notorio, uti ex inferius dicendis patebit, recolere praestat quae in Synodo Presmiliensi celebrata anno 1903 statuta fuere: « Decani foranei aut rurales, alias
« Vicarii foranei aut districtuales in nostra dioecesi in Austria con-
« stituuntur ab Ordinario et absque forma iudicii destitui possunt ».

Altera pars dubii se refert ad suspensionem, quae, uti dictum est, irrogata fuit parocho Scarpa ad modum poenae et tamquam censura.

Sustinendam esse suspensionem inflictam ad modum poenae, patet, si attendatur Reverendum Parochum suspensum fuisse ad 15 dies post tres recursus ad forum saeculare, quorum primus et secundus implicite saltem et indirecte, tertius explicite et directe ordinati erant ad impediendum exercitium iurisdictionis ecclesiasticae. Porro hoc est ipsissimum delictum provisum in Const. *Apostolicae Sedis, sect. I, art. VI,* quem certe ignorare non poterat Reverendus Scarpa, et in quo declaratur incurrere ipso facto excommunicationem speciali modo reservatam Romano Pontifici: « impedientes directe vel indirecte exercitium iuris-
« dictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recur-

« rentes ad forum saeculare ». Admitti quidem potest cum sententia benigniori parochum non incurrisse poenam, quia recursus remansit sine effectu; sed hoc non minuit delictum: ex sua enim parte Reverendus Cosimus fecit quod potuit, ut recursus esset efficax, unde et recurrit iterum et tertio. Quod ergo recursus effectum sortitus non fuerit, hoc non est parocho tribuendum, sed Magistratibus imperialibus, qui, etiam respectu habito ad leges civiles, nihil reprehensibile agnoverunt et in processione Patrum Dominicanorum et in decreto episcopali. Cum ergo delictum Cosimi Scarpa in se et obiective inspectum dignum esset censura excommunicationis, profecto poena suspensionis ad 15 dies, quam de facto inflixit Episcopus, tamquam mitior habenda est et multo infra gravitatem delicti. Caeterum haec poena necessaria erat; ratio enim agendi parochi clero et populo nedum paroeciae, sed et totius dioeceseos scandalum dederat; uti adnotavit S. Congr. Concilii rescribens: « Pa- « rochus consulat conscientiae suae ob recursus ad civilem auctoritatem « peractos et ob scandalum exinde datum ».

Neque dicendum est in casu recursus inefficacis, qualis fuit recursus Reverendi Cosimi, legem ecclesiasticam non infligere poenam (uti diximus ex benigniori sententia), ac proinde nec Episcopum posse eamdem irrogare cum nulla poena sine lege. Etenim in nostro iure (quidquid sit de legislationibus civilibus) quando lex prohibens actum, poenam non constituit, iudex infligere potest poenam arbitrariam, quae cum gravitate culpae commissae proportionem habeat. Constat ex *cap. 4 De Officio Delegati,* in quo haec leguntur: « Illis etiam, qui pro causis Tib « commissis ad citationem tuam venire, aut tuo super his parere iudicio « neglexerint, si tale fuerit negotium, quod certa exinde poena in cano- « nibus exprimatur, eamdem infligas, alioquin ipsos pro delicti gravitate « et causae secundum tuum arbitrium punire procures ». Ex quo loco Doctores communiter conclusionem suprapositam deducunt: v. g. Fagnanus, in *cap. 13 de Officio Ordinarii, n. 16-18* et in *cap. 2 de Reliquiis et Vener. SS., n. 95;* Pignatelli, *Consultationes can., Tom. IV, Cons. 1, n. 3-4;* Reiffenstuel, in *tit. de Poenis, n. 10-13* etc.

Nec ulterius querela moveri potest de modo, quo poena aliunde in se legitima, inflicta fuit. Cum enim agatur de poena gravi, qua parochus removebatur, licet ad quindecim dies, a quolibet officio parochiali; a celebratione missae, a praedicatione et a sacramentorum administratione, haec infligi non poterat modo, uti aiunt, administrativo, sed tantum vi processus ordinarii saltem summarii. — Verum adnotandum est agi in casu de delicto, quod erat notorium, non solum qua factum, sed etiam qua delictum, ita ut nec factum nec delicti qua-

litas poterat ulla tergiversatione celari. Notoria siquidem evaderant tum repetiti parochi recursus ad forum saeculare, tum eius rebellio, necnon contumacia per inobedientiam Ordinarii mandatis in re gravi. Quod autem posita criminis eiusque auctoris notorietate non requiratur processus iudicialis, docent *cap. 9 de Accusationibus, cap. 21 de Iureiurando, cap. 10 de Filiis presbyterorum* etc, unde Schmalzgrueber, in *tit. de Accusat., n. 14* scribit: «Ratione criminis notorii « iudex procedere adversus reum potest ordine iudiciario non servato ». Et ratio est, quia iudicium inservit ad detegendum crimen et criminis auctorem, quare iudicialis processus est fere supervacaneus, quando reus nullo potest argumento sese excusare ab impacto crimine, cum evidentia adversus eum clamet. Immo in casu non solum processus, sed nec citatio requiritur. Ita Fagnanus, in *cap. 9 de Clericis non resident., n. 7;* Schmalzgrueber, in *tit. de Oblatione libelli, n. 26;* Bouix, *de Iudiciis Eccl. part. II, § 1, n. 11;* Santi, in *tit. III de Clericis, coniug. n. 5* et eminentissimus Gennari, qui in suo opere « *Della privazione del Beneficio ecclesiastico », p. 2, c. 5, § 12* scribit: « L'altro caso in cui non occorre « la citazione, è quando si tratti di cosa pubblica e notoria, che non « ammette dubbio alcuno. In tal caso rendesi inutile la difesa e perciò « torna parimente inutile la citazione. Così tutti i Dottori poggiati su « molti testi del diritto, specie sul capo *Cum sit Romana - de Appell, etc.* ». Quamvis autem citatio defuit, constat in casu irrogationi poenae suspensionis triplicem monitionem praecessisse; monitio vero apud Canonistas, praesertim in criminalibus, pro citatione usurpatur, est enim monitio « citatio cum poenae comminatione in citatum, si non obtemperet ».

Reprehenditur postremo loco Episcopus, quod poenam irrogaverit pendente appellatione apud Metropolitanum. At Ordinarius Pharensis decretum suum edidit novem post dies, a quibus Curia Archiepiscopalis declaravit suam incompetentiam in recipienda appellatione; hinc nulla aderat appellationis pendentia. Iure autem appellatio reiecta fuit; haec enim cum effectu suspensivo non datur nisi a iudiciali sententia. Cum proinde in Episcopi Pharensis decreto, quo Reverendus Scarpa puniebatur, nullum adesset sententiae iudicialis elementum, Metropolitanus incompetens omnino fiebat, et pendentia appellationis exurgere non poterat, nisi tempore utili parochus recursum obtulisset Sedi Apostolicae.

Altera poena ab Episcopo inflicta nihil aliud est quam praedicta suspensio, quae, si Parochus recursus non revocasset, duratura erat, etiam post quindecim dies et usque ad recursuum revocationem. Erat ergo proprie dicta censura. Porro cum graviter et externe parochus

Urbis Veteris deliquisset cumque iterum atque iterum monitus ad revocandos recursus auctoritatibus civilibus exhibitos, non revocasset, merito ad frangendam eius contumaciam censurae suspensionis subiectus fuit, donec mandatis Episcopi non obtemperasset.

Nunc ad tertium dubium, ad processionem nempe theophoricam, cum ad secundum dubium iam provisum sit in primo. Et statim praestat adnotare quod dum defendimus S. Rotae Tribunalis competentiam, vi commissionis pontificiae, quoad dubii solutionem, nolumus iudicium ferre, an Ordinarius Pharensis et Patres Dominicam Urbis Ceteris, attentis adiunctis loci, controversiis praesertim politico-religiosis in eo existentibus prudenter se gesserint in casu; haec enim quaestio, uti patet, provinciam nostram forensem omnino praetergreditur. — Quo posito, extra controversiam est Patribus S. Dominici nedum ius esse peragendi processionem die dominica infra octavam Corporis Christi per concessionem ipsis factam a S. Pio V (20 Iunii 1570) et deinde confirmatam a RR. PP. Clem. VIII (8 Martii 1592), a Bened. XIII (23 Martii 1727) et a Clem. XII (10 Aprilis 1733) sed etiam « eam celebrandi hora, qua « voluerint et per vias semel tantummodo per eos eligendas » (Clement. VIII), « idque absque ulla Ordinariorum vel parochorum licentia » (Greg. XIII).

Frustra autem opponitur quoad exercitium praefati iuris recensitas constitutiones pontificias non fuisse promulgatas in Dalmatia. Praeterquamquod enim certum sit eas Romae promulgatas esse, quod tunc satis erat, ut acta Pontificis ubique gentium promulgata censerentur; Clemens VIII in suo *Brevi* 8 Martii 1592 haec habet quoad promulgationem. « Quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque « loca, ubi necesse fuerit deferri, volumus et dicta auctoritate decer- « nimus, quod praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius « notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate « ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, « quae adhiberetur praesentibus si forent exhibitae vel ostensae ».

Inepte pariter obiicitur privilegium Patres amisisse per non usum. Quamvis enim verum sit Patres Dominicanos Conventus Urbis Veteris per longum tempus privilegio non fuisse usos, ex hoc non sequitur privilegium cessasse. Nam primitus privilegium affirmativum non cessat per non usum, nisi quando est onerosum aliis, seu quando gravamen offert aliis, quod est certi iuris et ab omnibus admittitur. Reiffenstuel, in *tit. de Privilegiis, n. 209.* Porro privilegium, de quo agitur, non est aliis, v. g. Parocho, onerosum; Parochus enim non habet ius exclusivum peragendi processiones theophoricas die dominico infra octavam

Corporis Christi; imo hoc privilegium a Gregorio XIII *Brevi* 11 Martii 1573 concessum est omnibus Regularibus. Nec dici potest solum factum transeundi per fines parochiae esse gravamen pro parocho; hic enim transitus est merum factum, quod non includit exercitium iurisdictionis nec contentiosae nec voluntariae. Deinde, dato, sed nullo modo concesso, praefatum privilegium esse parocho onerosum, non inde sequitur in casu privilegium illud cessasse per non usum. Etenim ex principio notissimo, quod adversus impeditos praescriptio non currit, dicunt communiter Doctores privilegium onerosum non amitti per non usum quando privilegiatus impeditus fuit, quominus privilegio uteretur. Ita citatus auctor *in eodem titulo n. 205-207;* Schmalzgrueber, *in eumdem titulum n. 180-194;* Ferraris, v. *Privilegium, art. III, n. 30-33* etc. Porro usque ad annum 1905, uti fatetur ipse parochus, Patres Dominicam, propter infimum numerum et aegram valitudinem religiosorum, prorsus impediti erant, quominus processionem peragerent.

Nec addatur, etiam nunc Patres iure prohibitos esse ne privilegio utantur ob defectum Conventualitatis. Constat enim Conc. Tr. *cap. 3, sess. XXV,* indixisse, ut in monasteriis tam virorum, quam mulierum, is tantum numerus religiosorum constitueretur, et in posterum conservaretur, qui ex consuetis eleemosynis commode possint sustentari. At Conventus Patrum Dominicanorum Urbis Veteris erectus fuit longe ante annum 1625, quo Urbanus VIII determinando sanctionem Tridentinam praecepit, ut in quolibet Monasterio noviter erigendo duodecim saltem religiosi haberentur.

Quibus rite perpensis, Christi nomine invocato, et solum Deum prae oculis habentes, nos infrascripti Auditores de Turno pro tribunali sedentes dicimus, declaramus ac definimus sententiam rotalem diei 27 Iulii 1909 esse confirmandam.

Et, dum Parochum Cosimum Scarpa, in expensas omnes condemnamus, mandamus Ordinario loci et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim *cap. 3, sess. XXV, de Reform.* Conc. Trid. iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, die 10 Iunii 1910.

Gulielmus Sebastianelli, *Ponens.*

L. £g S. Seraphinus Many.

Franciscus Heiner.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

III.

MEDIOLANEN.[1]

NULLITATIS MATRIMONII - (BALZAN-ADAMI).

Pio PP. X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno octavo iam iam incoepto, die 6 Augusti 1910, BB. PP. DD. Gulielmus Sebastianelli, Ponens, *Franciscus Heiner et Antonius Perathoner, Auditores de Turno in Causa* - Mediolanen. - Nullitatis Matrimonii, *inter Eugenium F. Balzan, repraesentatum per legitimum procuratorem Angelum D'Alessandri, Advocatum, et Italam Adami, interveniente et disceptante in causa Vinculi Defensore ex officio, sequentem definitivam tulerunt sententiam.*

Eugenius Balzan, Adriensis dioeceseos, sexdecim annorum, Veronae degens ratione studiorum, amore captus est erga Italam Adami septendecim annos natam ; quam cum cognovisset, in matrimonium petiit.

Hac de re sac. Caietanum Masotti parochum S. Georgii in Braida et sponsae proprium, adivit, ut nuptialia instauraret. At eius precibus non annuit parochus, quia nuptiis ineundis obstabat pater Eugenii, qui suum consensum praestare nolebat, necnon lex dioecesana, per quam vetabantur ecclesiastica matrimonia, nisi praemissus fuisset contractus civilis. Nihilominus haud pertaesus iuvenis per epistolam fratrem suum Paulum Patavii commorantem rogavit, ut sac. Vincentium Mortesina, parochum Omnium Sanctorum eiusdem civitatis, induceret ad matrimonium ecclesiasticum celebrandum, eodem modo, quo iam antea coram illo idem Paulus, iisdem fere in adiunctis versatus, contraxerat. Fratris Eugenii preces excepit parochus Patavinus, qui coniugium se celebraturam promisit, dummodo a parocho sponsae congruam habuisset delegationem. Rebus sic stantibus, obtinuit Balzan a parocho Masotti cum attestationibus de baptismo et statu libero, hanc scriptam delegationem: « Il sottoscritto si pregia di spedire i documenti . . . . e in pari tempo « declinando ogni responsabilità, dichiara che da parte sua nulla osta « a che Ella, o altri assista al matrimonio ».

His acceptis, Rev. Mortesina, putans se esse legitime delegatum, nuptiis benedixit. At infaustum omen sortitae sunt. Dissensionibus enim inter coniuges exortis Eugenius Italam dereliquit, ac die 13 Ianuarii 1908 Curiae Mediolanensi supplicem libellum misit, ut suum matrimonium nullum declararetur ex capite clandestinitatis, propter defectum videlicet parochi proprii. Iudices Mediolanenses, obtenta delegatione ab

[1] *Acta Apostolicae Sedis,* vol. **II**, p. 206.

Episcopo Patavino, rite instructo processu, favorabile iudicium actori renunciarunt; quod in secunda iudicii sede penes H. S. O., die 23 Februarii 1910 confirmatum fuit his verbis: « *Constare de nullitate matrimonii in casu* ». Verum ab hac rotali sententia ad alium turnum provocavit solers Vinculi Defensor ex officio. Idcirco denuo hodie causa proponitur sub consueto dubio: « *An sententia rotalis sit confirmanda vel infirmanda in casu* ».

Ex Conc. Trid. matrimoniis assistere debet parochus proprius, vel alter sacerdos de parochi proprii, aut Ordinarii licentia. Non requiritur autem licentia expressa, sufficit tacita, quae ex factis praecedentibus et vere concludentibus colligitur.

Quo posito, ne inutiliter repetamus, quae in aliis duabus sententiis adnotata reperiuntur, duo tantum consideranda a nobis veniunt; factum videlicet transmissionis documentorum matrimonium respicientium, et epistola praedictis documentis adnexa. Ex his enim duobus putavit bonus parochus Mortesina se valide processisse ad matrimonii celebrationem Eugenium Balzan inter et Italam Adami. At falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat.

Re quidem vera, etiamsi in facto transmissionis documentorum tacita licentia, seu intentio delegandi reperiri dicatur, id certe prodesse nequit, quando ea quae matrimonium antecedunt et quae sequuntur concludenter ostendunt contrariam fuisse mentem delegantis. Hoc autem in casu nostro verificatur, uti patebit ex inferius dicendis.

Ad epistolam quod attinet, illa verba: « nulla osta a che Ella o « altri assista al matrimonio » in se inspecta indirectam atque indeterminatam personae continent designationem; at in subiecta materia considerata, quamlibet delegationem excludunt. Parochus enim Masotti existimabat nuptias contrahi Patavii a parocho sponsi: « lo - ipse deponit - li ho ritenuti per tali *(veri sposi),* perchè gli sposi mi dissero che « andavano a contrarre il matrimonio a Padova innanzi al parroco della « famiglia dello sposo, e ritenni che quel parroco poteva legittimamente « assistere al matrimonio del Balzan allora giovanetto di 18 anni ». Quod confirmatur a sac. Brentegani his verbis: « Il Masotti mi disse, « che egli non aveva mai inteso di dare delegazione; di avere bensì « scritto al parroco di Ognissanti in Padova, e che se egli avesse creduto di potere assistere come parroco dello sposo, lo facesse pure ». Unde per illa verba: « *nulla osta* » parochus Veronensis quoad celebrationem matrimonii quodammodo iure suo sese expoliavit; remissive seu passive se habens ad hoc, ut nupturientes a parocho sponsi nuptiali foedere fungerentur.

At carentia voluntatis delegandi in parocho Masotti clare deducitur ex verbis, quae *praesumptam* delegationem procedunt: negandum enim non est, verba sequentia determinari a praecedentibus. « Imo verba praecedentia maiorem habent vim ad determinationem sequentium, quam sequentia ad determinationem praecedentium» (S. R. R., *Dec. rec. 346, n. 8).* Verba autem, quae praecedunt suppositam delegationem haec sunt: « In pari tempo declinando ogni responsabilità... nulla osta... etc. ». Iamvero, ut intelligatur de qua responsabilitate sermo sit, recolendum est Eugenium Balzan et Italam Adami disparis fuisse conditionis quoad res familiares; sponsi patrem filio suo in minore aetate constituto denegasse suum assensum quoad nuptias ineundas; impossibilem fuisse, ut contractus civilis matrimonio religioso praemitteretur iuxta veronensis Dioecesis statuta. Unde Vicarius Generalis veronensis declarat: « Chi « scrive rammenta assai bene di aver negato l'assenso alla celebrazione « del matrimonio, per la ragione che mancando allo sposo 1' età pre- « scritta, non avrebbe potuto, se non dopo molto tempo, mettersi in. « regola con la parte civile ». Hisce omnibus existentibus, attenta praesertim prohibitione facta a Curia veronensi, parochus Masotti probe noscens gravem esse responsabilitatem incursurum, si matrimonium celebrasset, transmisit acta parocho Patavino, eumque liberum reliquit, ut sibi periculum responsabilitatemque omnem assumeret quoad matrimonium contrahendum.

Nec obiiciatur hic non agi de delegatione, per quam persona delegata operatur nomine et vice delegantis. Quamvis enim admittere velimus non agi in casu de vera delegatione ; quodque iuxta sententiam in cap. *Tametsi* tamquam testes auctorizabiles renuntiaverat omnes sacerdotes, qui proinde sponsos in matrimonio coniungere possunt iure proprio atque auctoritate sibi a Concilio tributa; attamen incontro versum est non fuisse a Concilio tributam sacerdotibus facultatem huius ministerii sacerdotalis, nisi prius licentiam ipsi obtinuerint a parocho sponsorum. Verum parochus, qui licentiam concedit matrimonio assistendi sese responsabilem reddit *factae saltem concessionis.* Cum itaque in themate parochus Masotti se irresponsabilem declaravit quoad nuptias ineundas inter Eugenium et Italam, merito concludendum est nullam licentiam eum concessisse.

Ex dictis liquet parochum Veronensem delegationem aut licentiam non dedisse parocho Patavino. At si dubium aliquod adhuc extaret, hoc evanescit, si animadvertatur ex tabulis processualibus constare parochum Veronensem pluries renuisse ut matrimonio assisteret, quod praeter alios testes, pater sponsae testatur: « Fu il parroco, ché più volte

« venne a casa mia a dirmi che il matrimonio non poteva celebrarlo, « perchè lo sposo era troppo giovane ». Iamvero nefas est praesumere, parochum voluisse aliis delegare, quod ipse, obsequens legibus, peragere recusavit. Verum quod nequit praesumi, certum habetur attenta declaratione eiusdem parochi, qui sub iuramento asseruit numquam ea mente fuisse, ut aliquam delegationem concederet : « Scrissi quelle testuali parole « *(nulla osta);* ma il senso di tutto questo era: faccia Lei da parte sua « quello che crede di poter fare, uscendo io da ogni responsabilità, e « nulla pretendendo delle mie competenze ». Imo addidit: « Le mie « parole erano chiare nel senso che ho detto, ed ove anche fossero « ambigue, io dichiaro di togliere 1' equivoco, ed asserisco assoluta- « mente, che certamente non ebbi intenzione di delegare ». Porro nemo existimandum est dixisse quod non mente cogitaverit *(D. Lib. XIX, De leg., I. 7).* Haec confirmantur a sac. Brentegani, qui dum declarat parochum Masotti haud « capace di tradire la verità e di lasciarsi corrompere » testatur ex verbis supra relatis praefatum parochum tempore non suspecto, i. e. antequam quaestio de nullitate matrimonii agitaretur, eamdem fecisse declarationem, nullam videlicet concessisse licentiam.

Quibus omnibus rite ac diligente perpensis;

Nos infrascripti Auditores de Turno pro tribunali sedentes, Christi nomine invocato et solum Deum prae oculis habentes, dicimus ac declaramus sententiam rotalem diei 23 Februarii 1910 esse confirmandam, recognoscentes legitimitatem filiae, prouti in anteacta sententia declaratum fuit.

Ita pronunciamus, et dum condemnamus Eugenium Balzan ad expensas iudiciales, mandamus Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut executioni mandent hanc sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum Canonum, et praesertim *cap.3, sess. XXV, De Reform.,* Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, 6 Augusti 1910.

Gulielmus Sebastianelli, *Ponens.*

L. £g S. Franciscus Heiner.

Antonius Perathoner.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE CONCISTORIALE

AVVISO DI CONCORSO.

Il concorso nella S. Congregazione Concistoriale, annunziato pel giorno 15 del prossimo Ottobre, è invece fissato pel giorno 13.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Sua Santità, Pio Papa X, con biglietto della Segreteria di Stato si è benignamente degnato di nominare:

29 aprile 1910. — Mons. Vincenzo Misuraca Segretario di Nunziatura di seconda Classe, destinandolo a prestare servizio presso la Delegazione Apostolica delle Isole Filippine.

11 Settembre 1910. — Mons. Filippo Cortesi Segretario di Nunziatura di seconda Classe, destinandolo a prestare servizio presso la Delegazione Apostolica di Colombia.

Protonotari Apostolici ad instar:

4 Maggio 1910. — Il Rev. D. Giovanni Battista Enrico Vittore Milette, parroco di S. Luigi Gonzaga in Nashua (diocesi di Manchester).

12 Settembre 1910. — Il Rev. D. Tommaso Agrusti, prima dignità della collegiata di Mottola (diocesi di Castellaneta).

Prelati domestici di S. S. :

28 Maggio 1910. — 11 Rev. D. Guglielmo Schenz, rettore del Liceo Teologico di Ratisbona.

2 Luglio 1910. — Il Rev. D. Andrea Senbert, della diocesi di Green Bay.

— Il Rev. Mons. Enrico Tihen, Vicario generale della diocesi di Wichita.

— Il Rev. D. Bernardo Schmichausen, parroco di S. Marco in Colwich, della stessa diocesi.

— Il Rev. D. Mose Maguire, parroco di S. Maria Vergine in Newton, della stessa diocesi.

— Il Rev. D. Stefano Siminiati, decano del Capitolo Cattedrale di Lesina.

— Il Rev. D. Giovanni Fiorentino di Napoli.

9 Settembre 1910. — Il Rev. Mons. Carlo Cremonesi Sostituto della Segreteria del S. Collegio.

ONORIFICENZE

Il Santo Padre, con biglietto e con Breve della Segreteria di Stato, si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile :

15 Settembre 1910. — Al Sig. Conte Giberto Borromeo, di Milano.

Uso della placca dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

27 Agosto 1910. — Al Sig. Prof, e Comm. Ernesto Simonson Castelli, pittore in Dresda.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

7 Settembre 1910. — Al Sig. Cav. Alfredo Danjou de la Garenne, residente in Biarritz (diocesi di Bayonne).

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

5 Settembre 1910. — Al Sig. Guglielmo van den Pias, industriale in Woluve-Saint-Pierre, nell'archidiocesi di Malines.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

30 Agosto 1910. — Al Sig. Radolf de Kardoff, già addetto alla Legazione Prussiana presso la S. Sede.

5 Settembre 1910. — Al Sig. Barone Roberto de Viron, residente a Dil¬beck presso Bruxelles.

— Al Sig. Giovanni Vittorio Rouveure d'Annonay, della diocesi di Viviers.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare :

Camerieri segreti soprannumerari :

1 Settembre 1910. — Mons. Raffaele Amato, addetto alla Nunziatura Apostolica d'Austria-Ungheria.

9 Settembre. — Mons. Camillo Pilloni, della diocesi di Ales-Terralba.

— Mons. Pietro Mameli, della medesima diocesi.

12 Settembre. — Mons. Filippo Cortesi, il quale ha contemporaneamente emessa la rinuncia al posto che aveva di Cappellano Comune della Cappella Pontificia.

16 Settembre. — Mons. Enrico Calleja Schembri, della diocesi di Malta.

Cameriere d'onore in abito paonazzo:

7 Settembre 1910. — Mons. Salvatore Bertolasio, parroco di S. Michele in Pavia.

NECROLOGIO

21 Agosto 1919. — Il Sig. Paolo Raynaud, Cameriere segreto dì Spada e Cappa Soprannumerario, della diocesi di Marsiglia.

Settembre 1910. —, Mons. Carlo Marozio, Vescovo dì Susa.

4 Settembre — Mons. Lorenzo Petris de Dolammare, Vescovo titolare di Esbon.

10 Settembre — Mons. Corrado Busch, Vescovo di Spira.

29 Settembre — Mons. Aquilino Ferreira, Vescovo titolare di Amiso.

— Mons. Francesco Vento, Vescovo di Aversa.

30 Settembre. — Mons. Marcolino del Carmelo Benavente, dei Predicatori, Vescovo di S. Giovanni di Cuyo.

Annus II. - Vol. II. Die 25 Octobris 1910. Num. 20.

ACTTAPOSTOUGA^EM

COMMENTARIUM OFFICIALE

REGULAE SERVANDAE IN IUDICIIS

APUD

SACRAE ROMANAE ROTAE TRIBUNAL

APPROBATAE ET CONFIRMATAE

A PIO PAPA X

Constitutione « *Sapienti Consilio* » S. R. Rotae tribunal in exercitium revocatum fuit iuxta *Legem Propriam.* Haec Sacro Tribunali certam dedit ordinationem et auctoritatem, nec non iudiciales statuit procedendi normas, sed tantum supremas et generales, quae aliqua ex parte mutant veterem stylum seu normas processus S. R. Rotae iampridem consuetas. - Quamobrem RR. PP. DD. Auditores iam ab incoepto suae potestatis exercitio necessitate adstricti sunt statuendi uniformes et constantes regulas, quae singula acta iudicialia moderarentur. Ad hoc frequentes iidem RR. PP. habuerunt coetus, et, collatis consiliis, has regulas condiderunt in iudiciis apud S. Rotam servandas. Quae cum SS. DD. NN. Pio Papae X a me infrascripto oblatae fuissent *die 7 Septembris 1909,* ad experimentum approbatae fuerunt. Nunc iterum a SS. DD. in Audientia *diei 2 Augusti 1910,* probatis nonnullis additamentis, confirmatae sunt, Eademque Sanctitas Sua iussit eas in tribunali S. R. Rotae vim legis habituras; quapropter mandavit, has publicari et promulgari in *Commentario Officiali S. Sedis,* ad praescriptum Constitutionis « *Promulgandi », diei 29 Septembris 1909.*

Romae, die 4 Augusti 1910.

M. Lega, ***Decanus.***

TITULUS I.

De introductione causae apud Ponentem, de citatione et dubiorum concordatione.

§ L

Quaelibet causa, coram Sacra Rota tractanda, committitur Auditori Ponenti, turni Praesidi, cui competit nonnulla acta iudicialia explere, uti infra explicabitur.

§ 2.

1. Acta et documenta causae, etiam introductae, sive a partibus interesse habentibus, sive a dicasteriis remittentibus vel committentibus, potius quam ad Ponentem, directe *ad protocollum* Sacrae Romanae Rotae transmittantur *(Lex propria,* can. 19).

2. Acta quaelibet iudicialia in causis apud S. Rotam agendis, exarari debent in charta rotali bullata seu sigillum Sedis Apost. referentibus cum inscriptione S. Tribunalis, excepta prima instantia et exceptis quoque scripturis typis aut aliter edendis in scopum defensionis de quibus in can. 25 et 26 *(Lex propria).*

3. In causis, in quibus ad normam cap. IV, *Appendix (Lex propria)* concessum fuerit ius exemptionis ab expensis iudicialibus et gratuitum patrocinium, ad acta iudiciaria exaranda non adhibetur charta rotalis bullata, firmo tamen praescripto §§ 207, n. 4 et 218.

§ 3.

1. Officialis conficiendis tabulis addictus taxam exiget, uti in *Appendice De taxatione expensarum,* cap. I, n. 3 *(Lex propria),* exposcens ut acta et documenta sibi exhibeantur in fasciculum collecta, proprio elencho munita, et num eris distincta.

Super fasciculo indicetur:

1. titulus causae seu nomen Ponentis et dioecesis, ad quam pertinet causa, eiusque obiectum seu argumentum;

2. nomen et cognomen partium, nec non procuratorum, si aderint.

§ 4.

1. Officialis praedictus curabit ut procurator vel advocatus legitimum habeat mandatum *ad lites.*

2. Regula generalis esto, nisi aliqua obstet difficultas, exigendum esse, ut mandatum concessum sit expresse pro lite apud Sacram Rotam dirimenda.

§ 5.

Quum Officialis tabulario addictus *positionem* eiusque documenta in appositos libros iam bene disposita retulerit, haec ad tribunal Sacrae Rotae pertinere censentur.

§ 6.

1. Positione in tabularium relata, et signatis super eadem numeris iam in protocollo notatis, Officialis eandem exhibebit Dno Decano, qui decreto statuet turnum ad causam dirimendam competentem, iuxta normam canonum 19 et 12 *(Lex propria).*

2. Formula decreti erit sequens:

« *R. P. D. N. N.* (Nomen Praesidis turni et titulus causae).

N. N. actor vel appellans...

Adversus - N. N. vel decretum vel sententiam Die... Mense... Anno...

Videntibus RR. PP. DD. N. N. et N. (Praeside turni) *Ponente* ».

§ 7.

1. Formulae, quae in his regulis proponuntur, vim habent *directivam* et non *praeceptivam,* et fas erit easdem etiam italico aut gallico sermone redigere, si partes careant advocato aut procuratore.

2. Pariter transgressio regularum procedurae, quae hic statuuntur, effectum minime habet invalidandi actum, nisi id expresse et taxative sanciatur.

§ 8.

Designato turno, Praelatus Decanus positionem remittet Officiali addicto conficiendis tabulis, qui relato in acta decreto, statim per Officialem distributorem illam transmittit Praesidi turni statuti ad normam can. 19 *(Lex propria).*

§ 9.

1. Praeses turni designati, seu antiquior (can. 12, § 4) excepto casu indicato in § 6 eiusdem can. 12, « *Per se est etiam Ponens seu Relator causae* » (can. 21). Attamen « *iusta accedente ratione declinandi hoc officium»* (can. 21), interrogatis ceteris de turno Auditoribus, iste potest, speciali decreto, officium Ponentis committere alteri ex ipsis. Huius decreti formula erit sequens:

« Die... Mense... Anno...

NN. subscriptus Ponens causae, auditis ceteris PP. de turno, committit proprium Ponentis munus NN. qui acceptavit; idque ad normam Can. 21, Legis propriae.

(Nomen Praesidis turni a Decano designati) ».

2. Si causae commissio facta sit *dumtaxat pro voto* (can. 19, § 2), de causa *vident omnes et votum proferunt,* nisi aliud expresse caveatur in rescripto commissionis.

§ 10.

1. Si quis Auditor, aut infirmitate aut alia iusta causa impediatur quominus partem in turno habere possit, ei Praelatus Decanus substituit alium Auditorem, ad normam can. 12, § 5.

2. Hoc autem fit vel *ex officio,* vel etiam *ad instantiam partis,* et decretum debet notificari.

§ H.

1. Ista decreta Praeses turni aut Decanus illico nota faciet officiali tabulario addicto, ut ab eodem in acta referantur.

2. Decreta aut rescripta autographa in actis asservanda, subscripta sint oportet a Ponente vel a Decano, a quo prolata fuerunt.

§ 12.

1. Omnia acta ad Ponentem spectantia, non exclusis iis, quae necessario requirunt Praelati subscriptionem, possunt etiam peragi a studii Adiutore, qui excepto casu contrariae dispositionis ex parte Ponentis (can. 3, § 2, *Lex propria),* eumdem pro suo munere repraesentat. Idcirco in singulis posterioribus articulis, quando fit mentio de Ponente, comprehenditur etiam Adiutor studii, nisi expressis verbis, aut saltem implicite, excludatur.

2. Acta, quae semper requirunt Ponentis subscriptionem sunt: dubiorum concordatio, facultas typis edendi folia numero maiora quam lex concesserit, et rescripta, quibus Ponens admittit appellationem ad turnum ipsius Ponentis (§§ 82-95) vel ad alium turnum (§ 235).

3. Formula in dubiorum concordatione a studii Adiutore adhibenda erit sequens: « (Praemissa indicatione nominis R. P. D. Ponentis et causae tituli) *Obtinuit et N. N., Adiutor a studiis Domini Ponentis, de consensu partium mandavit disputari infrascriptum dubium... et destinavit diem...».* Actus a partibus subscribitur, et deinde studii Adiutor illum Ponenti subscribendum exhibet, nisi habuerit facultatem subscri-

bendi dubium, quo in casu, subscriptioni Adiutor a studiis adiunget: *de mandato speciali Dñi Ponentis.* Circa autem dubiorum concordatorum mutationem serventur quae statuuntur in § 33.

4. Quaedam acta, ut expensarum taxatio habitarum in peritiae confectione aut in testium productione, aestimanda prouti praescribit *Lex propria (Appendix* cap. I), num. 6, vel expensarum, aut mercedum taxatio, quae locum habere debet inter partes contendentes, et inter partes earumque advocatos et procuratores, in executionem sententiae, commissa intelliguntur studii Adiutori, qui hisce incumbere debet, nisi expresse Ponens aut turnus sibi reservaverit eiusmodi negotii tracta¬tionem.

5. Adiutor subscriptionem apponens decretis, post proprium nomen semper qualitatem suam adiunget, consueta formula, quae, pro decretis, latina lingua exaratis, erit: *Adiutor a studiis.*

§ 13.

1. Delegatio aut directe a Praelato Auditore, aut eo mandante, a suo studii Adiutore facta Adiutori a studiis alterius Praelati, effectum habet reddendi validum et iuridicum actum ab Adiutore delegato positum; at haec fieri non debet, nisi ex gravi necessitate.

% Delegatio in scriptis exhibenda est et in actis asservanda. - Nota fiet partibus interesse habentibus, antequam compleatur actus, in quo habitae delegationis fiet mentio.

§ 14.

1. Ponens, si aliquod documentum aut notitia facti deficiat in actis, documenti exhibitionem aut facti notitiam exquirit, sive ante, sive post dubiorum concordationem.

% Hoc pro diversitate adiunctorum pluribus modis fieri potest:

a) vel vocando partem aut eius procuratorem seu advocatum, ut opportunas dent explicationes, aut quaesita documenta exhibeant, et ad hunc finem fit decretum « *Vocetur orator aut advocatus seu procurator pro audientia diei... »;*

b) vel in scriptis ad calcem positionis, aut in folio positioni inse¬rendo, explicatur ratio huius vocationis, communicanda ab ipso officiali, quo in postremo casu post formulam « *Vocetur....* » addatur « *iuxta mentem intus in folio expressam ».*

3. Convocationis mandatum ad notitiam partis aut eius procuratoris deducendum est vel directe a Ponente, vel per Officialem addictum

tabulis conficiendis, qui a Ponente monitus, de eius mandato, partem aut procuratorem doceat.

4. Quando pars neque praesens est in Curia, neque suum habet procuratorem, tunc a Curiis dioecesanis aut ab alio Officio expetitur mandati executio; id autem fit per epistolam vel decretum, cuius Ponens redigit formulam, in qua (praemissa indicatione diei) in primo casu praescribit: « *Scribatur Episcopo. . . . Archiepiscopo iuxta minutam* »; in secundo vero casu: « *Idque* (vel *decretum hoc) notificetur Episcopo... Archiepiscopo... etc.*».

5. Quaesitae explicationes seu elucidationes dubiorum non debent inservire ad renovandas *orales informationes,* quas *Lex propria* can. 30, prohibuit, sed simpliciter ad complenda acta et exquirenda documenta, quae erunt fundamentum defensionis scripto conficiendae et elucidationum oralium, quae ante definitivam sententiam dari poterunt in discussione orali aut turno, aut rotali collegio, iuxta normam § 67 et seqq.

1. Officialis tabulario addictus quamprimum positionem deferet ad Notarium scriptorem, cuius est epistolae aut decreti transcribere exemplar ad Curias vel ad certum Officium transmittendum et hoc, a Ponente deinde subscriptum, mittetur ipsius Notarii subscriptione munitum, nec non sigillo tribunalis.

2. Si exemplar transcriptum parti interesse habenti remitti debeat aut eius procuratori *pro notificatione,* requiritur dumtaxat, pro fidelitate exemplaris, subscriptio Notarii, et tribunalis sigillum.

§ 16.

Introducta causa ut in superiori § 5, pars diligentior citationem conficit, qua partem adversam in ius vocat pro concordatione dubiorum ad normam can. 23, § 1 *(Lex propria).*

En formula:

Ex. gr. - *Romana - Subsidii.*

R. P. D. N. N.

Die ... Mense... Anno ...

Subscriptus instat, ut citetur (vel *citentur) N. N. degens ...* (vel *degentes) ... ad comparendum sive per se, sive per procuratorem legitime constitutum* (verba: *sive per se, sive per procuratorem legitime constitutum* omittuntur, quando citatur Promotor iustitiae aut vinculi Defensor) *coram R. P. D.... Ponente, vel eius studii Adiutore in aedibus. ...* (vel *in*

sede tribunalis S. Romanae Rotae) die et hora... determinandis ad concordandum de dubio disputando (vel *de dubiis disputandis), sin minus ad videndum subscribi infrascriptum* (vel *infrascripto)] nec non destinari diem, qua habebitur turnus rotalis pro tractatione causae de qua agitur, et super praemissis fieri decretum.*

Instante N. N. pro quo procurator...

Dubium (vel *Dubia) ...* ».

§ 17.

Ponens, aut eius Adiutor a studiis, exigere debent ut citationis actus et singula exemplaria redigantur in charta bullata, ad normam '§ % n. 2 et 3.

§ 18.

1. Ponens aut eius Adiutor, si legitimum sit procurationis mandatum, super supplici libello, exhibito a procuratore aut ab ipsa parte, designant tempus et locum comparitionis, sequenti decreto:

« Die ... Mense... Anno ...

Citetur (vel citentur) N. N. ad comparendum sive per se, sive per procuratorem, hora ... die ... mense ... in aedibus ... vel in sede tribunalis etc, ad effectum, de quo in precibus.

N. N. Ponens ».

2. Si pars petat et Ponens id expedire existimet, potest citationis decretum redigi italica lingua, aut etiam gallica.

3. Ponens, pro suo prudenti arbitrio, assignabit comparitionis terminum.

§ 19.

1. Textus autographus citationis asservatur in actis, et parti adversae dumtaxat transmittitur exemplar citationis decreti, per Notarium conficiendum, adhibita sequenti formula:

« R. P. D. N. N.

Die... Mense ... Anno ...

Citetur N. N. ...ad comparendum, sive per se, sive per procuratorem, hora ... die ... mense ... in aedibus ... (vel in sede tribunalis) ad concordandum etc » - referendo textum petitionis acceptatae a Ponente in actu citationis, et ipsa dubia et nomina instantium, exceptione facta pro clausula: *et super his fieri decretum.*

2. Deinde tot exemplaria decreti citationis fiunt, et haec omnia Tribunalis Notarii subscriptione munita, quot sunt personae in ius vocandae. In textu autographo ad calcem adnotabitur numerus exemplarium, quae tradita fuerunt.

§ 20.

1. Quum citandus sit Episcopus, aut Emus Cardinalis decretum redigetur ad instar epistolae, iuxta sequentem formulam, subscriptae a Ponente et Notario: *Ego infrascriptus... S. Romanae Rotae Auditor in causa Ponens, Titi notum facio institisse NN. ...ut Amplitudo Tua,* vel *Eminentia Tua in ius vocaretur* (vel *iterum in ius vocaretur,* si res est de secunda citatione) *coram infrascripto Ponente, vel eius studii Adiutore ad concordandum de dubio. . . . Quamobrem decretum edidi, quod per praesentes Tibi communico, ad effectum ut, nisi legitima causa excuseris, excusationis causa per litteras significata, compareas vel per Teipsum, vel per procuratorem coram me infrascripto Ponente, vel studii Adiutore die ... hora ... in aedibus ... vel in sede tribunalis ad concordandum ... Dum haec Ampl. Tuae defero, Tibi omni bona et fausta a Deo adprecor... addictissimus famulus... ».*

2. Si eiusmodi litterae dandae sint Emo Cardinali in praescripta formula post verba - *quod per praesentes Eminentiae Tuae communico ad effectum* - haec mutantur - *ut vel per litteras respondere digneris praesenti instantiae vel per procuratorem compareas coram... Dum haec Eminentiae Tuae refero, S. Purpuram deosculor et per maneo ....*

3. Quamobrem edito consueto decreto « *Citetur* ... » addatur: « *Episcopo vero, aut Emo Cardinali, notificetur decretum in consueta forma litterarum ».*

§ 21.

Si mutandum sit obiectum citationis, ea pars tantum formulae citationis, mutatur, quae refertur ad eiusdem finem. Hoc modo dicetur: *« ad videndum mandari eligi peritos ad effectum computandi ...ad videndum mandari examinari testes in Curia dioecesana N. ... ad videndum mandari aperiri peritiam, taxari mercedem pro perito et pro summa taxata expediri mandatum contra citatum, iuxta rescriptum S. H. Ordinis, nec non mandari procedi ad ulteriora ...* vel *ad videndum mandari taxari functiones et expensas in causa peractas et pro summa taxata expediri ordinem executorium...* vel *ad videndum declarari incidisse in poenas, in praecepto* (vel *in Const.* Apostolicae Sedis) *contentas, etc. .. ».*

§ 22.

Audientia Ponentis, in qua nempe Auditor Ponens aut eius Adiutor a studiis dant operam explendis singulis actis iudicialibus, locum habebit diebus determinatis, bis in hebdomada. Notarius tabulario addictus, per appositam tabellam in tribunalis cancellaria affigendam rem notam faciet.

§ 23.

Audientiae *de turno* nuncupatae, pro quovis turno bis in mense ordinarie habebuntur, scilicet in prima et secunda medietate singulorum mensium. Harum rationem habebit Ponens in determinanda, ut moris est, audientia turni, de qua in can. 24, §§ 2 et 3 *(Lex propria).*

§ 24.

1. Si pars in ius vocanda, Romae domicilium habeat, aut a procuratore repraesentetur, citatio transmittitur per manus apparitoris.

2. Apparitori pro exhibitione cuiuslibet citationis, actorum notificatione, aut intimatione facienda vel ipsi personae vel alteri pro eo in loco eius commorationis, debetur dimidium libellae italicae. Quando autem ista acta *ex officio* denunciantur sive a Tribunali, sive a Promotore iustitiae, sive a Vinculi Defensore, haec taxa ordinarie non debetur; attamen Ponens mandare potest ut taxa praecipiatur a summa iam deposita a parte, in cuius favorem acta praedicta decreta fuerunt, salvo iure eandem taxam repetendi, quando expensarum iudicialium fiet definitiva computatio.

3. Quoties pars in iudicium vocata neque suum procuratorem habeat, neque in Urbe commoretur; et ad eius commorationis locum facile non sit aut opportunum mittere tribunalis cursorem, citatio per officium tabellariorum remittetur Curiae ab Officiali distributore, ut eandem, *servatis servandis,* parti conventae transmittat. Transmissionis epistola *commendanda* est, et fides factae expeditionis asservanda in actis: id autem observari debet sive epistola *ex officio,* sive ad instantiam partis transmittatur. - Verum Ponens pro suo arbitrio permittere vel iubere potest, ut non ope Curiae sed directe epistolam officialis distributor remittat parti conventae per officium publicum tabellariorum cauto tamen quod in actis constet de facta traditione; et hoc obtinetur per schedulam quae traditionem testetur factam, quaeque italice vocatur: *ricevuta di ritorno.*

4. Quando ignoratur locus habitationis partis conventae, editur citatio per edictum, et decretum citationis inseri potest in *Commentario Officiali* Sanctae Sedis, non exclusis aliis modis, qui ad finem tutius et efficacius obtinendum inserviant.

§ 25.

1. Cum citatio aut quilibet alius actus notificandus sit ab apparitore, seu cursore, hic non modo super textu autographo, sed etiam

super exemplari notabit diem, nomen personae, cui remiserit exemplar, eiusque domicilium, nec non apponet suam subscriptionem. Super textu autem autographo ita scribetur: « (Data...) *Io sottoscritto Cursore ho notificato copia simile al presente originale al Signor NN. domiciliato in Roma Via... consegnandola nelle mani di NN., domestico, che s'incaricò della consegna dell'atto. NN. cursore del tribunale della S. R. Rota ».*

2. Super exemplari, aut exemplaribus, cursor eamdem faciet relationem, excepta sequenti variatione: « *Ho notificata la presente copia conforme al suo originale,* etc. ».

§ 26.

1. Elapso citationis termino, quodcumque sit eius obiectum, ut in § 21, si citatus, qui non repraesentatur a procuratore vel advocato, non compareat, neque iustam adducat suae absentiae causam, pars adversa potest illius contumaciam accusare, dummodo locum habuerit secunda citatio, aut intimatio, sicut in sequenti paragrapho.

2. Ponens, pro suo prudenti arbitrio, potestatem habet:

a) vel secundam citationem edendi, addita comminatione, quod si citatus non compareat, iudicium continuabitur, declarata contumacia;

b) vel intimationem seu notificationem faciendi, ut in § 30, n. 1.

c) Notificatio vero vel intimatio fit praefigendo terminum, quo perdurante, expectatur an forte pars validas adducat rationes, ut oppositionem faciat actui iam expleto et purget suam contumaciam (can. 24, *Lex propria).*

3. Cavendum erit, ne nimis longa dilatio concedatur in prima citatione transmissa parti non repraesentatae, quum magis expediat terminum in altera protrahere, in qua comminatio exprimetur, *ad ulteriora, elapso termino, procedendi,* declarata contumacia.

4. Secundae citationis formula eadem erit ac prima. Dumtaxat post verba « *NN. instat ut citetur »,* addatur: « *pro secunda vice »,* et in Ponentis decreto ad calcem, post alia: « *in aedibus* (vel *sede) »* addatur: *« cum declaratione quod si non obstante secunda citatione, pars non compareat, dubiorum formula ex officio statuetur, et iudicium in eius contumacia continuabitur ».*

5. Si vero agatur de Episcopo vel de Emo Cardinali haec imitantur in formula litterarum: « *cum declaratione quod si non obstante hac secunda citatione Amp. Tua vel Eminentia Tua neque respondeat neque compareat ad normam primae citationis dubiorum formula ex officio statuetur et iudicium, in eius absentia continuabitur ».*

6. Effectus *declaratae absentiae,* hoc in casu, est ut praeventus cen-

seatur iuri suo renunciasse et se remisisse iustitiae sacri tribunalis. Attamen dubiorum concordatarum formula ei notificanda erit.

7. Quod si neque post secundam citationem pars compareat, Ponens, attenta accusatione partis quae comparuit, suo decreto contumaciam declarabit, formulas dubiorum proponet, et determinabit diem rotalis audientiae. Contumacia potest etiam declarari *ex officio.*

§ 27.

Quoties Ponens opportunum non ducat secundam citationem concedere, regulam generalem sequitur, nempe quod in actis iudicialibus expletis *non praesente parte,* quando haec prius non fuerit contumax declarata, relativum decretum semper muniet clausula: « *non praesente parte et notificetur,* vel *cum intimatione. . . .* »; quamobrem parti datur notitia de eodem actu, ut si casus ferat, intra tempus utile possit illum impugnare.

§ 28.

1. Si procurator legitime constitutus ab actore aut a reo, citatus non compareat, ei non datur secunda citatio, sed fit intimatio actus aut notificatio, assignato congruo termino ad comparendum vel ad respondendum, quo frustra elapso, declaratur contumax.

2. Adversus procuratorem contumacem non secus ac contra ipsam partem contumacem proceditur ad normam § seq.

3. Adversus procuratorem qui negligentiae aut fraudis reus, qualicumque ex causa, ob non adimpletas obligationes, vi mandati procuratorii, etsi gratuito susceptas, suum clientem graviter laeserit, applicari possunt remedia disciplinaria, ad normam can. 46 *(Lex propria).* Tunc cavendum erit ne pars indefensa in iudicio maneat, vocato etiam, prouti casus ferat, in causam Promotore Iustitiae, ad normam § 97.

§ 29.

1. Semel declarata contumacia, huiusmodi decretum ab apparitore denunciatur vel ipsi *personae* aut alteri pro eo in *loco eius commorationis,* ad normam § 25. Posthac quaecumque acta, sententiae aut decreta, durante litis periodo prolata, parte absente, censentur tamquam habita in contradictorio; etsi citatus non compareat in posterioribus audientiis, nullus alius actus vel decisio intimabitur aut notificabitur eidem, utpote contumaci, excepto decreto concordationis dubiorum, quod semper notificari debet.

2. Pariter notificanda erit quaelibet petitio, aut reconventio non

significata in prima citatione, praefixo congruo termino ad respondendum.

3. Si contumax, durante iudicio, compareat, causam *in statu et terminis*, in quibus reperitur, acceptare debebit, excepto casu quo, promoto contumaciae incidentali iudicio, ab eadem possit se purgare.

§ 30.

1. Formula, quae exequitur decretum *cum intimatione*, est simplex et constans, quia per hanc datur notitia de actu expleto aut explendo *« Intimetur N. N. procuratori quod dominus Ponens die ...in sede tribunalis processit ad dubiorum concordationem, instante N. N. parte adversa... aut procedet ad testium examen... »*. E contra, decreto notificando praemittuntur sequentia verba: « *Notificetur N. N. quod die tali*, etc. » et sequitur integer textus decreti. Si vero agatur de notificanda petitione exhibita, fit eiusdem breve summarium et innuitur, iudicem notificationem adversae parti Heri statuisse. - Utrumque decretum sive *intimationis* sive *notificationis* charta conficietur rotali bullata a Notario subscriptum, et tribunalis sigillo munitum.

2. Formula accusationis *contumaciae* vel *absentiae* m vim § 26 n. 6 haec est: « *Die... mense... anno ... comparuit N. N.... et expectata hora praefixa diei... mensis... anni... et dimidia parte horae immediate sequentis signata* (vel *pulsata), attenta ... citatione ... et notificatione aut intimatione, accusavit contumaciam*, vel *absentiam, partis N. N.... et protestata est, petens ut, non obstante dicta contumacia*, vel *absentia, procedatur ad ulteriora...* ». Ponens consuetum edit decretum: - *«Obtinuit et Dominus mandavit procedi ad ulteriora* ». - et ad normam praecedentis paragraphi, parti contumaci tale decretum notificabit, addens actui declarationis contumaciae, *et notificetur;* quocirca Notarius scriptor notificat decretum iuxta consuetam formulam.

3. Declarata *contumacia* vel *absentia* formula decreti, quo proceditur ad dubiorum contestationem, erit sequens: « *Attenta unica* (vel *duplici) citatione N. N. intimata sub diebus ... mensis... anni ... cum denunciatione quod si non compareret, nihilo secius in eius contumacia dubiorum formulae et dies audientiae turni statuerentur, attenta accusatione et declaratione contumaciae* vel *absentiae, facta die ... mense ... anno Ponens infrascriptus mandavit proponi causam sub dubiis infrascriptis, et destinavit turnum diei... praesente tantum una parte NN. vel eius procuratore NN. et notificetur* ».

4. Quando exaratum non sit formale decretum declarationis contumaciae, aut absentiae hoc inseri potest in decreto, quo concordantur

dubia, aut alius actus iudicialis ponitur aut instruitur hoc addito quod, *attenta unica vel duplici citatione aut intimatione, declaratur contumacia* vel *absentia. Exinde Ponens,* etc. ... Cavendum tamen est, ne desit praescripta *notificatio.*

5. *Congrua congruis referendo,* hic processus servetur, et adhibeantur formulae consimiles, depromptae e subiecta materia, in multimodis incidentibus, quae comitari possunt causae evolutionem, quaeque seiungi non debent ab integro et fideli contradictorio.

§ 31.

1. Ea die, qua pars diligentior comparuerit ad concordanda aut proponenda dubia, Ponens, post expletam eorumdem concordationem, determinabit quae pecuniae summa et a quonam solvenda sit, tamquam depositum iudiciarium pro expensis iudicialibus *(Appendix - Lex propria - cap. I, n. 7);* et etiam *ad cautionem* pro decretorum, aut rei iudicatae executione, si Ponens id opportunum duxerit.

2. Deponenti tradetur syngrapha receptionis summae depositae, cuius aut exemplar a Notario redactum, aut ipsum *autographum* in actis servabitur.

3. Decretum praescribens depositum exaratur in ipso actu contestationis et concordationis dubiorum. Ut autem ad depositi executionem deveniatur, Ponens in actorum fasciculo, qui immediate transmittendus est officiali addicto tabulis conficiendis, sequens ponet decretum: « *Folium concordationis dubiorum uniatur actorum fasciculo et fiat depositum summae, uti in decreto* ».

4. Quando conveniens sit, rem pertractare aut causam instruere sub *secreto,* Ponens aut Iudex Instructor appositum decretum confidet, praescribendo: « *Causa sub secreto agatur* - aut - *pars N. N. et eius procurator iuramentum dent de secreto servando* » - et hoc iuxta formulam ab ipso Ponente aut Iudice Instructore praescribendam.

§ 32.

1. Si partes compareant et singulae quoad dubiorum formulam et diem audientiae consentiant, quin Ponens aliquid excipiat, hoc conficitur decretum: « (indicato causae titulo et die) *Obtinuit* (scilicet instans, quod petierat, obtinuit); *et mandavit Dominus Ponens disputari dubium infrascriptum ...et destinavit turnum die N. N. altera parte praesente* vel *partibus praesentibus* aut *eorum procuratoribus... - N. N. Ponens* ».

2. Partibus non concordantibus, Ponens, non autem eius studii Adiutor, potest nihilo secius proponere ex officio formulam dubiorum,

quae disputanda sunt, et decretum ita exaratur: « *Obtinuit, et Dominus, non concor•dantibus, vel altera non consentiente in formulam dubiorum, ex officio mandavit disputari ... partibus praesentibus* ».

3. Si partes non conveniant in formula dubiorum aut circa diem propositionis causae, aut Ponens proposita dubia minime acceptet, neque ad dubiorum concordationem *ex officio* procedat, quaestio ad turnum remittitur, et id locum habet etiam in casu, quo partes appellationem a dubio concordato *ex officio* interponant, de qua incidentali quaestione agit can. 24 *(Lex propria).* Quum autem in tali casu requiratur specialis procedendi modus, servandus etiam in decisione aliorum incidentium, de hisce dabitur certa regula in sequenti Titulo III.

4. Actus concordationis dubiorum subscribetur a partibus et a Ponente, ad normam § 12, n. 3.

§ 33.

1. Facta dubiorum concordatione, sive a Ponente, sive a turno, formula mutari nequit, nisi per decretum Ponentis aut turni, prout alteruter illam statuerit.

2. Mutatio autem dubiorum fit vel ad *instantiam* unius ex partibus aut Promotoris iustitiae, aut Defensoris vinculi, audita etiam parte adversa vel *ex officio* a Ponente aut a turno, promota quaestione incidentali et citatis partibus. Hoc autem servandum est etiam in casu, quo Ponens aut turnus *ex officio* determinaverit formulam dubiorum, partibus discordantibus (can. 24, *Lex propria).*

3. E contra, dies causae decisioni statuta, mutari potest *ex officio,* quin praecesserit petitio unius ex partibus, et non obstante earum oppositione, ad normam § 66.

§ 34.

1. Ponens curabit a partibus omnem curam, diligentiamque adhiberi, ut dubia in audientia concordentur, et ad turnum non remittantur; nam haec concordare facilius est Ponenti, quam turno.

2. Si pro concordatione dubiorum deficiant necessaria documenta, Ponenti fas est, etiam *ex officio,* dilationem concedere, ut eorumdem formula determinetur cum plena causae cognitione.

3. Est in facultate Ponentis differre diei determinationem pro discussione causae, si huic, ex controversiae adiunctis, dies neque probabiliter certa assignari possit.

§ 35.

1. In appellatione a sententia rotali ad alium turnum, formula haec erit: « *An sententia rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu* ». Si

petitio fiat, ut turnus sententiam incidentalem revocet, adhibeatur formula: « *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu* ».

2. Si appellatio fiat a sententia alterius tribunalis, non adhibetur formula: « *An sententia sit confirmanda vel infirmanda* », sed in quaestionem adducitur ipsum meritum quaestionis appellatae, ex. gr. « *An constet de iure patronatus in casu* ». Tunc autem apprime advertendum est, ne dubium lirnites sententiae appellatae excedat, secus enim non amplius esset competens S. Rotae tribunal, ad normam can. 14-17 *(Lex propria).*

3. Si autem sententia appellata tribunalis inferioris ob nullitatem impugnetur, formula erit sequens: « *An constet de sententiae nullitate in casu* ».

§ 36.

Si in his actis explendis post concordationem dubiorum altera pars non sit contumax, sed tantummodo absens, tunc fit ei intimatio sequenti formula: « *B. P. B. NN.* (Indicatio tituli causae et diei). *Intimetur NN. ex adverso principali, vel eius procuratori NN. qualiter Dominus in prima audientia omnino edet decretum... vel excutiet testes... et ideo citetur ad contradicendum, si et quatenus, etc. ... alias, etc. ... Instante NN. principali sive, ... Notarius* ».

§ 37.

1. Si causa ante vel post dubiorum concordationem, apte non proponeretur instructa, ita ut opus esset, aut per testes, aut per iusiurandum, aut per peritiam, aut per interrogationes proponendas partibus, aut per quaevis alia media, novas probationes obtinere, officium Instructoris causae a Praelato Decano committetur Auditori alius turni, firmo remanente Ponente iam designato, iuxta normam can. 22 § 2 *(Lex propria)* et iuxta §§ 101 et seq.

2. Decretum Domini Decani, quo deputatur Instructor, et processus ratio praescribitur, potest provocari a Ponente vel *ex officio* vel *ad instantiam partium* vel in executionem *rescripti commissionis.*

§ 38.

1. Si ex actis instantiae iudiciali pra*3viis, et praecipue ex discussione, quam partes habuerunt ad concordanda dubia, Ponens perspiciat, nec difficile, nec infructuosum esse concordiam experiri inter partes, hanc debet eisdem consulere, viam sternens ad concordiam. Haec autem unice decerni potest a turno, cui res a Ponente remittetur.

% Si turnus proponat concordiam, aut propositam acceptet, fit decretum: « *Placere de concordia et ad D. Ponentem iuxta mentem* ». Mens autem significat Ponenti conditiones servandas in concordia ineunda, eaedemque, nisi turnus has secretas manere decernat, debent partibus interesse habentibus manifestari.

3. Facultates turni aut Ponentis hac in materia repetuntur a communi, aut speciali iure circa *alienationes* aut *transactiones.*

§ 39.

1. In causis criminalibus et in iis quae natura sua ordinem et bonum publicum respiciunt, tribunal *primae instantiae,* quoad ordinem stricte iudicialem, nequit repraesentari a procuratore aut advocato proprio, sed ordinem et bonum publicum defendet Promotor iustitiae apud S. Rotae tribunal.

2. Si iudicium secundae aut ulterioris instantiae instituatur a Promotore iustitiae (qui vulgo nuncupatur *fiscalis)* Curiae sententiam proferentis, istud a Promotore iustitiae S. Rotae continuabitur, qui *instat apud Ponentem, ut citet partem appellatam,* et in posterum si opus sit, petit, ut Ponens a Promotore seu *a fiscali* Curiae ulteriores notitias aut elucidationes, meritum rei respicientes, exquirat.

§ 40.

1. Attenta natura *actionum popularium ex bono publico* institutarum, quum eiusmodi causae agitantur, potest constitui procurator, qui apud S. R. Rotam repraesentet aut parochiam, aut mensam episcopalem, aut in genere iura entium vel publicarum administrationum, aut quamlibet iuridicam personarum societatem, aut aliquem fidelem, sibi proponentem, vigore dictae actionis, bonum publicum tueri.

2. Circa legitimitatem aut admissionem talis Procuratoris, in singulis casibus Ponens cognoscit et iudicat, praehabito etiam, si oporteat, voto Promotoris iustitiae.

3. Iste procurator documenta et allegationes iuxta regulas communes adducere valet; eius vero deductiones et animadversiones exhibendae sunt *Promotori iustitiae* (si causa non sit criminalis) ante statutum tempus pro mutua defensionum traditione, uti praescribit § 46. Promotor iustitiae his deductionibus, si eas iudicet pro tuenda iustitia sufficientes, potest adhaerere, declarans se nihil habere, quod addat.

4. Quum agitur sive de dubiis concordandis, sive de aliquo incidenti dirimendo, Promotor iustitiae, apud Ponentem citat hunc procuratorem, non secus ac alios.

§ 41.

1. In causis criminalibus, in quibus, accusante Promotore iustitiae, hoc intenditur, ut applicentur poenae ecclesiasticae contra delinquentes, admittitur accusator privatus aut eius procurator, qui vi canonicae actionis popularis, agit tamquam adhaerens Promotori iustitiae ad tuendum, spirituale fidelium bonum, et ad faciliorem reddendam veritatis inquisitionem et iustitiae administrationem.

2. In his causis Promotor iustitiae non gaudet privilegio cognoscendi in antecessum defensiones adversariorum, uti cavetur in § 47; hinc suas scriptas deductiones exhibere tenetur, etiam prius quam pars adversa suas illi notas fecerit.

§ 42.

Promotori iustitiae competit causis interesse, quoties id exigat eius officii ratio, aut ad interessendum vocetur a Ponente aut a turno sive *ex officio,* sive ad *instantiam partis.*

TITULUS IL

De documentorum et defensionum exhibitione
et de orali discussione.

§ 43.

Sententiae, decreta et acta in iudicio apud S. Rotae tribunal discutienda, debent exhiberi officiali addicto tabulis conficiendis, *saltem decem dies* ante dubiorum concordationem, can. 25, § 1 *(Lex propria).*

§ 44.

Circa documenta, quae pars exhibere sibi proponit ad suam defensionem et allegationum comprobationem, quae continentur in defensionibus editis, de quibus erit sermo in § sequenti, servandae sunt quaedam normae quoad *terminum, locum* et *formam* exhibitionis.

a) Quoad *terminum,* oportet ut documenta exhibeantur saltem *triginta* dies ante causae discussionem.

b) Quoad *locum,* necesse est ut deponantur in officio *protocolli,* ut ibidem examinari possint a partibus earumque advocatis; quum non modo istis, verum etiam singulis Auditoribus, Promotori iustitiae et vinculi Defensori ea asportare non liceat, can. 25, § 2 *(Lex propria).*

Attamen Ponens aut turnus exigere possunt, ut dicta documenta sint typis edita, in summarium relata.

c) Quoad *formam,* necesse est, ut documenta exhibeantur in charta rotali bullata, si agatur de actis apud S. Rotam confectis; cetera ordinarie, tantum *in forma authentica,* in fasciculis colligata, paginis in numeros distributis et adiecto documentorum indice, ut superius dictum est (can. 25, § 3 *Lex propria).*

d) Quaevis documentorum exhibitio subiacet taxae libellae unius *(Appendix* cap. I, 3, *Lex propria).*

e) Facta exhibitio alteri parti *ad instantiam* ipsius procuratoris est denuntianda; aliter *ex officio.*

f) Denuntiatio fit per simplices litteras, a Notario subscriptas. Peractae exhibitionis iidem faciat cursor in calce documentorum.

§ 45.

1. Sub vocabulo « *Defensio* » de quo in can. 26, § 1, comprehenduntur tam *scriptura,* quam *summarium,* quae *semper typis edenda sunt,* can. 26, § 1, 2. *(Lex propria).*

2. Summarii documenta debent esse postillis munita et in indicem distributa, relata paginarum numeratione.

3. In fronte scripturae dubia semper referenda sunt.

§ 46.

Defensionis distributio fit:

1. In termino triginta dierum ante causae discussionem.

2. Duplici exemplari singulis iudicibus (triplici autem exemplari iis iudicibus quorum studio addictus sit iuvenis *a secretis),* nec non Promotori iustitiae et Defensori vinculi in causis, in quibus respective intersunt, et uno exemplari iudicum Adiutoribus a studiis.

3. Unum exemplar transmittetur parti aut partibus interesse habentibus, nec non Notariis et officialibus cancellariae tribunalis addictis>

§ 47.

1. In causis non criminalibus, Promotori iustitiae defensiones exhibeantur, saltem decem dies, vinculi autem Defensori viginti dies ante terminum statutum pro distributione defensionum.

2. Hi tenentur exhibere in dictis causis suas defensiones et responsiones, ad minus, vigesimo die ante causae discussionem.

§ 48.

Scripturarum distributio et permutatio locum habet in aulis *tribunalis, coram Notario,* qui super exemplari, in actis asservando, fidem faciet in margine, de observantia enunciatarum praescriptionum. Ad eumdem spectat, opera apparitoris ad Auditores iudicantes, eorumque Adiutores a studiis, nec non ad Promotorem iustitiae et vinculi Defensorem (si hi in causa interveniant) transmittere exemplaria ad ipsos pertinentia.

§ 49.

Responsiones intra terminum viginti dierum post distributionem defensionis, et saltem decem dies ante discussionem causae, exhibebuntur tribunali, modo superius indicate, una cum novis, si quae deducenda sint, documentis, can. 27, § 1 *(Lex propria).*

§ 50.

1. Si responsioni unius partis, praesertim ob novorum documentorum allegationem, alteri parti videatur necessarium opponere replicationem, haec permittetur a Ponente, etiam vi can. 27, § 3 *(Lex propria)* assignato termino peremptorio pro exhibitione huius responsionis. Sicut *replicatio,* ita absolute vetita non est *triplicatio,* etc, iuxta iuris regulas, cauto tamen, ne in hoc lateat fraus eludendi continuatis dilationibus iustitiam.

2. In quolibet casu, etiam ab ultima responsione et scripturarum aut documentorum exhibitione, debent decurrere decem dies ante discussionem et causae definitionem, firmo praescripto § 55; relativa autem decreta parti adversae notificentur.

§ 51.

Elapsa ultima dilatione, concessa pro responsionibus et documentorum exhibitione, censetur *conclusum in causa,* nec amplius possunt partes ulteriora documenta aut scripturas producere (can. 27, § 2, *Lex propria).*

§ 52.

1. Urgente tamen gravissima ratione, Ponens, *mediante decreto,* poterit ulteriora documenta admittere, clausa quoque supradicta periodo instructoria, aut paulo antequam habeatur audientia turni pro decisione causae, dummodo pars interesse habens apte probet, se *ad ultimum* eadem reperisse documenta (can. 27, § 3, *Lex propria).*

2. Decretum, quod hanc exhibitionem documentorum admittit, ad normam § 50, notum fiet parti adversae, eidem concesso congruo tempore pro responsione, sub poena *-absolutae nullitatis* iudicii, etiamsi pars iuri notificationis renunciet (can. 27, § 3, *Lex propria).*

§ 53.

Formulae relativae sequentes esse possunt:

1. (Indicatio diei et causae tituli uti prostat in positione) *NN., ut probatur ex unitis allegationibus et attestationibus, nonnisi ad ultimum reperit nova documenta quae exhibet; ideo instat ut admittantur, iuxta canonem 27, n. 3 (Lex propria)* (Subscriptio) ».

2. Supra dictam instantiam, quae, sicut quaevis alia, debet in charta rotali bullata exarari, Ponens, nisi eam reiecerit per verba: *Nihil,* vel *Negative,* vel *Non expedire,* admissionem rescribit, decreto sequenti:

« (Indicatio causae tituli et diei) *Ponens, attenta instantia NN. uti supra, porrecta, attentis rerum adiunctis unde probatur nonnisi ad ultimum documenta, quae simul exhibet, fuisse reperta, haec eadem documenta admitti in iudicium permittit, congruo termino... dierum concesso, ut super iisdem respondere possit pars adversa. Ideoque mandavit notificari...*

(NN. Ponens) ».

3. Si fiat instantia ad obtinendam *replicationem,* in eadem notandum erit, quaenam sint *documenta* aut *probationes,* quae ulteriorem declarationem requirunt.

4. Decretum fit a Ponente super eodem libello petitionis, exarato in charta rotali bullata, in actis asservando; notificatio autem fit per exemplar transcriptum, et a Notario subscriptum, pariter in charta bullata.

5. Edito decreto, positio ad officialem protocollo addictum transmittitur, adiecto rescripto: « *Uniatur fasciculo actorum et notificetur* ».

§ 54.

Ponentis est respuere omnia documenta et petitiones, quae praeseferunt tantummodo indolem *moratoriam* aut *aemulatoriam,* can. 27, § 4 *(Lex propria).*

§ 55.

1. Termini ut supra constituti ad instantiam partium aut *ex officio,* a Ponente prorogari possunt; decreta autem seu rescripta exinde edita partibus notificanda sunt.

2. Ponens coarctationem terminorum inducere curabit, quando id opportunum ducat, attentis tum adiunctis causae, tum eius natura; sed, absque partium consensu, nequit coarctare terminos iure nostro concessos (can. 28, *Lex propria).*

§ 56.

1. Advocatus aut procurator, qui vult obtinere dilationem termini designati pro exhibitione defensionum, debet, decem dies ante praedictum terminum, a Ponente expetere, ut discussio causae differatur.

2. Si, statuto tempore, quin prorogationem obtinuerit, defensionem non exhibeat, decem libellis mulctabitur, arcae tribunalis solvendis, et appositum decretum in loco affixionum publicabitur, a Ponente subscriptum. In casu repetitae transgressionis muleta in duplum augetur, et transgressor, arbitrio Ponentis, deferri potest ad collegium disciplinae pro iusta animadversione.

3. Ponens, utraque parte consentiente, concedere valet terminorum coarctationem; horum vero dilationem ad instantiam quoque unius partis, audita adversa parte. Haec si legitimis de causis se opponat, et altera statutos terminos observare renuat, Ponens, reiecta dilationis petitione, decernere potest causam discutiendam esse in contumacia, notificato tali decreto parti inobedienti, cum assignatione congrui termini, ut valeat se defendere.

4. Quando pars procuratorem non habet, Ponens illam de assignatis terminis observandis admonebit.

§ 57.

Pro regula habeatur, scripturas defensionis excedere non debere viginti paginas formae typographicae ordinariae folii romani; responsiones, decem paginas (can. 29, § 1, *Lex propria).*

§ 58.

1. Ponens, ad petitionem partis interesse habentis, quae probet legitimam adesse causam hos limites praetergrediendi *per rescriptum* determinabit ulteriorem paginarum numerum, quem concedendum iudicat, (can. 29, § 2, *Lex propria).*

2. Hoc decretum alteri parti erit notificandum, quae uti potest eadem facultate intra terminos alteri parti assignatos.

3. Advocatus aut procurator qui numerum paginarum praescriptum aut indultum superet, sciat, se obnoxium esse poenis ad normam can. 46 *(Lex propria),* et § 80, n. 2.

§ 59.

1. Instantia ab advocato aut a procuratore debet latine exarari in charta rotali bullata, hoc modo:

« (Indicatio tituli causae et diei) *N. N. instat ut, attenta causae gravitate, limites constitutos viginti paginarum possit excedere. NN.* ». Ad calcem petitionis Ponens aut negat gratiam rescribens: *Non expedire,* aut *Nihil,* vel concedit sequenti rescripto: (Indicatio diei). *Liceat iuxta petita usque ad... paginas; idque notificetur alteri parti ut haec utatur iure suo. NN. Ponens* ». Petitio autem remittetur officiali protocollo addicto, ut eam notificari curet parti adversae.

2. Ponens concedere valet, ut excedatur concessa mensura paginarum usque ad tria folia pro defensione, et folium unum pro responsionibus. Amplior concessio dumtaxat a turno indulgeri potest.

3. Facultas obtenta notabitur in defensionis scriptura his verbis: *De licentia, sub die...* ». Pars adversa quae utitur privilegio suo contradictori concesso, adnotabit: « *Vi licentiae alteri parti concessae ».*

§ 60.

Vetantur omnimode defensiones aut responsiones *ex gratia legendae.* De quibus non modo nulla habebitur ratio, sed advocatus aut procurator, qui eas exhibeat atque subscribat, et sit recidivus, ad collegium disciplinae deferetur, firmo praescripto § 80, n. 2.

§ 61.

1. Exemplar tum defensionis, tum responsionis a partibus aut ab earum procuratoribus, etsi tantum adsistentis aut consultoris operam praebentibus (can. 18, § 3) exhibendum est Ponenti vel studii Adiutori, ut *imprimendi* facultas impetretur (can. 29, § 3 *Lex propria).*

2. Ad hoc, scripturae ab advocatis et procuratoribus exhibendae sunt saltem tres dies ante earum distributionem, si de *defensionibus* agatur; saltem duo, si de *responsionibus.*

3. Hac lege comprehenduntur quoque *Summaria.*

4. Qui has praescriptiones transgreditur, etiamsi gratuito fungatur patrocinio, quinque libellis mulctabitur.

§ 62.

1. Tam defensiones, quam responsiones ab advocatis aut a procuratoribus semper latine exarandae sunt.

2. Si partes per se ipsae etiam cum adsistente advocato defen-

sionem suam suscipiant, uti possunt in defensionis et responsionis scriptura lingua italica aut gallica. - In quolibet tamen casu, unica semper esse debet defensionis et responsionis scriptura, hoc est aut partis aut eius patroni, nunquam vero duplex, id est utriusque (can. 18, §§ 5, 6, *Lex propria).*

§ 63.

1. Si quaestio aut dubium exoriatur, utrum in summariis integre et fideliter referantur documenta, aut in genere utrum exemplaria sint fideliter transcripta, pars interesse habens petitionem Ponenti porriget, ut istorum documentorum a Notario collatio fiat. Notarius, accepto Ponentis rescripto quod recognitionem praescribit, ad collationem procedet et referet de recognitionis exitu, fidem faciens, an documenta sint fideliter in summario relata necne. Haec collatio etiam *ex officio* exigi potest. Rescriptum quo collatio decernitur, et Notarii attestatio de collatione peracta ad *instantiam* partis, alteri parti, si vero *ex officio,* utrique parti, erunt notificanda.

2. Decretum collationem praescribens est sequens: *«Mandat ut instante N.N., fiat collatio documentorum a Notario* ». Attestationis formula: « *Facta collatione documentorum productorum* (vel *scripturarum originalium) cum exemplaribus, testor infrascriptus, mihi constare de fidelitate exemplarium cum suis originalibus. NN. Notarius ».*

§ 64.

Defensiones et summaria praelo committantur apud aliquam ex typographus a S. Rotae Collegio probatis (can. 29, § 4, *Lex propria).*

§ 65.

Quando pars contumax, eousque in contumacia persistens, petit ut audientia differatur, nullum ius habet, ut sibi contraria acta aut defensio notificentur. *Memoriale* autem quo eadem pars, vel dilationem petat vel aliud promoveat incidens quo causae definitio, quoad meritum, suspendatur, debet alteri, parti communicari, ut haec possit respondere, firmo praescripto § 29.

§ 66.

1. Quamvis in decreto concordationis dubiorum aut in alio Ponentis decreto iam statuta sit audientiae dies pro causae propositione, erit nihilominus in facultate Ponentis discussionem differre ad aliam audientiam; idque sive ad partium *instantiam,* sive *ex officio.*

2. Si partes in dilatione conveniant, certiorem de hac re Ponentem reddunt, qui si non renuat, novam audientiam determinat, rescribendo in ipso libello in quo partes suam conventionem manifestant: « *Obtinuit et de consensu partium destinavit...* ». Quod si partes non consentiant, ea, quae dilationem invocat, supplicem libellum Ponenti exhibet, ut aliam partem citet *ad videndum destinari aliam turni rotalis audientiam* seu *alium turnum.* Ponens, si opportunum ducat, audita altera parte, petitam dilationem concedere, sequens dat decretum: « *Obtinuit et destinavit turnum rotalem diei... et notificetur* ». Aliter ita negat: « *Utatur iure suo in die propositionis causae super merito, idque notificetur* ». Hoc in casu pars quae insistit pro dilatione, instantiam seu *memoriale* exhibet turno, qui huius petitionis rationem habebit die causae propositioni assignata.

3. Quum decisio super petita dilatione differtur *ad diem propositionis causae super merito,* firmi remanent termini statuti pro defensionum et responsionum distributione.

4. *Memoriale* pro dilatione debet distribui saltem sex dies ante propositionem causae, et parti adversae erit notificandum, ut si velit, respondere valeat, exhibendo memoriale responsionis saltem triduo ante propositionem causae. - Neque aliud admittitur memoriale responsionis; salvo tamen iure habendi discussionem oralem ad normam §§ 67 seq.

5. Si ob aliquam non praevisam causam, ad ultimum et paulo ante propositionem causae petatur ut velit turnus causae decisionem differre, memoriale turno exhibitum pro dilatione, debet alteri parti notificari; secus nihili faciendum est.

§ 67.

1. Ad probationes et documenta exhibita explananda atque ad contrarias resolvendas difficultates, vetita est quae dicitur, *informatio oralis,* pro defensionibus et allegationibus iam exhibitis explicandis ; permittitur autem moderata disputatio oralis coram Praelatis Auditoribus in turni audientiam congregatis.

2. Discussio formam oratoriam non assumet, sed eo spectabit, ut aliquod speciale quaestionis punctum explicetur.

§ 68.

Supradictae disputationi locus erit, si alterutra vel utraque pars eam postulet, et Ponens annuendum esse putet, aut tribunal *ex officio* eandem haberi iubeat (can. 30, *Lex propria).*

§ 69.

Tempus utile ad illam petendam atque concedendam est (can. 30, 1), periodus decem dierum vel alia brevior dilatio, quae decurrit ab ultima responsionum distributione, usque ad audientiam pro decisione indictam.

§ 70.

Si partes nova repererint documenta, aut aliquid habeant magni momenti, ad iudicum notitiam deducendum, id *in scriptis* fieri debet, non vero inter disputandum, siquidem in disputatione tantummodo probationes aut exceptiones iam adductae illustrandae erunt.

§ 71.

1. De iis quae in discussione orali disceptata sunt, responsiones aut replicationes typis aut scriptis edere minime licet; si vero discussio sufficienter in una sessione non explicetur, fas erit tribunali aliam sessionem statuere.

2. Aeque poterunt singuli iudices dum disceptatur exigere, ut unum aut aliud controversiae caput declaretur ad dirimenda dubia e discussione exorta.

3. Tantummodo exceptionis gratia, si e discussione appareat controversiam nondum esse decisioni maturam, tribunal potest rescribere: *« Partes contendentes vel advocati seu procuratores* (si constituti sint) *scribant ad ulterius declaranda iura controversa ».*

4. Id nonnisi per exceptionem fiat; siquidem tribunal ad oralem discussionem admittere non debet causam, quam ad decisionem sufficienter instructam non agnoverit. Hoc notum fiet partibus; rescripti petitionem reiicientis formula haec erit: « *non esse locum disputationi orali, sed antea corroborentur probationes ».*

§ 72.

1. Rescriptum quod denegat aut oralem discussionem admittit, eidemque certas normas dictat, si fiat a turno, redigitur et notificatur iussu Ponentis.

°2. Ponens est discussionis moderator, vigilans ut statutae normae plene observentur.

3. In causis criminalibus pro regula habeatur, ut reus vel eius patronus possit novissimus illatas accusationes refellere.

§ 73.

1. Generatim non intererunt discussioni ipsae partes, sed advocati sive procuratores qui eis patrocinantur vel adsistunt. Promotor iustitiae et vinculi Defensor debent causarum discussioni, in quibus respective partem habent, interesse.

2. Tribunal potest invitare peritos ut discussioni adsint, quo plenius suum votum declarent.

3. Attamen si agatur de actore aut reo convento, qui utiliter et cum causae cognitione possit sua defendere iura, et hoc praesertim in re criminali, tribunal permittere potest, ut hi quoque quamvis advocatos habeant, sibi patrocinantes aut adsistentes, ad discutiendum admittantur.

4. Extraneis, seu iis qui nn. 1 et 2 huius § non comprehenduntur, discussioni interesse non permittetur.

§ 74.

1. Partes quae discussionem exquirunt, supplicem libellum in scriptis Ponenti porrigent quo « *instant ut concedatur discussio oralis et destinetur dies...* ». Si Ponens aut tribunal annuat, ita rescribitur: *« Die ... obtinuit et destinavit pro discussione diem... et cum intimatione.* (NN. Ponens) ».

2. Formula est eadem, quando discussio ad instantiam unius partis conceditur, sed tunc additur: « *et mandavit notificari ».* » •

§ 75.

1. Biduo saltem ante discussionem, partes exhibere debent Adiutori Ponentis capita discussionum, breviter enunciatis singulis quaestionis punctis, quae illustrare ipsae partes petunt.

2. Adiutor a studiis Ponentis quaestionis capita partibus, Auditoribus de turno, ipsorumque studii Adiutoribus communicabit; additis quoque die, hora et loco discussioni assignatis, inserendo etiam alias quaestiones, quas forte Auditores turni proponere velint, ut res plenius declaretur (can. 30, § 3, *Lex propria).*

3. Discussio oralis haberi potest eadem die propositionis causae et proxime ante ipsam propositionem, ita ut, absoluta discussione, statim habeatur turnus pro decisione.

§ 76.

Disputationi unus ex Notariis tribunalis assistet ad hoc, ut si aliqua pars postulet, et Auditores consentiant vel aliquis ex ipsis petat, de

disceptatis confessis aut conclusis, adnotationem ad tramitem iuris ex continenti Notarius assumat (can. 30, 5, *Lex propria).*

§ 77.

1. Ut in discussione servetur ordo et iudicibus debitus honor habeatur, tribunal poterit advocatos et procuratores punire, qui ab officio defecerint aut tribunali reverentiam non tribuerint (can. 30, 6, *Lex propria).*

2. Pars quae reverentiam tribunali debitam non praestet, iure privantur ulterius loquendi, et expelli poterit ab aula iudiciali.

3. Contra advocatum vel procuratorem qui talia committat, tribunal potest illico, facti attenta notorietate, decretum suspensionis ad tempus, pro casus gravitate, edere, vel etiam eum deferre ad collegium disciplinae, ut ex albo S. Rotae advocatorum deleatur.

§ 78.

1. Quum fit distributio defensionum, a Ponente singuli Auditores de turno monendi sunt de die pro turni audientia statuta ad causae definitionem. Quoties autem differri debeat, eadem repetitur notificatio. Quod si dilatio praescribatur *ex officio* a tribunali, notetur « *ex decreto sacri tribunalis* ».

2. Officialis tabulario addictus de die turno Rotali assignato ad definitionem causae, per schedulam in cancellaria affixam, monebit partes et omnes interesse habentes.

§ 79.

1. Audientia turni aut collegii differt ab audientia *ponentiae,* in qua a solo Ponente aut ab eius Auditore a studiis rescripta conficiuntur.

2. Audientiae turni aut collegii, in qua proponuntur res non iudiciales, vel quaestiones iudiciales, sed absque dubiis, vetus nomen erit: *Bota memorialium.*

3. Iudicialia tribunalis acta, non ad respondendum partibus recurrentibus aut petentibus edita, quamvis forte ab istis provocata, appellantur *decreta;* si ad instantiam aut recursum partium seu in petitionum responsionem emissa, dicuntur *rescripta;* appellantur denique *sententiae, definitivae* aut *interlocutoriae* seu *incidentales,* si quaestionem definitivam aut incidentalem resolvant.

§ 80.

1. Pro legitima executione actorum iudicialium cuiuslibet speciei, competit singulis quoque Praelatis Auditoribus facultas applicandi regulas coercitivas ad normam *cap. III, sess. 25, De reformatione Concilii Trident.*

2. Ad urgendam observantiam huius Ordinationis possunt moderatae mulctae infligi advocatis aut procuratoribus, qui has leges transgrediuntur, praevia tamen publica comminatione in scriptis facienda. Nefas est, eiusmodi mulctas computari inter expensas a clientibus reficiendas.

TITULUS III.

De incidentibus.

CAPUT I.

DE QUAESTIONUM INCIDENTIUM PROPOSITIONE.

§ 81.

In iudiciali causae processu, qui praecipue coram Ponente explicatur, contingere potest, ut variae ex oriantur controversiae, quae totidem incidentales quaestiones constituant.

§ 82.

1. A decretis a Ponente emissis competit appellatio ad turnum. Quare si utraque aut alterutra pars non acquiescat decreto aut rescripto Ponentis, aut oppositione sua impediat quominus illud emittatur, quaestio per appellationem defertur ad turnum (can. 24, § 3, *Lex propria).*

2. Appellatio intra decem dies interponenda est (can. 4, § 5, *Appendix - Lex propria).*

3. In facultate turni est decernere, ut, non obstante appellatione, Ponentis decretum executioni demandetur.

§ 83.

1. Praedictae regulae fit exceptio in casu quo Ponens executionem provisoriam sententiae aut inhibitionem executionis praescribat; quod decretum aut rescriptum, vigore can. 20 *(Lex propria),* est inappellabile,

salvo tamen iure *recursus* ad turnum a quo cognoscendum erit, utrum Ponens suas partes transgressus sit.

2. Hoc autem decretum aut rescriptum debet rationibus tum in iure tum in facto muniri.

§ 84.

A Ponente *provisoria* executio praecipietur, quoties id conforme sit iuri communi, et praesertim quum agitur de remediis provisionalibus, de cautionibus aut de iudiciis possessores aliisque, quae alimenta aut mercedes respiciunt.

§ 85.

1. Ponentis est in favorem litigantium eas cautiones aut fideiussiones praescribere, quae opportunae videbuntur:

a) vel ad rem litigiosam conservandam durante appellationis iudicio, quando executioni provisoriae non detur locus,

b) vel ad cavendum parti, cuius interest de restitutione rerum aut summarum pecuniae, quae debentur, quoties sive sententia executioni provisorio modo demandata sit, sive sententia, praevia petitione restitutionis in integrum seu querela nullitatis, revocata fuerit aut nulla declarata,

c) vel ad consequendam, uti par est, decisionis executionem, quam tribunal iuxta diversas actiones forte erit editurum in iudiciis possessores aliisque, quae ad alimenta aut mercedes spectant.

2. Cautio executione facilis, praeter fideiussionem personae solvendo idoneae, est depositum iudiciale in favorem litigantis, contra quem praecipitur executio provisoria, vel cui eadem concessa non fuit.

3. Ponens executionem provisoriam iniungens « *mandat, attentis... ut sententia interim, seu antequam res iudicata habeatur, executioni demandetur, sed sub cautione vel fideiussoria vel depositi iudiciarii praestanda a Caio, cuius favore, sententia executionem obtinet, ut si executio revocari debeat, Titio... res integra restituatur vel summa ex integro solvatur* ». Si e contra inhibitoriam decernat, « *prohibet quominus sententia, quamvis in rem iudicatam transierit, executioni demandetur, attentis... tamen vult, ut cautio detur ab eo, cuius favore decernitur inhibitio, iudicatum solvendi aut praestandi, quando executio decernetur* ».

CAPUT II.

DE INCIDENTIBUS VEL PER MEMORIALE VEL PER DUBIA PROPONENDA.

§ 86.

Incidentia quae, praevio Ponentis, aut turni decreto seu rescripto, ad turni decisionem remittuntur, differant ex modo quo proponi possunt, scilicet:

1° per *memoriale* et absque dubiis,

2° aut cum dubiorum propositione.

§ 87.

1. Est quaestio incidentalis per *memoriale seu per supplicem libellum* proposita, et absque dubiis, discordia partium in formula dubiorum, et tunc Ponens conficit rescriptum super ipso libello: « *Die... remisit instantiam ad turnum, et mandavit proponi per memoriale in turno diei... idque notificetur* ».

2. In rescripto quo mandatur, quaestionem incidentem proponi *per memoriale* destinari debet dies pro memorialium distributione, quae facienda est in Cancellaria ad normam § 48, firma praescriptione § 66, n. 4.

3. Si ponens *memoriale* quoque *responsionis* admittat, in rescripto destinabit diem pro *responsionum* distributione, salvo iure habendi discussionem oralem ad normam §§ 67 seq. et firma praescriptione § 66, n. 4.

4. Qui assignatos terminos non servet quinque libellis mulctabitur.

§ 88.

1. Tribunal respondens *memoriali,* dat *rescriptum,* in quo decidendi rationes utiliter, sed non necessario, seu non ad validitatem, significandae sunt, quodque inappellabile est.

2. Partes petere non possunt ut quaestio proposita *per memoriale,* et in turno per *rescriptum* definita, iterum proponatur *per dubia.*

§ 89.

Quaestiones incidentales minoris momenti, scilicet eae generatim, quarum solutio, magis quam a responsione alicui quaestioni *facti* aut *iuris* danda, pendet ab aequitate et prudentia Iudicum, veluti dubiorum

concordatio, designatio diei pro audientia, dilationis concessio, peritorum electio in casu discordiae inter partes et determinatio formulae iurisiurandi a partibus praestandi ad aliquod factum probandum, aliaeque similes controversiae, iuxta aequam Ponentis aestimationem, proponuntur turno per *memoriale,* absque dubiis cum formula supradicti rescripti.

§ 90.

1. Quaestionibus, quae *cum dubiis* proponuntur, turnus respondet per decisiones, in quibus decidendi rationes *in facto et in iure* adducuntur, prouti fit in sententiis definitivis.

2. Hae decisiones dicuntur sententiae *incidentales* seu *interlocutoriam*

§ 91.

1. Si alterutra vel utraque pars oppositionem faciat, quominus quaestio *per memoriale* proponatur et *absque dubiis,* Ponens qui propositionem *per memoriale* fieri decrevit et, non obstante partium contradictione, a suo decreto recedere non intendit, rescribit: « *Utatur* (vel *utantur) iure suo per memoriale in turno diei...* ».

2. Vi huius rescripti, turnus, cui controversia incidentalis decernenda est, debet antea iudicium ferre super instantia, scilicet an locus fieri debeat propositioni dubiorum : si id concedatur, fit per rescriptum : « *Obtinuit et DD. PP. mandarunt, ut coram D. Ponente concordarentur dubia, servatis servandis, idque notificetur* ».

3. Si dubiorum propositio reiiciatur, fit rescriptum quod una simul ita definire valet quaestionem incidentem si haec in partium *memorialibus* sit satis explicata : « *DD. PP. attentis* (et hic breviter significantur rationes reiectionis) *censuerunt non esse locum concordationi dubiorum, sed mandarunt, ut ex. gr. periti eligantur, vel testis audiatur, et in peritos eligantur Titius et Gaius, vel uti testes audiantur Titius et Gaius, servatis servandis, idque notificetur* ». Si quaestio incidentalis in suo merito definiri non valeat, tunc redditur rescriptum : « *DD. PP. attentis... censuerunt non esse locum concordationi dubiorum, sed mandarunt quaestionem proponi per memoriale in turno diei...* ».

§ 92.

1. *Memoriale,* quo solutio alicuius quaestionis petitur a turno, potest etiam exhiberi, non *typis editum,* sed clare et concinne manuscriptum ; debet autem alteri parti notificari in cancellaria tribunalis *coram Notario^* qui id debet adnotare in exemplari, in actis asservando.

2. Pars adversa non prohibetur, quominus eodem modo memoriale responsionis exhibeat, quod pariter notificandum est.

3. Turnus, statuta die, si quaestionem iam bene instructam esse censeat, eam definit *per rescriptum:* secus *dilationem* concedit, sive ad *partium instantiam,* sive *ex officio.*

§ 93.

Quum quaestio incidentalis *cum dubiis* proponitur, scripturae aut defensiones *typis edendae* sunt, et inter partes communicentur, servatis terminis et modis, uti praescribitur in can. 26 et 27 *(Lex propria)* ; et in §§ 45 sq.

§ 94.

1. Possunt iudices, quando id opportunum duxerint, concedere partibus, ut discussionem oralem habeant etiam in quaestionibus incidentalibus, per *memoriale* tantum propositis.

2. In incidentibus, in quibus partes discordant, de formula dubiorum, aut de diei designatone pro causae propositione, aut de opportunitate et aequitate petitae dilationis, aut de acceptatione alicuius periti prae alio, ut alicuius determinatae probationis prae alia, aut in similibus quaestionibus, discussio oralis valde utilis esse potest, etiam ad celerius definiendas quaestiones, quae generatim difficultate obiectiva carent.

3. In incidentibus *cum dubiis* discutiendis, permittitur partibus *discussio oralis* iuxta praedictas normas.

4. Discussio oralis, si concedatur, debet ordinariis normis conformari, exceptis causis *per memoriale* propositis, relate ad tempus, quo ista concedi debet, cum possit illico admitti, postquam partes exhibuerint *memorialia,* quin responsiones expectentur, aut etiam si una pars exhibuerit memoriale, et altera huius exhibitioni renunciaverit per declarationem *scriptis* datam.

5. Attamen post oralem discussionem nec aliud memoriale nec responsio in scriptis data admittetur.

§ 95.

1. Sententiae incidentales, illis haud exceptis quae vim definitivae habere dicuntur, non admittunt appellationem, et ne recursum quidem ad alium turnum; possunt tamen appellari apud turnum qui sententiam protulit.

2. Obiectum huius appellationis est, sententiae incidentalis expetere revocationem; turnus autem eiusmodi petitionem admittet aut reiiciet

vel per aliam incidentalem sententiam ante definitivam vel in ipsa definitiva sententia.

3. Reiectio est simplex et fit per rescriptum « *in decisis* ». Admissio autem revocationis niti debet potissimum super novis deductionibus; et hae rationes breviter exponi debent in sententia revocationis. Quum autem responsio circa petitionem revocationis ad definitivam sententiam remittitur, fit per consuetum rescriptum: « *Habebitur ratio in die propositionis causae super merito* ».

§ 96.

Rescriptorum aut decretorum executio, quae super incidentales quaestiones a turno prolata sunt, committitur Ponenti, coram quo pars diligentior citat : « *exequi rescriptum* ex. gr. *circa deputationem peritorum* ». Super *libello* decretum fit a Ponente : « *Obtinuit et deputavit in peritum D. N. N. ad formam rescripti S. Ordinis* ».

§ 97.

1. Si a Ponente admittatur *interventus,* aut *voluntarius* scilicet ad instantiam tertiae personae, hactenus iudicio extraneae, exquirentis ut ad iudicium admittatur; aut *necessarius* id est praescriptos, sive *ex officio,* sive *ad instantiam partium litigantium,* oppositiones adversus haec decreta Ponentis, remittuntur ad turnum, *per memoriale, citatis partibus.*

2. In causis cuiuslibet naturae, quando Ponens iudicet alicuius *interventum ex officio* exquirendum esse, rem denuntiat Promotori iustitiae, qui si id iustum reputaverit, petitionem conficit, et Ponens edit consuetum rescriptum: *Obtinuit etc.* Quod si adversa pars contradicat, quaestio a Ponente ad turnum remittitur eadem rescripti formula.

3. Si hac de re controversia sit inter Ponentem et Promotorem contradicentem intentioni Ponentis, quaestio ad turnum defertur.

4. A Ponente, a turno aut a Iudice Instructore vocari potest Promotor Iustitiae, ut in causam interveniat.

§ 98.

1. Ponens, quin ad turnum recurrat, facultate pollet statuendi, *ut lite pendente nihil innovetur,* et res in pristinum redigendi adversus *attentata,* nec non iniungendi *sequestrationem* rerum controversarum, sive mobilium, sive immobilium, quatenus id necessarium sit ad integrum et tutum servandum obiectum controversiae usque ad sententiae executionem, firmo tamen praescripto § 83.

2. Controversiae incidentales, quae super his possunt exoriri, remittuntur ad turnum, firmo praescripto § 83.

Quaestiones incidentes in gradu appellationis apud S. Rotam promotae, seu in primo gradu non definitae, definiri possunt ab H. S. Ordine, si connexionem cum causa principali habeant, quae in prima instantia definita sit: hoc ad normam can. 14, § 2 *(Lex propria).*

§ 100.

1. Petitiones incidentales exhiberi debent Ponenti, *supplici libello,* quo breviter explicabuntur rationes et probationes, quibus istae sustineri videntur.

2. Ponens, nisi necessarium ducat petitionem illico reiicere, rescribit: « *notificetur parti adversae* », designans terminum, intra quem responsio detur seu « *an ipsa annuere aut contradicere intendat petitioni adversae partis* ».

TITULUS IV.

De processus instructione.

CAPUT I.

DE OFFICIO AUDITORIS CUI PROCESSUS INSTRUCTIO COMMITTITUR.

§ 101.

1. Decretum quo a Rmo Decano committitur Auditori, ad normam canonis 22, § 2 *(Lex propria),* processus instructio, notificari debet partibus contendentibus, ut possint, si quid habeant, contra ipsum decretum excipere. Proinde decretum a Decano remittitur Ponenti, cum hoc rescripto: « *Uniatur fasciculo actorum, idque notificetur* ».

2. In causis criminalibus, quae secreto tractandae sunt, et in aliis non minoris momenti, sive instante vel Promotore iustitiae vel Defensore vinculi, in causis ipsis respective propriis, sive *ex officio,* turnus praescribere valet, ut processus instructio secreta maneat quousque non absolvatur.

§ 102.

1. Ponens aut alius Auditor turni iudicantis non potest simul esse causae Instructor, sed hoc officium a Decano debet demandari alicui Auditori alterius turni.

2. Quoties autem ipse turnus edat rescriptum: « *Compleantur acta seu probationes, iuxta instructionem dandam a Promotore iustitiae aut a Defensore vinculi* » - vel ipse turnus praescribat limites et modum peragendae instructionis, et instructio perfici debeat a Curia dioecesana, non constituitur iudex Instructor ad normam num. praecedentis, sed idem Ponens ad Curiam transmittit, per litteras rogatorias a se signatas et a Notario uti in § 15, n. 1, mandatum instruendi processum, iuxta instructionem litteris adnectendam.

3. Litterae ita concipi debent a Ponente : Praemisso tenore decreti instructionem praescribentis, Ponens remittit textum instructionis vel a turno, vel a Promotore iustitiae vel a Defensore vinculi concinnatae; et una simul dat Ordinario facultates opportunas, et necessarias, ut iudex Instructor constituatur etiam cum potestate subdelegandi ad effectum explendae commissae instructionis, servatis de iure servandis, praevia constitutione Defensoris vinculi in causis matrimonialibus ad tramites Const. *Dei miseratione;* in causis autem criminalibus, Promotoris iustitiae. - Dein expetitur a Curia ut absoluta instructione, acta authographa remittantur, commendata, si fieri possit, apud officium tabellariorum. Ponens aut turnus sibi reservat, ordinario, processus publicationem, firmo tamen quoad attestationes praescripto § 115, ad normam iuris communis.

4. In eamdem formam, *congrua congruis referendo* (uti in § 111) concipiuntur litterae *rogatoriae* ab Auditore Instructore, si instructio integra vel ex parte, in Curia dioecesana perficienda sit. Scilicet, praemisso decreto quo ipse Instructor constitutus fuit, dein normas dictat iuxta quas instructio peragenda est.

§ 103.

1. In causis ad S. Rotam per legitimam appellationem delatis, processus instructio absolvitur potestate ordinaria H. S. Tribunalis, in causis vero quae per *commissionem* deferuntur, ex facultate quae promanat ab ipso rescripto commissionis.

°2. In utroque casu, notificato partibus decreto Rmi Decani, quod exinde inter easdem partes efficitur iudiciale, haud innuitur in subsequentibus decretis, quod Iudex instructor procedit *ex facultate ordinaria,* aut *ex commissione,* sed in subscriptione indicatur tantum qualitas *Instructoris.*

§ 104.

1. In decreto quo committitur Auditori instructio processus, tum obiectum tum instrue* \onis capita breviter declaranda sunt, eaque in

mandato praesumuntur concessa, etsi in decreto non exprimantur, quae cum principali negotio intime connectuntur.

2. Hinc semper valida censenda sunt acta posita a Iudice Instructore, dummodo inserviant ad veritatem detegendam. Quod si "excipiatur, huiusmodi acta nullimode esse connexa cum negotio principali in rescripto commissionis expresso et hinc non sustineri, de hac exceptione cognoscit turnus.

3. Integrum est partibus interesse habentibus, curare ut quam citius et plene instructio absolvatur, et ad hoc petitiones, si opus fuerit, porrigere Instructori; quae, si ab ipso reiectae fuerint, ad turnum deferri possunt.

§105.

1. Iudice instructore constituto, Ponens tamen illos actus explere valet, qui nec ad instructionem pertinent, nec eidem praeiudicant.

2. Si partes coram turno excipiant contra aliquem actum a Ponente positum quasi hic exinde munus usurpaverit munus Iudicis Instructoris acta huiusmodi non censentur nulla, nisi id a turno decernatur.

§ 106.

1. Instructio versatur circa probationes *constituendas,* scilicet vel per testes, vel per peritos, vel per iuramenta partibus delata, aut interrogationes eisdem propositas.

% Quoad probationes iam *constitutas,* ipse Ponens vel *ex officio,* vel ad instantiam partium iubet, ut apposita acta et documenta exhibeantur et fasciculo actorum uniantur.

3. Quum ad probationes obtinendas deputandus sit iudex *extra Curiam,* hoc fit per litteras *rogatorias seu remissorias.*

4. Si pars probaverit, se ius habere ut documenta vel acta quaedam exhibeantur, eaque ab officiali publico aut ab aliis possessoribus denegentur, tunc iudex qui istos cogere debet ad tradenda requisita documenta, delegatur per litteras *compulsorias.*

§ 107.

Instructio pro obtinenda aliqua probatione, praescribi potest vel *ex officio* vel ad instantiam partium, vel conficienda mandatur implicite seu explicite in rescripto commissionis pontificiae, quo delegatur definitio causae ex toto vel ex parte instruendae.

§ 108.

1. Si agatur de causa criminali, Instructori adsistere debet Promotor iustitiae, cui et rescriptum quo committitur instructio, et relativa documenta communicanda sunt, ut interrogatoria partibus et testibus proponenda, exceptas responsiones et quamcumque aliam probationis speciem examinet, et exinde exquirere valeat ulteriores inquisitiones, quas opportunas censeat ad veritatem detegendam.

2. In aliis vero causis, quae ad bonum et ordinem publicum spectant, Instructoris erit exquirere Promotoris interventum, si opportunum ducat.

3. Verum remittitur arbitrio Instructoris in singulis casibus statuere modum et limites huius interventus Promotoris iustitiae, qui nec absolute seu non ad *validitatem* in hisce causis, de quibus in n. 2, est necessarius, nec requiritur ut exprimatur in actis instructionis.

4. In causis vero respicientibus vinculum matrimonii aut validitatem professionis religiosae aut sacrae Ordinationis, requiritur interventus Defensoris vinculi ad normam Constitutionum « *Bei miseratione* » et « *Si datam* ».

§ 109.

1. Personis accusatis aut inquisitis ob crimina, interrogatoria proponuntur, non delato iuramento.

2. Instructoris erit in accusationibus criminalibus adsignare accusato defensorem, qui illi adsit etiam in periodo instructionis, si proprium advocatum non habeat, nec per seipsum valeat suae defensioni sufficienter consulere.

§ no.

Si partes aut testes interrogandi et examinandi, non sint praesentes \n Curia, nec facile ad eam accedere queant, vel peritia extra Urbem explenda sit, instructio perficitur a iudicibus delegatis *extra Curiam,* quibus *litterae rogatoriae* remittuntur.

§ HI-

1. Iudex eligitur generatim ab Auditore Instructore ad instantiam partis diligentioris edito consueto rescripto: « *Obtinuit et infrascriptus S. B. Rotae Auditor, in hac causa iudex Instructor delegavit... iuxta litteras rogatorias, quarum remittetur exemplar, cum facultatibus necessariis et opportunis, non exclusa potestate subdelegandi,* etc. », ad normam

§ 102. - In causis vero criminalibus, et in aliis, prouti casus ferat, eligitur *ex officio.*

2. Quando iudex eligitur vel ad instantiam Promotoris iustitiae vel *ex officio,* decretum quo remittuntur litterae rogatoriae, redigitur tantummodo sub nomine Instructoris, seu: « *Infrascriptus S. R. Rotae Auditor etc. Dno N. N.... in ecclesiastica dignitate constituto munus committit iuxta litteras rogatorias...* ». Decretum seu rescriptum ac litterae rogatoriae ita subscribuntur ab Instructore: « *S. R. Rotae Auditor et in causa iudex Instructor.»:* adiicitur subscriptio Notarii et sigillum cancellariae.

§ 112.

A decretis et rescriptis iudicis Instructoris datur appellatio ad turnum, a quo causa, intructioni obnoxia, iudicanda est.

§ H3.

In cognoscendis causis matrimonialibus, quae in locis missionum instructae sunt, etsi observatae non fuerint normae et regulae praescriptae in Instructionibus a S. Sede ad hoc datis, dummodo tamen satis constet de factis controversis et observatae sint formae substantiales iudicii, nec opera defuerit Defensoris vinculi, deveniri potest ad sententiam definitivam.

CAPUT II.

DE TESTIBUS.

§ 114.

Quoad probationem *per testes* hae regulae observandae sunt:

1. Ad personas testium quod attinet non habentur absolutae inhabilitates. Suspecti vero de periurio audiantur quin ipsis quoad integram attestationem vel pro aliqua parte iuramentum deferatur; ac depositio non iurata valeat saltem uti indicium.

2. Testis generatim emittere debet, antequam interrogetur, iuramentum *de veritate dicenda;* praeterea in causis spiritualibus, quae ad bonum publicum spectant, testes iuramento adstringi possunt ad secretum servandum de propositis interrogationibus datisque responsionibus usque ad publicationem processus. Remittitur iudicis arbitrio, absoluto testis examine, iterum eidem deferre iuramentum *de veritate dictorum,* minime obstante iuramento iam praestito ab initio *de veritate dicenda,* idque quotiescumque postulent gravitas aut adiuncta factae attestationis.

3. Pars necnon Promotor iustitiae ac vinculi Defensor, expetentes probationem per testes, debent proponere, praeter testium examinandorum nomina, etiam articulos seu capita quaestionum.

4. Testis qui non paret citationi, potest puniri ad normam iuris communis.

5. Testes seorsim interrogentur a iudice Instructore, et non a partibus nec a Promotore vel Defensore, si intersint, qui omnes tamen ius habent expostulandi a Iudice ut aliquam ipse proponat interrogationem.

6. Potest permitti partibus aut ipsarum procuratoribus ut adsint testis examini, si agatur de interesse mere patrimoniali aut pecuniario.

7. Adsistet semper unus ex Notariis tribunalis, ut testis responsiones in scriptis redigat.

8. Responsio debet esse oralis non antea scripta, edita ad iudicis interrogationem, quae testis non denunciatur in citatione; in hac enim, pro diversitate casuum, declaratur tantum obiectum genericum requisitae attestationis. Possunt tamen a testibus adhiberi scripta documenta, ut numeri seu calculi ac *datae* in memoriam revocentur.

9. Remittitur prudenti iudicis arbitrio comparationem inter testes instituere.

10. Absoluto examine legitur testi depositio, concessa eidem facultate addendi vel corrigendi, si quid habeat, et deinde subscribitur a Iudice, a Notario et ab ipso teste.

11. Testibus reficiendae sunt expensae itineris et commorationis in loco tribunalis inquirentis.

12. Testium examinibus interesse debet Defensor vinculi quoties id expostulant praescriptiones iuris communis, ad normam § 108, n. 4.

§ 115.

Absoluto omnium testium examine, Iudex Instructor, si partes aut earum procuratores examini non interfuerint, publicat attestationes, praefiniens adversario congruum terminum peremptorium, ut excipere possit contra testes eorumque attestationes, ac etiam ut declaret, an testes ad defensionem producere velit.

§ US-

1. In causis criminalibus vel alias ordinem publicum respicientibus, si haud opportunum videatur publicare testium examen, debent manifestari accusato attestationes accusationis, reticitis testium nominibus, si id exquirat gravis]causa.

2. Potest iudex, si id prudens ac opportunum censeat, tum accusatum tum eius patronum iuramento adstringere *de secreto servando,* ne edantur seu evulgentur contrariae attestationes ac nomina testium.

3. Si testis suam fecerit depositionem sub conditione, ut suum nomen non manifestetur accusato aut eius procuratori, vel quacumque alia de causa, non minoris momenti, haud expediat denunciare nomina testium, et ex alia parte accusatus persistat excipere, attestationes nullius esse valoris, cum non possit contra personas testium sibi ignotas excipere; tunc iudex, si id prudens censeat, eligere potest duas vel tres personas, nullum interesse in ipsa causa habentes et omni exceptione maiores, et quantum fieri potest accusato non suspectas, quibus communicat nomina testium ut iudicent, utrum testes in casu sint fide digni. Ipsarum responsum notificetur accusato, et etiam earum nomina, si id expedire iudex censeat.

§ 117.

Iudex instructor qui *litteris rogatoriis* delegat vel subdelegat iudicem ut perficiat examen testium aut partium contendentium, opportunas dat instructiones, ac etiam, si id utile sibi videatur, articulos quaestionum proponendam!».

§118.

Si testes compareant non requisiti ad faciendum vulgo - *actum de notorietate* - competit causae Ponenti aut Iudici Instructori, si adsit, deputare Notarium ad testes interrogando s, praescriptis normis pro excipiendis attestationibus.

§ H9.

Absoluto processu quoad probationem per testes, pars diligentior partem adversam citat: « *in sequelam habitarum attestationum... destinari, turnum rotalem...* ». Si vero probatio a turno decreta fuerit, additur: *« et in reassumptionem causae destinari...* ». Ponens rescribit: *«Obtinuit et destinavit turnum diei...* ». Et ita quoad alias probationes.

CAPUT III.

DE PERITIS.

§ 120.

Peritos eligere Iudici Instructori competit ad praesentationem partium, si peritiam turnus praescribat, quin sibi peritorum nominationem reservaverit.

§ 121.

1. Si periti non eligantur *ex officio,* pars diligentior citat partem adversam: « *ad exequendum rescriptum S. Ordinis et deputandum peritum* ».

2. Die ad comparendum constituta, utraque pars ius habet prae¬sentandi peritos, quos putat idoneos ac digniores.

3. Iudex vero Instructor peritum vel peritos eligere debet, quos neutra pars rationabiliter uti suspectos Habet.

4. Si linus ex contendentibus persistat in excipienda contra peritos iam electos, ac Instructor, audita etiam alia parte, haud recedendum censeat a facta electione, quaestio ad turnum definienda remittitur, eadem servata procedendi ratione ac pro quaestionibus incidentalibus.

§ 122.

Numerus peritorum, nisi a lege determinetur, a turno, ver a Iudice Instructore singulis in casibus constituetur, habita ratione petitionis partium et naturae quaestionis.

§ 123/

1. In causis respicientibus validitatem matrimonii, Sacrae Ordinationis et professionis religiosae, pro illustrandis quaestionibus quae S. Theologiam attingunt, unus vel plures deputantur periti consultores *ex officio,* seu quin attendantur petitiones aut designationes a partibus factae.

2. Cum deputatur peritus-consultor, debet iudex adsignare in his causis defensorem parti, quae nec defensorem habeat, neque seipsam defendere queat, concesso quoque, si opus fuerit, gratuito patrocinio.

§ 124.

In decreto seu rescripto quo deputantur periti, aperte explicetur, tum obiectum peritiae, allegatis, prout opus fuerit, instructionibus et documentis, tum modus quo periti in scriptis referant de confecta peritia.

§ 125.

1. Haec vero relatio confici potest duplici modo; 1.° ut fiant tot relationes quot sunt periti, exaratae et subscriptae a singulis peritis; 2.° vel unica fiat relatio quae explicat votum m quod maior pars peritorum devenit, indicatis variis opinionibus illorum qui dissentiunt, at

reticitis ipsorum nominibus; relatio communis subscribitur a singulis peritis.

°2. In rescripto quo deputantur periti, debet designati quinam modus ex hisce duobus servandus sit in relatione conficienda.

§ 126.

1. Partes ius habent cognoscendi obiectum peritiae antequam perficiatur, nisi agatur de causa criminali vel etiam de gravi negotio ordinis publici, quibus in casibus expedit partes interesse habentes non certiorare de obiecto peritiae antequam perficiatur, sed eis,communicare tantummodo peritiae exitum seu sententiam peritorum.

2. Partes postquam noverint obiectum peritiae, opportunas animadversiones facere possunt, ac etiam expetere mutationes circa rescriptum deputationis.

3. Fas est partibus opportunas animadversiones oretenus explicare perito in audientia, in qua ipsis manifestatur peritiae perficiendae obiectum et peritus iuramentum praestat.

§ 127. •

Deinde pars diligentior citat; « *ad videndum expediri decretum super deputatione periti, ad eundem informandum et iuramentum a perito praestari...* ». Iudex rescribit: « *Obtinuit, et Dominus ad effectum de quo in precibus destinavit diem... in aedibus* vel *in sede tribunalis* ».

§ 128.

Notarius rogabit actum, qui nedum ab ipso notario subscribetur, sed etiam a iudice et a perito, ac in actis servabitur.

§ 129.

1. Potest iudex non deferre iuramentum perito, praesertim si votum emittere debeat de quaestionibus iuridicis-theologicis, potiusquam de certa quaestione facti.

2. Remittitur tamen prudenti iudicis arbitrio, deferre iuramentum perito etiam cum exhibet cancellariae relationem peritiae praesertim si in ipsa contineantur nova facti adiuncta.

§ 130.

1. In decreto quo deputantur periti, congrua pecuniae summa taxanda est pro expensis peritiae, ac etiam decerni debet a quanam parte sit solvenda.

% Huiusmodi expensae regulariter ab illa parte solvendae sunt, quae peritiam petit, et in cuius utilitatem decernitur.

§ 131.

1. Pro causis nullitatis matrimonii ex capite impotentiae, tum in electione periti, tum in conficienda peritia, servanda est Instructio « *Cum moneat glossa* » quae prodiit e Sacra Congregatione Concilii anno 1840.

2. In casu quo citatae Instructionis regulae non omnes servatae fuerint, competit turno iudicare, utrum salva sit substantia probationis, vel aliquid in peritia omissum supplendum sit.

§ 132.

1. In dilue^ndis exceptionibus propositis contra instrumenta vel acta publica et privata, quoties opus sit probare, an genuina sint necne, si non suppetat probatio per testes, adhibenda est peritia, quae peritis calligraphis, publica auctoritate probatis, si fieri possit, conficienda committitur per collationem scripturarum.

2. Collatio perficitur per examen, quo character scripturae, de quo dubitatur an tribuenda sit certo auctori, confertur cum charactere scripturae procul dubio ad eumdem auctorem pertinentis, quae ob oculos peritorum versatur.

§ 133.

Si quis ex peritis moriatur, non absoluto munere, vel muneri accepto renunciet, vel legitime recusetur, aut dispensetur a munere implendo, alius substituitur peritus vel a Iudice Instructore, vel a turno seu a Ponente, auditis partibus interesse habentibus.

v ; . § 134.

Si factum quod constituit obiectum peritiae, non satis declaratum fuisse iudicibus turni videatur, ipsis integrum erit, ulteriores a peritis exquirere declarationes, necnon praescribere novam peritiam, aliis, etiam *ex officio,* peritis deputatis.

§ 135.

1. Votum peritorum tradetur iudici qui peritiam commisit, cuius erit examinare, an respondeat omnibus praescriptionibus rescripti mandatae peritiae ac, delato iuramento, si expediat, ad normam § 129, n. 2, votum unietur fasciculo actorum.

% Votum denunciatur partibus, per *intimationem,* quae tit vel ad instantiam partis diligentioris, vel *ex officio.*

§ 136.

Iudices non tenentur conformare suum iudicium opinioni peritorum contra propriam persuasionem.

CAPUT IV.

DE P0SITI0NIBU3 ET INTERROGATIONIBUS IUDICIALIBUS.

§ 137.

1. Utrique parti integrum est haurire ex confessione iudiciali partis adversae probationem factorum, quae ad causam spectant.

% Id etiam permittitur in causis criminalibus et generatim in illis omnibus, quae ad bonum publicum spectant, in quibus accusato seu inquisito vel convento, positiones et interrogationes proponuntur a Promotore iustitiae.

3. In causis respicientibus vinculum matrimonii, aut validitatem S. Ordinationis ac professionis religiosae, idem vinculi Defensori competit.

§ 138.

In periodo instructionis fas est partibus petere, ut proponantur positiones et interrogationes ad obtinendam confessionem; sed petitio continere debet singula capita quaestionum super quibus petitur partis adversae responsio.

§ 139.

Petitione admissa est iudicis partem iubere ut interrogationibus respondeat; parte praecepto iudicis non obtemperante, facta habebuntur uti vera et confessa.

§ 140.

1. Iudex petitionem non admittet, nisi haec respiciat facta non mediocris gravitatis et ad causam pertinentia; hinc potest positiones et interrogationes corrigere, eisdemque alias magis opportunas substituet.

°*2.* Positio quoad formam differt ab interrogationibus; ipsa enim exhibet, assertionem facti, et proponitur parti *adversae* ad hoc, ut factum assertum pure et simpliciter admittat vel deneget.

§ 141.

Decretum quo admittuntur positiones et interrogationes, continere debet earumdem textum cum comminatione, quod si pars non respondeat, aut non excuset validis rationibus suum silentium aut suam absentiam, facta uti vera et confessa habeantur.

§ 142.

In causis non criminalibus responsio iuramento firmata sit oportet.

§ 143.

Si pars quae debet interrogari commoretur extra Urbem,- neque possit commode citari ad comparendum, dantur litterae *rogatoriae,* iuxta formam superius constitutam.

§ 144.

Pro recipiendis responsionibus adsistet Notarius, qui eas in scriptis rediget, et deinde leget parti, ut, antequam easdem subscribat, aliquid possit addere vel corrigere, uti dictum est de testibus.

§ 145.

Pars, quae statuta die non comparuit, si in iudicio se sistat, absoluta iam instructione, et ante latam sententiam definitivam, potest, praevio turni decreto, admitti ad respondendum interrogationibus coram Iudice Instructore, dummodo solvat, absque iure repetitionis, quicumque sit exitus causae, expensas propter suam contumaciam factas.

§ 146.

1. Positiones et interrogationes enunciabunt articulos facti super quibus exquiritur probatio ; subscribendae erunt a proponente vel ab eius procuratore, qui habeat speciale mandatum. Sufficit tamen primum mandatum ad *litem,* si contineat expressis verbis vel aequipollenter facultatem proponendi interrogationes.

2. Responsiones ipsa pars oretenus edere debet. Verum si agatur de iudicio non criminali, etiam eius procurator respondere valet, dummodo speciali mandato munitus sit.

3. Pars quae promovit interrogatorium, non potest adsistere responsionibus, nisi Instructor decreverit comparationem inter partes instituere.

4. In causis contentiosis quae privatum bonum respiciunt, comparatio non decernitur, nisi ad instantiam partium, et propositis a parte instante articulis interrogationem; decernitur autem etiam *ex officio* in causis criminalibus, et in aliis ad bonum publicum spectantibus.

5. Iudex potest in hisce postremis causis, etiam dum fit inter partes comparatio, proponere interrogationes *ex officio.*

§ 147.

Pars, promovens interrogatorium « *instat ut Dominus admittat positiones et interrogationes in eadem instantia propositas, et citet adversam partem ut eisdem respondeat, medio iuramento, cum monitorio ut si intra tempus et ad locum ab eodem Domino assignandum suo decreto non obtemperet, ipsa habeatur pro confessa* ... » Iudex Instructor, approbatis vel reformatis positionibus et interrogationibus propositis, rescribit: *« N. N. petiit et obtinuit ut supra et ad eumdem effectum citetur N. N. ad comparendum die ... hora ... in sede ... aut aedibus* ... ». Decretum citationis ita inscribitur: « *Citetur NN. ex adverso principalis ad respondendum die... hora ...in sede ...positionibus et interrogationibus in actis datis, medio iuramento, alias videndum declarari confessum circa facta in articulis contenta ».*

Formula *positionum* haec est:

PRIMO, « *ponitur veritatem hanc esse, quod N. N. ponens mense Iulio solvit adversae parti scutata mille ad satisfaciendum ex integro suae obligationi; et si non veram arbitretur esse hanc summam adversa pars, fateatur quaenam sit vera summa ».*

SECUNDO, « *ponitur quod pars adversa tunc fassa sit coram Titio, sibi ex integro fuisse satisfactum de eo quod usque ad illam diem sibi debebatur ».*

§ 148.

Iudicis Instructoris erit exigere, ut responsiones sint *purae* et *simplices,* ita ut, facta in articulis contenta et ab alia parte allegata, admittantur vel denegentur.

CAPUT V.

DE IURAMENTO DECISORIO, SUPPLETORIO ET AESTIMATORIO IN LITEM.

ART. I. — *De iuramento decisorio.*

§ 149.

1. Iuramentum decisorium est quod una pars alteri defert eum in finem ut ad normam iuratae responsionis lis habeatur decisa, eademque sit *inappellabilis.*

% Iuramentum deferri potest in quocumque stadio et momento litis.

3. Procurator nequit deferre, acceptare aut referre iuramentum, aut iam emissum revocare, nisi mandato speciali instructus sit.

4. Iuramentum deferens formulam proponat oportet.

§ 150.

Iuramentum potest deferri tantum:

1.° iis in quaestionibus de quibus transigi potest, quaeque non sint gravioris momenti, attenta conditione sive illius personae cui defertur, sive illius quae iuramentum defert;

2.° quoties ex una et ex altera parte aliqualis habeatur probatio, seu non plena;

3.° dummodo agatur de mero facto, praesertim si huius notitiam tantum adversarius, utpote collegii aut pii operis moderator aut administrator, habere possit.

§ IBI,

1. Iudex rescriptum edit quo adprobat aut corrigit propositam iuramenti formulam; diem dicit, et locum assignat ad comparendum, cum admonitione « *quod si pars loco et tempore statutis neque iuret, neque se excuset legitime a iuramento praestando, aut iuramentum non referat, habeatur pro confessa* ».

% Huiusmodi notificationis forma, factis debitis mutationibus, servanda est in quacumque specie iuramenti post eius admissionem.

§ 152.

1. Iuramentum delatum potest a parte cui defertur aut praestari aut referri deferenti.

2. Si pars neque iuramentum praestet, neque referat, ast se excuset, contendens hoc in casu se non obligari ad iuramentum dandum, iudicis erit aestimare, utrum adductae rationes eae sint ut partem eximant a praeiudicio implicitae confessionis.

3. Talis quaestio incidens definitur a turno, cui remittitur rescripto, *« per memoriale, citata parte ».*

§ 153.

Formula relati iuramenti a iudice probanda est ad normam § 151 ; et pro iuramento referendo attendendae sunt conditiones de quibus in § 150.

§ 154 -

Pars cui refertur iuramentum tenetur aut illud praestare, aut se excusare legitime, ne sibi praeiudicet, prouti statuitur in § 152, n. 2.

ART. II. — *Be iuramento suppletorio.*

§155.

1. Iuramentum dicitur *suppletorium,* si deferatur ad complendas probationes; istius vero delatio decernitur vel *ex officio* vel *ad instantiam* partium.

2. Deferri non potest nisi a turno, at dandum est coram Ponente, nisi excipere hoc iuramentum sibi turnus reservet.

3. Iuramenti delatio decernitur quoque a Iudice Instructore, cuius est idem recipere.

§ 156.

Ut admittatur a iudice hoc iuramentum, requiritur:

1.° quod versetur circa facta propria illius cui defertur;

2.° quod spectet ad quaestiones non gravioris momenti, attenta praesertim personarum conditione ;

3.° quod circa factum aliqualis probatio habeatur.

§ 157.

Regulariter deferendum est ei cui favent potiores probationes; in pari autem conditione, reo.

§ 158.

Si pars cui defertur iuramentum, hoc dare renuat, alteri referre non valet; et tunc nisi se excuset legitime, iuxta modum praescriptum pro *decisorio* in § 152, n. 2, idem patitur praeiudicium.

§ 159.

Iuramentum suppletorium praestitum ab altera parte impugnari valet, qua falsum et erroneum.

ART. III. — *De iuramento litis aestimatorio.*

§ 160.

Iuramentum *in litem* seu *aestimatorium litis* illi parti defertur, quae probaverit sibi deberi quod sua actione continebatur, cuius debiti valor aut quantitas, ordinariis probationibus probari nequit, propter factum alteri parti imputandum ad culpam.

§ 161.

Hoc iuramentum defertur aut ad *instantiam* partium aut *ex officio.*

§ 162.

1. Pars quae huiusmodi iuramentum dare postulat, uniet libello petitionis notulam singularum rerum aut creditorum quae sibi vindicat, eorumdem valore et quantitate determinatis ; declarando, se paratam esse suam assertionem iuramento confirmare.

%. Haec notula et declaratio a parte ipsa aut ab eius procuratore, vi tamen specialis mandati, subscribatur.

§ 163.

1. Si petitio fiat turno, et hic iuramentum admittat, post consuetam *notificationem,* apposita explere acta, ad normam rescripti admissionis, pertinet ad Ponentem, cuius est exhibitam rerum expetitarum notulam earumque valorem acceptare iuxta petita, aut *eam corrigere et reducere* et hinc rescribit : « *N. N. petiit... et obtinuit ex rescripto S. Ordinis, et in sequelam Dominus destinavit diem qua in sede... aut in aedibus ... idem N. N. praestabit iuramentum aestimatorium in litem iuxta petita ... vel iuxta modum ab ipso iudice praescriptum et cum intimatione* ».

2. Eadem ratione, hoc iuramentum admitti potest a Iudice Instructore in periodo instructionis.

§ 164.

Ponentis aut Iudicis Instructoris est, pro suo prudenti arbitrio, iubere loco iuramenti fieri peritiam, expensis tamen partis adversae, quoties utiliter peritia haberi possit.

CAPUT VI.

DE ACCESSU IUDICIALI.

§ 165.

1. Si necesse sit, ad causae decisionem loca aut res controversas inspicere, uti facile contingit in iudiciis *damni infecti, nunciationis novi operis, finium regundorum,* et in similibus, turnus ad *instantiam* partium, aut etiam *ex officio, accessum* decernere valet.

2. Iudex Instructor, si instructionem conficiens perpendat, Iudici pene necessarium esse *accessum* perficere, de hoc referat turno.

3. Turnus accessum decernens, si hunc explere non reservet integro tribunali, Ponenti committit ut ipse *accedat* et referat, firmo tamen praescripto sequentis paragraphi.

§ 166.

Decretum quo accessus praescribitur, praecise determinabit rem inspiciendam et inspectionis modum; atque praecipiet parti quae *accessum* expetierit, aut utrique parti, si *ex officio* decernatur, ut hae summam deponant, respondentem, prouti coniici potest, expensis necessariis in accessu perficiendo.

§ 167.

1. Si turnus hoc opportunum ducat, eodem decreto unum aut plures peritos nominare valet *ex officio,* aut eorumdem deputationem committere Ponenti.

2. Sive una sive altera ratione fiat deputatio peritorum, Ponentis est monere peritos de officio iis commisso.

§ 168.

Ponens ad *instantiam* partis diligentioris aut *ex officio,* diem dicit et horam *accessus.* Hoc rescriptum *per intimationem* deducetur ad notitiam partium et peritorum, si hi constituti sint.

§ 169.

Die et hora statutis, iudex una cum notario, peritis et partibus aut .earum procuratoribus, si hi opportunum ducant interesse, perficient *accessum* ad effectum et iuxta modum in decreto significatum.

§ 170.

1. Partibus earumque procuratoribus ius est faciendi, dum perficitur accessus, animadversiones, declarationes, contestationes, quarum mentio fiet in relatione quam describit Notarius.

2. Decerni poterit, ut fiant descriptiones locorum in tabulis topographicis; vel ut tabularum exhibitarum fiat recognitio; nec non examen testium a partibus aut *ex officio* productorum; horum autem attestationes in scriptam relationem redigentur a Notario.

3. Item redigentur animadversiones et peritorum declarationes.

§ 171.

Scripta relatio, qua significabitur quilibet actus in accessu perficiendo positus, subscribetur a partibus aut ab earum procuratoribus, si interfuerint, a iudice et a Notario.

§ 172.

1. Si accessus propter distantiam locorum aut ob alias rationes perfici non valeat a iudicibus, deputabitur iudex delegatus, qui ad locum accedat una cum peritis.

2. In litteris *rogatoriis* ad hoc expediendis, dentur instructiones iuxta normas iam praescriptas, et exigatur a delegato ut transmittat relationem a Notario exaratam *de accessu.*

TITULUS V.

De sententiis.

§ 173.

Domini Auditores in turnum, aut in plenum collegium aut in aliam coetus formam adunati, ad normam can. 11, *(Lex propria),* dubiis respondentes legitime propositis et discussis, sententias pronunciant, quae sunt aut interlocutoriae seu incidentales aut definitivae.

§ 174.

1. Sententiae definitivae non poterunt revocari aut corrigi neque a turno qui eas protulit, neque ab alio Auditorum coetu, quicumque fuerit iudicum numerus iuxta diversas coetuum formas, uti in paragrapho

praecedenti, dummodo sententia definitiva non prodierit a collegio rotali, *videntibus omnibus.*

2. Attamen si error materialis inciderit in textu sententiae, sive in transcribenda parte dispositiva sententiae, sive in aliquo facto referendo, postquam effecta fuerit sententiae notificatio, pars cuius interest, promovit « *super correctione textus sententiae* » quaestionem incidentalem per *memoriale* apud eumdem turnum, qui sententiam tulit. Turnus petitionem admittens ex toto vel ex parte, rescribit: « *Ad Dnum Ponentem iuxta petita vel iuxta modum ... ».* Ponens autem curabit, ut correctiones iuxta turni rescriptum in sententiae textu fiant. - Turnus, si petitionem respuat, rescribit : « *Nihil* ».

8. Sententiae interlocutoriae seu incidentales possunt revocari, ad normam § 95.

§ 175.

Si moveatur quaestio incidens, et causa principalis in eo statu reperiatur ut definiri valeat in merito, una sententia tribunal utramque definiet.

§ 176.

Ea est sententia sive interlocutoria sive definitiva in qua conveniat pars absolute maior votorum, can. 31, § 3 *(Lex propria).*

§ 177.

1. Die prolationi sententiae statuta, Dñi Auditores conveniunt pro secreta causae discussione, cui non intererunt nisi soli iudices.

°*1.* Hi, antequam ad discussionem accedant, iam decisionem coeperint oportet (seu *votum)* antea discussam et deliberatam cum Adiutore a studiis et cum iuvene studio addicto, vulgo *secreto,* eademque latine exaratur, instructa rationibus decidendi in iure et in facto.

§ 178.

1. Primus sermonem instituit Ponens, qui legit votum, opportunis factis declarationibus, etiam super causae processu per acta apud se posita. Deinde ceteri Auditores, ex ordine, prosequuntur sua vota legere eaque declarare, si opus sit.

2. Si decisiones inter se discrepent, et nascatur discussio, fas est Auditoribus a suo voto partim vel ex integro recedere; ast mutationes inductae et rationes significari breviter debent in voto scripto sub formula « *Accedo voto Domini ... et ob rationes in eodem voto expressas, vel ob ... ».*

3. Quoties in prima discussione haberi non potest maior pars votorum necessaria causae decisioni, differtur iudicium turno qui proxime habebitur per rescriptum « *Resolutio dabitur in proximo Auditorum conventu* », aut simpliciter « *Dabitur in proximo* ».

4. Decreta dilatione ad *proximum* turni conventum, hunc protrahere non licet ultra hebdomadam, nisi forte vacationes tribunalis intercedant (can. 31, § 4, *Lex propria).*

5. Vota scripta dabuntur Ponenti aut Auditori cui sententiam exarare demandatum est. Publicata sententia, ista vota tradentur Domino Decano, a quo asservanda sunt in archivio secreto decanali (can. 31, § % *Lex propria).*

§ 179.

1. Capta decisione, Ponens eam scribit sub forma responsionis ad dubia, eamdem uniens fasciculo actorum, uti partem sententiae dispositivam.

2. Dummodo tribunal non decernat, decisionem secreto servandam esse usque ad formalem sententiae publicationem, Notarius protocollo addictus, oretenus partibus causae decisionem communicare valet; eisdemque decisionis exemplar, si petatur, tradet. — Rescriptum quo iubetur, decisionem secreto servari ita concipitur « *et decisio maneat secreta usquedum prodeat sententia* ».

3. Haec intra decem dies a decisione edenda est, aut ad summum, intra triginta dies in causis implicatioribus, praesertim ob plura quae proponuntur dubia, et ob copiam documentorum.

4. Sententia exaranda est a Ponente, vel ab alio ex Auditoribus, cui hoc munus in secreta causae discussione commissum sit.

§ 180.

Si in secundo quoque Auditorum conventu, haberi non possit pars maior votorum necessaria ad decisionem, quum singuli Auditores dent dubiis propositis diversas responsiones; perpendatur utrum expediat, vel alia documenta aut probationes exquirere in declarationem cuiusdam facti controversi, vel partes invitare ad magis specificam dubiorum concordationem; nisi opportunius sit, quaestionis solutionem differre per rescriptum: *Dilata,* aut R*eproponatur,* aut *Non constare,* aut *Non satis constare.* Quod si nullum ex his remediis ad optatum exitum conducere valeat, Ponens Domino Decano significabit statum quaestionis, ut ad normam quoque can. 11 *(Lex propria)* aliter provideatur.

§ 181.

1. Sententiae definitivae complecti debent:

a) Nomen, cognomen, et personarum litigantium qualitatem, eo modo, quo in citationis actu descriptae sunt: nec non nomen et cognomen earumdem procuratorum;

b) Intentionem actoris, seu actionem iudicialem cum conpendiaria facti et actorum causae expositione;

c) Rationes decidendi tam in facto, quam in iure;

d) Decisionem, seu partem dispositivam et formulam executivam;

e) Indicationem diei, mensis, anni, et loci in quo decisio prolata fuit;

f) Subscriptionem iudicum, qui sententiam protulerunt, et notarii.

2. Sententia debet lingua latina exarari (can. 32, § 3, *Lex propria).*

§ 182.

Sententia definitiva nulla est, si rationes tam in facto, quam in iure non contineat (can. 32, § 3, *Lex propria).*

§ 183.

1. In dispositiva parte sententiae, si actor careat actione, aut si eadem probata non fuerit, iudices dubiis simpliciter *Affirmative* vel *Negative* respondentes, iuxta diversam formulae conceptionem, reum absolvunt.

2. Si actio iusta sit et comprobata, iudices reum damnant, addendo simplici responsioni, *Affirmative vel Negative,* dubiis datae, verba: « *iuxta modum,* etc. » quoties explicari et determinari debeant certa obiecta, nempe vel pecuniarum summae solvendae, vel praestatio factorum, in quibus reus damnatur.

3. In quaestionibus incidentalibus, ordinationem processus respicientibus, datur responsio per verba: *Ad mentem,* vel rescripto additur: *Ad mentem,* ut explicetur modus, quo perficiendus sit actus.

4. Quando actio regulari modo non fuit proposita, iudices respondent: *Affirmative* vel *Negative,* iuxta dubiorum formulam; vel *Orator utatur iure suo coram Ordinario in via administrativa* », vel « *Orator utatur iure suo, si et quatenus et coram quo de iure* ». Contra, quoties constat, actionem carere probatione circa aliquod peculiare obiectum, et pariter constat probationes probabilius posse compleri, respondetur: « *Dilata et coadiuventur probationes, tum super hoc puncto... tum super...* ».

§ 184.

1. Definitiva sententia compleretur condemnationem in expensis, qua decernitur, an alter tantum ex litigantibus, vel an uterque litigans, et quanam mensura expensas iudiciales sustinere debeat.

2. In sententiis interlocutoriis aut incidentalibus, expensarum condemnationes reservandae erunt ad litis terminum.

§ 185.

1. In expensis condemnatur victus, si iudices censeant, eum temere litigasse.

% Iniungetur compensatio expensarum ex integro, vel ex parte, si litigantes succumbant, vicissim, in aliquo ex capitibus controversiae, seu *pro rata victoriae* fit condemnatio in expensis.

3. Praescribetur expensarum compensatio, si iudices censeant, victum non fuisse temerarium litigantem, adeo ut nulla fiat refectio expensarum ex parte victi, favore victoris.

4. In causis matrimonialibus et aliis id genus, habenda erit ratio paupertatis partis victae, adeo ut etiamsi haec non habuerit legitimam litigandi causam, tamen expensarum compensatio decernatur. Quod si pars victa se reddiderit contumacem, et minime pauper sit, nihilo secius, propter facti adiuncta, aliquando magis expedit decernere expensarum compensationem.

5. In causa criminali qui condemnationem patitur, expensas iudiciales solvere debet, excepto casu quo reo per ipsam condemnationem subtrahantur fructus omnes beneficiales, aliique reditus eidem aliunde non suppetant.

§ 186.

Expensarum taxatio, quando earum compensatio locum non habeat, aut partes communi consensu eas non determinent, pertinet ad Ponentem.

§ 187.

Ponens aut Auditor extensor sententiam conficit, fideliter e suorum coauditorum votis deducendo rationes decidendi in iure et in facto; adductis dubitandi rationibus et responsionibus iisdem datis: omnia haec breviter, ordinate et distincte explicet.

§ 188.

1. Ponens aut Auditor extensor, postquam tempore designato sententiam redegerit, per studii Adiutorem, eam prius exhibebit Auditoribus turni, et deinde Notario, ut eidem subscribant.

2. Sententiae textus autographus a studii Adiutore transmittitur ad Notarium, protocollo addictum, ut eum in actis cancellariae asservet, et vel ipse, vel alii notarii tribunalis exemplaria in authentica forma conficiant, ad partium vel aliorum interesse habentium instantiam.

3. Protocollo autem addictus nullum exemplar petentibus exhibebit, nisi de mandato Ponentis aut Decani, iuxta normam can. 10, § 2 *(Lex propria).*

§ 189.

Exemplar authenticum inscriptionem referet nominis *Summi Pontificis pro tempore* regnantis, et nomina geret Auditorum, qui sententiam suis subscriptionibus munierunt, cum indicatione diei editae sententiae: postremo loco formulam executoriam continebit, et subscribetur a Notario.

§ 190.

Formula executoria consistit in praescriptione facienda dioecesanis Ordinariis et ministris competentium tribunalium, ut perfectam sententiae executionem curent, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim cap. III, sess. 25, *De* ref., Concil. Trid.: idcirco sequens adhibebitur formula: « *Mandamus Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut executioni mandent hanc sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam ss. canonum et praesertim cap. III, sess. 25,* De ref., *Concilii Trident., iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis extitura sint* ».

§ 191.

1. Exemplar authenticum in forma executoria integre notificabitur alterius partis procuratori, quando hic constitutus sit; aliter ipsi parti, et notificabitur per apparitorem.

2. Si pars, quae procuratore caret, domicilium habeat extra Urbem, notificatio fiet per Curiam dioecesanam, cuius iurisdictioni subiacet pars ipsa.

3. Curia dioecesana tribunali S. Rotae testimonium exhibebit, se sententiam notificasse, indicato die factae notificationis.

§ 192.

Sententiae notificentur ad instantiam partium interesse habentium, excepto casu, quo tribunal statuat *ex officio* notificari, idque fiet, quoties hoc intersit boni seu ordinis publici, aut expetant aliae iustae causae.

TITULUS VI.

De expensis iudicialibus fructibus et damnis aestimandis et de redditione rationum.

CAPUT I.

DE EXPENSARUM IUDICIALIUM TAXATIONE.

§ 193.

1. Post sententiae notificationem pars victrix victam citat « *ad videndum taxari et moderari expensas iudiciales* » apud Ponentem cui exhibet elenchum expensarum iudicialium, quae comprobandae erunt, relato, ad quolibet expensarum caput, numero taxationis statutae in *Lege propria.*

2. Potest etiam fieri locus refectioni damnorum, *prout et quatenus de iure :* scilicet quoties sententia praesciebat etiam damnorum refectionem, quam determinare pertinet ad Ponentem, iuxta normas sequentis capitis.

§ 194.

Ponens, si adsit oppositio circa expensas, perpensis exceptionibus alterius partis, eisdemque discussis, quatenus opus sit, exhibitam expensarum computationem redigit ad normam legis, et ita rescribit: « *Visis et perpensis omnibus et singulis partibus praesentis computationis, taxavit et moderavit expensas iudiciales in libellas... pro quibus expedivit mandatum executivum ...* ». Hoc decretum exarabitur in charta rotali bullata, exhibendo a parte cuius interest. Super citatione autem ita rescribitur: *« Provisum in contemporanea ordinantia ».*

§ 195.

1. A Ponentis decreto potest fieri appellatio ad eumdem turnum, qui sententiam protulit in expensis condemnantem.

°2. Hoc incidens proponitur *per memoriale*, proindeque studii Adiutor super appellationis instantia rescribit : « *Remisit instantiam ad turnum, et mandavit proponi per memoriale* ».

§ 196.

1. Quaestio *incidens* circa expensarum iudicialium taxationem exoriri potest quoad ius unius partis adversus aliam, repetendi scilicet expensas iam solutas, quoties utraque pars contendit, se aut ex integro, aut in parte victoriam retulisse, quum nempe condemnatio in expensis decreta fuit *pro rata victoriae.*

°2. Quoties Ponens aut studii Adiutor, controversiam componere non valeant, vel partes non acquiescant decreto, controversia ad turnum remittitur, consueto rescripto, cauto tamen, ut duae partium instantiae pertractentur *sub unico memoriali,* scilicet contineantur sub unica quaestione dirimenda rescripto. Hinc si praedictae duae petitiones exhibitae fuerint ante decretum, fit rescriptum: « *Praevia unione instantiarum, remisit easdem ad turnum, et mandavit proponi sub unico memoriali* ». Si prolato iam decreto remissionis ad turnum, prodeat instantia alterius partis, sibi etiam victoriam adscribentis, providetur hoc rescripto : « *Remisit instantiam ad turnum et mandavit proponi utramque sub unico memoriali* ».

§ 197.

1. Si qui condemnantur in expensis sint plures, nequeunt considerari tamquam in solidum damnati, sed dumtaxat *pro rata,* habita ratione rei quam in iudicio expetebant, dummodo lex aliter non disponat in casu controverso, neque quaestio sit de obligationibus solidalibus.

% Curatores et administratores bonorum et locorum piorum, quando gravia adsint motiva, possunt damnari personaliter in expensis, absque ullo repetitionis iure.

§ 198.

1. Condemnatio in expensis non omnes complectitur expensas, factas pro singulis instantiis in variis iurisdictionis gradibus, nisi pars appellans appellationem interposuerit ab hoc quoque primae sententiae articulo.

% Tribunal, hoc etiam in casu, ex iustis causis, declarare potest fuisse compensatas expensas in antecedentibus instantiis factas, et condemnationem limitare ad solum iudicium S. Rotae.

§ 199.

1. Si appellatio ad S. Rotam interponatur, antequam expensarum taxatio locum habuerit apud Curiam dioecesanam, Ponentis est post rotalem sententiam, taxare expensas in antecedentibus instantiis factas.

2. Elenchus expensarum exhibebitur in cancellaria S. Rotae a parte victrice, interesse habente, et declarabitur authenticus a cancellariis tribunalium, e quibus singuli elenchi remittuntur.

§ 200.

Maxime interest, ut eiusmodi quaestiones decidantur a Ponente, quin recursus fiat ad turnum, ne nimium lites protrahantur cum gravi partium damno, et expeditior et facilior fiat solutio. — Quae animadversio partes ipsas inducere debet, ut libenter obsequantur sollicitudinibus Ponentis, diligenter omnem rationem experientis ad partes conciliandas de bono et aequo.

CAPUT II.

DE RATIONUM REDDITIONE ET DE COMPUTATIONE ET AESTIMATIONE FRUCTUUM ET DAMNORUM.

§ 201.

1. Quando datur locus redditioni rationum, tribunal parti rationem redditurae, congruam dilationem assignabit, praevia monitione, ut, si, nulla accedente iusta causa, expensarum elenchus non exhibeatur termino praefixo, pars, redditionem rationum exposcens, admittatur ad praestandum iuramentum *in litem* circa summam, quae debetur, non exclusis aliis probationum mediis.

2. Quoties turnus id sibi expresse non reservaverit, approbare computationem et acta explere, quae huc referuntur, spectat ad Ponentem, aut ad eius studii Adiutorem, iuxta normam § *1%* n. 4.

§ 202.

1. Elenchus expensarum exhibendus est cum documentis expensas comprobantibus, et continere debet:

a) statum rerum, quarum reddenda est ratio;

b) rationes accepti et expensi;

c) credita exigenda et res recuperandas.

2. Postremo loco continebit recapitulationem et compendium debiti vel crediti, et subscribetur a parte, quae insuper coram Ponente adsistente Notario, iurare debebit de veritate quoad singula rationum capita.

3. Possunt admitti, tamquam comprobata, illa expensarum capita minimi valoris, de quibus dare quis nequit, aut non vult syngrapham receptionis dummodo sint veritati et aequitati conformia, salva facultate harum mentionis faciendae, si hoc opportunum videatur, in formula, sub qua iuramentum emittetur.

4. Pars rationem reddens, alteram partem, per apparitorem, certiorem reddere debet de tempore et loco, quibus huiusmodi documenta exhibebit, praevio tamen consueto rescripto Ponentis, aut Iudicis Instructoris, seu: « *Notificetur* ».

§ 208.

Si pars ad computationem redigendam uti opera alicuius ratiocinatoris, vel alias necessarias expensas facere debeat, potest eidem indemnitas in antecessum concedi, iuxta prudens turni aut Ponentis arbitrium.

§ 204.

i. Partibus consentientibus, approbatur redditio rationum per rescriptum, scilicet: « *Be consensu partium, peracta rationum redditio rata habetur et confirmatur, et conceditur mandatum executivum* ».

2. Si partes non consentiant, proceditur sicut in omnibus aliis incidentibus.

§ 205.

Pro computatione fructuum solvendorum aut damnorum refectione, applicantur dispositiones praecedentium paragraphorum, congrua congruis referendo.

§ 206.

1. In denuntiationibus de damno infecto quod timetur, aut ob novum opus, quum probari debeat, utrum iusta sit atque iuris et facti rationibus innitatur querela, turnus ipse aut Ponens, prouti magis opportunum videatur, uti queunt accessu iudiciali, aut peritorum opera, iuxta procedendi regulas in anterioribus paragraphis statutas.

2. Provisiones, quae hac de re decernuntur, sunt executivae et inappellabiles ad normam §§ 83 et seq., firmo iure personae conventae, dandi potius idoneam cautionem quae acceptanda erit, dummodo sit revera sufficiens ad praeveniendum cuiuslibet damni periculum.

TITULUS VII.

De exemptione ab expensis iudicialibus, de earumdem reductione, et de gratuito patrocinio.

§ 207.

1. Actor aut reus et etiam uterque, si ratione paupertatis expensas iudiciales nequeant sustinere, ius habent ut ab eisdem immunes sint, et una simul gratuito patrocinio fiet locus, assignato advocato qui gratuitum patrocinium aut gratuitam adsistentiam praebeat, nisi partes vel alterutra, per se ipsae sistere et iura sua dicere velint coram iudicibus. *(Lex propria - Appendix, cap. IV).*

2. Si conditio paupertatis litigantium talis sit, ut hi expensas partim valeant exsolvere, fit locus reductioni expensarum iudicialium, quae sustinendae essent, firma tamen concessione patrocinii gratuiti, uti in num. praeced.

3. Si decreta fuerit reductio tantum expensarum iudicialium, qui huiusmodi decretum tulit, debet simul limites statuere intra quos reductio conceditur; veluti in dimidium vel in duas tertias partes expensarum, adeo ut pro rata concessae reductionis, reducantur proventus ad aerarium S. Sedis, ratione sive taxarum sive expensarum uti in n. 5, spectantes, nec non proventus qui cedunt [in retributionem operis [a tribunalis administris praestiti.

4. Hinc concessa exemptione aut reductione expensarum iudicialium, in libros rationum debent referri expensae omnes, quae sustinendae essent a parte, nisi eiusmodi beneficio frueretur.

5. Expensae pro versione actorum ab una in aliam linguam, pro documentis transcribendis aut typis edendis, pro testium productione aut peritiarum expletione, et ita porro, solvuntur a tribunali, salvo iure refectionis expensarum, sive ex parte, si concessa fuit reductio expensarum, sive ex integro, uti cavetur in § ultima h. t.

§ 208.

Petitio exhibebitur Ponenti opportunis instructa documentis, non modo circa conditionem paupertatis, sed etiam super meritum causae, dummodo ad meritum quod attinet, non agatur de causa quae ad Sacrae Rotae tribunal per *commissionem* pervenerit.

§ 209.

1. Ponens priusquam ad admissionem vel reiectionem petitionis procedat, partem adversam audiet, Promotorem iustitiae, et in causis respicientibus vinculum matrimonii aut validitatem professionis religiosae, aut sacrae Ordinationis, vinculi Defensorem, Decanum advocatorum consistorialium, et, si necessarium ducat, alias etiam notitias exquiret.

2. Praedictae personae, per nuncium iussu Ponentis transmissum convocentur, ad simul deliberandum, si speciales casus difficultates hoc expostulent, arbitrio Ponentis.

§ 210.

A rescripto quo exemptio aut reductio expensarum iudicialium et gratuitum patrocinium denegetur, potest appellari ad turnum vel Auditorum coetum, cui causa iudicanda est, quaestionem incidentalem promovendo.

§ 211.

Personis, de quibus in § 209, petitio sive de patrocinio gratuito sive de reductione expensarum notificabitur, una cum documentis necessariis ad deliberandum circa eamdem petitionem. Reliquorum documentorum notitia apud cancellariam tribunalis assumi poterit.

§ 212.

Huic processui non est locus quando Curia, quae acta causae transmittit ob appellationis iudicium, fidem facit de paupertate partis, iam ad exemptionem expensarum et ad gratuitum patrocinium admissae in priori iudicio : tunc enim habendum erit ut notorium et incontroversum paupertatis factum, dummodo tamen constet de praesumpto bono iure contendentis.

§ 213.

Tam in hoc casu, quam in ceteris, in quibus a Ponente admissum fuerit patrocinium gratuitum cum exemptione ab expensis iudicii ex toto vel ex parte, licet non modo Ponenti, sed etiam parti adversae, Promotori iustitiae, et vinculi Defensori in causis indicatis in § 209 nec non Decano advocatorum consistorialium, petere a turno ut dictum beneficium revocetur, si, vel ex actis causae vel ex aliis documentis, non adesse constet assertam paupertatem ; aut videatur, propter causam

fundamento vel bona fide destitutam, privilegium concessum non esse servandum.

§ 214.

Haec petitio constituit incidens quod per *memoriale* evolvitur apud turnum aut Auditorum coetum, qui debet principalem quaestionem decidere.

§ 215.

1. Decretum, patrocinium gratuitum concedens, debet ad normam n. 6, cap. *IV Appenditis (Lex propria),* designare personam advocati, qui mandatum habebit, ut in sequenti numero statuetur.

2. Ponens advocatum designabit, praehabito Decani assensu, qui ad normam canonis 45, § 2 *(Lex propria),* dabit sua subscriptione munitum gratuiti patrocinii mandatum, nec aliud exquiritur a parte cui advocatus patrocinari debet.

§ 216.

Si advocatus cui patrocinium gratuitum committitur, officium suum debita diligentia non adimpleat, ad illius observantiam revocabitur a Ponente, *ex officio,* aut *ad instantiam* sive partium quarum interest sive Promotoris iustitiae.

§ 217.

Promotoris iustitiae est invigilare ut neque indebite gratuitum patrocinium concedatur, neque hoc patrocinium negligenter vel dolose exerceatur ; idcirco, si oporteat, instet apud Ponentem et etiam apud turnum, si Ponens non exciperet petitionem, aut iussionem turni executioni non demandaret.

§ 218.

1. Si pars quae gratuito patrocinio usa sit, victoriam retulerit, et eam pecuniae summam consecuta fuerit aut aliquam rem in sua aestimatione quintuplo maiorem summa quae solvenda esset pro expensis iudiciariis, neque ex pecuniae summa aut e re iudicio obtenta aliquid pro taxis, retentionibus vel solutionibus detrahendum sit, ab ista iudiciales expensae erunt praecipiendae, non vero honoraria advocati aut procuratoris.

2. Si vero eadem pars nedum victoriam referat, sed adversa pars in expensis iudicialibus condemnetur, haec non tantum expensas iudiciales solvet, sed etiam advocati aut procuratoris alterius partis honoraria.

TITULUS VIII.

De renuntiatione instantiae, actionis iudicialis, aliorumque causae actuum.

§ 219.

1. Pars quae ad normam can. 34 *(Lex propria)* intendit renuntiationem emittere, id potest efficere in quocumque statu et gradu causae.

% Ut renuntiatio a iudice admittatur, debet esse absoluta, nullique conditioni aut reservationi subiecta, in scriptis data, subsignata cum loci et temporis indicatione, a renuntiante, vel ab eius procuratore, speciali tamen mandato munito.

3. Pro renuntiandis rebus aut iuribus ecclesiasticis, quae litis obiectum constituant, servetur ius commune quoad necessitatem expetendi beneplacitum Apostolicae Sedis.

4. Ut renuntiatio suum sortiatur effectum, acceptata sit oportet ab altera parte, cui facienda est notificatio : subintelligitur autem acceptata, si, intra congruum temporis terminum a Ponente assignandum, non oppugnetur.

5. Debet admitti a Ponente qui curam habebit, ut serventur conditiones superius indicatae.

6. Renuntiatio ab altera parte aut tempore debito non oppugnata, aut in causis spiritualibus et in aliis ad bonum publicum spectantibus, iis rationibus oppugnata, quae iudici videantur non attendendae, et hinc a iudice admissa sine acceptatione alterius partis, nihilo secius plenum sortitur effectum iuridicum.

§ 220.

Renuntiatio facta ab actore vel a reo post sententiae prolationem, aequivalet rei iudicatae irrevocabili contra renuntiantem.

§ 221.

Si quaestio circa validitatem renuntiationis oriatur in via incidentali, ad turnum seu ad coetum Auditorum cui res pertinet, deferetur; si vero, absoluta iam instantia iudiciali aut in primo aut in gradu appellationis apud turnum, in via principali exoriatur, defertur ad tribunal Apostolicae Signaturae.

§ 222.

Si pars cui defertur iuramentum de secreto servando, ad normam § 31, num. 4, idem dare detrectet; aut iussa certam pecuniae summam deponere, decreto non obtemperet, quin exemptionem ab expensis legitime obtinuerit; vel si eadem intra praefixum terminum, absque legitima excusationis causa, litem prosequi vel aliquem actum ponere negligat aut renuat, censetur iuri suo renuntiasse; et hinc Ponens suo decreto declarare valet, partem vel ipsam litem vel certi iudicialis actus positionem aut instructionem deseruisse, firmo praescripto § 28, n. 3, nec non § seq.

§ 223.

Pars renuntians debet expensas solvere iudicii aut saltem singulorum actuum renuntiationi respondentium.

TITULUS IX.

De appellatione a sententiis ant a decretis rotalibus.

§ 224.

1. A sententia rotali definitiva, quae non sit sententiae a S. Rota aut ab altero tribunali editae conformis ideoque non sit eiusdem confirmatoria, potest fieri appellatio ad turnum proxime sequentem, ad normam canonum 12 et 33 *(Lex propria).*

2. Appellationes a sententiis *incidentalibus* seu *interlocutoriis* propositae, ab eodem turno cognoscendae sunt qui sententias protulit.

3. Prolata sententia definitiva, appellatio interposita circa sententiam incidentalem in definitiva decisam, defertur ad proxime subsequentem turnum, uti in praecedenti n. 1.

§ 225.

Si sententia plura capita aut dubia complectatur, et quoad nonnulla sit confirmatoria, quoad alia sit revocatoria, appellatio non conceditur pro ea parte, quae iam fuerit duabus conformibus sententiis iudicata, excepto casu quod una pars cum alia sit connexa eidemque accessoria.

§ 226,

1. Si oriatur quaestio de iure appellandi necne, iuxta duas paragraphos praecedentes, decisio fiet a turno, ad quem spectat appellationis iudicium.

2. Sententiae hanc controversiam definientes sunt inappellabiles, excepto recursu ad supremum Signaturae tribunal.

§ 227.

Appellatio statuto tempore et praescriptis formis interposita, effectum suspensivum producit, exceptis casibus, in quibus aut ex lege aut ex decreto iudicis, locum habet executio provisoria.

§ 228.

Quando executio provisoria, in primo gradu expetita, concessa non fuerit, peti potest per incidentalem instantiam et per *memoriale* in appellationis iudicio.

§ 229.

1. Si executio provisoria fuerit praescripta, ad normam § 84, nequit appellans, a turno appellationis, illius revocationem aut executionis inhibitionem exquirere. Attamen petere potest ut -executioni provisoriae idonea et aequipollens cautio subrogetur.

2. Haec subrogatio peti debet per instantiam incidentalem et per *memoriale* alteri parti notificandum.

§ 230.

1. In appellationis iudicio nequeunt proponi nova dubia meritum causae respicienda, quae si proponantur, a Ponente vel a turno *ex officio* reiici debent.

2. Possunt novae probationes deduci, nec non incidentia et exceptiones ad quaestionem principalem spectantes promoveri.

- 3. Possunt expeti, prouti res per sententiam definita patiatur, aut usurae aut fructus qui maturaverint post sententiam, vel damnorum reparatio quae pars post eamdem sententiam passa fuerit.

§ 231.

Si iudices turni, a quo fit appellatio, insoluta reliquerint quaedam ex propositis dubiis, respondendo aut *Dilata* aut *Non proposita,* appellatio fit tantum a dubiis decisis et etiam ab iis quae nondum sint decisa,

dummodo haec connexionem cum decisis habeant, et eisdem tamquam accessoria sint.

§ 232..

1. Etiam in iudiciis appellationis admittitur interventus tertiae personae ad normam § 97.

2. Praedicta persona voluntarie interveniens, appellare censetur a sententiis anterioribus, perinde ac contra se essent prolatae.

§ 233.

1. Quocumque in casu utilis erit actori appellatio interposita a reo et viceversa.

2. Appellatio ab uno aut a pluribus litis consortibus interposita, proderit omnibus, qui in sententia comprehenduntur.

§ 234.

Etiam in iudicio appellationis acta praeparatoria aut executoria, non secus ac in prima instantia, perficientur a Ponente turni appellationis.

§ 235.

1. Appellatio interponitur per petitionem exhibitam Ponenti turni qui sententiam aut decretum protulit; hic autem, si sententia sit appellabilis ad normam paragraphorum praecedentium, rescribit: « *Admittatur et procedatur ad ulteriora, idque notificetur* ». Idem rescriptum dat Ponens si decretum a se editum appellatione impetatur; addito tamen « *procedatur ad ulteriora per memoriale* aut *concordato dubio* » ; ad normam §§ 86 seq.

% Appellationis instantia gravaminis motiva complectetur, nisi agatur de appellationibus iure interponendis in re matrimoniali.

3. Si appellatio exhibeatur a procuratore, hic simul cum instantia debet in cancellaria deponere procurationis mandatum ad prosecutionem appellationis.

§ 236.

1. Appellatio interponenda est intra decem dies, qui decurrunt a sententiae aut a decreti notificatione.

2. Si intra sex menses ab interposita appellatione, appellans nullum ponat actum iudicialem ad prosecutionem appellationis, haec perempta habebitur, et sententia fit executoria.

§ 237.

Dnus Decanus, legitime concessa appellatione a sententiis definiti vis, decreto suo determinabit turnum, qui ad normam can. 12, § 3 *(Lex propria)* iudicare debebit appellationis instantiam.

§ 238.

Hisce appellationis iudiciis communes sunt normae processuales statutae pro instantiis in primo gradu apud tribunal S. Rotae pertra¬ctandis.

Annus II. - Vol. II. Die 10 Novembris 1910. Num. 21.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE

I.

ERIGITUR NOVA ARCHIDIOECESIS SIMLENSIS (SIMILA) IN INDIIS ORIENTALIBUS.

PIUS PP. x.

Ad futuram rei memoriam. — Incensum, quod Nos urget, studium Christi regnum in terris propagandi, admonet Nos, ut quum in aliqua regione auctus fidelium numerus tum Episcoporum muneribus, tum ipsius gregis utilitati officere videatur, mutatis eorumdem locorum condicionibus quam maxime prospiciamus. Cum vero inter ingentem hominum multitudinem, qui septentrionalem fractum Indiarum Orientalium incolunt, Christifideles, adiuvante Domino, non intermisse succrescant, cumque pluris intersit eos quotidie magis augeri ac multiplicari; Nos, de consilio etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Christiano nomini propagando praepositorum, novam ibi Metropolitanam Sedem erigendam censuimus. Quare ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, praesentium vi, motu proprio, aliquot districtus ab archidioecesi Agraensi et aliquot a dioecesi Lahorensi seiungimus ac dismembramus, eosque in archidioecesim, cuius sedem in urbe Simla positam volumus, dilata sententia quod ad eius suffraganeas ecclesias, erigimus et constituimus. Praeterea novam huiusmodi archidioecesim apostolicis curis Ordinis Fratrum Minorum Capulatorum libenti animo concredimus, quippe qui de catholica Religione inter Indos proferenda optime assidueque mereantur. Denique votis sive dilecti filii Nostri S. R. E. Cardinalis eiusdem S. Congregationis de Propaganda Fide Prae-

fecti, sive Venerabilium Fratrum Archiepiscopi Agraensis et Episcopi Lahorensis benigne exceptis, quibus commissum fuerat praestitutae huius archidioecesis limites praefinire, his, qui sequuntur, districtibus eandem archidioecesim constare decrevimus. Itaque ab archidioecesi Agraensi seiungantur districtus quorum vulgo nomina : « Simla, Ambala, Hissar, Karnal, Patiala, Nakha, Jind, Loharu et Maler Kotla », atque e dioecesi Lahorensi districtus seiungantur, vulgo nuncupati : « Mandi, Suket, Kulu, Lahul et Spiti », atque ex his omnibus nova archidioecesis componatur, quae est Simlensis appellanda. Decernentes, praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII Septembris MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. I$(S. *a Secretis Status.*

IL

ERIGITUR NOVUS VICARIATUS APOSTOLICUS DE " KILIMA-NJARO " IN AFRICA ORIENTALI.

PIUS PP. x.

Ad futuram rei memoriam. — In hoc summo Sacerdotii fastigio, ad quod evecti sumus, cum illud praecipue sit Nobis cordi, ut Christi nomen in universas terras quam maxime propagetur, novas ad hoc Missiones in iis locis libentes erigimus, ubi auctus fidelium numerus id postulare videatur. Itaque cum Apostolicus Vicariatus de Bagamoyo in Africa orientali, haud pridem erectus, non mediocre divina opitulante gratia incrementum habuerit, peropportunum Nobis visum est, quo nascentibus in eadem regione necessitatibus facilius prospici queat, et catholicae fidei progressum impensius foveri, distractam ex huiusmodi Vicariatu

borealem partem in novam constituere Missionem. Quare omnibus rei adiunctis cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus S. Congregationi Christiano nomini propagando praepositis scite naviterque perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine praesentium tenore borealem plagam praedicti Apostolici Vicariatus de Bagamoyo a reliquo eiusdem Missionis territorio seiungimus, atque in novum Vicariatum apostolicum de *Kilima-Njaro* nuncupandum erigimus et constituimus, cuius fines sint : ad Boream Vicariatus apostolicus de Zanzibar; ad Orientem Oceanus Indicus; ad Occidentem Vicariatus apostolicus de Unianembe; ad Meridiem vero definiatur cursu Fluminis *Msangassi* ab eius ostio in Oceanum usque ad *Mgera,* - qui locus ad Bagamoyensem Vicariatum pertinere pergit -, atque exinde per lineam quae Occidentem versus prosequitur usque ad limites Vicariatus de Unianembe prope lacum *Balangidda* ad Septentionem loci *Jrangi.* Praeterea novum hunc Vicariatum apostolicum de *Kilima-Njaro* ita constitutum quem omnibus et singulis iuribus, honoribus, privilegiis, indultis frui volumus, quibus apostolici huiusmodi Vicariatus gaudent, eadem Apostolica auctoritate Nostra ac propensa quidem voluntate curis committimus alumnorum Congregationis a Spiritu Sancto et ab Immaculato Mariae Corde. Decernentes, praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII Septembris MCMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. ✠ S. *a Secretis Status.*

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I.

DUBIA CIRCA DECRETUM " MAXIMA CURA ".

Cum nonnulli Ordinarii quaedam dubia circa vim et interpretationem decreti « *Maxima cura* » proposuerint, Sacra Congregatio Consistorialis, mandante SSmo Domino Nostro Pio PP. X, eisdem dubiis die 3 octobris 1910, respondit prout infra:

1. Utrum examinatores eligendi iuxta praescriptum *can. 4* adhiberi possint in examinibus pro collatione beneficiorum atque sint unum et idem ac examinatores de quibus statuit Trid. Synod. *cap. 18 sess. 24 de reform.;* an potius sint distincti et adhibendi dumtaxat pro amotione decernenda.

R. Affirmative ad I^{am} partem, negative ad II^{am}.

2. An examinatores sive synodales sive prosynodales nunc existentes, per idem decretum a munere cessent.

R. Servetur dispositio finalis decreti.

3. Utrum Ordinarii, quando Synodus non celebratur, adhuc indigeant indulto S. Sedis pro eligendis examinatoribus.

R. Negative.

4. Utrum Ordinarii possint eligere aliquem sacerdotem regularem in examinatorem vel consultorem.

R. Affirmative, dummodo sacerdos regularis parochus sit, si in consultorem eligatur.

5. Utrum eligere possint extradioecesanum.

R. Affirmative in parvis dioecesibus, aut quoties iusta aliqua causa intercedat.

6. Utrum Ordinarius inter examinatores accensere possit Vicarium suum generalem.

R. Non expedire.

7. Utrum inter examinatores aliquot parochi accenseri possint.

R. Affirmative.

8. Utrum una eademque persona esse possit simul examinator et consultor.

R. Affirmative, sed non in eadem causa. Generatim tamen expedit ne plura officia in una eademque persona cumulentur.

9. Utrum consultores dioecesani de quibus in § *2, can. 4* quorum consensus (quoties deficiat capitulum cathedrale) requiritur in electione examinatorum et parochorum consultorum, iidem sint ac collegium praefatum parochorum consultorum.

R. Negative; sed consultores dioecesani stant loco capituli in aliquibus dioecesibus ubi cathedrale capitulum erigi adhuc non potuit.

10. Utrum in computanda antiquitate electionis ratio habenda sit electionum praecedentium ; an dumtaxat electionis praesentis, ita nempe ut qui bis vel ter electus iam fuerit, antiquior non habeatur illo qui prima vice electus sit, dummodo pari die electio evenerit.

R. Negative ad I[am] partem, affirmative ad II[am].

11. Utrum error in computanda antiquitate et admissio alicuius examinatoris seu consultoris, hac de causa illegitima, inducat nullitatem actorum.

R. Negative.

12. Utrum iusiurandum in *can. 7* praescriptum debeat singulis vicibus in singulis causis renovari, an sufficiat illud semel emittere post electionem aut in primo conventu.

R. Sufficit semel emissum, durante munere, dummodo pro omnibus causis fuerit emissum. Potest tamen Ordinarius exigere ab examinatoribus et consultoribus ut illud renovent in casibus particularibus, si id expediens iudicaverit.

G; CARD. DE LAI, *Secretarius.*

L. $ S.

Scipio Tecchi, *Adsessor.*

II.

AD EMINENTISSIMUM VIRUM CLAUDIUM S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM VASZARY, ARCHIEPISCOPUM STRIGONIENSEM (ESZTERGOM) ET PRIMATEM HUNGARIAE.

Eme ac Rme Domine mi Obsme,

Eminentiae Vestrae litterae, nomine etiam omnium Hungariae Antistitum datae sub die 27 transacti septembris, ad SSmum Dominum Nostrum pervenerunt. Quas quidem Ipse assueta benignitate excepit, nec dissimili cura, prout rei gravitas postulabat, expendit; mihique haec Eminentiae Vestrae coeterisque Antistitibus communicanda mandavit.

Porro SSmi Domini Nostri mens est ut firma sit lex qua prohibetur ut diaria et commentaria, etiam optima, quae tamen de politicis

rebus agunt quae in dies eveniunt, aut de socialibus et scientificis quaestionibus quae pariter in dies exagitantur quin adhuc de iis certa sententia habeatur, haec, inquam, in manibus alumnorum seminarii libere non relinquantur. Nil tamen vetat quominus superiores seminarii aut magistri, si agatur de quaestionibus scientificis, legant alumnis aut legendos articulos in sua praesentia tradant eorumdem diariorum et commentariorum, quos ad alumnorum instructionem utiles vel opportunos censent.

Commentaria vero in quibus nil contentionis continetur, sed notitias religiosas, S. Sedis dispositiones et decreta, Episcoporum acta et ordinationes referant, vel alia quae quamvis periodica non aliud sunt quam lectiones ad fidem, et pietatem fovendam utiles, haec, inquam, possunt, probantibus seminarii moderatoribus, prae manibus alumnorum relinqui tempore a studio et ab aliis praescriptis officiis libero.

Haec dum Tibi pro meo munere significo, manus Tuas humillime deosculor meque impenso animi obsequio profiteor

Eminentiae Vestrae

Romae, die 20 octobris 1910.

addictissimum famulum

CAIETANUM CARD. DE LAI,

S. Congr. Consistorialis Secretarium.

III.

DECLARATIONES

CIRCA IUSIURANDUM A MOTU PROPRIO " SACRORUM ANTISTITUM " PRAESCRIPTUM.

Ad hanc sacram Congregationem proposita sunt quae sequuntur dubia circa Motum Proprium *Sacrorum Antistitum,* die 1 Septembris proxime lapsi editum, nimirum

I. utrum qui, in praesenti, plura obtinent officia vel beneficia, unum dumtaxat iusiurandum praestare possint, an tot iuramenta emittere teneantur quot possident officia vel beneficia;

II. coram quo Moderatores generales Ordinum aut congregationum religiosarum praestare debeant eiusmodi iusiurandum;

III. an Vicarius generalis delegari possit ab Episcopo, generali modo, ad iusiurandum excipiendum;

IV. utrum iuramenti formula, pluribus simul convenientibus, ab omnibus singillatim legenda sit, an vero sufficiat ut ab aliquo ex eis recitetur ;

V. an quotannis teneantur renovare iusiurandum vicarii parochiales, confessarii et sacris concionatores, quibus facultas singulis annis prorogatur ;

VI. utrum parochi, in locis a residentia Episcopi dissitis, teneantur emittere iuramentum coram Vicariis foraneis, an sufficiat ut ad Episcopum remittant iurisiurandi formulam ab ipsis subsignatam;

VII. an novi beneficiarii debeant subscribere formulam tum professionis fidei tum iurisiurandi.

SSmus Dominus Noster Pius PP. X, in audientia die 21 Octobris 1910 Emo Cardinali Secretario sacrae Congregationis Consistorialis concessa, mandavit ut respondeatur:

ad I. sufficere unum iusiurandum, sed de eodem prius praestito fides exhibenda est ei, qui ius habet aliud exigendi iuramentum;

ad II. Moderatores generales, qui actu Ordini vel Congregationi vel Instituto praesunt, coram Patribus sui Definitorii, sive Assistentibus sive Consiliariis generalibus; Moderatores autem generales, qui in posterum eligentur, coram Praeside capituli generalis ;

ad III. affirmative, postquam ipse in manibus Episcopi iusiurandum praestiterit;

ad IV. sufficere ut, formula iuramenti ab uno recitata, a ceteris singulis, iureiurando emisso, formula ipsa subscribatur ;

ad V. negative;

ad VI. pro hac prima vice sufficere ut memorati parochi subsignent iuramenti formulam iuxta indultum diei 25 Septembris elapsi ; in posterum vero parochos teneri ad iuramentum praestandum coram eo a quo beneficii possessionem obtinebunt;

ad VII. quoad professionem fidei, nihil innovandum; quoad iuramentum, servandam dispositionem Motus Proprii *Sacrorum Antistitum.*

Datum Romae, ex aedibus sacrae Congregationis Consistorialis, die 25 Octobris 1910.

C. CARD. DE LAI, *Secretarius.*

L. £8 S. Scipio Tecchi, *Adsessor.*

IV.

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis, elegit:

5 septembris 1910. — R. P. D. Vincentium Pisani, iam episcopum Anglonen. et Tursien., in Administratorem Apost, eiusdem dioecesis.

1 octobris 1910. — R. P. D. Adulphum Turchi, episcopum Caiacensem, in Administratorem Apostolicum Aversanae dioecesis.

12 octobris 1910. — R. D. Eduardum Brettoni, presbyterum archidioeceseos Florentinae, in Episcopum cathedralis ecclesiae Regiensis (Reggio Emilia).

18 octobris 1910. — R. D. Maximilianum Crespo, presbyterum archidioecesis Popayanensis, in Episcopum cathedralis ecclesiae Antioquiensis in republica Columbiana.

— R. D. Franciscum Christophorum Toro, presbyterum dioecesis Antioquiensis, in Episcopum cathedralis ecclesiae de Socorro.

3 octobris 1910. — Transtulit R. P. D. Ioachimum Antonium d'Almeida, a cathedrali ecclesia Piahunensi ad nuper erectam dioecesim Natalensem in Brasilia.

Mandavit autem idem SSmus Dominus ut hac de re Litterae Apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

V.

ERECTIONES DIOECESUM.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis, erexit:

19 octobris 1910. — Novam apostolicam praefecturam Fluminis Nigri *(Rio Negro)* in Brasilia, sequentibus praefinitam limitibus, nempe, in ea parte quae est ad ortum solis et inter ortum solis et septentrionem, territorio praelaturae vulgo *Rio Branco ;* in ea parte quae est inter septentrionem et occasum solis, territorio rerum publicarum Benezuelensis et Columbianae ; in ea parte quae est inter meridiem et ortum solis, divortio aquarum affluentium in Flumen Nigrum. Haec autem linea, quae discedit a confluenti Fluminis Nigri et Fluminis Albi atque per praefatum divortium aquarum a parte occidentali Fluminis Nigri pergit usque ad confinia Columbiana, extabit uti linea divisionis inter praefecturam quae erigitur et inter Amazonum dioecesim necnon praefecturas nuncupatas *Teffé* et *Solimoës Superioris.*

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

Brevi Apostolico nominati sunt:

17 augusti 1910. — R. P. Paulus Perini, Societatis Iesu, Episcopus cathedralis ecclesiae Mangalorensis (Mangalore-India).

13 septembris 1910. — R. P. Ludovicus Munsch, Congregationis a Spiritu Sancto et Immaculato Mariae Corde, Episcopus titularis Magnesiensis et Vicarius Apostolicus de Kilima-Njaro in Africa orientali.

— R. P. Raphael Presutti, Ordinis Fratrum Minorum Cappuccinorum, Episcopus titularis Anchialensis et Vicarius Apostolicus Arabiae.

— R. P. Iacobus Romanus Bilsborrow, Congregationis Anglicanae O. S. B., Episcopus cathedralis ecclesiae Portus Ludovici in insula Sancti Mauritii.

15 septembris 1910. R. D. Franciscus Bonne, Archiepiscopus ecclesiae cathedralis Tokiensis (Tokio).

SACRA ROMANA ROTA

UXENTINA *(Ugento).*

IURIUM.

Pio Papa X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno septimo, die 9 Iulii 1910, BB. PP. DD. Gustavus Persiani, Ponens, *Gulielmus Sebastianelli et loseph Alberti, Auditores de Turno, in causa* « Uxentina - Iurium » *instante in gradu appellationis Sodalitate* « Mater Misericordiae » *repraesentata per procuratorem Vincentium Sacconi advocatum, adversus Parochum Castrignano del Capo appellatum, repraesentatum per procuratorem Rev. D. Nazarenum Patrizi, advocatum, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

In oppido *Castrignano del Capo* Dioeceseos Uxentinae, et intra Paroeciae limites anno 1639 extructa fuit Ecclesia B. M. V. sine labe conceptae dicata, et in ea, quo anno ignoratur, erecta fuit Sodalitas laicalis, cui titulus « Mater Misericordiae », quae die 3 Martii 1777 regium, quod vocant, beneplacitum obtinuit.

Unicum illa in Ecclesia extabat altare sacrum Deiparae Immaculatae, cuius ibi venerabatur Imago ; sed hinc inde duae aderant statuae SS. Martyrum Cosmae et Damiani fidelium expositae venerationi.

Quidam Gaspar Trazza pro sua, qua erga Sanctos Martyres agebatur, devotione, anno 1853 alterum altare in eadem Ecclesia construi voluit, quod eisdem Sanctis dicatum iussit.

Exinde fidelium cultus SS. Cosmae et Damiani augeri coepit, eorumque festum die 27 Septembris singulis annis solemni pompa et frequentiori populi concursu celebrari. Occasione huius solemnitatis in Ecclesia etiam oblationes fidelium colligebantur.

Aliquot post annos Rev. Franciscus Margarito, Rector Sodalitatis, has oblationes suas esse existimans, conquestus est coram Uxentina Curia contra Parochum Chiffi eas ex adverso sibi debitas opinantem; et *fertur* - quandoquidem documenta desunt - quaestionem fuisse decisane primo favore Rectoris, deinde favore Parochi.

Rebus sic stantibus, eadem quaestio iterum exarsit inter Rectorem Sodalitatis, Rev. Thomam Stefanachi, et Parochum loci, Rev. D. Aloysium Margarito, qui, spretis rationibus expositis a Rectore, fidelium

oblationes anno 1906 sibi vindicavit affirmans, se in posterum eamdem agendi rationem secuturum.

At Sodalitas fortiter restitit Parocho ; et sui Praesidis ministerio, supplici dato libello sub die 24 Septembris 1907, postulavit, Parochum, Rev. D. Aloysium Margarite, in ius vocari coram Uxentino Iudice, et ab hoc propositam quaestionem definiri, iuris ordine servato.

Incidentali quaestione exorta quoad ritum in casu adhibendum, die 20 Ianuarii 1908 sententia prodiit, quae ritum summarium praescripsit.

Adversus hanc sententiam a Sodalitate interposita fuit appellatio coram Iudice Metropolitano Hydruntin., die 17 Februarii sequentis; quam tamen Iudex appellationis reiecit, die 18 Septembris 1908.

Quare actor, die 5 Octobris subsequentis postulavit, causam prosequi cum ritu summario; quae introducta die 13 Martii 1909, definita fuit in prima instantia die 13-17 Augusti eiusdem anni.

Verum exitus iudicii Sodalitati non arrisit; sententia enim statuit: « Respingiamo la istanza della Confraternita " *Mater Misericor-* « *diae* "..... Confermiamo il diritto del prelodato Parroco di fare le fun- « zioni e raccogliere le oblazioni nella novena e festa dei SS. Medici « per consuetudine ragionevole, perchè fondata sul diritto precedente, « che egli aveva nella Cappella della Confraternita, inculcandogli però « di invitare, come per il passato, il Clero pel decoro della solennità, « e dare a ciascun sacerdote un equo compenso per l'opera pre- « stata ».

Ab hac sententia Sodalitas, die 4 Octobris 1909 appellavit ad H. S. O., cui hodie quaestio definienda proponitur, dubiis, de consensu partium statutis :

I. *Cuinam competat ius celebrandi sacras functiones, necnon recipiendi et administrandi oblationes occasione festi SS. Cosmae et Damiani in casu?*

II. *A quonam sustinendae sint expensae iudicii primi gradus in casu ?*

In facto RR. PP. DD. Auditores haec in antecessum statuenda esse censuerunt :

1.° Sodalitas « *Mater Misericordiae* » erectionis suae initium statuit ante annum 1777, etenim die 3 Martii huius anni nedum eius existentia fuit regis auctoritate et beneplacito recognita, sed etiam eiusdem regulae sub datis conditionibus fuerunt approbatae ; quod supponit Sodalitatem tempore praecedenti canonicam erectionem obtinuisse, quamvis data praecisa concessionis non agnoscatur. Et revera tunc temporis Sodali-

latis canonica erectio extabat; in supplici enim libello Ferdinando IV utriusque Siciliae Regi porrecto pro suo beneplacito obtinendo, et sub¬signato a Confratribus fere centum legitur : « Li fratelli della Congre-
« gazione sotto il titolo di S. Maria delia Misericordia delia Terra di
« Castrignano del Capo in Provincia di Otranto con umil supplica
« riverentemente espongono come *da molti anni* è stata in detta terra
« la Congregazione suddetta e nella quale etc. ». Quod est adeo verum, ut in informatione et voto Regiae Maiestati exhibitis ex parte Regii Cappellani Maioris mentio facta fuerit de bonis immobilibus decursu temporis a Sodalitate acquisitis; legitur enim: « che la suddetta Con-
« gregazione non possa fare acquisti essendo compresa nella legge di
« ammortizzazione, e che siccome l'esistenza *giuridica* di detta Con-
« gregazione comincia dal dì dell'impartizione del Regio Assenso nella
« fondazione e nelle Regole, *così restano illese le ragioni delle parti per*
« gli acquisti fatti precedentemente alla medesima come Corpo illecito ed
«incapace, il tutto a tenore del Regal Dispaccio, 19 Giugno prossimo
« passato anno ».

2.° Quae possessionis Ecclesiae ex parte Sodalitatis initia fuerint, quae adeptae possessionis conditiones Parochum inter et Sodalitatem ipsam penitus ignoratur, cum nullum huius rei existat documentum, Parocho ipso fatente. Hoc unum est certum, iurgium nullum inter utrumque extitisse usque ad annum 1863, quo Parochus cum Rectore Sodalitatis contendere coepit circa ius colligendi oblationes a fidelibus factas occasione festivitatis SS. Cosmae et Damiani.

3.° Quamvis autem in Ecclesia Sodalitatis ad latera Imaginis Deiparae sine labe conceptae hinc inde statutae SS. Cosmae et Damiani fidelium expositae venerationi existerent ab anno 1639, quo extructa fuit Ecclesia ipsa, tamen nullo ex documento constat eorum festivitatem speciali cultu et fidelium communi devotione fuisse celebratam usque ad annum 1853, quo Gaspar Trazza in eorumdem honorem altare erigi curavit; tunc demum SS. Martyres, die 27 Septembris speciali populi cultu prosecuti sunt, et in eorumdem honorem factae sunt etiam oblationes fidelium ; « dopo la costruzione dell' altare nel 1853
« cominciarono ad aver luogo le oblazioni in onore dei Santi Me-
« dici ».

Ad iuris quaestionem quod spectat RR. PP. Auditores animadverterunt, Sodalitatem « *Mater Misericordiae* » loci Castrignano del Capo esse in possessione bis fere centenaria Ecclesiae Deiparae Immaculatae, quin possessionis huius ulla appareat imposita conditio, in eaque fini institutionis suae assequendo, toto hoc tempore volvente, continuo

vacasse. Quare dicta Sodalitas gaudet favore iuris, quod possessori suffragatur sive quoad Ecclesiam possessam, sive quoad iura omnia Confraternitatibus laicalibus concessa, quoadusque contrarium non fuerit demonstratum.

Iamvero ex celebri Decreto *Urbis et Orbis* S. Congregationis Rituum, diei 10 Decembris 1703 Confraternitatibus laicorum erectis intra paroeciae limites ius est functiones omnes religiosas, absque ulla a Parocho dependentia, peragendi, quae non sunt de iure parochiali, etenim quaestioni sub num. 3 propositae: « an Confraternitates erectae in aliis « ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones (non parochiales) « aliquam dependentiam a Parocho intra cuius Parochiae limites sitae « sunt Ecclesiae? » Responsum fuit « *Negative* », Immo eisdem Sodalitatibus est etiam ius administrandi oblationes, licet hae sint de iure parochiali; quaestioni enim n. 28: « an possit Parochus se ingerere in « administratione oblationum, eleemosynarum in saepe praedictis Eccle- « siis recollectarum vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem « retinere ? » Responsum fuit « *Negative* ». Et huius decisionis ratio in eo consistit, quod Ecclesiae, in quibus erectae sunt laicorum Sodalitates, quamvis intra paroeciae limites sitae, nullam a Parocho habent dependentiam.

Potest nihilominus Parochus sibi vindicare quae Sodalitatibus iure communi competunt; sed tunc tantum cum ius allegant ortum vel ex lege fundationis, vel ex constitutionibus Synodalibus et provincialibus, aut ex immemorabili consuetudine vel saltem centenaria. Etenim praefatum Decretum ita concluditur: « Sacra eadem Rituum Congregatio, re mature « discussa, ita respondendum esse censuit, et ita (salvis tamen conven- « tionibus et pactis in erectione Confraternitatis forsan factis, concordiis « inter partes initis, et a Sancta Sede approbatis, indultis, constitutio- « nibus Synodalibus, et provincialibus, et consuetudinibus immemora- « bilibus vel saltem centenariis) declaravit ac decrevit .... die 10 De- « cembris 1703 ».

In hoc pacifica et constans est Doctorum omnium theorica, iurisprudentia Rotali firmata, et a Sacris Congregationibus secuta. Cardinalis De Luca, *Theatrum Verit. Disc, 31, n. 6, de Paroch.* ait: « Eccle- « siae siquidem intra alicuius parochiae limites fundatae, non dicuntur « ipsius parochiae subditae, neque ab ea aliquam dependentiam habere, « nisi ex lege fundationis, aut ex legitima consuetudine, aut alias id « specialiter probet .... Atque circa facultatem celebrandi solemnitates « iuri parochiali non praeiudicantes, nedum in ecclesiis, sed et in ora- « toriis legitime erectis, ita ut aliud non obstet, dicebam, dubium ces-

« sare ex communi et inconcussa notoria observantia Urbis totiusque « Orbis christiani ». Quod monuit Altovitus S. G. G. Secretarius quum die 5 Martii 1689 causa Bononiensis Iurium Parochialium proposita fuisset « opus est - inquit - praemittere tamquam principium indubitate tum.... Ecclesias licet fundatas intra limites Ecclesiae parochialis non « esse huic subiectas *nisi quoad iura parochialia* (Benedici XIV, *Instit. « Eccles., c. V, n. 108)* ». Et Fagnanus, ad *Cap. ad audientiam de Eccles, aedif.* ait: «nulla praeter Ecclesiam Cathedralem fundat intentionem « suam de iure super subiectione alterius Ecclesiae etiam fundatae intra « limites suae parochiae *praeterquam ad iura parochialia* ». Et firmat Rota in decisione coram Molines die 3 Iulii 1705 ibi: «licet dicta Ec« clesia S. Mariae sit posita intra limites Ecclesiae Parochialis, non « exinde tamen eidem parochiali censetur subiecta, cum nulla Ecclesia « citra Cathedralem, fundet suam intentionem de iure super subiectione « alterius Ecclesiae, *praeterquam in ordine ad iura parochialia* ». Quae doctrina continetur *dec. 784, 2 Iunii 1713;* et *dec. 988, a. 1717,* coram Lancetta. *In Aversana Funeralium coram Coccino die 23 Iunii 1634 inter Recentior, dec. 552, part. V, n. 11^*

Confirmatur resolutionibus S. Congregationis Concilii, quae in Reatina, diei 13 Iunii 1844 proposito dubio: « an liceat Cappellano novenas, « triduos et alias functiones non parochiales cum expositione SSmi Sa« cramenti explere in Oratorio S. Dominici independenter a Parocho in « casu ? An liceat eidem Cappellano missam solemniter canere indepen« denter a Parocho in casu ? » Respondit : « *Affirmative in omnibus,* ad formam Decreti *Urbis et Orbis* S. R. C. 10 Decembris 1703 ». Hoc idem statuit in *Marsorum* die 25 Ianuarii 1858 - in *Galtellironen., diei 29 Martii 1862;* in *Thelesina, Anniversarii et Missae solemnis diei 9 Februarii 1732.*

Parochus igitur in casu, non obtinebit nisi intentionem suam manifeste probaverit: cum enim Sodalitas possideat, eius favore praesumitur. Qua in re principium applicatur « melior est conditio possidentis maxime in iudiciis, quia *possessor liberatur ab onere probandi* ». Lega, *de Iudic, 2 edit., Vol. I, pag. 205.* Receptum est quod pars habens contra se praesumptionem, si velit contrarium probare gravetur *manifesta concludenti* et *fortiori probatione.* Rota, *Dec. Recent., dec. 117, n. 3; dec. 290, n. 1; dec. 469, n. 2, par. 3; dec. 45, n. 7, par. 4, tom. I; dec. 99, p. XVII, diei 17 Aprilis 1671 coram Emerix., p. 11,* - quod onus in casu in Parochum actorem refunditur, qui proinde actionem suam contra Sodalitatem aliquo particulari titulo manifeste tenetur sustinere.

Iamvero, actis inspectis, Parochus intentionem suam sive quoad

sacras functiones in festo SS. Cosmae et Damiani fieri solitas, sive quoad collectas, eadem recurrente solemnitate, a fidelibus factas concludenter non probat, immo potius contrarium resultat ex parte Sodalitatis.

Enimvero Parochus primo ratiocinatur a priori, nullo iuridico innixus fundamento; cum enim Sacellum Beatae Mariae Virgini Immaculatae sacrum, antequam inibi erigeretur Sodalitas, infra paroeciae limites existens parochi iurisdictioni esset subiectum, ipse retinuit, Parochum noluisse se privare iuribus, quibus super illo antea fruebatur. « Concludendum videtur, rememoratam suburbanam Capellani, ait causae patronus, semper mansisse nedum sub parochialis Ecclesiae iurisdictione, « sed et in eius proprietate, sicut et ab initio erat». Quod et sententia ipsa appellata retinuit: « Essendo stata istallata la Confraternita " *Mater « Misericordiae* " nella Cappella della Immacolata già esistente sin dal 1689, « e però come cappella urbana soggetta al Parroco, si deve necessariamente supporre, che esso Parroco cedendo detta Cappella abbia riserbato a sè il diritto di compiere le funzioni, e di ricevere le oblazioni « nella festa dei Santi Medici Cosimo e Damiano ».

Verum non supponi sed probari debet, et quidem *manifeste,* Parochum haec sibi reservasse. Ius enim commune suffragatur Sodalitati, quae est in quasi possessione iuris ea omnia peragendi, quae non sunt de iure parochiali; eius proinde favore stat praesumptio iuris contra Parochum, qui cum asserat haec iura sibi reservasse, probandi onere gravatur, uti supra dictum est. Parochus igitur in casu probare tenetur agi de exceptione facta a iure communi, quam ipse valet in sui favorem invocare. Decretum enim *Urbis* et *Orbis* S. R. C, quod ius Sodalitati assignavit, casus etiam excepit favore Parochorum. Quod tamen PP. Auditoribus visum est in actis nullimode probatum.

Non enim est cur in casu sermo instituatur de pactis in erectione Sodalitatis, hanc inter et Parochum, initis, nullum enim, Parocho ipso fatente, adest documentum, quod hac super re aliquid innuat. « Nullum « habetur documentum de facta cessione huiusmodi proprietatis in Sodalitatis favorem, nec unquam a quovis de eodem factum est verbum ». Quare commentitium est pactum, quod in cessione Ecclesiae facta Sodalitati praesumitur initum. Quod pactum eo vel magis debet excludi quia iuridico caret fundamento. Supponitur namque ab actore conventio inter Parochum et Sodalitatem inita ea lege, ut Sodalitati concessa hospitalitate in Ecclesia Deiparae Immaculatae, *proprietas* huius penes Parochum ipsum remaneret; qui proinde hoc titulo *proprietatis* sibi reservatae in erectione Sodalitatis omnia iura, etiam circa non parochialia, valet exercere ad praescriptum exceptionis factae in Decreto *Urbis* et *Orbis*

10 Decembris 1703. « Necessario concludendum videtur, rememoratam Ca-
« pellam suburbanam semper mansisse nedum sub parochialis Ecclesiae
« iurisdictione, sed et in eius *proprietate, sicut et ab initio erat;* nec hospi-
« talitatem, qua indultum est Confraternitati in eadem Capella residendi
« huic aliquam potuisse *proprietatem transferre super Capellam ipsam ».*
Verum certum est in iure, Ecclesias esse extra commercium, seu in proprietate et dominio privatorum esse non posse. Ideo proprietas Ecclesiae, in qua existit Sodalitas " *Mater Misericordiae* " immerito adscribitur Parocho, qui proinde fundamento caret, cui innitatur ad demonstrandam Ecclesiae illius subiectionem Ecclesiae parochiali in ordine ad iura non parochialia, quae sibi debita ipse praetendit.

Aliunde autem Gaspar Trazza altare a se erectum et SS. Cosmae et Damiano dicatum ita Sodalitati commisit, ut quidquid oneris esset pro eo vel manutenendo vel reficiendo ipsamet sustineret. « Nella qualità
« di erede di Gaspare Trazza, mio nonno, so che da quest' ultimo, per
« sua devozione speciale, venne eretto un altare ai Santi Medici nella
« Confraternita " *Mater Misericordiae " e noi non ci siamo mai incaricati*
« di manutenzione perchè s'intendeva affidata alla Confraternita ». Insuper Sodalitas ipsa aere proprio Ecclesiam refecit, exornavit, amplificavit: omnes sustinuit expensas, nedum pro sacris obeundis, sed etiam vectigalibus solvendis, et redditus ipsa percepit derivantes ex duobus cubiculis supra Sacrarium existentibus; immo etiam aes templi S. Nicolai anno 1825 a Parocho obtinuit vi contractus emptionis-venditionis. Quae omnia consignata libris administrationis Sodalitatis in unum collecta a publico Notario facta sunt publici iuris per actum diei 10 Martii 1910. Ex quibus PP. Auditores deduxerunt legitimam praesumptionem, immo moralem certitudinem de independentia Ecclesiae Deiparae sine labe conceptae a Parocho, qui rectius retentus est Capellam ipsae Sodalitati cessisse absque limitatione et iuris alicuius reservatione; de hoc enim constare deberet, et nullum interim in medium allatum est instrumentum. Gubernium enim alicuius Capellae vel Oratorii et redditum administratio huius subiectionem excludunt Ecclesiae Parochiali; maxime si haec in illius dotationem non concurrat: « Probavit dictum Oratorium
« seu Capellam S. Mariae fuisse erectam ex Christi fidelium oblationi-
« bus..... eique traditum fuisse *gubernium et redditum administrationem*
« quae omnia excludunt subiectionem, ad quam inducendam non sufficit
«Ecclesiam fuisse erectam intra limites alicuius Ecclesiae, sed inter
« alias requiritur, *quod sit dotata de redditibus et proventibus illius,* ut
« ex pluribus firmat Valenzuel *cons. 45 n. 50 lib. L* - Molines *decis. 990*
« 3 Iulii 1705 tom. 4 n. 3 et 4 ».

Parochi defensio Constitutiones Synodales invocat, in quibus statuitur: « In Oratoriis seu Ecclesiis Confraternitatibus laicorum addictis «nullae aliae sacrae functiones fieri debent, nisi quae in approbatis « Regulis Confraternitatis exprimuntur, sub poenis interdicti eiusdem « Ecclesiae et suspensionis Rectoris » (cap. V, § XII). Sed regulis inspectis et rite examinatis, quae existunt in actis, quamplurima statuta visa sunt, quae Confratrum vitam privatam moderantur, et religionis pietatisque opera non pauca commendant, ut ipsi bonis honestisque moribus imbuantur, quin locus et modus iis explendis adsignetur. Ad exercitia communia a Confratribus peragenda, haec generice statuta sunt. « XII. « Tutti siano diligenti a venire per tempo all' Oratorio nei giorni ed « ore determinate » : et ad munia obeunda a Rectore quod spectat, haec etiam valde generice designantur: « XIX. Finalmente per la direzione « spirituale dovrà a nomina dei Priore e con la maggioranza dei detti « fratelli eleggersi un dotto e zelante sacerdote per Padre Spirituale.... « la sua incombenza si restringerà *nella semplice e nuda spiritualità* ». De functionibus sacris in Ecclesia Sodalitatis explendis ne verbum quidem invenitur. Nisi ergo velimus adserere, nullas omnino functiones sacras a Sodalitate in Ecclesia sua fieri posse, retinendum est eas peragi debere ad formam iuris communis, cuius Constitutiones Synodales nullam faciunt restrictionem ; consequenterque Sodalitati licere eas peragere functiones quae occasione festivitatis SS. Cosmae et Damiani peraguntur. Coeterum si quae excipiendae sunt functiones Rectori Sodalitatis prohibitae, hae sunt: « 1.° Che in ogni esequie resti fermo il diritto del « Parroco; 2.° che le processioni ed esposizioni del Venerabile possino « farsi, precedute le debite licenze », nam Regius Maior Cappellanus in suo voto, haec duo tantum excepit opinatus, petitum Regium Beneplacitum concedi posse sive quoad Congregationis existentiam, sive quoad Regulas observandas: et Rex Ferdinandus hoc votum in sua concessione sequutus est: « Nos vero dictis petitionibus tam iustis ac piis « libenter annuentes.... tenore praesentium.... fundationem praedictam et « ipsa praesentia Capitula acceptamus, approbamus et convalidamus.... « nostrumque eis assensum realem et consensum interponimus et prae- « stamus usque ad Nostrum Regium Successorumque Nostrorum Bene- « placitum.... *cum supradictis clausulis, conditionibus et limitationibus in « dicta relatione Supradicti Nostri Regii Cappellani Maioris, ac in omnibus « servata forma relationis praedictae* ». Quare ex Synodali Constitutione nullum favore Parochi argumentum exurgit.

Ad consuetudinem etiam Parochus provocat, quam in sui favorem dicit esse *saecularem.* « Licet hae functiones in honorem SS. MM. paro-

« chiales non sint, de iure parochiali tamen, *ob saecularem consuetudi-* *« nem,* et munere Parochi loci devenerunt »: et hoc admittit etiam sententia appellata: « Considerando, che nel fatto il Parroco ha esercitato *« sempre* il suo diritto o per sè o per mezzo del suo sostituto ».

Certum quidem est, consuetudinem contra ius esse posse rationabilem, et semel legitime introductam posse contra ius praecribere, seu legem abolere: sed ut hanc vim exerat consuetudo praedita sit oportet debitis conditionibus, inter quas tempus immemoriale recensetur, et non interrupta, sed continuata actuum repetitio. « Si tamen consuetudini « introducendae resistat lex, non quidem reprobando eam tamquam « irrationabilem aut corruptelam, sed expresse eam prohibendo requiri- « tur cum titulo 40 annorum tempus, vel sine titulo tempus immemo- « riale, idest tempus de cuius initio memoria non extat. Requiritur autem, « ut haec etiam consuetudo cuiuscumque temporis illa sit, si via prae- « scriptionis novum ius introducere debeat, legitimo tempore sit con- « tinuata, et semel coepta nullo actu contrario sit interrupta » Pihring, *De Consuet. Lib. I, § VI, n. 1.*

Iamvero neutram verificatum favore Parochi apparet ex actis. Qui enim ab ipso inducti sunt testes ne verbum quidem faciunt de sacris a Parocho peractis in festo SS. Cosmae et Damiani, sed unice de oblationibus ab ipso collectis loquuntur, et quidem ab anno 1853; immo tempore nobis longe proximiori. Etenim excepto Quintino Denuccio, qui septuagesimum secundum aetatis annum attigit, et dempto Ioanne Serra qui a testimonio ferendo est prohibitus utpote Sodalitati inimicus, a qua ab officio aeditui remotus fuerat « dalla quale fui espulso 1' anno « passato per ragione di partiti amministrativi », duo qui supersunt testes unus annos 39 natus, alter 35, orti proinde ille anno 1861, iste anno 1865, nonnisi ab annis 1873 et 1877 ad summum possunt testificari, quibus pubertatem adepti sunt. Ad *summum,* inquam; nam nemo est ex his, qui tempus assignet, quo fidelium oblationes colligi coeperunt: « D. Gae- « tano Maggio raccoglieva le oblazioni dei fedeli il giorno 27 Settembre « di ciascun anno e poi le consegnava al Parroco », « tutte le oblazioni « che si raccoglievano nel giorno della festa dei detti Santi venivano « consegnate al Parroco ». Nihil ideo impedit quominus huius collectionis initium serius statuatur. Neque dicatur septem testes deposuisse favore Parochi pro sacris ab ipso celebratis; eorum enim testimonium nihil probat in iudicio, datum est enim extraiudiciali forma coram Vicario Foraneo loci Gagliano del Capo sine iudicis delegatione et a testibus non iuratis ideoque fidem non merentibus. *I. iurisiurandi 9, Cod. Cap. Nuper 51, de Test, et attesi.;* a Parocho inducti et coram eo interesse

habente auditis tempore suspecto die 29 Maii 1910, pendente scilicet appellatione; et tandem deponentibus de sacris functionibus factis non a Parocho, sed *a Clero* in festo SS. MM. « prima dei 1853 si trovavano « erette le statue dei SS. Cosimo e Damiano, *ed il Clero si prestava* « ogni anno ad espletare le funzioni sacre nei giorni della festa e novena « precedente ». Consuetudo ergo invocata quoad sacra peragenda non existit, et quoad oblationes fidelium tempus immemoriale non habet.

Sed neque continuata actuum repetitio verificatur. Nam exclusa sacrorum celebratione, de qua ex parte Parochi nulla existit probatio, oblationes fidelium quod attinet, hoc unum resultat, Parochum illas collegisse vel Rectore Sodalitatis absente « in assenza del Padre Spiri- « tuale » vel eo alias impedito « per supplire il Padre Spirituale ». Ideo Parochus oblationes collegit non quidem *iure proprio,* sed vel ex tacita vel expressa Rectoris delegatione. Et si aliquando Parochus, Rectore praesente, ausus est aliquid attentare, Confraternitas ita restitit, ut ipse ab oblationibus colligendis desistere coactus fuerit: « nel 1853 comin- « ciarono ad aver luogo le oblazioni in onore dei SS. Medici. Sorse « questione tra il detto Margarite ed il Parroco Chiffi circa il diritto di « tali oblazioni, e deferita al Vicario Capitolare di quel tempo fu riso- « luta a favore del Padre Spirituale. La Confraternita non ha mai cre- « duto di cedere un tale diritto (circa le oblazioni) al Parroco.... allorché « tre anni or sono il parroco Margarite si sostituì al P. Spirituale i « Confratelli reclamarono al loro Priore contro una tale sostituzione, e « fu allora che un tal Liborio Chiffi, il più antico dei Confratelli, ebbe « a dichiarare che mai i Parroci hanno vantato diritti nella Confrater- « nita ». Parochus ergo neque iure proprio neque semper et continuo, neque pacifice oblationes collegit.

Neque valet obiicere, Sodalitatis Rectores sacra peregisse, et collegisse oblationes *nomine et iure Parochi,* cuius ipsi erant Coadiutores. Etenim si hoc sub respectu Rectores egissent, nec explicaretur oppositio a Sodalibus facta Parocho, quando hic sacris functionibus peragendis in festo SS. Cosmae et Damiani, operam dedit, « la sostituzione del Par- « roco nelle funzioni dei SS. Medici produsse un turbamento tra i Con- « fratelli » ; cum enim hic iure suo, in hypothesi, uteretur, Sodales nedum nihil potuissent obiicere, sed etiam ministerium eius admittere ac revereri debuissent : nec factum explicaretur *ordinariae* eius absentiae, cuius vices *semper* Rectores Sodalitatis gessissent; imo nec explicaretur cur Parochus sacra peregisset *tantum* vel Rectore absente, vel eo alias impedito veluti huius delegatus, « *per supplire* il P. Spirituale nella raccolta « delle obblazioni; *nell'assenza* del P. Spirituale veniva a *sostituirlo*

« nella raccolta delle oblazioni ». Sed insuper Sodalitas ex tabulis fundationis Rectores libere sibi elegit, qui semel electi muneribus propriis obeundis ad formam iuris communis vacant independenter a Parocho. Et revera qui Sodalitatis fuerant Rectores non omnes fuerunt Vicarii seu Parochi Coadiutores. « Dopo la morte dei sacerdote Gaetano Maggio « fu nominato Padre Spirituale della Confraternita il sacerdote Vito Fer- « surella, *il quale non fu mai sostituto del Parroco* », qui cum nihilominus sacra omnia explevisset Sodalitatis propria, novendialibus supplicationibus praemittendis festivitati SS. Cosmae et Damiani non exclusis, iure retinetur ea omnia proprio nomine et facultate Rectoris propria, non vicaria Parochi potestate et delegatione, peregisse. Ceterum esto quod Rectores Sodalitatis officio Vicarii Parochorum functi fuerint; sed hoc est per accidens, et nihil habet commune cum officio Rectoris, ut inde concludi debeat, Parochum, mediante Vicario suo, in Sodalitatis Ecclesia sacra peregisse et oblationes collegisse.

Quare invocata consuetudo ex parte Parochi destituta apparet essentialibus requisitis temporis immemorialis et continuati exercitii, quod, saltem quoad sacras functiones, extitit nunquam; et ideo ad rem non facit. Eo vel magis, quod praescriptio contra Decreta Clementis XI non introducatur nisi spatio 100 annorum, quot non habentur in casu cum festum in honorem SS. Cosmae et Damiani solemni cultu et magna populi frequentia cum oblationibus habuerit initium anno 1853.

E contra Sodalitas per suos Rectores ius suum quoad sacras functiones et quoad fidelium oblationes est semper prosecuta. Quoad sacra peracta a Rectore testes habemus inductos a Sodalitate. David Pizzolante, annos natus 63 et Sodalitati adscriptus ab anno aetatis suae quadragesimo primo, ait: « Le oblazioni dei SS. Medici sono state raccolte « dal P. Spirituale della Confraternita, il quale ha *sempre funzionato* ». Orontius Maruccia, quadraginta quinque retro annis Sodalitatis socius, deposuit: « nel 1853 cominciarono ad aver luogo le oblazioni in onore « dei SS. Medici, le quali vennero *sempre raccolte dal P. Spirituale « D. Francesco Margherito, il quale funzionava nella novena e nel giorno « della festa* ». Quod etiam confirmat Ioannes Stefanachi, Franciscus Trazza et Vitus Colaci; immo confirmat Gregorius Amico, testis inductus a Parocho, qui per tres annos aedituus fuit Ecclesiae Sodalitatis. « Mi consta che nei giorni 26 e 27 Settembre di ciascun anno il P. Spi- « rituale della Confraternita "*Mater Misericordiae*" . . . . raccoglieva le « oblazioni dei fedeli . . . . ». Qui hoc deponunt, excepto Gregorio Amico, sunt quidem omnes Sodalitatis socii; sed eis, hoc minime obstante, plena fides est habenda, non enim in causa propria ferunt testimonium,

sed pro iure Sodalitatis, quod distinctum quid est a iure singulorum « an in causa universitatis, vel collegii qui est pars, vel membrum eius- « dem, possit testimonium ferre ? - Respondetur affirmative iuxta *c. Insu- « per 6 et in c. Cum nuntium 12, h. t.* quod verum est de collegio, seu « universitate tam saeculari quam ecclesiastica ; ita ut quilibet in par- ticulari, etiamsi talis communitatis pars sit, in testem pro sua com- « munitati admitti debeat, cum non ferant in propria causa testimo- « nium, sed pro iure universitatis, quod distinctum quid est a iure « singulorum » Pirhing, *Lib. II, Tit. XX, Leci. I, § 10.* Consuetudinem ergo, quam Parochus nullimode probat, Sodalitas in sui favorem iuri- dice statuit inde ab*initio introductae Solemnitatis in honorem SS. Cosmae et Damiani ; ad quam propterea RR. PP. Auditores ius sacra non paro- chialia peragendi, et oblationes fidelium colligendi pertinere autuma¬ runt.

Hoc semel statuto, RR. Domini quaestionem sibi proposue- runt circa usum faciendum oblationum, inquirentes, cui hae debeant assignari, et quae sequuntur observarunt. Oblationes fieri praesumun- tur propter curam animarum, quam Ecclesia sustinet; ideo factae in loco sacro aut religioso extra parochialem Ecclesiam sito, dummodo existat intra parochiae limites, per *se* sunt de iure parochiali et deben- tur Parocho « oblationes, quae fiunt in Cappella vel Oratorio sito intra « parochiae fines, non Oratorio, sed ipsi parochiali adiudicari debere « resolvunt Trois., *Mannet. de oblat. dub. 4, n. 29. Ct* Barbosa, *de Offic. « Parodi., P. III, C. XXIV, n. 22* ». Sed haec praesumptio locum non habet, et veritati cedit, cum alia offerentium voluntas patefacta est, sive expresse sive tacite ; quod verificatur si fideles donarunt templo, altari, imagini, ut cultus solemnior fieret, vel ut muri Ecclesiae restaurarentur. Tunc obla- tiones assignantur iuxta intentionem offerentium. Devoti, *Lib. II, Tit. XVII,* § 7; Barbosa, *I. c. n. 30: «* Quoties a fidelibus praestantur ad certum « finem, pro Missa scilicet, vel fabrica, hunc ad Parochum nullo modo « spectant, et voluntas eorum, qui eleemosynam seu oblationes dede- « runt, praecise servari debet ». Quare Bouix propositae quaestioni « ad « quem spectent oblationes quae fiunt tum alicui Cappellae vel Imagini « Ecclesiae parochialis, tum alicui Oratorio extra Ecclesiam parochia- « lem, intra ambitum tamen Parochiae existenti? » Respondit: « Per se « - et nisi aliter constaret de mente offerentis - ad Parochum pertine- « rent, uti docet Leurenius, *Forum Beneficiale, Par. I ».*

Quare in casu videndum est num et qualis fidelium offerentium voluntas extiterit, quae oblationum usum destinaverit. Et non est dubi¬ tationi locus quoad existentiam huius intentionis; fideles enim in casu

ea mente oblationes dederunt, ut SS. MM. festum solemniori, qua fieri posset, pompa celebraretur. Hoc enim eruitur ex generali consuetudine, quam in hac materia oblationum plurimum valere tradunt omnes; cfr. Rota, in *Lunen. Sarzanen. oblationum, 8 Februarii 1672 coram B. P.* D. *Merlino.* Constat etiam ex actis ; etenim, quae colligebantur, factae oblationes a Rectore Sodalitatis sive directe per seipsum, sive ope Parochi, impensae sunt in iis, quae ad solemnitatem festivitatis requirebantur, nemine reclamante. « Annualmente il P. Spirituale Margarito Francesco « dopo il 27 Settembre andava a pagare i debiti accredenzati e che egli « prometteva di pagare dopo la festa di S. Cosimo »: et alibi: « il sosti- « tuto dello stesso Giulio raccoglieva le oblazioni dei fedeli il giorno « 27 Settembre di ciascun anno, e poi le consegnava al Parroco, il quale « alla sua volta le distribuiva agli altri sacerdoti avendo riguardo al « maggiore o minore servizio prestato da ciascuno ». Neque contrarium evincitur ex eo quod Sodalitas eas oblationes destinaverit augendo stipendio Rectoris « ci recammo in casa del P. Spirituale per pagargli « l'onorario di 40 lire, e proporgli la riduzione dello stesso in L. 30, « facendogli comprendere, che *tale riduzione veniva ricompensata dalle « oblazioni dei SS. Medici ».* Hoc enim ex parte Sodalitatis fuit Rectori propositum; sed nunquam legitur fuisse executioni mandatum: immo dubitari etiam potest num vere propositum fuerit, cum in actis legatur : « il Parroco Margarito protesta di falsità sulla parte riguardante la « riduzione dello' stipendio del P. Spirituale ». Sed rogatione etiam admissa, eaque exequuta, nihil sequitur, quod destinationi oblationum sit contrarium. Sodalitas enim aere suo *directe* solemnitatis expensas sustinuit: « le spese del culto sono state sempre a carico della Confra- « ternita » et clarius: « incassando le questue domenicali e quelle fatte « nel giorno dei Santi Medici, sopportando tutte le spese del culto, non « escludendo quelle dei Santi Medici, come risulta da due mandati sui « conti finanziari 1904-1905 ». Quas expensas Sodalitas bene potuisset oblationibus sibi compensare; et tamen maluisset - in hypothesi - eas Rectori adsignare - quamvis non integras, allegationibus attentis - in compensationem factae diminutionis. Et hoc recidit in erogationem oblationum a fidelibus intentam; Sodalitas enim huic fini consuluit aere proprio, facta facultate Rectori oblationes aliqua ex parte retinendi, quin summae a se impensae compensationem curaret; seu Rectori, oblationibus cessis, dedit quod ei aere suo dare debuisset, et cultus expensas aere suo sustinuit quas oblationibus sustinuisset. — Ceterum hoc etiam sententia appellata concedit, quae quamvis Parocho ius colligendi oblationes concesserit, onus ei tamen imposuit eas impendendi in solemniori

cultu SS. Medicorum promovendo: « confermiamo il diritto del prelo-« dato Parroco..... inculcandogli però di invitare come per il passato il « Clero pel decoro della solennità, e dare a ciascun sacerdote un equo « compenso per l'opera prestata ». — Quas igitur Sodalitatis Rector colligit oblationes non sibi valet retinere, sed in procuranda exteriori pompa festivitatis, cui a fidelibus sunt destinatae, tenetur impendere» audita Sodalitate.

Sed in praesenti controversia etiam de expensis iudicialibus quaeritur a quo sint sustinendae. Et RR. PP. Auditores observarunt, condemnationem in expensis, attento iure communi tum civili tum canonico, speciem poenae redolere illi irrogandae, quem constiterit temere litigasse; L. *Eum quem temere* ff. *de Iudiciis* L. *Properandum 13, § 6, Cod. de Iudiciis:* Instit. *de poena temere litig., § in fine, Cap. Finem litibus 5 de dolo et contumacia, Cap. Contumax de poenis,* licet de stylo H. S. O. ea regula obtinuerit *ut metus semper fictori condemnetur in expensis;* et expensas inter partes debere compensari si constiterit ex utraque parte probabilem extitisse causam litigandi, quae temeritatem excludit. — Lega, *de iudic, p. I, Sect. III, Tit. IV, n. 706:* « In hoc propo-« situm haec habentur principia.... expensas compensari inter partes « si victus iustam litigandi causam habuerit ».

Verum cum Tribunal S. R. R. Constitutione *Sapienti Consilio* in exercitium revocatum fuerit, ea constitutione regitur sive quoad suam competentiam, sive quoad suam constitutionem et procedendi rationem. Iamvero Constitutio *Sapienti Consilio* statuit ubi desit praescriptio certa *Legis propriae,* sequendum esse ius commune, nulla de veteri stylo H. S. O. facta mentione. *Can. 19, Leg. propr., § 1, 2; Can. 43, Appendix., 3, n. 13; Regul. serv. apud S. B. B. Tribunal, Tit. V, § 185.* Et revera Rota hanc regulam sequuta est in *Segusina,* die 6 Aprilis 1909 et in *Alexandrina,* die 14 Iunii 1909.

Quare in casu videndum est quibus rationibus innixi litigantes decertaverint, ut appareat an temerarii dici debeant... Etenim temere dicitur litigare non solum qui dolo et malitia, sed etiam qui imprudenter et inconsulto litem alteri movet, vel ab altero motam acceptat. Bouix, *de iudic, par. 2, subs. 4, c 17, n. 7;* et nota temeritatis caret qui probabili fundamento victoriae innixus causam suam coram Iudice tuetur, Reiffenstuel, *Tit. XXVII, Lib. II, n. 180.* Iamvero RR. PP. DD. Auditores viderunt, Sodalitatem in casu iure communi innixam Parochum Castrignani del Capo in ius vocasse; et Parochum motam litem acceptasse ad parochialia iura tuenda, non imprudenter et inconsulto, sed praevio maturo examine, sicut facit praesumere sententia Parocho favorabilis ab

Uxentino Iudice lata. Quare Domini dixerunt;-temeritatis notam neutri competere, cui condemnatio in expensis possit infligi ; ideoque casum verificari, in quo expensarum inter partes fieri debeat locus compensationi.

Quibus omnibus consideratis et sedulo perpensis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, constare de bono iure Sodalitatis " *Mater Misericordiae* " loci Castrignano del Capo, seu propositis dubiis respondemus: Ad I.um Ad Confraternitatem. Ad II.um Esse inter partes compensatas sive prioris sive praesentis instantiae; exinde sententiam appellatam infirmamus et pro infirmata haberi volumus, decernimus et declaramus.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium ad quos .spectat ut executioni mandent hanc sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam SS. Canonum, et praesertim *cap. 3, Sess. XXV de Reform.* Conc. Trid. iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, die 9 Iulii 1910.

Gustavus Persiani, *Ponens.*

L. £g S. Gulielmus Sebastianelli.

Ioseph Alberti.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

II.

S. CHRISTOPHORI DE HABANA.

NULLITATIS MATRIMONII (ESTEVEZ-G. LAZA).

Pio Papa X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno VII, die 11 Iulii 1910, RR. PP. DD. Ioannes Prior, Ponens, *Aloisius Sincero et Iosephus Mori,* Auditores de Turno, *in causa* S. Christophori de Habana. Nullitatis Matrimonii, *inter Petrum Estevez Abreu, repraesentatum per procuratorem Vincentium Sacconi,* Advocatum, *et Catharinam Laza, contumacem, interveniente et disceptante in causa Vinculi Defensore ex officio, sequentem tulerunt sententiam.*

Quo tempore bellum exardescebat Hispaniam inter et Foederatos Americae Status, imminente Cubanae insulae obsidione, plurimi eiusdem incolae, ut belli pericula et incommoda vitarent, in Americam confuge-

runt. Inter ipsos et Catharina Laza, puella parentibus orbata, quae, relicta domo tutoris in civitate Habana, ubi cum sororibus convivebat. Tampam, parvum Floridae oppidum appulerat, ibi moram peractura. Iuvenis, cui ex pacto sponsali iam inito nuptura erat, Petrus Estevez y Abreu, e divite familia oriundus eiusdem civitatis Habanensis, ubi domicilium cum patre fovebat, id temporis in Europa voluptuarium carpebat iter. In Americam reversus statuit bello adhuc durante, matrimonium inire. Idcirco Tampam petiit, et Rectorem Ecclesiae S. Aloysii, Patrem Tirel S. I. rogavit ut ipsum cum Catharina matrimonio coniungeret. Rector, ut narrat actor in causa, recusavit. Vice-parochus autem, Pater de Carrière S. I. in spem induxit Petrum, dicens se responsum daturum postquam rem mature ponderaverat. Tertia vice rogatus, tandem modum se invenisse dixit, quo sponsorum desideriis acquiescere posset. Coram illo reapse, praemissis denuntiationibus, et praesentibus duobus testibus, celebratum est matrimonium die 15 Augusti an. 1898. Eadem die coniuges Tampa discessere, haud inde reversuri, et confecto itinere nuptiali, Habanam regressi sunt. Mulier post aliquot annos, datae fidei immemor, alienis indulsit amoribus, virum deseruit et prolem legitime toro susceptam, atque, divortio facto, cum amasia civili vinculo iuncta est. Hac aerumna oppresso, Petro spes aliqua affulsit se vinculo sacramentali revera non obstringi, et, patre hortante, Curiam Habanensem adiit ut matrimonium nullum declararetur, utpote clandestine contractum, cum neutrius sponsi parochus, sive sacerdos ab eodem delegatus, matrimonii celebrationi adstiterit. Cum, vero, Episcopus Habanensis ratus sit se iurisdictione in causa carere, quia Petrus de Habana ad Parisios sedem transtulisse videbatur, quod confirmavit Provinciae Metropolitanus, Petro instante apud S. Sedem, ad S. C. Concilii causa avocata est. Haec mandavit ut ab Episcopo Habanensi de more institueretur inquisitio. Interim controversia commissa fuit H. S. Ordini iudicanda, et completo processu instructorio, cui interesse omnino renuit Catharina Laza, diribitae fuere citationes de iure. Mulier autem reperiri nequibat, ac proinde per edictum, in ephemeride *Acta Apostolicae Sedis* die 20 Decembris an. 1909 promulgatum, citata fuit, et cum in audientia Tribunalis die 10 Februarii habita, die et hora in citatione edictali designatis, non comparuerit, contumax est declarata, et quaestio sub consueta dubitandi formula proposita fuit: *An constet de nullitate matrimonii in casu?*

Oppidum Tampa ad dioecesim pertinet S. Augustini, quae erecta fuit per decretum Pii IX die 11 Maii 1870, et ad Provinciam Baltimorensem tanquam suffraganea, devicta, ut patet ex verbis eiusdem decreti: « In territorio Floridae novam, hisce litteris, episcopalem sedem erigimus,

iisdem limitibus definitam, quibus vetus Vicariatus continebatur, eique a civitate Sancti Augustini nomen fieri mandamus. Illam porro suffraganeam esse iubemus Archiepiscopo Baltimorensi etc. ». Iamvero, nullibi in Provincia Baltimorensi, ex iure antepiano vigebat, tempore quo matrimonium in casu contractum fuit, Decretum Tridentinum *Tametsi* de Clandestinitate, uti scimus ex actis et Decretis Concilii Plenarii Baltimorensis Tertii, a die 9 Novembris a diem 7 Decembris anni 1884 habiti, cui intererat ipse Episcopus S. Augustini, Ioannes Moore *sub n. 135* Actorum dicti Concilii haec leguntur: « Decretum *Tametsi* de matrimoniis clandestinis a Tridentino Concilio editum *(Sess. 24, cap. I, de Ref.)* non vigere asseritur in sequentibus horum Statuum Foederatorum Provinciis Ecclesiasticis: scilicet in Baltimorensi, Philadelphiensi:... Chicagiensi, exceptis quibusdam locis Dioecesis Altonensis mox citandis ». Nulla exceptio, vero, notatur relate ad Provinciam Baltimorensem. Praeterea, de locis ubi promulgatum est vel secus Decretum *Tametsi* loquens Gasparri, *de Matr., vol. 2, n. 1063,* ait: « Elenchum pleniorem dat Ioder, *op. cit., in App.* Proinde hanc Appendicem nonnullis additis vel mutatis, referimus in Alleg. VI ». In hac Appendice palam declaratur Decretum praefatum non vigere in Dioecesi S. Augustini, in qua situm est oppidum Tampa.

Ad probandum in Floridae regione, quae olim sub Imperio Hispanorum comprehensa fuit, vigere notum Decretum, Actoris Patronus Instructionem citat S. Officii diei 9 Sept. 1824: « Adeo relatum "est quanta religionis studio Hispaniarum Reges Concilii et Apostolicae Sedis obsequentes, in eiusdem Concilii publicationem in omnibus eorum ditionibus faciendam incubuerint, ac quanta pariter sedulitate Concilii decreta observari curarint Hispaniarum ditionum Antistites ; ut nec vel minimum dubitari queat de eiusdem decreti in Hispanicis Americanis regionibus observantia ». Zitelli etiam inter loca ubi promulgatum fuit decretum enumerat generatim Regiones omnes quae sub ditione quondam fuerunt Hispanorum sive Lusitanorum » *(Apparai. Iur. Eccles., p. 430).* Et notat ibidem responsionem S. Officii factam Vicario Apostolico Arizonensi, quaerenti utrum pro tota regione quae sub regimine Hispanico extitit tamquam promulgatum censeri debeat Concilium, an solum pro ea parte regionis quae tunc temporis incolas habebat: respondit S. O. die 23 Ianuarii 1882: Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam partem. Hac generali regula forte ductus, Mansella deserte asserit Floridam esse locum in quo publicatum est et viget decretum *(De Imped. Matrim. Dirim., p. 134, ed. 1881).*

At non ubique Decretum semel publicatum in vigore semper per-

mansit, uti nos docet Pius VII in Brevi ad Archiepiscopum Moguntinum diei 8 Ian. 1803, affirmans matrimonia clandestina rata et firma consistere ubi Decretum : « Vel nunquam publicatum vel nunquam observatum tanquam eiusmodi Concilii decretum, vel, si quandoque observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit ». Quodnam sit longum temporis intervallum expressum non est, et variae sunt Doctorum sententiae, de quibus hic non inquirendum. Stante declaratione Concilii Plenarii Baltimorensis III, praesumendum est hoc temporis intervallum in casu satis longum fuisse ut in desuetudinem abiisse censeatur Decretum, quod olim sub ditione Hispanica fuit promulgatum. Minus accurate forte scripsit Dioecesis S. Augustini Cancellarius, cuius epistola est in Actis: « Decretum *Tametsi* nunquam fuit promulgatum Tampae ». At normam recte indicavit quam sequitur Curia Dioecesana, Concilio Plenario docente, in matrimoniorum celebratione.

At minime sequitur ex eo quod Decretum Tridentinum Tampae non vigere constat, matrimonium ibi sine forma tridentina contractum illico validum censeri deberi, quin ulla haberetur necessitas inquirendi de sponsorum domicilio vel quasi domicilio. Nam ut notat alia Instructio S. Officii diei 14 Decembris 1859: « Lex Tridentina de clandestino matrimonio debet sane in unaquaque paroecia promulgari iuxta illius censuram, sed facta semel promulgatione eiusque observantia permanente, lex territorium afficit, et adaequate loquendo, localem et personalem esse in confesso est apud omnes ». Quia localis est, matrimonio in territorio quod afficit contracta ubicumque demum catholici contrahentes domicilium foveant, legis obligationi subiiciuntur. Quia personalis est, obligatio personae inhaeret, eosque, qui domicilium vel quasi-domicilium habent in paroecia ubi viget, tanquam umbra sequitur ubicumque vagantur, etiam in locis qui a Decreto irritante sunt immunes.

Certum est eos qui a loco ubi viget Tridentinum ad locum ubi non viget domicilium transferunt, vel quasi-domicilium in loco immuni acquirunt, etiamsi id fiat solo animo matrimonium ineundi, posse ibidem validum matrimonium sine forma tridentina contrahere. Nam iure suo utuntur, et nullus videtur dolo facere, qui suo iure utitur *1, 55, ff. de Reg. Iur. «* Certum est pariter eos qui, domicilium retinentes in loco legi subiecto, ad alium locum immunem transeunt, quin ibi saltem quasi-domicilium acquirant, solo animo matrimonium ineundi, ibidem validum matrimonium sine forma tridentina contrahere non posse. Haec patent ex celebri responsione S. C. C. quam dedit die 5 Sept. 1626 Archiepiscopo Coloniensi Electori, quam deinde Apostolica sua auctoritate confirmavit Urbanus VIII, die 14 Aug. 1627.

Tria sequentia proposuerat Archiepiscopus dubia: « 1. An incolae tam masculi quam feminae loci in quo Conc. Trid. in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere; % Quid si eo praedicti incolae tam masculi quam feminae solo animo sine parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes; 3. Quid si iidem incolae tam masculi quam feminae eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant? » Responderunt Cardinales: « Ad primum et secundum non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes cum fraude; ad tertium vero, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum ». Quam responsionem tanquam normam in huiusmodi quaestionibus proponit Benedictus XIV in epistola ad Archiepiscopum Goanum « Paucis ab hinc » diei 19 Martii 1758.

Si solo animo matrimonium contrahendi, vel etiam praecipuo, ad locum immunem sponsi se conferunt, conveniunt Doctores matrimonium esse nullum, quia cum fraude contractum, parochum videlicet fraudando iure suo matrimonio assistendi. At de interpretatione primae responsionis Urbani VIII non una est auctorum sententia. Dubium, enim in primo loco propositum de animo transeuntis in locum a lege tridentina immunem nihil continet, sed tantummodo factum transitus notat: responsio autem declarat: « *sic transeuntes cum fraude* non contrahunt legitimum matrimonium » ac proinde sequitur transeuntes sine fraude non comprehendi in responsione prima. Quid vero significet *sine fraude*, seu quid sufficiat ad fraudem purgandam non fuit unanimis sententia. Alii tenent fraudem haberi quotiescumque' non acquiratur in loco peregrinationis domicilium vel quasi-domicilium ab uno alterove sponsorum. Et haec sententia certe magis conformis est Instructionibus S. C. S. Officii, quae de vi personali legis tridentinae loquuntur, et aliud medium purgationis a fraude non exhibent praeter domicilii acquisitionem. Ita Instructio S. Officii 14 Decembris 1859 ad Archiepiscopum S. Francisci: « Quatenus vero personalis est, obligat qui domicilium vel quasi-domicilium habentes in loco ubi Tridentinum Decretum promulgatum est et viget, in altero ubi non viget contrahere vellent ». Et in litteris Encyclicis S. Officii die 7 Iunii 1867 ad Episcopos Angliae et Stat. Foeder. Americae Septentrionalis: « Iuxta ea quae in hoc decreto (Urbani VIII) sanciuntur, qui domicilium habent et retinent in loco ubi tridentina lex viget, nequeunt matrimonium contrahere in loco ubi non viget, nisi ibi nedum habitationem, sed etiam vere domicilium fixerint, quo fraudem,

si quae intercesserit purgare omnino debeant ». Confirmari etiam videtur responsione S. C C . in Parisiensi matrimonii, 25 Ian. 1873, qua nullum declaratum fuit matrimonium, licet sponsus ad locum a decreto clandestinitatis immunem transiens, animum contrahendi non habuerit. Confirmari videtur, dicimus, quia S. Congregatio rationes sententiae datae assignare non solet, ac proinde una decisio non valet ad iurisprudentiam praecise determinandam.

Aliam sententiam propugnans, scribit Palmieri-Ballerini, vol. 6, n. 1190: « Nota bene voces *cum fraude.* Idcirco hoc decreto non reprobatur doctrina superius tradita (1187 et seq.) de transeuntibus in ea loca propter alias causas. Qua de re Benedictus XIV *(Instit. 33, n. 9, ad fin.).*

« Igitur matrimonium primo et secundo loco expositum, irritum decernitur, cum fraus intercesserat » matrimonium tertio loco allatum etiam cum fraude validum declaratur, quia novum quoque domicilium accesserat ». Sub n. 1187, *op. cit,* haec habentur: « Itidemque conveniunt DD. eum, qui causa negotiorum, commercii, vel alio quovis fine, praeterquam ex sola intentione clam ibi contrahendi se transfert in locum ubi Tridentinum promulgatum vel receptum non est, valide contrahere, etsi nec domicilium nec quasi-domicilium acquirat, et contractui illi nec parochum nec testes adhibeat ». Et Editores *Act. S. Sedis (vol. 7, p. 557)* in Appendice quam subiiciunt sententiae S. C. C. in Causa Parisiensi de qua supra, haec scribunt: « Existimandum non est per hanc declarationem S. Congregationis quidquam detractum fuisse sententiae tum Theologorum tum Canonistarum, ubi statuunt eos, qui se conferant in locum, in quo decretum Tridentinum aut nunquam promulgatum fuit, aut obligare desiit, valide contrahere non servata forma a Concilio praescripta, etsi animum non habeant Agendi ibi domicilium aut quasi-domicilium, dummodo tamen illuc se non contulerint in fraudem legis, intentione scilicet inibi contrahendi clandestine..... Et quidem admodum temperate ci. Ballerini hanc doctrinam mere dixit communiorem « quando ceu absolute communem eam tradiderunt et Reiffenstuel *(lib. 4, tit. 3, n. 123),* et Pichler *(lib. 4, tit. 3, n. 14),* et Marcus Struggi *(De Matr., lib. 3, n. 180),* et Ferraris (V. *Impedim., art. 2, n. 110) :* quin et communissimam Georgius Gobat *(Traci. IX, num. 484),* professus est ».

Haec sententia, quam communiorem vocat Emus Gasparri, licet primae tanquam veriori omnino adhaereat, non omni solida probabilitate destituta dici potest, ac proinde in dubio de matrimonio hoc modo uti explicant auctores, sine fraude contracto, pro eiusdem valore pro-

nunciandum est. Ex actis constat Catharinam Laza, quando fugam a Civitate Habanensi arripuit, Tampam se contulit, quin ullam habuerit ibi intentionem matrimonium clam ineundi, sed eo tantum animo ut imminentis obsidionis pericula declinaret.

Alia habetur ratio, et illa apodictica, ob quam dicendum est obligationem personalem in casu matrimonium coram Parocho Habanensi celebrandi omnino cessasse ex parte mulieris, et propter individualitatem contractus, etiam ex parte viri, cum ipsa quasi-domicilium Tampae acquisierit per commorationem ibidem unius integri mensis spatio. Ita statuit decretum S. Officii diei 6 Maii 1886, ius particulare instituens pro Statibus Foederatis Americae Septentrionalis: « Concilio Baltimorensi (Plenario III) postulante, supplicandum SSmo ut decernere dignetur in Statibus Americae Confoederatis se transferentes e loco, ubi viget *Tametsi,* in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem unius integri mensis, et status sui libertatem uti iuris est, comprobaverint, censendos esse ibidem habere quasi-domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per maiorem anni partem. In audientia 12 Maii 1886 SSmus approbavit ».

Obiectio vero Actoris Patroni quod hoc ius particulare pro subditis tantum dictorum Statuum institutum fuerit, non autem pro alienigenis ad Status Unitos migrantibus minime est attendenda. Primo, quia ubi « lex non distinguit nec nos distinguere debemus ». Secundo, « distinctionem illam non esse faciendam ostendit ipse finis legis, prout a Patribus Concilii Baltimorensis exponitur. Aiunt, enim » *(Acta Conc. Plen. Baltimoren., III, n. 138).* Quum tam saepe fideles e sua dioecesi ad aliam transeunt dubiaque plurime de proprio illorum domicilio oriuntur, et sacerdotes quos matrimonii contrahendi causa adeunt, dubii saepe haereant de proprio illorum domicilio, Patres huius Concilii Plenarii censent orandam esse S. Sedem, etc. Hac ratione consuletur quieti conscientiarum, praecavebuntur incommoda gravissima, et vitabitur scandalum nimis frequens apud nos, quod oritur ex sponsis catholicis ad magistratum civilem aut praecones haereticos matrimonii causa confugientibus. « Nemo non videt huiusmodi motiva pari, imo fortiori, ratione urgeri posse in casu adversariorum. Tertio, denique, auctores, de hoc decreto tractantes, illud applicant generatim matrimoniis in Statibus Foederatis contractis, quia matrimonia advenarum excluduntur. Ita Gasparri, *Be Matr., vol. 2, n. 1089;* Wernz, *Be Matr., p. 277, not. 191;* Sabetti, *Comp. Theol. Mor., n. 913, q. 1;* Zitelli, *Apparai. Iur. Eccles., pag. 421;* Palmieri-Ballerini *vol. 6, n. 1193;* Bucceroni, *Theol. Mor., n. 1026.* Et hic auctor hunc

praecise casum considerat in casibus conscientiae, *n. 430, p. 554,* sponsorum nempe e Gallia in Status Foederatos Americae ad matrimonium contrahendum confugientium, et huiusmodi matrimonium validum esse iudicat.

Dna Catharina Laza e loco ubi vigebat caput *Tametsi,* Habana nimirum, Tampam venit. Quod illa Tampae continuo commorata sit per spatium saltem unius mensis, abunde constat ex actis. Emanuel Romeu testatur: « Caterina... contrasse matrimonio in Tampa, ove erano « circa tre mesi che risiedeva ». Iustus Fernandez Moiardin: « .... vi « dimorava da due o tre mesi prima della celebrazione del matri- « monio ». Didacus Torres-Perez: « Caterina Laza visse circa tre mesi « in Tampa prima di celebrare il matrimonio ». Idem deponunt alii testes, qui minus categorice loquuntur. Ita Aloysius Camargo: « .... gli « pare che furono tre o tre mesi e mezzo il tempo che la signora Laza dimorò in Tampa prima della celebrazione del matrimonio ». Aurelius Melerò: « .... che non può precisare il tempo, ma che crede che furono « circa tre o quattro mesi ».

Contradicit Albertus Morales, qui respondit: « che non poteva pre- « cisare il tempo che Caterina Laza rimase in Tampa prima di mari- « tarsi, ma che gli sembra che furono pochi giorni ». Hoc testimonio, tamen probatio non redditur dubia, quia unus est contra plures, qui etiam maiore certitudine loquuntur. Confirmat ipse actor, qui ait: « Quand nous nous sommes mariés, il y avait à peu près un mois « qu'elle s'y trouvait ».

Neque praetermittendum est testes omnino silere de quovis itinere a muliere peracto temporis intervallo quod intercessit inter adventum eius Tampae, ante insulae obsidionem die 23 Aprilis 1898 incoeptam, et diem 15 Augusti, quo matrimonium celebratum est.

Frustra autem obiicit actoris Patronus inquisitionem non esse factam de statu libero contrahentium, et propterea non habuisse effectum Decretum S. Officii, quod talem inquisitionem tanquam conditionem sine qua non requirit. Omissio enim inquisitionis non probatur in casu, et illam factam fuisse praesumi debet, ex noto principio quod « omne factum rite factum esse praesumitur donec contrarium probetur ». Vis huius praesumptionis generalis, facto innixae matrimonii coram ecclesia celebrati, quod iuris favore gaudet, augetur in casu ex testimonio Rectoris Ecclesiae Tampensis, qui dicit: « Patrem de Carrière, S. I., diligenter inquisivisse de statu libero contrahentium, utpote verum in iis rebus accusatum ».

At quamvis etiam omissa fuisset inquisitio, non ideo irrita esset

acquisitio domicilii ad normam decreti S. Officii. Obligatio, enim, comprobandi liberum contrahentium statum urgetur tantummodo in eodem Decreto prout et quatenus in iure communi continetur, uti satis ostendunt verba: « dummodo status sui libertatem, *uti iuris est,* comprobaverint ». Omissio autem huiusmodi inquisitionis ex iure communi non irritat matrimonium.

Quoad clausulas essentiales, quarum omissio exsecutionem facultatis reddit invalidam, scribit Putzer, *Comment, in facult. Ap., n. 13,1, c.* « Quae in forma conditionali per coniunctiones, *sin autem, dummodo, postquam,* etc. per ablativum absolutum exprimuntur, communiter ita de valore esse censentur, ut iis non servatis nihil agatur. Excipiuntur tamen illae, quae, etiamsi non additae, ex rei natura seu de iure communi observari deberent, et habentur, si additae sunt, tanquam monitiones seu praecepta, quae obligant nisi adsit causa sufficienter excusans, ut mox infra.

Ex alio denique capite matrimonium validum censeri debet, nempe quia observatu impossibilis erat in casu lex tridentina, quatenus parochum proprium respicit domicilii, ac proinde praevalere debebat lex naturalis quae matrimonium permittit. Ita Instructio S. C. S. Officii, diei 6 Iulii 1817 ad Praef. Mission. Martinicae, Guadalupae, etc. *(Coli. S. C. Prop. Fid., n. 725:* « In medium afferremus theologorum, canonistarum opinionem, multiplices S. G. G. resolutiones, recentem denique Pii fel. rec. Papae VI decisionem, in eius epistola in forma Brevis. Episcopo Lucionensi in Gallia directa 28 Maii 1793 quae incipit *Perlectae sunt n. 3,* in quibus pariter legem tridentinam, quoad suum effectum, suspensam remanere etiam quoad illa loca, in quibus fuit publicata, atque in observantia servata, quoties aut non amplius observari potest, aut non potest observari quia pericula et obstacula insuperabilia, aut superatu difficilia offendantur ; idque accidit, quando aut parochi desunt, aut facilis ad eosdem, et tutus non patet accessus ». Alia documenta pontificia eiusdem tenoris sunt: S. C. S, Officii, 15 Ianuarii 1784 ad Vicarium Ap. Sutchuen; S. G. Prop. Fide, die 1 Martii 1784 ad Vicarium Apostolicum Tunk. Orient., Epistola Pii VI ad Episcopum Lucionen., 28 Maii 1793, Epistola Pii VI ad Episcopum Geneven., 5 Oct. 1793; S. C. Concilii, 18 Ianuarii 1863; S. G. Prop. Fide, 2 Iulii 1827, ad 2™; S. G. S. Officii, 1 Iulii 1863.

Difficultas debet esse gravis, communis et diuturna. Gravis fuit iuxta depositiones unanimes testium. Uno ore deponunt commercium omne cum Insula Cubana, obsidione durante, a die 23 Aprilis scilicet usque ad diem 14 Augusti, anni 1898, vigiliam diei nuptialis, penitus

interclusum mansisse. Et fere omnes, nemine contradicente, declarant nec possibilem fuisse cum insula communicationem via cablegrafica. Exemplo sit testimonium Philippi Caballero: « Rispose che è vero che « prima e nel tempo della celebrazione del matrimonio fra Estevez e « Laza, la bitta di Avana era circondata da assedio, e che non era pos- « sibile non solo l'entrata e l'uscita dall'Avana fino a Tampa, nè in « alcun altro paese straniero, e che neppure era possibile la comuni- « cazione per via cablegrafica con Tampa ».

Difficultas erat etiam communis, quatenus opponitur particulari, « pro uno et non pro aliis », ut exponit Emus Gasparri, *vol. 2, n. 1175.* Minime, vere, requiritur ut difficultas existat pro maiore parte civium sive parochianorum, prout vellet cl. Actoris Patronus. Hic enim non agitur de abrogatione leges per cessationem finis ipsius adaequati, nec de derogatione legis per consuetudinem, seu legem quae moribus populi continetur et iisdem moribus seu actibus populi quodammodo promulgatum Sed quaestio est de suspensione legis temporanea, et communis quae requiritur indoles difficultatis potius se tenet ex parte obstaculi quam ex parte numeri, relative ad totum paroeciae coetum, eorum qui impediuntur quominus legem servare possint. Hoc satis colligitur ex documentis S. Sedis, ubi de iisdem obstaculis fit sermo. Ita, S. Officium, diei 15 Ianuarii 1784 ad Vic. Ap. Sutchuensem: «Etiamsi promulgata ea lex fuerit, valere tamen matrimonia in praesentia duorum testium tantum, quoties in loco ubi matrimonium contrahitur, vel in vicino, ad quem sine periculo accedi possit, parochus vel alius sacerdos saecularis vel regularis non existat ab Episcopo deputatus, haec pariter Apostolica Sedes pluries interrogata respondit ». Item S. C. Prop. Fid., die 1 Martii 1784 ad Vic. Ap. Tunk. Oriental. « Caveat, praeterea, quod etiam in locis ubi decretum Tridentinum publicatum est, si tamen propter *distantium locorum* parochus commode haberi non possit, valida etiam habenda sunt matrimonia, iuxta resolutionem S. Officii adscriptum in notis Archivii (prout supra) ». Etsi pauci essent nubiles fideles in pago longe distante a sacerdote ad eorum matrimoniis assistendum deputato, valerent matrimonia eorum sine parocho contracta, quia causa ipsa communis est, distantia locorum nempe, et omnes afficit virtualiter, sive multi sive pauci sint, in eodem pago. In documentis pontificiis non fit quaestio de maiore vel minore numero, relative ad totum parochianorum coetum, eorum, qui per dictam causam communem a lege eximerentur. Idem elucet ex Instruct. S. C. Prop. Fide ad Praefectus Miss. Insulae Curaçao an. 1783 circa matrimonia pauperum, quam ita refert Gasparri, *De Matr., vol. 2, n, 1173.* « Praefectus exposuerat

auctoritatem civilem insulae legem tulisse, qua praecipiebatur catholicis matrimonium coram magistratu acatholico vel ministro protestante ante matrimonium religiosum coram parocho sub poena 500 florenorum. Ut autem contraherent coram magistratu acatholico vel ministro protestante, solvendi erant ab ipsis contrahentibus 50 florem, ita ut si illi pauperes essent, et non haberent huiusmodi summam, contrahere matrimonium nullo modo possent ». Respondit S. Congregatio : « Cum vero inopes et miserabiles personae, si cogantur magistratum aut ministrum protestantem adire, nequeant pe tamen praesentibus tribus vel saltem duobus testibus integrae fidei ». Non imponitur Missionum Praefecto, sive explicite sive implicite, ut exquirat quot numero sint huiusmodi pauperes, sed sufficit factum paupertatis quod ex sese plures amplectitur, non vero maiorem communitatis partem, ut eo ipso a lege eximantur.

Reapse in casu quam plurimi Habanenses cives, ut vel ex ipsa fugae causa, imminente obsidione nimirum, coniicere licet, et testes deponunt, ab insula evaserunt. Ita Franciscus Urrutia et Emmanuel Monterò : « Come avevano fatto molte altre famiglie cubane, le quali avevano « ivi emigrato prima che gli Americani bloccassero Cuba ». E. Romeu: « Catharina Laza parti dall'Avana come molte famiglie, fuggendo l'asse- « dio ». Fatetur Actor in causa:

« Il est évident que l'impossibilité de Communications dont je « viens de parler ne m'était pas partieulière, mais qu'elle était commune « à tous ».

Profugi Habanenses, et alii eiusdem civitatis incolae qui forte ratione negotiationis, vel recreationis, vel alio quovis fine, tempore obsidionis incoeptae a patria exulabant, ordinem quemdam personarum constituebant qui uno communi obstaculo detinebantur ne ad proprium parochum recurrere possent.

Diuturna etiam erat, quatenus prudenter censeri potuit die quo matrimonium contractum erat, difficultatem cum Ordinario Habanensi vel proprio sponsorum parocho communicandi adhuc per unius mensis spatium duraturam fore. Declarat S. C. S. Officii ad Episcopum Vallis¬pranensem die 1 Iulii 1863: « Quando difficilis nec tutus accessus, et ignoratur quandonam parochus haberi possit, et praevidetur spatium saltem unius mensis a loco abfuturus, nullusque alius sit, qui vices parochi suppleat, matrimonium valere absque praesentia parochi, servata tamen in eo quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus ».

De facto ab obsidione liberata est Urbs Habana die 14 Augusti, pridie nuptialis diei. Factum vero liberationis ignotum erat Tampae, ut ex testium depositionibus fit manifestum. Ipse Pater Actoris testatur: « Le mariage s'est célèbre alors que le blocus durait encore ». Neque apparet quomodo notitia liberatae Urbis ad Habana usque ad Tampam ante matrimonium pervenire potuerit, si prae oculis habeatur quod deponit testis L. Camargo y Samy: « È certo che era impossibile la « comunicazione con Tampa per la via cablegrafica, poiché questa fu « distrutta dal Capo della Squadra Americana per evitare che arrivas- « sero aiuti alla piazza assediata ».

Cum illo conveniunt fere omnes testes in quantum negant possibilem fuisse communicationem cablegraphicam. Naves, vero etiam veloces, vapore impulsae, nonnisi spatio 32 horarum ab Habana usque ad Tampam transfretare possunt (Cf. Baedeker, *United States, p. 628 edit. an. 1910).*

Tempore quo matrimonium initum est iam quatuor fere menses duraverat obsidio. Circumsessione partis insulae septentrionalis per navium bellicarum discessum abrupta nondum reapse patebant ad Cubam aditus, et solum post aliquod temporis intervallum commercium cum insula gradatim instauratum est. Id autem ferebat natura rei, ordine pacis tam diu belligerantium gestis perturbato. Huiusmodi quidem facta eo usque tantum in praesenti quaestione aliquid habent ponderis, quo praesumptionem facere vel probationem de praevisione die lo Augusti in Tampae oppido habitae respectu temporis quo adhuc duratura erat impossibilitas cum insula de re privata communicandi.

Quatuor testes obsidionem adhuc longo tempore duraturam tunc temporis praevidendum fuisse asserunt. Novem alii ancipites haerent, immemores praevisionis praeteritae, et unicus testis, qui dicit praevisionem fundatam haberi potuisse de commercio cum insula proxime instaurando, est Actor in causa qui ait:

« Le blocus de la Habane qui avait dure un certain temps « avant mon mariage, avait pris fin vers le commencement du mois « d'aoùt » ... aperte contradicens non solum omnibus aliis testibus, sed etiam documento officiali, quo declaratur obsidionem finem habuisse die 14 Augusti.

Matrimonium, igitur, inter Petrum Estevez Abreu et Catharinam Laza, etiamsi dicatur mulierem ab obligatione personali legis Tridentinae haud exemptam fuisse, nec quasi-domicilium 'ad normam iuris particularis pro Statibus Foederatis Americae Septentrionalis acquirere

potuisse, validum censeri debet quia lex Tridentina observatu erat impossibilis.

Quibus omnibus perspectis et sedulo perpensis, Christi nomine invocato, Nos, infrascripti Auditores, pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, ad propositum dubium dicimus, pronunciamus, atque definitive sententiamus : non constare de nullitate matrimonii in casu, statuentes praeterea expensas esse solvendas a Petro Estevez Abreu.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim *cap. 3 Sess. XXV, De Ref.*, Concilii Tridentini, iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, die 15 Iulii 1910.

Ioannes Prior, *Ponens*

L. £g S. Aloysius Sincero,

Iosephus Mori.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

III.

VARSAVIEN. SIVE LUBLINEN.

NULLITATIS MATRIMONII (SIEHEN-KOSCIELSKA).

Pio Papa X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno septimo, die 21 Iulii 1910, RR. PP. DD. Auditores de turno *Gulielmus Sebastianelli,* Ponens, *Franciscus Heiner et Iosephus Mori, in causa* Varsavien, sive Lublinen., Nullitatis Matrimonii, *inter Dnum Thaddaeum Siehen et Catharinam natam Koscielska, repraesentatam per legitimum procuratorem Felicem Can. Marinelli* advocatum, *interveniente et disceptante in causa Vinculi Defensore ex officio sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

In Ecclesia paroeciali Miloslaviensi, die 22 Iunii 1907 rite matrimonium contraxere Thaddaeus Siehen 23 annos natus et Catharina Koscielska undeviginti annorum. Haud fauste tamen cesserunt nuptiae. Sciendum enim est Catharinam quemdam Antonium Karski, virum

coniugatimi et a sua uxore separatum ita deperiisse, ut futuri cum eodem contrahendi coniugii omnino fidem spoponderit. Hinc iurgia et graves contentiones Catherinam inter eiusque matrem Mariam, quae, ad filiam avertendam ab adulterino amore, primum spiritualibus exercitiis vacaturam eam in oppidum Posnania misit: deinde Thaddaeum Siehen uti sponsum ei proposuit, et cum eo matrimonium initum fuit. At quadriennio nondum a contractis nuptiis elapso, Catharina virum reliquit, et adivit Curiam Varsavien, ut suum matrimonium nullum declararetur ex capite vis et metus. Confecto processu, iudices die 30 Iunii 1909 decreverunt non constare de nullitate matrimonii; a qua sententia Catharina appellavit ad Iudicem Delegatum Apostolicum Lublinensem. Hic, processualibus tabulis ad trutinam revocatis, primaevam sententiam infirmavit, et matrimonium nullum atque irritum declaravit. Uti par erat, instante defensore Vinculi ex officio, ad H. S. O. causa delata est, et hodie discutienda proponitur sub consueto dubio:

An constet de nullitate matrimonii in casu?

Consensus, sine quo matrimoniale foedus concipi nequit, debet esse immunis a qualibet coactione sive physica sive morali ; hinc non solum vis, sed et metus matrimonium invalidat, uti eruitur ex capitibus 14, 15, 28, D*e Spons. et Matrim.* « Matrimonium *(legitur in cit. cap. 14)* solo « consensu contrahitur et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate « ille gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi « placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis pro« venire ». Et merito; quamvis enim metus non auferat eligendi consen¬tiendique facultatem, reddit tamen voluntatem procliviorem in eum actum, a quo alias is, cui metus incutitur, se abstineret. Proinde per metum illa plena aufertur libertas, quam sacri canones requirunt in nupturientibus. At non eamdem habendam esse metus omnis rationem voluerunt prudentissimi legum, latores. Hinc metus levis attendi non debet, ne ex quacumque causa matrimonia nulliter contracta declarentur. Requiritur proinde metus gravis, quem vulgo dicunt cadentem in constantem virum. Debet praeterea incuti a causa libera, i. e. ab homine et absque iure, videlicet iniuste, ac in eum finem, ut extorqueatur matrimonialis consensus.

Hisce positis, dictum est Catharinam vehementi amore exarsisse erga Antonium Karski et non obstante prohibitione pluries ei a matre facta, ipsa in suo proposito perseverabat eidem nubendi. Id candide Catharina fassa est, et nedum eius mater sed et caeteri testes incunctanter affirmarunt. Res ita se habebant, cum Thaddaeus Catharinam ambire coepit, eamque in uxorem petiit. Magna laetitia Thaddaei vota excepit

Mater; per hoc enim matrimonium obtruncabatur amor erga virum coniugatum, atque honestissime filia collocabatur. At Catharina aversionem contra eum sentiebat, evitabat eum, eumdemque interdum molestus afficiebat. Ter manum Catharinae petiit Thaddaeus, et Catharina semel et iterum eum repudiavit, atque ultimo cum eo contraxit sponsalia, frigida tamen et indifferens. Imo suam aversionem ita descripsit iudici Varsaviensi: « Displicuit mihi Dnus Siehen, quidam affectus odii « et abominationis erga eum in me est ortus et minime hoc celavi coram « ipsomet et aliis manifestabam. Dnus Siehen amorem suum denique « mihi declaravit, sed propositionem eius repudiavi ». Nec repugnantia cessavit contracto matrimonio. Etenim, uti deponit mater: « Infelix fuit « eorum convictus. Haud semel Catharina ad me adventabat et conque- « rebatur, quod maritum amare nequit, quod difficile est ipsi cum eo « vivere; petiit ut ab eo separari posset. Exprobravit mihi filia, quod « voluntatem eius fregi et ad nubendum Siehen coegi ». Hac vero existente repugnantia et animi aversione, violentia praesumitur et libertas arcetur, uti tenet S. Rota *in Dec. 326* coram Ludovisio *n. 7 et 19* et tradit Cosci, *De separat, thor., lib. 1, cap. 8, n. 54,* scribens: « Ex parte « mulieris per testes dicitur probatus metus, si deponant... de ipsius « aversione erga coniugem ante et post matrimonium ».

At metus in casu non solum praesumptive, sed et directe probatur, ex confessione videlicet utriusque coniugis et ex omnium fere testium depositione. Constat enim Catharinam Koscielska suas aerumnas in supplici libello ita enarrasse: « Fere quotidie lacrymas profundebam, « mater vero ob resistentiam suam semper ira erga me erat infiammata; « tractabat me severe ; inobedientem infantem appellabat, id quod maxi- « mum in modum me exhauriebat et excitabat, adeo ut totam modicam « de cetero animi constantiam, propositique tenacitatem perdiderim... « In quantum vero dies nuptiarum appropinquaverit, maiore cum con- « stantia ac pervicacia postulabam a matre, ut me ad hoc non cogeret; « pro responso tamen magna in me effundebatur ira et clamitabat: *« ego sic volo, sic est faciendum, hoc est iam decretum ».* Et coram Iudice haec fassa est: « Tertia vice recepi consilium mariti, quia id mihi prae- « cepit mater, quae expressis mandatis, iussis, ira et minis me e domo « expulsuram, et in monasterio clausuram, et benedictionem maternam « esse denegaturam: ad accipiendum Siehen me coegit, et ad praestan- « dum assensum nubendi ipsi compulit ».

Dnus Siehen, pluribus relatis circumstantes, iuramento confirmat suam uxorem nonnisi ob coactionem illatam a matre secum nuptias inivisse. At maxime huc attendenda venit Catharinae matris depositio,

quae sequentibus verbis describit quo modo suam filiam ad matrimonium coegerit: « Verum est (ait) Catharinam Dno Siehen unice vi ex « parte mea coactam nupsisse. Coegi eam decisivo iussu; minitabar pro « casu resistentiae collocationem in monasterio, id quod de facto facerem: .« dicebam me eam esse repudiaturam, benedictionem maternam dene« gaturam. Haec omnia eam perterrebant... Ego propositum meum non « mutarem, quia persuasum mihi fuit ipsam in mente habuisse suum « Karski et ideo Siehen noluisse ».

Haec confirmantur tum a sorore, tum a fratre Catharinae. Soror enim deponit: « Ad nubendum Siehen coegit Catharinam mater... Mater « definitive postulavit, ut Catharina Dno Siehen nuberet; minitabatur « in casu resistentiae expulsionem a domo et collocationem in mona« sterio. Ut suppono, mater haec adimplere valeret ». Frater autem haec testatur: « Eadem die in vicino conclavi vox ad me est delata, quando « mater... dixit se ab aliis regi nolle; Catharinam vero nubere Dno « Siehen debere; aliter enim se in monasterio collocaturam eam esse. « Pridie nuptiarum, vel die nuptiarum denuo pervenit ad aures meas vox « matris ad Catharinam et expressiones has audivi: sic volo, talis mea « voluntas ».

Testimonia haec attendenda maxime sunt, quia consanguinitas non minuit, imo auget fidem ratione praesumptae scientiae et veritatis. Ceterum allata testimonia conformia sunt aliorum testium depositionibus, qui omni exceptione maiores in iudicio perhibentur, et ab ipso praeclaro Vinculi Defensore taliter declarantur. Nec immerito; praeter enim testimonium respectivi parochi de morum honestate ac credibilitate, quilibet testis tenetur iuxta praxim vigentem in Curia Varsaviensi ante examen, sacramentalem confessionem peragere. Ex his unum tantum proferam, Paulum nempe Tarasowicz, qui praeter alia haec habet « Tam « sponsalia quam convivium nuptiale erant aliquantulum tristia et anor« malia. Ante ipsum egressum a palatio in Ecclesiam quum ante pala« tium spatiarer, voces matris et Catharinae ex conclavi aedium ad me « pervenerunt, mater dixit: Tu debes, ego tibi impero; filia vero repe« tebat tantum: Mater, mater!... ».

Fateor quaedam referri a Decano Miloslaviensi et a sac. Stanislao Hundt, quae aliorum testium depositionibus consonae non videntur. At ipsemet Decanus fatetur: « Familiam Koscielska parum nosco: raras « cum ea relationes sustineo, idque Iudi tantum causa. In antecessum « tantum dico depositiones meas non esse valde attendendas. Extite« rint de facto vis et metus... item nescio. Sciverint alii, de hac coa« ctione ignoro. Ad interrogationem, utrum concursatio, sponsalia, nu-

« ptiae coniugum Siehen in ordinariis conditionibus sint peractae nec « ne, declaro : de concursatione, sponsalibus, personaliter me nihil scire ». Depositio igitur Decani Miloslaviensis nullo modo est comparanda cum declarationibus ceterorum testium, qui de propria scientia coactionem asseruerunt. Ad sac. autem Hundt quod spectat, innuere sat est quasdam dubias et difficiles quaestiones illum inter et coniuges Koscielska ortas esse, quibus factum est ut nuptias Decanus ipse benedixerit. Ceteroquin sac. Hundt fatetur: «Parum nota est mihi familia Koscielska... « de indole coniugum nihil certum dicere possum » etc. Quapropter, etiamsi is existimet Catharinam voluntarie nupsisse, haec opinio nec a longe obnubilare potest quod ab aliis in iudicio expresse atque explicite depositum est.

Cum ex allatis sat constet Catharinam sub influxu metus matrimonium contraxisse, videndum nunc est, an in themate de tali metu agatur, qui matrimonium invalidat. Et in primis ambigendum non est metum gravem fuisse. Siquidem ad metum gravem constituendum sufficiunt diuturnae et importunae sollicitationes, repetitae preces, aspera verba, durum eloquium, etc. Ex praedictis enim certissima suasio in animo patientis exoritur odii et indignationis parentum, vel Superioris, quod secundum omnes Doctores malum grave est, a quo voluntas, quamquam invita compellitur, eo magis si patiens rationabiliter timeat hanc indignationem diu vel semper duraturam. Ita Sanchez, *Lib. IV. Disp. VI. n. 14:* « Quis enim vir constans et prudens non reputabit grave malum « semper coram oculis habere infestum patrem, aut virum, aut alium, « a quo pendet et cum quo semper versaturus est? » Et Rota coram Emerix *decis. 870, n. 7. «* Suasiones et preces habentur loco compulsionis « et coactionis et ingerunt metum cadentem in constantem virum, « maxime quando venit a patre et aliis superioribus ».

Iamvero in casu mater Catharinae, ut eam cogeret ad nubendum Siehen non solum diuturnas sollicitationes ac importunas preces, sed minas etiam adhibuit, privationis videlicet haereditatis, denegationis benedictionis maternae, expulsionis e domo, ac detrusionis in monasterium; quae mala uti gravia et absolute, i. e. pro omnibus hominibus ab ipso iure habentur. Quod autem recensitas minas executura esset Dna Maria Koscielska, evincitur ex eius affirmatione « minitabar « pro casu resistentiae collocationem in monasterio, id, quod de facto « facerem » ; ex attestatione eius filiae Aemiliae « ut suppono, mater « hoc adimplere valeret »; nec non ex eiusdem Mariae indole, quippe quae uno ore a testibus perhibetur absoluta in domo liberorum gubernatrix,

strenua, propositi tenax, pervicax, nervosa et dispotica, ita ut ipsemet vir eius eidem contradicere impotens esset.

Metus incussus Catharinae fuit etiam iniustus. Quamvis enim modica coactio licita sit parentibus, qui proinde liberos ad matrimonium impellere possunt per moderatos impulsus et increpationes verborum, iniustitiam tamen iidem committunt et iura filiorum laedunt, cum eos ad matrimonium contrahendum cum certa persona inducere moliuntur, etiamsi liberi coactioni causam dederint, uti constat ex *cap. 15, tit. I, lib. IV,* in quo dicitur matrimonium invalidum, si contractum fuerit cum metu, cui sponsus vel sponsa per delictum, seu concubitum illicitum causam dederunt. Neque dicatur in casu metum fuisse iustum, quia mater metum incussit, ut filiam retraheret ab illicito et adulterino amore Dñi Karski. Etenim laudanda quidem est mater Catharinae, quando in oppido Posnan filiam coegit, ut epistolam mitteret Karski ad fidem ei datam revocandam; at graviter reprehendenda, cum proprio imperio usa fuerit ad Catharinae voluntatem flectendam ut cum Thaddaeo Siehen contraheret.

Et metus revera in casu non fuit tantum gravis et iniustus, sed etiam directe incussus ad extorquendum consensum. Siquidem, omissis iis, quae superius allata sunt, quaeque per se sufficerent ad assertum demonstrandum, in summario suppletivo habemus duorum testium depositiones, quorum primus, i. e. Adam Bychowiec testatur: « Ex ultimis « cubiculis pervenit ad aures meas elata vox dominae Koscielska - « necessario nubere Thaddaeo debes, ego sic volo, aliter enim . . . ». Alter, i. e. Carolus Baro Triher Czeco Gustsbesisten deponit: « J'ai « entendu que la mère l'a menacée de retirer toute sa dot, toute sa for- « tune, si elle n'épouserait pas M. Siehen». Deinde, etiamsi admittere velimus, quod ab initio mater metum incusserit Catharinae, ut eam arceret ab illicito amore, quo coniugatum Karski prosequebatur, ambigendum tamen non est matrem in metu porrexisse in eum finem ut filia cum Dno Siehen matrimonium contraheret; proinde metus evasit directus ad extorquendum consensum pro coniugio ineundo.

Quibus omnibus rite ponderatis, Nos infrascripti Auditores de turno pro tribunali sedentes, Christi nomine invocato et solum Deum prae oculis habentes, ad propositum dubium respondemus et definitive sententiamus *Affirmative,* i. e. constare de nullitate matrimonii, proinde iudicatum confirmamus Delegati Apostolici Lublinen.

Ita pronunciamus, et dum Dñam Catharinam Koscielska ad omnes iudiciales expensas condemnamus, mandamus Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut executioni mandent hanc sen-

tentiam et adversus reluctantes procedant ad normam ss. canonum, et praesertim c. *3; sess. XXV, De Ref.,* Conc. Trid. iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna, pro rerum adiunctis extitura sint.

Romae, 21 Iulii 1910.

Gulielmus Sebastianelli, *Ponens.*
Franciscus Heiner,
Iosephus Mori.

L.)$i S.

Sac. Tancredes Tani, ***Notarius.***

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Sua Santità, con biglietto e con Breve della Segreteria di Stato, si è degnata di nominare:

29 Ottobre 1910. — L'Illmo e Rmo Mons. Donato Sbarretti, Arcivescovo di Efeso, Segretario della Sacra Congregazione dei Religiosi.

3 Novembre 1910. — L' Illmo e Rino Mons. Pellegrino Francesco Stagni, dell'Ordine dei Servi di Maria, ora Arcivescovo di Aquila, Delegato Apostolico del Canada e Terranova.

— Mons. Gabriele Colatei, già Uditore della Delegazione Apostolica di Colombia, Minutante della Segreteria di Stato per la Sezione dei Brevi Apostolici.

Protonotario apostolico ad instar participantium :

14 Settembre 1910. — Mons. Pietro Canétoli, Vicario Arcivescovile per la Basilica della Madonna di S. Luca, della diocesi di Bologna.

Prelati domestici:

27 Settembre 1910. —- Mons. Luigi Maurano, Arciprete e Vicario Foraneo di Castellabate (dell'Abbazia ***Nullius*** della SS. Trinità di Cava dei Tirreni).

17 Ottobre 1910. —- Mons. Giovanni Storck, decano e parroco della diocesi di Spira.

ONORIFICENZE

Il Santo Padre, con biglietto e con Breve della Segreteria di Stato, si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

22 Settembre 1910. — Al Sig. Conte Maria Bonifazio Massimiliano Hatzfeldt.

10 Ottobre 1910. — Al Sig. Gioachino R. Guerra, residente in Cadice.

— Al Sig. Cav. Romano de Soczynski, residente in Filippopoli.

14 Ottobre. — Al Sig. Dott. Luigi Dogniaux, di Iumet, della diocesi di Tournay.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

I Ottobre 1910. — Al Sig. Antonio Laane, di Rozendaal, della diocesi di Breda.

II Ottobre. — Al Sig. Vittore Kerekes, della diocesi di Munkacs.

20 Ottobre. — Al Sig. Oscar Gana Sérruys, già secondo Segretario della Legazione del Chile presso la S. Sede.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

19 Settembre 1910. — Al Sig. Enrico Croci, di Roma.

— Al Sig. Ernesto Coletti, di Roma.

— Al Sig. Giovanni Battista Cortis, di Roma.

8 Ottobre 1910. — Al Sig. Iosè M. Alves, dimorante a Hong-Kong.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare :

Camerieri segreti soprannumerari :

23 Settembre 1910. — Mons. Cesare Mambretti, dell' archidiocesi di Milano.

— Mons. Giovanni Damasceno Fiadeiro.

6 Ottobre 1910. — Mons. Giuseppe Zumbo, della diocesi di Reggio Calabria.

Camerieri d'onore di spada e cappa soprannumerari:

23 Settembre 1910. — Il Sig. Amedeo Gio. Battista Richardet, della diocesi di Parigi.

6 Ottobre 1910. — Il Sig. Guglielmo Antonio Riedemann, della diocesi di Osnabrück.

— Il Sig. Edgar Nölting, della medesima diocesi.

Cappellano segreto d'onore:

7 Settembre 1910. — Mons. Luigi Pattaroni, della diocesi di Novara.

NECROLOGIO

8 Ottobre 1910. — Mons. Leonardo Stefano Deda, dei Frati Minori, Vescovo di Alessio.

17 Ottobre. — Mons. Giuseppe Morticelli, Vescovo titolare di Cesarea di Filippo.

23 Ottobre. — Mons. Costante Ludovico Maria Guillois, Arcivescovo titolare di Pessinonte di rito latino.

29 Ottobre. — Mons. Giulio Varosy, Arcivescovo di Kalocsa (Ungheria).

Novembre 1910. — Mons. Simone Aichner, Arcivescovo titolare di Teodosiopoli di rito latino.

4 Novembre 1910. — Mons. Ernesto Fontana, Vescovo di Crema.

ERRATUM.

Num. 19 (10 oct. 1910) pag. 739, linea 4ª : *loco* « quamobrem post editas » *legatur :* « quamobrem praesertim post editas ».

APPENDIX

SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII

L

DECRETUM

DE QUOTIDIANA SS. EUCHARISTIAE SUMPTIONE.

Sacra Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles quae Christifidelibus obveniunt gratiarum divitias, sanctissimam Eucharistiam sumentibus, *(Sess. XXII, cap. 6)* ait; *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.* Quae verba satis aperte produnt Ecclesiae desiderium ut omnes Christifideles illo coelesti convivio quotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

Huiusmodi vero vota cum illo cohaerent desiderio, quo Christus Dominus incensus hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suae carnis crebro manducandae suique sanguinis bibendi, praesertim his verbis : *Hic est panis de coelo descendens; non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt: qui manducat hunc panem vivet in aeternum* (Ioan., **VI,** 59). Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutritur, et manna in deserto Hebraei quotidie refecti sunt, ita animam christianam caelesti pane vesci posse quotidie ac recreari. Insuper quod in oratione Dominica exposci iubet *panem nostrum quotidianum,* per id Ss. Ecclesiae Patres fere unanimes docent, non tam materialem panem, corporis escam, quam panem eucharisticum quotidie sumendum intelligi debere.

Desiderium vero Iesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles, quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est, ut Christifideles per sacramentum Deo coniuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quae quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda: non autem praecipue ut Domini honori, ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum (S. August, *Serm. LVII in Matth., De Orat. Dom., v. 7).* Unde S. Tridentinum Concilium Eucharistiam vocat *antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur (Sess. XIII, cap. 2).*

Hanc Dei voluntatem priores Christifideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitae ac fortitudinis mensam accurrebant. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis (Act.,* u, 42). Quod saeculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt.

Defervescente interim pietate, ac potissimum postea Ianseniana lue undequaque grassante, disputari coeptum est de dispositionibus, quibus ad frequentem et quotidianam Communionem accedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores, tamquam necessarias, expostularunt. Huiusmodi disceptationes id effecerunt, ut perpauci digni haberentur qui SS. Eucharistiam quotidie sumerent, et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus haurirent; contentis ceteris eo retici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda coelesti mensa integri coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent matrimonio coniuncti.*

Nonnulli tamen in contrariam abierunt sententiam. Hi, arbitrati Communionem quotidianam iure divino esse praeceptam, ne dies ulla praeteriret a Communione vacua, praeter alia a probato Ecclesiae usu aliena, etiam feria VI in Parasceve Eucharistiam sumendam censebant et ministrabant.

Ad haec Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum huius Sacri Ordinis, quod incipit *Cum ad aures,* diei 12 mensis Februarii anni 1679, Innocentio Pp. Xl adprobante, errores huiusmodi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cuiusvis coetus, mercatoribus atque coniugatis minime exceptis, ad Communionis frequentiam admitti posse, iuxta singulorum pietatem et sui cuiusque Confessarii iudicium. Die vero 7 mensis Decembris anni 1690, per decretum *Sanctissimus Dominus noster* Alexandri Pp. VIII, propositio Baii, purissimum Dei amorem absque ullius defectus mixtione requirens ab iis qui ad sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit.

Virus tamen iansenianum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiae debiti, haud penitus evanuit. Quaestio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime Communionem Sanctae Sedis declarationibus supervixit; quo factum est ut nonnulli etiam boni nominis Theologi, raro et positis compluribus conditionibus, quotidianam Communionem fidelibus permitti posse censuerint.

Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate praediti, qui faci-

liorem aditum praeberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, auctoritate Patrum, nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad quotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem; fructus vero uberiores longe fore ex quotidiana Communione, quam ex hebdomadaria aut menstrua.

Quaestiones super hac re diebus nostris adauctae sunt et non sine acrimonia exagitatae; quibus Confessariorum mentes atque fidelium conscientiae perturbantur, cum christianae pietatis ac fervoris haud mediocri detrimento. A viris idcirco praeclarissimis ac animarum Pastoribus SSmo Dno Nostro Pio Pp. X enixae preces porrectae sunt, ut suprema Sua auctoritate quaestionem de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam dirimere dignaretur ; ita ut haec saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus Religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero Sua, cum Ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus populus ad Sacrum convivium perquam frequenter et etiam quotidie advocetur eiusque fructibus amplissimis potiatur, quaestionem praedictam huic Sacro Ordini examinandam ac definiendam commisit.

Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis Comitiis diei 16 mensis Dec. 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea quae sequuntur statuit ac declaravit:

1.° Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2.° Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3.° Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

4.° Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispo-

sitiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

5.° Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

6.° Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quodidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam *(Part. II, c. 63),* christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

7.° Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* diei 17 mensis Decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8.° Si quae sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *directivae* non tamquam *praeceptivae* putandae sunt. Praescriptos vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9.° Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem abstineant.

Relatis autem his omnibus ad SSmum D. N. Pium PP. X per infrascriptum S. C. Secretarium in audientia diei 17 mens. Dec. 1905, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi iussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos Regulares, ad hoc ut illud cum suis Seminariis, Parochis, institutis religiosis et sacerdotibus

respective communicent, et de executione eorum quae in eo statuta sunt S. Sedem edoceant in suis relationibus de dioecesis seu instituti statu.

Datum Romae, die 20 Decembris 1905.

f VINCENTIUS CARD. EPISC. PRAENESTINUS, *Praefectus.*

C. De Lai, *Secretarius.*

II.

DECRETUM

DE S. COMMUNIONE INFIRMIS NON IEIUNIS.

Post editum de frequenti et quotidiana SS. Eucharistiae sumptione decretum die 20 mensis Decembris 1905, concessasque a SSmo D. N. Pio PP. X die 30 mensis Maii eiusdem anni indulgentias omnibus Christi fidelibus, qui certas preces devote recitaverint pro quotidianae Communionis propagatione; post additum praeterea decretum *Urbis* et *Orbis,* die 14 mensis Februarii 1906 a S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, cuius decreti vi possent Christifideles per quotidianam Communionem lucrari omnes indulgentias, absque onere confessionis hebdomadariae, vix dicere est, quanta laetitia benigne huiusmodi S. Sedis dispositiones exceptae sint, praesertim ab Episcopis et moderatoribus religiosorum Ordinum. Excitato inde studio fovendae pietatis, quaesitum est, si quo forte modo consuli posset aegrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico Pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeant. Quare supplices ad hoc preces delatae sunt SSmo D. N. Pio PP. X; qui, re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii, benigne concessit ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SSmam Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SSmum Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis. Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 7 mensis Decembris 1906.

f VINCENTIUS CARD. EPISC. PRAENESTINUS, *Praefectus*

C. De Lai, *Secretarius.*

Annus 11. - Vol. 11. Die 30 Novembris 1910. Num. 22.

AGTA~APOSTOIJGAE1EDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

.LITTERAE APOSTOLICAE

L

COMMENDATUR NOVUM DOMINICI A N AE FAMILIAE IN URBE INSTITUTUM, EIQUE SANCTISSIMUM ASSERVANDI FACULTAS PERPETUO TRIBUITUR.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam. — Perillustrem Fratrum Praedicatorum familiam, tot virorum non minus sanctitate, quam doctrina praestantium altricem, ex more institutoque Romanorum Pontificum propensa voluntate libentissime prosequimur et honestamus. Huic enim inclyto Ordini, quem unus ex insignioribus Ecclesiae Sanctis, in fidei subsidium a Domino datus, condidit, summae erit semper gloriae Aquinatem Doctorem inter suos sodales adnumerare, clarissimum scholarum lumen, de quo merito dictum est, tot miracula patravisse, quot sapientes scripserit articulos. Neque minor laus Dominiciano coetui hoc quidem tribuitur, quod ipse divini verbi praeconum, e suo praescripto, peragendo, catholicam veritatem apud fideles integre servare, et apud ethnicos longe lateque propagare studet et contendit. Laeto igitur iucundoque accepimus animo, eiusdem Ordinis Moderatores peramplam in hac Alma Urbe Nostra nuper extruendam curavisse domum, seu Pontificium Collegium cuiusvis nationis ephebos complectens, cui inditum est *Angelico* nomen. Et nihil antiquius profecto habemus, quam ut ibi iuvenes, se tam gloriosae familiae devovere cupientes, sive sacris profanisque excolantur disciplinis, sive religionis tirocinium ponant. Quae cum ita sint, dilectum filium Hyacinthum Mariam Cormier, supremum Praedicatorum Ordinis Magistrum, sui voti compotem facientes, non modo hoc novum Institutum eiusque supra commendatos fines^ Auctori-

tate Nostra comprobamus, sed ut ei omnia bona, fausta ac felicia succedant, Deum adprecamur, eique spirituale a Nobis petitum privilegium peramanter impertimur. Quare praesentium tenore Apostolica Auctoritate Nostra facultatem perpetuo duraturam facimus, cuius vi tum in interiore praedictae domus sacello, tum in ei adnexo publico templo, dummodo in utraque aede ter saltem in hebdomada sacrum fiat, Sacramentum Augustum asservari licite possit ac valeat. Praecipimus tamen, ut ante tabernaculum, in quo Sanctissimum asservari solet, lampas diu noctuque continenter luceat, ut eiusdem tabernaculi clavis fideliter diligenterque custodienda, penes aedituum, seu Cappellanum, assidue maneat, denique ut alia omnia accurate serventur, quae pro custodia et cultu Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti ex Ecclesiae legibus servanda praescribuntur. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xiv Iunii MDCCCCX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. ✠ S. *a Secretis Status.*

II.

ERECTIO IN ARCHICONFRATERNITATEM SOCIETATIS TITULO B. MARIAE VIRGINIS. LAPURDENSIS, IN ECCLESIA FRATRUM MINORUM CAPULATORUM, MANILAE; EXISTENTIS.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam. — Manilensium Archiepiscopus, refert ad Nos iam inde ab anno MDCCCLXXXX, cura Fratrum Minorum Capulatorum, fuisse in Philippinas Insulas erga Lapurdensem Virginem devotionem invectam. Ante illud tempus exiguus in iisdem Insulis erat fidelium numerus, qui miranda thaumaturgae Virginis facinora norant,, nondum enim ad dissitas illas oras celeberrimi Sanctuarii Lapurdensis fama pervenerat. Sed anno MDCCCLXXXXIII, annuente Archiepiscopo, in Ecclesia Fratrum Minorum Capulatorum, Manilae, Confraternitas sub titulo Nostrae Dominae Lapurdensis canonice primum erecta est. Haec autem Societas, favente Domino, tam magna brevi suscepit incrementa, tantaque sodalium frequentia floruit, ut modo inter praecipuas adnumeretur Insularum Philippinarum Sodalitates. Nunc autem cum super enunciatus Manilensis Archiepiscopus enixas nobis preces adhibeat, ut eandem Societatem, tot tantisque nominibus de catholica re iisdem *in* Insulis optime meritam, Archisodalitatis titulo ac privilegiis de Nostra.

benignitate cohonestare dignemur: Nos, quibus nihil antiquius est, quam ut fidelium devotio erga Lapurdensem Virginem, gratiarum omnium sequestram, magis ac magis amplificetur, optatis his annuendum libenti quidem animo existimamus. Quae cum ita sint, Apostolica Nostra Auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum Societatem sub titulo Dominae Nostrae Lapurdensis, in Ecclesia Fratrum Minorum Capulatorum civitatis Manilensis canonice institutam, in Archiconfraternitatem erigimus, evehimus atque constituimus, et consuetis honoribus et privilegiis ornamus. Archisodalitatis autem sic per nos erectae Moderatori atque Officialibus praesentibus et futuris, similiter Auctoritate Nostra per praesentes perpetuo concedimus, ut ipsi alias Societates eiusdem nominis atque instituti, intra fines Insularum Philippinarum canonice existentes, servatis forma Constitutionis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri rec. mem. aliisque Apostolicis Ordinationibus desuper editis, sibi aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes eidem Archisodalitati a Sede Apostolica concessas, quae aliis sint communicabiles, communicare licite possint ac valeant. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, irritumque esse atque inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII Augusti MDCCCCX, Pontificatus Nostri anno octavo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. S. *a Secretis Status.*

III.

CONFIRMATIO INNOVATIONUM QUAE EX DECRETO REGULARIUM CONGREGATIONIS INDUCTAE SUNT IN REGULAS INSTITUTI OBLATORUM VIRGINIS IMMACULATAE.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam. — Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, ad religiosorum virorum congregationes ex quibus Ecclesia Dei tot tantaque emolumenta nanciscitur, singulari paternae Nostrae voluntatis studio oculos convertimus, vigili cura prospicientes, ut eaedem

illis omnibus praesidiis muniantur, quae ad ipsarum utilitatem, bonum atque incrementum magis accommodata atque opportuna Nobis videantur. Frugiferas has inter Congregationes iure meritoque accensenda est, quae a « Missionariis Oblatis Mariae Immaculatae » nomen habet, et ad Aquas Sextias in Provincia iam inde ab anno MDCCCXVI **fundata, per Apostolicas Litteras eadem hac forma die xxi Martii mensis, anno** MDCCCXXVI **datas, a Leone PP. XII rec. me. Praedecessore Nostro tum Instituti, tum Regularum adprobationem obtinuit. Haec enim Congregatio, quae sibi quasi titulum pro certamine bono certando assumpsit Divini Magistri verba: « Evangelizare pauperibus misit me » nullo unquam tempore destitit in agri Dominici messem multos eosque sedulos cultores mittere, qui, strenue laborantes, laeti tandem cum exultatione portarent manipulos suos. Brevi in universum terrarum Orbem, Deo favente, diffusa, novem in praesens ipsa Congregatio provinciis pollet. Quatuordecim Apostolici Vicariatus et in America Septentrionali, et in Africa Meridionali, et in Asia, manent Oblatorum Missionariorum a Virgine Immaculata curis concrediti : ipsa tam vasto terrarum marisque intervallo dissita Australia, plura ab hac Congregatione accepta referre debet beneficia. Immanis itaque campus huius Congregationis Missionariis patet, quasi aperta apostolicis laboribus exantlandis palestra. Meritis laudum praeconiis Congregationem eandem prosequuti sunt Romani Pontifices, qui iteratis vicibus per Litteras piscatorio annulo ^obsignatas, Institutum ipsum, Apostolica interposita auctoritate, roborarunt. Ita regulas ipsius Instituti confirmavit Gregorius PP. XVI per Litteras die xx Martii mensis, anno** MDCCCXLVI **datas, et nonnullas Constitutionum et regularum earundem immutationes atque additiones ab ipsius Congregationis Capitulo Generali statutas, Pius PP. IX per similes Litteras die** XXVIII **Martii mensis, anno** MDCCCLI **datas, solemniter sanxit. Iamvero novissimis his^annis opportunum visum est Congregationi Episcoporum et Regularium negotiis diiudicandis praepositae, decernere atque indicere, ut constitutiones Congregationis superenunciatae Missionariorum Oblatorum Immaculatae Conceptionis ita immutarentur, ut vigentis iuris conditioni conformes evaderent; dictoque audiens ipsius Instituti generale Capitulum ad hoc coadunatum, tales intulit memoratis constitutionibus innovationes, ut illas quasi nova forma donaverit. Variationes vero sic in Constitutiones inductas, utpote quae temporum circumstantes et recentioribus Decretis Apostolicae Sedis apprime responderent, nova Congregatio disciplinae Regularium praeposita, ad quam transmissae fuerant, per decretum die xxi Decembris mensis, anno superiore editum, approbavit. Nunc autem Venerabilis Frater Augustinus Donte-**

will, Archiepiscopus titularis Ptolemeidensis, supremus Moderator memoratae Congregationis Oblatorum Mariae Immaculatae, humili prece Nos flagitat, ut supra enarratam regularum instituti sui innovationem, per Apostolicas Litteras in forma Brevis confirmare dignemur; Nosque animo repetentes historicas Congregationis ipsius memorias, quae saeculi spatio, ex quo originem duxit, amplissima cumulavit merita et in universo terrarum Orbe spirituales fructus uberrimos nacta est, his quidem optatis annuendum libentissime existimavimus. Quae cum ita sint, variationes quae, uti supra diximus, in constitutiones ad usum eiusdem Congregationis Oblatorum inductae sunt, iam ab hac S. Sede approbatas, prouti liquet ex decreto quod recensuimus, ab hodierna Congregatione Religiosorum disciplinae praeposita, die xxi Decembris mensis, anno superiore, edito, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, nunc iterum probamus, supremoque Auctoritatis Apostolicae munimine roboramus et confirmamus, ratasque eas in omnibus, praesentium tenore, habemus atque edicimus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et*integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat, vel spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari : sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, irritumque esse atque inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque omnibus speciali licet atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum. Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII Septembris MDCCCCX, Pontificatus Nostri anno octavo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. .ffi S. *a Secretis Status.*

EPISTOLAE.

I.

AD R. P. D. BERNARDUM HERRERA RESTREPO,
BOGOTENSIUM ARCHIEPISCOPUM, ANNOS XXV EPISCOPATUS EXPLENTEM.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Nuncium vixdum allatum Nobis est subeuntis episcopatus tui natalis quinti ac vigesimi, vota quidem pro incolumitate tua absentes fecisse haud satis habuimus: opportunum duximus hisce etiam litteris tibi adesse laetanti. Hanc pietatis significationem tua a Nobis exposcit pastoralis navitas. Nescii enim haud sumus te hoc potissimum nomine vulgo laudari quod, nullam officii sanctissimi partem missam faciens, multum contendas dioecesis clerum, sive in sacris seminariis in Ecclesiae spem adolescat, sive, sacerdotio auctus, vineam Domini excolendam sit aggressus, ita sancte instituere ut quicumque eidem iungitur, verbis utimur Sancti Gregorii, aeternae vitae sapore condiatur. Optimum sane consilium, idemque, hoc maxime tempore, quum effrenatis licentia moribus christiana disciplina in quotidianum vocatur discrimen, dignum plane quod a Sacrorum Antistitibus pari discrimini contentione urgeatur. Magna enim vis exempli, et vix ullum suppetit medium ad homines Christo lucrifaciendos aptius quam sancta clericorum consuetudo. Ea quippe brevi et efficaci itinere quisquis edocetur quid christiana postulet professio, et ad idem persequendum animus facilius permovetur. Tene igitur quem coepisti cursum: perspicis qui eiusdem futurus sit exitus, quum probe scias virtutes concreditarum ovium fore gaudia aeterna pastorum.

Ne vero ad fructuosos labores, aetatis flexu, te animi deficiant vires, Apostolicam Benedictionem, coelestium auspicem bonorum, tibi, Venerabilis Frater, et omnibus qui tuae parent sacrae potestati, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die x Octobris anno MCMX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

IL

AD R. P. D. GUIDONEM M. CONFORTI, PARMENSIUM ARCHIEPISCOPUM, OB PIETATIS OBSEQUIUM BEATISSIMO PATRI BINIS LITTERIS EXHIBITUM.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Binas nuper a te epistolas accepimus: alteram dabant qui e tuo clero Sacerdotes, laudabili more, secesserant ad renovandos ad sanctitatem animos, quique pietatis significationem uberiorem vomere addita petriana stipe: dabant alteram diligentiores ex eodem sacro ordine viri, qui, te advocante, convenerant consilia inituri ad rem catholicam penes fideles istos acrius, ut ratio temporis exposcit, provehendam, muniendam firmius. Utraque porro periucunda Nobis accidit, qui in utraque et propensae in Nos voluntatis et optimae navitatis haud dubium perspeximus argumentum. Id quidem libet merita exornare commendatione et prosequi gratia. Unius et alterius te, Venerabilis Frater, auctorem esse cupimus iis nomine Nostro nunciandae qui praefatas subscripsere epistolas, quos insuper participes esse volumus Apostolicae Benedictionis quam tibi, Venerabilis Frater, reliquo tuae dioecesis Clero populoque universo peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die XIII Octobris MDMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

III.

AD GREGORIUM M. CARD. AGUIRRE Y GARCIA, ARCHIEPISCOPUM TOLETANUM, IOSEPHUM M. CARD. MARTIN DE HERRERA Y DE LA IGLESIA, ARCHIEPISCOPUM COMPOSTELLANUM, CETEROSQUE HISPANIAE ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS, OB LITTERAS PIETATIS PLENAS BEATISSIMO PATRI INSCRIPTAS.

Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Communes litterae quas nuper ad Nos dedistis, studium redolent in Nos vestrum, haud ignotum quidem Nobis sed tamen gratum atque optatum. Moerentem quippe opportuno studetis solatio relevare ipsi vos, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, quibus assiduas inter sollicitudines iam diu volvitur aetas. Vestri pene obliti Nostrique tantum memores visi estis, quum, quae in caput Nostrum, in quidquid est catholicis carum ac sacrum, non multis ante diebus, in ipsa luce Urbis congestae sunt, compellationes maledicas ac probrosas

ita exhorruistis, ut eas nonnisi acerbissime tuleritis. Leniit sane aegritudinem Nostram mira haec conspiratio pietatis, cui pietas concinuit omnium quotquot sunt fusi per orbem fidelium; vobisque omnibus, officii memores, meritam gratiam et agimus et habemus. Ceterum quaecumque et Nobis et vobis tristia afferat dies, ne frangant animum, neve obliviscamur eius corporis atque eius capitis membra nos esse, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem. Cui quidem prompto alacrique animo perferendae, auxilio sit Apostolica Benedictio, quam coelestium munerum auspicem Nostraeque testem benevolentiae, vobis, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, Cleris populisque in quos vestrae evigilant curae, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die xxvi Octobris MDMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

SERMO.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PP. X AD PP. FRANCISCALES RESPONSIO, IN AUDIENTIA HABITA IV IDUS NOVEMBRIS.

Conspectus vester, dilecti Filii, verba quibus egregios animi sensus effudistis, pietatis vestrae in communem Patrem significatio alte Nos permoverunt et magnopere delectarunt. Haec autem eo Nobis gratiora contingunt, quod a religiosis eius ordinis viris proficiscantur, quorum instituta, traditiones, historia, imperitura sunt monumenta fervidi erga Ecclesiam amoris et inviolati obsequii. Haeret namque animo vis et constantia qua Francisci Patris alumni, virtutis doctrinaeque laude florentes et ad augendum beatorum caelitum numerum fere destinati, cum Apostolica Sede sentire et facere eiusque iura tueri nunquam destiterunt, ne cum ipso quidem periculo capitis. Addit laetitiae causam cogitatio quod huiusmodi caritatis ostensio erga Nos atque hanc Apostolicam Sedem erumpat exeunte saeculo VII ab instituto Ordine vestro, quum nempe Nos, non modo benevolentis memorisque animi sensus vobis exploratos fecimus, beneficia^impertientes, quorum dispensatores a divina Providentia constituti sumus, verum etiam id egimus, ut inter Filios et communem Patrem caritatis nexus arctius obstringerentur.

Nunc vero gratiae vobis referendae sollicitos efficit prona et alacris voluntas, qua monita Nostra excepistis, ut vos omnes censeritis unius eiusdemque Patris Francisci filios, absque ullo discrimine, in tres

quidem familias distinctas, verum unius disciplinae sectatores, atque ita coniunctos, ut sitis *cor unum et anima una;* communis inter vos agatur causa ; eaedem sint omnibus rationes constitutae ; atque ita mundo exemplum exhibeatis eius concordiae, quae a divina tantum gratia derivatur.

Nec minus grate vos intuemur ea succensos caritate, qua Franciscus, bonum Christi odorem late diffondere atque ad eius exemplum *omnibus omnia factos,* nullam sacri ministerii civilisque cultus provinciam vobis alienam putare. Quotidianus enim vos urget labor et annuntiandi verbi divini et excolendarum gentium non modo civilium, sed etiam humanitatis omnis expertium, quae adhuc *in tenebris et umbra mortis sedent;* maxime vero misericordiae opera exercendi in publicis custodiis, in valetudinariis, ad aegrotantium corpora reiicienda et ad inquinatos vitiis animos revocandos.

Gratiae denique vobis persolvantur ob virilem in decertando pro iustitia et veritate constantiam; cui dimicationi modo faces admoverunt artes malignae et potentia coniuratorum contra Christum et Ecclesiam, reputantium sese nobiscum egisse praeclare, quod nos vivere sinant, impendente cervicibus iniquarum gladio legum. Pergite, dilecti Filii, pugnare pro viribus, neve animum despondeatis, quod res ad inimicorum voluntatem aliquandiu fluant. Alias fregit proiecitque vires Ecclesia, ut iam vereri non liceat, ne tandem aliquando, Dei suffulti praesidio, unoque fidei et caritatis obstricti vinculo, simus victoriam consequuturi.

Ad vos autem singulari quadam sollicitudine patet os Nostrum, dilecti iuvenes, qui quasi flosculi e triplici religiosa familia deducti Urbem petivistis, ornaturi animum virtute doctrinaque mentem, ut sanctitatis effluvia lucemque sapientiae per omnes terrarum orbis plagas circumferatis.

Vos Francisci disciplinam profitentes optimam sane partem elegistis, qua genuinam christianae perfectionis imagines possitis in vitae usum deducere, effectique veri Christi discipuli, non solum communia officia, sed etiam evangelica vivendi praecepta tueri. Vos estis christianae reipublicae selecti cives, qui divini Magistri verba et exempla serio accipientes, Deum, quo decet loco, in sua ipsorum anima vitaque collocarunt; qui religionem, quod aequissimum est, maximum et primum negotium esse intellexerunt; qui sempiternam salutem tanti fecerunt, quanti Christus quum dixit: *Porro unum est necessarium ;* qui, externis fluxisque bonis abdicatis, ut praecipuum vitae finem unice spectarent, a mundanis rebus ad rerum omnium Conditorem animum avocarunt ; qui denique iam non sibi vivere constituerunt, sed Christo Iesu.

Quia vero virtutum omnium exemplar est absolutissimum Christus, idcirco student Eius formam, quoad possunt, in se ipsi transferre. Quare similitudinem Eius conantur arripere, illius crucem amplexi et consepulti cum Ipso, uni Deo viventes, fidei et obedientiae iugo mentem animumque mancipantes, carnem crucifigentes ut dominetur spiritus, abstinentia, vigiliis, afflictationibus adimplentes *ea quae desunt passionum Christi - semper mortificationem Iesu in corpore..... circumferentes,* ita ut unicuique liceat affirmare cum Paulo: *Vivo ego, iam non ego; vivit vero in me Christus.* Nec enim horum os aliud spirat nisi Christum, nec nisi propter Ipsum palpitant praecordia; in Ipso toti vivunt, moventur et sunt; quo fit ut vita praesens sit iisdem instar tirocinii et praeparationis ad longe meliorem, quam prospicientes, mortem habent loco lucri, utpote quae perficiet consumabitque coniunctionem cum Illo, qui fuit ipsorum vita, secundum illud memorati Apostoli : *Mihi vivere Christus est et mori lucrum.*

Sed qui Christum imitari vult, is debet, non solum *facere,* sed etiam *docere.* Atque ad hoc nempe, dilecti iuvenes, huc estis vocati, ut eam doctrinae copiam vobis comparatis, quae valide obiici possit falsi nominis scientiae, fidei pariter ac rationi infensae, et nihilominus affectanti imperium in scholis. Est autem veri nominis scientia illa dumtaxat, quae a SS. Litteris derivatur et a traditionibus ab Ecclesia receptis atque approbatis. Itaque, sive de Fidei principiis agatur, sive de regula morum, sive de legibus disciplinae, sermo vester ne sit hominis unquam, sed Ecclesiae. Neve patiamini imminutionem fieri ullam veritatis aut legis ab Ecclesia propositae cuius doctrina plena est, integra, purissima.

Quae quidem doctrinae integritas ac puritas nunquam erit commendata satis. Impugnatis enim acerrime, ut hodie fit, sacris traditionibus, non desunt qui opportunum, aut etiam necessarium ducant, ut Ecclesia interdum a veteri doctrinae severitate recedat. At obiurgent licet Ecclesiam propositi tenacem in custodiendis veris et institutis, quae profanae sapientiae non arrident; nitantur antiquae Matri suadere ut modernistarum recipiat aliqua capita; ut cedat, resque pro opportunitate amice componat; ut sinat haud spernendos homines tranquille vivere, quorum opiniones, ut aiunt, sunt *irreformabiles,* quorum ab ingenio civitas et ipsa Ecclesia multum opis et gloriae exspectare possint. Haec et similia mussitent prudentiores isti viri. Vos, dilecti Filii, verbis Pauli compellabimus ad Timotheum conversis: *Tu autem, o homo Dei, haec fuge: - certa bonum certamen fidei - bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui est in nobis. Formam habe sanorum verborum quae a me*

audisti in fide. Atque etiamsi postuletur a vobis, ut utilium conventionum gratia aut spe convertendae multitudinis ad causam Religionis, de doctrina gratificemini aliquid corruptis mundi opinionibus, unusquisque vestrum sibi dicta putet quae Apostolus discipulo suo: *Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia et coram Iesu Christo, qui reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini Nostri Iesu Christi.* Quando apud homines in pretio esse cessabit incorruptibilis haec doctrina, quando purae et intaminatae veritatis regnum desierit in mundo, tunc Deus excitabit iterum Filium Suum, *quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens Rex regum.* Interim nostrum est, qui Eius legatione fungimur, depositum integre inviolateque servare usque ad adventum Domini ultimum, cum Hilario sancto exclamantes: « Melius est mihi in « hoc saeculo mori, quam, alicuius potentia dominante, castam veritatis « corrumpere virginitatem ».

Vos autem, dilecti Filii, vitae sanctitatem cum doctrinae puritate atque integritate coniunctam servabitis, si Reginae Ordinis vestri, Deiparae labis nesciae cultum assidui fovebitis. Per Ipsam enim, quae est « speculum iustitiae et sedes sapientiae », omnia nos habere voluit Omnipotens. Magi, quum se Bethlehem contulerunt ut adorarent Iesum, *intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre Eius.* Iam Ecclesia domus est, quam subeunti Iesus et Maria occurrunt. Ecquid enim christianus est cultus nisi Mariae Filii religio? Si autem quod Deus coniunxit separari non potest, profecto Iesum non invenias nisi cum Maria et per Mariam. Quam iure quidem santi viri appellarunt « ostensorium vivens ». Ipsa enim nobis in hac valle lacrimarum constitutis viam salutis, Iesum, sedula ostendit; Ipsa clemens et pia nostras Filio porrigit preces, quibus ad Eam quotidie clamamus: « Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende ». - Pergat caeli Regina et advocata nostra Maria materno nobiscum fungi munere, ac serius ocius carne exutis det Iesum intueri, non tremendae maiestatis Regem ac severissimum iudicem, sed Servatorem propitium, amicum serenum, misericordem fratrem. Huius auspicem gratiae et singularis Nostrae benevolentiae testem, tibi dilecte Fili Noster Cardinalis, vobis ministri generales, moderatores, magistri, alumni quotquot adestis, ceterisque fratribus vestri Ordinis universis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM

DE VETITA CLERICIS TEMPORALI ADMINISTRATIONE.

Docente Apostolo Paulo, *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (II *Tim.*, n, 4), constans Ecclesiae disciplina et sacra lex haec semper est habita, ne clerici profana negotia gerenda susciperent, nisi in quibusdam peculiaribus et extraordinariis adiunctis et ex legitima venia. « Cum enim a saeculi rebus in altiorem sublati locum con« spiciantur », ut habet SS. Tridentinum Concilium *Sess. XXII, cap. I de ref.*, oportet ut diligentissime servent inter alia quae « de saecularibus « negotiis fugiendis copiose et salubriter sancita fuerunt ».

Cum vero nostris diebus quamplurima, Deo favente, in Christiana republica instituta sint opera in temporale fidelium auxilium, in primisque arcae nummariae, mensae argentariae, rurales, parsimoniales, haec quidem opera magnopere probanda sunt clero, ab eoque fovenda; non ita tamen ut ipsum a suae conditionis ac dignitatis officiis abducant, terrenis negotiationibus implicent, sollicitudinibus, studiis, periculis quae his rebus semper inhaerent obnoxium faciant.

Quapropter SSmus Dominus Noster Pius PP. X, dum hortatur quidem praecipitque ut clerus in hisce institutis condendis, tuendis augendisque operam et consilium impendat, praesenti decreto prohibet omnino ne sacri ordinis viri, sive saeculares sive regulares, munia illa exercenda suscipiant retineantve suscepta, quae administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii, horumque similium. Statuit itaque ac decernit SSmus Dominus Noster, ut clerici omnes quicumque in praesens his in muneribus versantur, infra quatuor menses ab hoc edito decreto, nuntium illis mittant, utque in posterum nemo e clero quodvis id genus munus suscipere atque exercere queat, nisi ante ab Apostolica Sede peculiarem ad id licentiam sit consequutus. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, ex aedibus sacrae Congregationis Consistorialis, die 18 mensis Novembris anno MDCCCCX.

C. CARD. DE LAI, *Secretarius.*

L. © S. S. Tecchi, *Adsessor.*

S. CONGREGATIO CONCILII

S. IOHANNIS DE MAURIANA.

CURAE ANIMARUM.

> *die 6 Augusti 1910.*

Litteris ad S. H. C, die 10 Aprilis hoc anno datis, R. P. D. Adrianus Fodere, dioecesis S. Iohannis de Mauriana, Episcopus, ea quae sequuntur exposuit: « Quidam parochi amovibiles suae dioecesis qui-« bus, ob varias causas, necessitas fuit locum cedendi alibique commo-« randi, nunc pertinaciter recusant munus pastorale exercendum in « alio loco, ut nimis onerosum. Hortationes, suasiones, hactenus vanae « profecerunt.

« Rationes quas opponunt sunt istae:

« 1.° **Promissio obedientiae Ordinario facta die promotionis ad « presbyteratus officium non obligat cum tanto incommodo. Si futura « praevidissent, aiunt, numquam illam emisissent.**

« %° Fastidium muneris aut vitae parochialis in hisce miseris « temporibus.

« 3.° **Taedium mendicandi victum sibi et necessaria cultui divino « apud plebem suam.**

« 4.° **Animus perversus populi ingrati.**

« 5.° **Valetudo minus commoda, plerumque verosimiliter ficta, « ad implendum denuo onus ultra vires.**

« Itaque ut conscientiae suae tutius satisfaciat certamque in prae-« senti normam sequatur, humiliter atque enixe postulat utrum defi-« cientibus presbyteris pro sua dioecesi:

« 1.° **Possit poenis ecclesiasticis cogere ad suscipiendum iterum « munus parochiale quos iudicaverit idoneos ?**

« %° Utrum illud debeat ? »

Quamvis eadem vere, ut infra videbitur, et alias S. H. G. decernendum occurrerit cum tamen rerum adiuncta in Gallia praesertim post legem, quam de separatione inter Civitatem et Ecclesiam vocant, immutata non parum fuerint, rem ipsam iterum Emorum Patrum iudicio subiicienda S. H. C. censuit.

Synopsis disputationis ex voto Consultoris desumpta. - Casus, ut ex expositis patet, respicit parochos amovibiles ad nutum seu succursalistas in Gallia, qui ex quibusdam motivis coacti munus parochiale relinquere alio se transtulerunt, et inibi munus parochiale exercere nolunt, sed potius liberi a cura parochiali manere exoptant, licet aliud necessitas dioecesis exigat, et Episcopus eos obligare intendat. Ut factae petitioni in casu respondeatur, operae pretium erit expendere quaestionem tum in genere, scilicet utrum Episcopus etiam poenis ecclesiasticis cogere valeat sacerdotes suae dioecesis idoneos et caeteroquin liberos ab aliis incompatibilibus officiis ad munus parochiale suscipiendum, tum in specie relate ad succursalistas, et haec tria examinanda proponuntur:

1.° Quid iuxta ss. canones de mota quaestione sit sentiendum.

2.° Quaenam sint H. S. Congregationis circa hanc materiam resolutiones.

3.° Utrum in proposito casu vim habeant adductae rationes ab amovibilibus ex parochis ut ab imposito onere iterum suscipiendo excusentur.

Quoad primum haec notanda sunt. Antiquitus cum nullae essent paroeciae, clerici mittebantur indiscriminatim ab Episcopo cum quo vitam communem degebant, ad opem fidelium necessitatibus spiritualibus ferendam; et tunc toties quoties prout necessitas ferebat, officia spiritualia committebantur. Serius institui coepta sunt ecclesiastica beneficia quando desiit vita communis, et tunc etiam originem habuerunt paroeciae, (confer Bouix *De Paroch., sect. 1, cap. 1) :* sed hae territorium assignatum adhuc non habebant, et ad has interim Episcopus clericos sibi subditos designabat. In decreto Gratiam, *causa 10, q. 1,* c. *4,* haec dispositio Leonis IV ad Episcopos Britanniae legitur : « Regenda est unaquaeque parochia sub provisione ac tuitione Episcopi per sacerdotes, vel caeteros clericos, quos ipse cum Dei timore providerit, cui iure pertinere videtur et circumire, ut sibi visum fuerit, ecclesiastica utilitate cogente ». Tandem a Conc. Trid. statutum est quod paroeciae assignatum haberent territorium, et proprium rectorem *(sess. XIV, de ref. cap. 9, et sess. XXIV, cap. 13, De ref.):* et de clericis in genere constitutum est ut tantum essent ordinati in bonum et utilitatem dioecesis, et alicui ecclesiae incardinati sub dependentia proprii episcopi, uti inibi suis fungantur muneribus. « Cum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, Sancta Synodus..... statuit ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae, aut pio loco pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur ubi suis fungatur muneribus nec incertis vagetur sedibus » *(sess. XXIII,*

cap. 16, De ref., Conc. Trid.). Ex hac dispositione fit ut singuli clerici ex facto ordinationis censeantur incardinati dioecesi proprii Episcopi, et sub eius dependentia exercere teneantur officia ecclesiastica eique obedire.

Hanc obligationem clericorum ad acceptanda officia sibi ab Episcopo commissa clare auctor A. Bona! in suo opere *Instit. canonicae (tractat. IV, n. 106, De Hierar. Episcopali)* ita compendiatim exponit : « Id (dicta obligatio) constat tum ex iurisdictione in foro externo, qua pollet Episcopus et quae stare nequit quin subditi obtemperare teneantur ; tum ex ipso ordinationis fine, quo clericus sub ditione proprii Episcopi remanet, ut data occasione, illius ope Episcopi dioecesis utilitatibus vel necessitatibus provideant, tum ex ipsa obedientiae promissione in die ordinationis facta, tum ex impossibilitate dioecesim gubernandi, si cuilibet clerico liceat recusare munus, cui ,ab Episcopo praeponitur, tum denique ex stricto caritatis praecepto sacros ministros per se obligante fidelium necessitati subveniendi ». Quae cum ita sint, non videtur posse dubitari, quod Episcopi inspecto iure Tridentino valeant sacerdotes suae dioecesis caeteroquin idoneos et liberos cogere ad assumendum pastorale munus, stante spirituali dioecesis necessitate, et quidem comminatis poenis, quia secus, dicta potestas in praxi inefficax evaderet. In Gallia vero notandum est, quod post legem concordatariam initam inter Pium VII et Napoleonem I[um] anno 1801 introducta est duplex classis parochorum nempe cantonalium seu titularium, et amovibilium ad nutum Episcopi, qui dici solent *desservants :* hi revocari possunt ad Episcopi nutum et alio destinari. Licet haec inducta disciplina non sit legitima in sensu canonum, tamen de facto est, quod a S. Sede indirecte probata fuit ex rescripto Gregorii XVI, diei 1 Maii 1845 ad Episcopum Leodiensem: « An valeat et in conscientia obliget, usque ad aliam S. Sedis dispositionem, disciplina inducta post concordatum a. 1801, ex qua Episcopi rectoribus ecclesiarum, quae vocantur succursales iurisdictionem pro cura animarum conferre solent ad nutum revocabilem, et illi si revocentur vel alio mittantur, teneantur obedire». Responsum est: « SSmus benigne annuit, ut in regimine ecclesiarum succursalium, de quibus agitur, nulla immutatio fiat, donec aliter a S. Sede statutum fuerit » (Bouix, *p. 1, sect. IV, c. 5).*

Ad secundum punctum nunc transeundo inspicere oportet, qua ratione Episcopi data facultate uti possunt. Ut aliqua via tuta vel norma in hac materia exhibeatur, opportunum censeo nonnullas subiicere resolutiones H. S. C. quae disciplinam eius innuunt, et quae referuntur in ephemeride *Monitore ecclesiastico (v. 7, part. I, pag. 25; part. II, pag. 49, 217).*

Harum decisionum duplex habetur categoria: in una recognoscitur in Episcopis facultas cogendi sacerdotes ut supra etiam intentatis censuris ad munus parochiale assumendum urgente necessitate, et ad tempus pro prudenti arbitrio Episcopi; in alia vero a S. Sede Episcopo traduntur opportunae facultates, ut id perficere valeant, et pariter limitate ad tempus et ad casum necessitatis. Ad primam categoriam spectant decisiones editae in causis *Urbevetana,* 10 Maii 1766; *Tridentina,* 18 Augusti 1860; *Civitatis Castellana^,* 1862, in quibus datum est responsum prouti in *Naxien.,* diei 22 Augusti 1631 : « Sacerdotes posse ab Episcopo compelli ad praestandum servitium, quod eiusdem ecclesiae necessitas aut utilitas requirit ». Recentius in una *Parmen., Circa clerum,* diei 17 Ian. 1886 ad dub. 3[um] formiter propositum ut sequitur: « Utrum sub eodem praecepto obedientiae et iisdem intentatis censuris possit Episcopus sacerdotes otiosos vel ferme otiosos et sanitate suffultas compellere ad suscipiendam ecclesiarum curam, donec illi fas sit providere pastorem ? respondit : *Affirmative, urgente necessitate et ad tempus.*

Quin imo haec decisio extensa et ampliata fuit in una *Calven.,* diei 28 Martii 1890 (confer ephemeridem ut supra 7. *c, part. II, pag. 49);* quaerenti enim Episcopo Calvensi cui aeque principaliter est unita dioecesis Theanensis: « Se possa obbligare i sacerdoti di Calvi col precetto « di ubbedienza *sub gravi* e con censura di restar sospesi *a divinis et « in divinis* a presentarsi o come economi curati o come parroci tito- « lari per concorso alle parrocchie vacanti di questa diocesi di Teano..... « e se possa ancora obbligare come sopra sacerdoti religiosi, i quali per «i tempi attuali dimorano in famiglia?», a S. C. hoc prodiit rescriptum: « Detur responsum ut in *Parmen.,* diei 17 Ianuarii 1886 ad tertium dubium : quoad vero viros religiosos, quatenus extra claustra vivant de suorum superiorum temporanea licentia, rem agat (Episcopus) cum iisdem superioribus ». Iuxta allatas decisiones sancitur, quod Episcopi polleant nativo iure cogendi saltem ad tempus et stante necessitate; etiam sub poenis, presbyteros suarum dioecesum ad acceptandum munus paroeciale ut in casu.

E contra iuxta decisiones, quae ad alteram pertinent categoriam, dicta potestas in proposito casu Episcopis adscribitur tantum ex facultatibus Apostolicis: at hae referantur ad Galliae Episcopos, et ad parochos succursalistas qui iam a cura excesserant.

Anno 1884 Emus Archiepiscopus Tolosanus S. C. sequentia exposuit quaesita pro solutione: « Cum non raro accidat ut sacerdotes quibus cura amovibilis ecclesiarum succursalium, ut aiunt, commissa fuit, otii vel facilioris vitae studio, muneri suo renuntiare exoptent, cessione apud

Ordinarium facta, etiam ante eius acceptationem, eo quod beneficia proprie dicta non tenent, relictis suis ecclesiis ad propria redeant, unde contingit non paucos sacerdotes vitam otiosam, adhuc viribus integros degere tam in urbe episcopali quam in potioribus dioeceseos civitatibus, non sine scandalo fidelium: interea plures parochiales ecclesiae suis carent rectoribus, non sine magno religionis detrimento, eo quod Episcopus ob sacerdotum penuriam, ipsis de parocho idoneo providere nequit. Quapropter Orator quaerit:

« 1.° Utrum liceat praedictis sacerdotibus, eo quod beneficia veri nominis non teneant, a munere suo recedere, non obtenta prius Ordinarii licentia?

« 2.° An ex praecepto obedientiae, adhibitis si opus fuerit censuris, Episcopus ius habeat eos cogendi ut in suo munere persistant, usquedum ipsis de idoneo successore providere valeat.

3.° « Utrum sub eodem praecepto iisdemque intentatis censuris, facultatem habeat Episcopus sacerdotes viribus pollentes et ab aliis officiis liberos compellendi ad earum ecclesiarum curam percipiendam, usque dum illis alio modo providere queat? »

S. G. die 9 Maii eiusdem anni propositis dubiis respondit: « Attentis peculiaribus circumstantiis:

« Ad 1um Negative.

« Ad 2um Affirmative.

« Ad 3um Affirmative, vigore facultatum, quae approbante SSmo D. N. Emo Archiepiscopo idcirco tribuuntur ad septennium si tamdiu.... ».

Ita in una *Foroiulien., Curae animarum,* diei 31 Ianuarii 1891 proposito dubio: « An et quomodo concedenda sit facultas cogendi sub praecepto obedientiae, adhibitis etiam si opus fuerit, censuris sacerdotes viribus pollentes et a quocumque officio liberos ad curam animarum, aliaque munera pro regimine animarum necessaria suscipienda in casu », responsum fuit: « Affirmative in terminis rescripti in *Tolosana* ad tertium, dummodo eaedem circumstantiae concurrant ». Hae duae postremae decisiones, uti paulo ante notavi, attingunt dioeceses in Gallia existentes et praesertim paroecias a succursalistis regi solitas: si quaeratur cur pro harum Episcopis opportunae a S. Sede concessae sunt facultates ut cogere veleant etiam censuris refractarios sacerdotes idoneos et ab aliis officiis vacuos ad acceptandum temporanee pastorale munus, dum in Episcopis aliarum dioecesum recognita est nativa potestas, si quid in mea tenui tate opinor, id fortasse repetendum venit a specialibus conditionibus post legem concordatariam in Gallia (nunc violenter a gubernio abolitam) inductis per creationem dictarum paroeciarum, quae nun-

quam directe a S. Sede approbatae fuerunt (Bouix, ***l.*** c); facile hinc evenire poterat, ut presbyteri, blandiente desidia, commissum officium respuerent, et molestias apud gubernium crearent: ideo ad hoc avertendum opportunae a S. Sede facultates tribuebantur.

Ad tertium quod attinet nempe ad causas excusantes adductas a sacerdotibus pro munere pastorali declinando haec notanda sunt:

1.° Quod presbyteri ordinati sunt in bonum dioecesis spirituale: hinc non proprium commodum, sed animarum salutem eos exquirere oportet.

%° Quod ex supra allatis id valere etiam debet pro parochis in Gallia *desservants* nuncupatis, qui relicta cura pastorali per transitum in alium locum, modo recusant idem onus in nova sede iterum suscipere.

3.° Quod hisce non obstantibus adesse possunt in praxi gravia motiva quae presbyteros eximant ab acceptatione muneris, uti adesse possunt pro iam commisso munere renuntiando, ut puta mala affecta valetudo, odium populi et alia huiusmodi; in his enim circumstantiis cum munus committendum potiusquam in utilitatem populi spiritualem vergat in dispendium, prudentia exigit, ut presbyteri in huiusmodi conditione positi non subiiciantur dicto oneri.

Verum de valore harum causarum iudex esse debet Episcopus, qui prae oculis habere semper debet illud principium, salus animarum suprema lex est. Ceterum rationes ut proponuntur in postulatione Episcopi in principio relata, per se mihi videntur non esse sufficientes ad dictos presbyteros a cura animarum temporanee acceptanda exonerandos.

RESOLUTIO. Emi Patres S. Congregationis Concilii in plenariis comitiis habitis die 6 Augusti 1910 propositis ab Episcopo dubiis respondendum censuerunt:

Affirmative, dummodo agatur de sacerdotibus viribus pollentibus et ab aliis officiis liberis, et quoadusque Episcopus necessitatibus vacantium paroeciarum alio modo providere nequeat, et ad mentem.

Die autem **7** eiusdem mensis et anni SSmus Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii, Emorum Patrum resolutionem approbare dignatus est.

C. CARD. GENNARI, *Praefectus.*

L. £g S.

Basilius Pompili, *Secretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

L

COLONIEN.

NULLITATIS MATRIMONII - (HOSPELT-BERNHARDT).

Pio PP. X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno octavo, die 27 Augusti 1910, BR. PP. DD. Gustavus Persiani, Ponens, *Gulielmus Sebastianelli et Ioseph Alberti, Auditores de Turno, in causa* Colonien. - Nullitatis Matrimonii *inter Antonium Hospelt, repraesentatum per legitimum procuratorem Christophorum Astorri, advocatum, et Ludovicam Bernhardt, interveniente et disceptante in causa Vinculi Defensore ex officio, sequentem definitivam tulerunt sententiam.*

Antonius Hospelt, domo Colonia, cum militaribus copiis esset adscriptus, vehementi captus amore erga mulierem quamdam, nomine Ludovica Bernhardt, cui se commiscuerat, cum ea convenit de matrimonio ineundo. Quod cum Antonii pater rescivisset, simulque pravos Ludovicae mores agnovisset, nihil intentatum reliquit, ut filium suum a proposito removeret. Sed frustra. Antonius enim vixdum ad aetatem maiorem pervenit in Angliam perrexit cum amasia, et Londini, die 4 Novembris 1903, matrimonium civile cum ea contraxit.

Sed matrimonium hoc exitum habuit infelicem. Nam ab instaurata vita coniugali elapsis mensibus octo, mense Iunio 1904 Antonius querelam pro divortio coram Tribunali Karlsruhe proposuit, quam mense Novembri eiusdem anni revocatam iterum proposuit mense Iunio 1905.

Tribunal, querela reiecta, divortium admisit ex culpa solius viri. Sed superius Tribunal Karlsruhe in gradu appellationis, ope sententiae diei 20 Maii 1908, divortium decrevit ex culpa tum viri tum mulieris: « Il matrimonio concluso a Londra il 4 Novembre 1903 fra le parti con« tendenti viene divorziato per colpa di ambedue le parti ».

Antonius Hospelt favore fretus huius sententiae se liberum existimavit, et cum Maria Asbach, cui ab adolescentia se devoverat, matrimonium contrahere praesumpsit. Sed haec non fuit aliorum sententia, praesertim Parochi S. Gereonis in Urbe Colonia, Rev. P. Steinberg, qui matrimonium Londini celebratum die 4 Novembris 1903 etiam coram Ecclesia validum retinuerunt.

Inde consilium initum obtinendi declarationem nullitatis illius matrimonii; et hunc ad effectum coram Iudice Coloniensi die 22 Iulii 1908,

causa fuit introducta, et mediante sententia diei 22 Aprilis 1909 definita, accusati matrimonii admissa nullitate: « Il matrimonio concluso fra An« tonio Hospelt e Luisa Bernhardt il giorno 4 Novembre 1903 a Londra, « in base a 4, X, I, 14, è dichiarato come invalido ».

Verum Coloniensis Vinculi Defensor ex officio, qui pro viribus obstitit tali sententiae ferendae, sui muneris esse duxit sententiae latae rationibusque pro ea expositis non esse acquiescendum; et ideo ea qua par erat diligentia et sagacitate ad H. S. O. appellavit.

Quare in hodierno Turno rotali videndum est an matrimonium initum Londini, die 4 Novembris 1903 inter Antonium Hospelt et Ludovicam Bernhardt validum, etiam coram Ecclesia, sit retinendum, et causa definienda proponitur sub formula dubii : *An constet de nullitate matrimonii in casu?*

Factum quod attinet. - Primo loco RR. PP. DD. observarunt, acta processus ab utraque parte completa fuisse retenta, saltem eo sensu, ut causa posset definiri. Si enim in illis aliquis irrepsit defectus, hic potius vinculum respexit, quam Antonii libertatem. Unde Defensor Vinculi Coloniae ait: « mi riservo, specialmente in riguardo al punto in questione, « di produrre più esatto schiarimento, secondochè lo richiederà il eorso « della causa »: et Defensor Vinculi apud H. S. O. ait: « si casus ferat, « muneris mei esse duco, Vos rogare, ut in antecessum recensiti testes « in iudicio acciantur ac opportune interrogentur ». - E contra Antonius Hospelt, mediante procuratore suo, hisce conclusionibus contradixit (Novus Restrictus nn. 8, 9, 10); et postulavit n. 11, causae definitionem, dicens : « Cum ergo in casu, praeter ipsum Antonium, non duo, sed qua« tuor testes, certissime fide digni et omni exceptione maiores habeantur, « qui de scientia propria circa Antonii ipsius voluntatem deponunt, iam « apparet satis abundeque haberi probationes ex quibus hodierna causa « decidi valeat ».

Quare Vinculi Defensoris interesset, acta coadiuvari amplioribus probationibus : qui nihilominus cum hoc formaliter non exquisierit ratus se illis, pro nunc, non indigere, et causae definitioni tacite consensum praebuerit, RR. PP. censuerunt, illius meritum in statu actorum esse considerandum, et iudicium proferendum; quamvis enim ex parte Vinculi, una excepta Ludovica Bernhardt, nulla alia depositio existat in actis, tamen elementa non desunt iuridica, quae iura Vinculi tuentur, et aliunde actor forte plus aequo rationes suas exposuit, adeo ut alias probationes inutiles fore ipse censuerit.

Observarunt etiam RR. DD., matrimonium, de quo agitur, initum

fuisse Londini inter virum catholicum et mulierem evangelicam; seu agi de matrimonio mixto celebrato in loco, ubi Decretum Concilii Tridentini *(sess. XXIV, cap. I, de Reform. Matrim.)* non viget; immo agi etiam de matrimonio mixto eo in loco inito a personis tridentinae legis non subiectis. Etenim Dioeceses Borussiae Rhenanae hac lege non adstringuntur; pro iis enim Pius VIII, Const. *Litteris,* diei 25 Martii 1830 hanc edidit declarationem: « nunc autem per nostras has litteras volumus et man- « damus, ut matrimonia *mixta* quae posthac in vestris dioecesibus con- « trahi contingat, non servata forma a Concilio praescripta, si eisdem « nullum aliud obstet canonicum impedimentum, *pro ratis et veris con- « nubiis habeantur,* prout Nos Auctoritate Nostra Apostolica matrimonia « ea vera ac rata fore declaramus atque decernimus, contrariis non « obstantibus quibuscumque ». Et Antonius Hospelt, utpote Coloniensis civis, hoc privilegio gaudebat. An eo gauderet etiam Ludovica non satis liquet ex actis. Sed, locis commorationis eius consideratis, RR. DD. affirmativam sententiam tenuerunt, cum pro negativa nullum omnino in actis existat documentum. Sane Ludovica nata in loco vulgo *Bentorode* dioecesis Hildesheimensis, morabatur mense Decembri 1908, Casellis, in dioecesi Fuldensi, apud parentes suos: « Luisa Hospelt, nata Ber- « nhardt, nata il 24 Marzo 1879 in Bentorode presso Göttingen, evan- « gelica, ora dimorante a Cassel presso i genitori, Marktgasse, 15 »; sed tempore initi matrimonii Argentoratum incoluit, ubi per annum cum Antonio Hospelt conversata est: « nel 1902 e 1903 feci a Strasburgo « conoscenza con la Luisa Bernhardt. Questa abitava allora a Höhn- « hermerestrasse .... ed annodammo rapporti più intimi; ci siamo veduti « durante un anno quasi giornalmente visitandoci reciprocamente ». Quibus omnibus in locis Concilium Tridentinum non fuit promulgatum; quoad enim Ludovicae nativitatis locum: « il est moralement certam qu'il n'a « jamais été publié dans la plus part des paroisses catholiques du « diocèse de Hildesheim. » (Werber-Ehen, *p. 249);* a fortiori non fuit publicatum in Paroeciis protestanticis: quoad domicilium parentum Ludovicae Vicarius Generalis Fuldensis testatur: « Concilii Tridentini « Constitutionem *de Reformatione Matrimonii, sess. XXIV, cap. I,* Ca- « sellis non esse promulgatam, nec usu receptam tamquam Concilii Con- « stitutionem »: in Argentinensi vero dioecesi in paroeciis ac locis protestanticis hoc idem retinetur; etenim S. C. S, Officii sub die 5 Iulii 1848 decrevit: « in decisis sub feria IV, 2 Martii 1842, nempe iuxta exposita « matrimonia contracta in paroeciis protestanticis esse valida, quia prae- « sentia ministri protestantici et officialis civilis numquam supplet vicem « parochi catholici; ideoque si sunt valida matrimonia (mixta) de quibus

« agitur, eam solum ob causam valida inveniuntur quia contrahentes pro-
« testantes in casu de quo agitur, non subduntur decreto Concilii Triden-
« tini *Tametsi* ». Quare nec Ludovica Bernhardt tridentinae legi subiecta retinetur.

Unde opus foret omnino inutile quaerere an coniuges Hospelt-Bernhardt in fraudem legis Londinum petierint matrimonium clandestinum contracturi, et consequenter, an sit locus sanctioni Urbani VIII in Brevi ad Archiepiscopum Colonien., an. 1627; qui enim legi tridentinae non sunt subiecti, egredientes a loco ubi non viget, in legem non delinquunt, sed utuntur iure, quo gaudent, quique proinde eo decreto non comprehenduntur. Quamvis igitur Antonius et Ludovica *solo animo* matrimonium civile contrahendi Londinum petierint, Urbani VIII decretum eis non applicatur. (Ex S. C. C, 8 Febr. 1860, De Angelis, *Praelect. Iur. Can., IV, 3, 8).*

Ea autem fuit mens utriusque coniugis in civili matrimonio contrahendo, ut contra Antonii patris hostilia se tuerentur; ideo tale matrimonium voluerunt inire, quod etiam Germaniae legibus probaretur:
« Per stare in guardia contro le ricerche di mio padre la Bernhardt mi
« richiese di fare il matrimonio, dichiarando che avrebbero avuto fine
« così le persecuzioni di mio padre contro di lei. — Io era contento,
« perchè era sicuro, che mio padre non poteva fare più nulla contro di
« me. Io sapevo, che il matrimonio fatto a Londra era riconosciuto
« dalle leggi di Germania, e che a me non si poteva far niente », Eo igitur actu ita se ad invicem devinxerunt, ut nedum in Anglia, sed etiam in Germania coniuges haberentur, quibus quaecumque tentamina patris fierent innoxia. Sed quis sit sensus et quae natura huius actus examinandum suscipitur, et quaestio huc demum recidit an matrimonium civile Antonii Hospelt cum Ludovica Bernhardt - inter quos nullum impedimentum acta existens adsignant - matrimonium verum sit retinendum vel potius mera civilis ceremonia.

Ius quod spectat. - Hunc ad effectum RR. PP. quaestionem unico sub respectu examinandam susceperunt ; cum enim clandestinitatis quaestio in casu institui non possit, unum superest determinandum, an verus maritalis consensus a coniugibus Hospelt-Bernhardt in actu civili ineundo fuerit expressus. Hoc sub respectu Tribunal Coloniense quaestionem examinavit ; et hoc" vel ipse causae patronus videtur admittere, qui in Restricta novo, clandestinitatis provincia relicta, unice insistit in maritali consensu excludendo.

Iamvero cum matrimonium a Christo Domino ad Sacramenti dignitate n fuerit elevatum contractus naturalis esse non desiit: seu est

ipsemet contractus naturalis auctus Sacramenti dignitate (Pius VIII, Encycl, *Humilitatis,* 24 Maii 1829): et ideo sacramentum non est aliud a contracta, sed utrumque aliquid unum individuum constituunt (Pius IX, Encycl. *Ad Apostolicae,* 1851). Sed in matrimonio contractus est principale, et sacramentum accessorium; ideo, sicut contractus coeteri, matrimonium consensu perficitur *(G. 5, de Bigam., L. 30, de B. L).* Uno vel altero modo consensus exprimatur, nisi ex lege Tridentina, nihil refert, dummodo verus existat *(G. 1, de Spons. duor.* - S. Alph., *VI, 887).* Quare antiquo iure Decretalium quocumque modo consensus exprimeretur matrimonium validum retinebatur (G. 1, *de clandest. despons.).* Hoc hodie etiam obtinet in locis ubi Decretum *Tametsi,* Concilii Tridentini non viget, id est ubi vel numquam publicatum fuit, vel in *desuetudinem* abiit *(Ex Bitter.,* Pii VII, *ad Episc. Mogunt.,* 8 Octobris 1803): immo obtinet in matrimonio quoque civili, sed non *absolute.* Cum enim matrimonium civile, prout nostris temporibus receptum est, sit distinctum prorsus et separatum a matrimonio religioso, *per se* non est matrimonium verum, nil enim est aliud quam ceremonia civilis a lege praecepta, ex qua coniugum pendent iura civilia; unde si non ex iure quoque civili coierint nuptiae, iura civilia matrimonio non constant; ideoque nec dos, nec patria potestas, nec liberi (hoc iure) legitimi intelliguntur f§ *12, de nuptiis):* immo nec vim sponsalium habet (Benedict. XIV, *Inst. Eccle., XLXVI,* - S. C. C., 13 Martii 1879). — Verum nihil impedit quominus in locis, ubi Concilium Tridentinum non viget, matrimonio civili consensus vere maritalis accedat: quod si accedat, matrimonium civile retinetur matrimonium verum, sed per accidens. Hoc revera DD. docent: « contrahentes sponsi sive catholici sive acatholici baptizati, qui lege « tridentina non sunt adscripti, *in mere civili matrimonii celebratione,* etsi « illicitum, *tamen validum ineunt matrimonium, dummodo intentionem « habeant verum contrahendi matrimonium,* neque aliud obstet impedi- « mentum canonicum; at si civilem tantum velint performare ceremo- « niam, quam ex ipsorum intentione sequatur in Ecclesia coram mi- « nistro cultus verus contractus matrimonialis, religiose celebrantes, omni « valore caret matrimonium civile. Quare his locis matrimonia civilia « nequaquam valida sunt propter formam legemque civilem servatam, « neque absolute et simpliciter, sed cum clausula - dummodo constet « de mutuo eorum consensu - i. e. coniugum, ad tramites antiqui iuris « Decretalium » (Wernz, *Ius. Matrim., pag. 326.* Cfr. Card. Gasparri, *De Matrim., Tom. II, n. 1526).* Quam ob rem matrimonia *mixta* coram civili magistratu celebrata, non servata forma a Tridentino praescripta,

ubi non viget, Pius VIII, Constit. Liberis, 25 Martii 1830, *pro ratis et veris connubiis* habenda esse declaravit atque decrevit. .

Ut igitur de matrimonio civili inito in locis Tridentinae legi non subiectis rectum proferatur iudicium contrahentium voluntas inspicienda est; est enim validum vel invalidum matrimonium etiam coram Ecclesia, prout consensus vere maritalis fuerit expressus, vel potius abfuerit. . Quare in nostro themate quaestio solvenda non iuris, quod definitum habetur, sed quaestio facti est; videndum est enim: an Hospelt-Bernhardt intentionem habuerint contrahendi matrimonium verum » vel potius exequendi tantum meram ceremoniam civilem.

Iamvero hunc ad effectum RR. PP. retinuerunt quod, licet expressa lege Ecclesia non statuerit praesumptionem iuris in favorem matrimonii civilis in locis Tridentinae legi non obnoxiis celebrati, tamen haec praesumptio, in casu concreto, extra omnem controversiam posita sit retinenda. Nam S. Congr. Inquisii 2 Iulii 1892 in epist, ad Archiep. Colon, declaravit: * praesumptionem stare non *pro nullitate,* immo vero *pro « validitate* utrorumque matrimoniorum (i. e. mixtorum, sive civiliter sive « coram ministro acatholico clandestine contractorum, quae ibidem a « iure tridentino eximuntur) ». Et merito: nam, in locis tridentinae legi subiectis matrimonia clandestina ex praxi SS. CC. sanantur in radice cum clausula *dummodo prior consensus perseveret:* quo supponitur sponsos in explendo ritu civili verum consensum maritalem expressisse; secus enim non existeret obiectum sanationis, seu consensus naturalis, qui tamquam radix sanari posset; nec eius conciperetur perseverantia, si consensus ipse ab initio exulasset. Quod a fortiori admittendum est in matrimonio civili inito ubi Decretum *Tametsi* non viget; speciatim vero in casu, de quo [agitur, saltem ex praefata declaratione S. C. Inquisitionis. Porro qui habet contra se praesumptionem, si velit contrarium probare, gravatur *manifesta concludenti et fortiori probatione (Decis. Rec. Rotae^dec. 117, n. 3; dec. 290, n. 1; dec. 469 n. 2, par. 3; dec» 45, n. 7, par. 4, Tom. I).* Quare Antonius Hospelt matrimonium civile cum Ludovica Bernhardt initum non aliter evertet, nisi evidenter ostenderit, maritalem consensum abfuisse, et mere civilem ceremoniam fuisse adimpletam. Nam « praesumptio illa, quae valere facit actum, est regina aliarum praesumptionum, ac proinde praesumitur pro validitate actus, donec probetur invalidus ». (Reiffenstuel, *L. 2, t. 23, n. 91).*

Iamvero, processualibus actis inspectis, et rite perpensis, PP. Auditores retinuerunt, Antonium Hospelt intentionem suam iuridice non probasse. Revera ipse ait: « mia intenzione, nella conclusione del matrimonio, « si era quella di regolarizzare la mia relazione.... Mia intenzione si era

« soltanto di porre in ordine la faccenda avanti alla legge civile ». Quam affirmationem confirmant etiam testes ab eo inducti. Sed nullam inde exurgere iuridicam probationem nemo est, qui non videat, cum graves admodum existant rationes, ob quas non possit eis fides haberi, aut saltem haec debeat in dubium revocari.

Sane Antonium Hospelt quod attinet, quamvis Parochus testimonium ei dederit favorabile dicens: « licet ille, quem per decem ultimos « annos propius novi, per aliquot annos levitati et lasciviae se dederit, « eum numquam mendacem expertus sum, sed contra veracem semper « inveni », eidem tamen in praesenti iudicio fides nulla potest haberi. Nam primo ex quo Parochus numquam Antonium mendacem expertus fuerit, non sequitur, illum nunquam mentitum fuisse, nec mentiendi esse prorsus incapacem; praesertim in praesenti quaestione, in qua speciales et graves adsunt mentiendi rationes. Sed insuper, ab hoc etiam praescindendo, Hospelt testimonium dedit pro se, et quidem tempore maxime suspecto, quando scilicet eius maxime intererat, quam cum Ludovica duxerat, vitae consuetudinem dissociare. Hinc dubitare licet an veritatis amore, vel ex aliis rationibus minus probandis, loquutus fuerit. Eius igitur depositio suspecta retinetur, et hanc ob causam Antonius ad probandum contra proprium matrimonium non est admittendus. Nam « ius« iurandum a coniugibus praestitum aeque ac eorum *confessio probatio-* « *nem de impedimento obtinente suppeditare aut supplere nequit* ». Instructio Austriaca, *n. 169:* « Confessio quam coniuges faciunt post matrimonium « contractum, *in quantum adversus matrimonii valorem pugnat, omni vi « caret* ». Ibidem, *n. 148,* Cfr. Rotae *dec. 264, n. 44, Par. 5. Tom. I, recent.;* etiam *dec. 155, n. 57, p. 6, recent,* ubi dicitur: « Confessio coniugis non attenditur quoad vinculi solutionem »: et Lega qui ait: « In causis de « nullitate confessio, etiam iurata, coniugis *est suspecta et pene nullius « valoris* quum editur tempore suspecto, seu post institutam accusationem « in matrimonium ». Suspicionem auget eiusdem actoris improba vivendi ratio, nedum quae matrimonium cum Ludovica praecessit, sed et quae illud est subsequuta, ex qua nec arguitur ex parte Antonii conscientia recta, quae virum catholicum decet; nec debita reverentia erga auctoritatem, doctrinam et disciplinam Ecclesiae servata conspicitur. Non solum enim Antonius turpiter cum Ludovica conversatus est priusquam matrimonium cum illa contraheret, et cum aliis etiam mulieribus se commiscuit, matrimonio constante, sive in domibus prostitutionis, sive aliis privatis in locis, sicut fuse exponitur in sententia lata die 20 Maii 1908 a Tribunali civili appellationis Karlsruhe, sed etiam, hoc processu durante, legem divinam sprevit, et exemplum perniciosum, scandalosum, publi-

cum in re gravissima dedit, teste Archiepiscopo Cardinali Coloniensi qui in epistola diei 22 Iulii nuper elapsi dixit: « Actor ulterius expectandi « pertaesus, novas nuptias mere civiliter attentavit, cum muliere catho- « lica». Ad rem faciunt quae Becker ait: « Matrimonium civile attentantes, maxime si in illo statu concubinatus notorie vixerint, aequiparandi sunt *publicis peccatoribus,* eisque applicandae veniunt iuris normae quae pro hisce peccatoribus applicantur ». *(De Spons. et matrim., 2 edit. pag. 142).* Qui hac pessima vivendi ratione tam graviter et ex habitu in legem Dei coram Ecclesia delinquit, is retineri potest, cui in causa propria fides adhiberi debeat? RR. DD. hoc non concedunt.

Antonii etiam depositionem inducti testes firmare non valent. Emmelina Debal, Vidua Ioannis Hospelt, actoris mater, de cuius probitate dubitare non licet, attenta parochi attestatione, qui eam dixit *fide prorsus esse dignam,* est quidem testis ob suam, qua pollet, probitatem incapax mendacii; sed ipsa decepta decepit. Quae enim ipsa in iudicio deposuit a filio suo didicit, et quidem post matrimonium cum Ludovica celebratum « solo quando il matrimonio era stato già conchiuso noi ne «venimmo a cognizione.... Mio figlio mi dichiarò, e precisamente da « anni, che egli non riteneva come vero il matrimonio concluso a Lon- « dra, perchè egli non aveva sposato in Chiesa ». Matris igitur testimonium cum testimonio filii confunditur, et non aliam quam hoc fidem meretur. Et hoc eo magis est retinendum si attendatur, Emmelinae testimonium negativum fuisse quoad ea, quae matrimonii celebrationem comitata sunt, quaeque ipsam huius facti penitus ignaram latuerant; sciscitanti enim Iudici: « Ha avuto mai cognizione del modo come gli venne « l'idea di sposare a Londra, e quale scopo si era egli con ciò prefisso? » respondit: « Su ciò non ho cognizione più esatta. Non credo che egli fosse « informato di ciò, che per mezzo di un matrimonio solamente civile, « si potesse ammogliare validamente anche innanzi alla Chiesa ». Aliunde ex circumstantiis huius causae peculiares exurgunt rationes, quae matri Antonii suspicionis notam inurunt, non certe ex proposito voluntatis decipiendi, sed materno ex affectu falli non incapaci. Etenim ex una parte matrimonium filii sui cum Maria Asbach ipsa desideravit, quod etiam contrahi summopere cupit tamquam remedium incontinentiae illius; ex altera huic desiderio satisfaciendo obstat matrimonium Antonii cum Ludovica quoadusque nullum iuridice non declaretur; nil proinde mirum si pia mulier materno affectu mota, magis quam ducta ratione, ipsa sategerit filium suum liberare ab illa necessitate in quam Londini se coniecerat cum Ludovica vitae consuetudinem servandi perpetuam, eumque solvi a vinculo quo se obstrinxerat. Quare applicatur Instructio Au-

striaca, quae iubet consanguineos coniugum a testimonio ferendo excludi. *(Instr. Austr., n. 155, 156;* Rosset, *n. 3745;* Kugler, *n. 88).*

Nec Maria Asbach iudicialiter excussa, et favore Antonii deponens potest attendi. - Etenim quid demum ipsa dicit? « Antonio Hospelt mi « ha espresso la sua opinione riguardo alla relazione con la Bernhardt, « che cioè egli non riteneva questa relazione come legame ». Tantum ergo Maria refert quantum ab ipso Antonio cognovit, et quidem tempore suspecto, quando scilicet de matrimonio cum eadem ineundo ageretur : « Quando più tardi lo interrogai in questo proposito (de matrimonio « civili contracto cum Ludovica) mi rispose, che dopo fatto il divorzio « civile noi ci saremmo potuti sposare ». Testimonium igitur Mariae non solum cum testimonio Antonii est quid unum, et ab eo non distinguitur, sed refert insuper suspectam circumstantiam ex parte Antonii ipsius, qui ideo se liberum iactavit, ut Maria matrimonium cum ipso possibile retineret, et ad alium virum amorem suum non converteret. Immo tantum abest, ut veram agnoverit Antonii intentionem in civili matrimonio contrahendo, quin potius illud contractum fuisse penitus ignoraverit quoadusque ab Antonii matre de eo non fuerit edocta. « Dichiaro ancora « espressamente che fui informata soltanto dalla madre del Sig. Hospelt « riguardo al suo matrimonio dinanzi allo stato civile ». Qua in re observare inutile non erit, Mariam factum hoc non semper eodem modo narrasse; cum enim coram Iudice Coloniensi testetur, se de matrimonio civili Antonii Hospelt primum ab eius matre edoctam fuisse, coram Iudice Tribunalis civilis Karlsruhe in causa divortii ait: « che il Sig. Ho- « spelt fosse ammogliato lo seppe *soltanto* per mezzo di una lettera della « querelata del 12 Novembre 1904 ». Factum celebrati matrimonii civilis Maria didicerit vel ab Antonii matre, vel ab Epistola Ludovicae, eius testimonium nihil omnino refert de intentione, quam in eo contrahendo coniuges habuerunt, et ideo ex parte huius testis non agnoscitur an consensu maritali, vel minus, fuerit contractum. - Licet autem Parochus testetur, Mariam Asbach *dignam esse cui credatur,* tamen iii casu eius depositio suspicionis nota non caret ; eius enim interest, accusati matrimonii nullitatem declarari, ut de medio tollatur impedimentum quod obstat matrimonio coram Ecclesia celebrando cum ipso Antonio: « Quando « il Sig. Hospelt mi dichiarò espressamente, che non aveva avuto luogo « un matrimonio ecclesiastico, io non vedeva alcun ostacolo al nostro << matrimonio dal fatto che fosse stato celebrato quello civile ; in con- « seguenza non è stata fatta più questione su ciò fra di noi ». Quam suspicionem fundatam esse demonstrat ipsa vivendi ratio eiusdem Mariae, quae cum Antonio Hospelt castos certe non fovit amores. Percontata

enim a Iudice in causa divortii, ipsa fateri non dubitat: « Dietro sua « preghiera (Antonii) nell'Ottobre 1905 ho parlato nuovamente con lui. « Dopo ciò successe più volte, e specialmente in quest' anno, che siamo « andati a passeggio da soli. Ci siamo scelti, per questo, dei luoghi non « deserti, ma certamente non molto frequentati. Con questo è successo, « che ci siamo baciati. Io doveva ritornare sempre presto a casa.... Gli « ho regalato un medaglione col mio ritratto. È anche vero che ho firmato « questa lettera: *la tua moglietta e tatua Titina* ». Et graviora admodum sunt, quae in sententia divortii relata leguntur: « La relazione stessa « cum Helena Mulier *(Kellerina)* si deve riguardare come una grave vio« lazione dei doveri fondati sul matrimonio. Il medesimo si deve dire « della relazione amorosa del querelante (Hospelt) con la Signorina Asbach « di Colonia. Il querelante aveva spesso appuntamenti con lei. La baciava « e scambiava con lei lettere amorose. La teste Asbach, dietro domanda « se avesse commesso adulterio col querelante, si rifiutò di rispondere « appellandosi al paragrafo *384, cif. 2* ». Adulterium ab ipsa sententia non retinetur: « Le circostanze di questo caso.... non lasciano supporre « da questo rifiuto di testimonianza, che tra l'Asbach e il querelante « vi siano state relazioni sessuali » ; sed si non corporum, animorum saltem inter ipsos ea extitit coniunctio, et is inordinatus amor, ut vel ipsa sententia gravem retinuerit violationem officiorum, quae in matrimonio fundantur, et maritalis separatio inter ipsos, (Hospelt-Bernhardt) pluribus sub respectibus evaserit necessaria. Unde Mariae depositio, non solum confunditur cum illa, quam Antonius reddidit, sed etiam resolvitur in sui favorem, cum eius intersit ob rationem allatam Antonii libertatem declarari; et ideo suspecta retinetur, et in praesenti iudicio non admittitur. - Ceterum quae de Antonio Hospelt dicta sunt ut a testimonio ferendo excludatur, de Maria Asbach dicta etiam intelligantur; nam in praesentis iudicii mora matrimonium civile cum Antonio Hospelt ipsa attentavit, et publicum scandalum Coloniae dedit: quo etiam sub respectu indigna est cui fides habeatur.

Doctor etiam Edmundus Wirtz, de quo Iudex Coloniensis meritas texuit laudes: «è anche conosciuto dal Tribunale come perfettamente « coscienzioso », quid demum refert ? « Io Io interrogai sulla sua opi« nione in proposito. Qui mi risultò, che egli non aveva alcuna idea di « questo : che cioè egli, per mezzo del matrimonio civile a Londra avesse « potuto anche concludere un matrimonio valido ecclesiasticamente. A « questo egli non aveva pensato affatto ». Sed his in verbis non est admodum fidendum, non certe ob pravam testis voluntatem, sed propter humanae naturae conditionem et imbecillitatem. Qui enim coram

Tribunali civili in causa divortii fortiter decertaverat Antonii causam sustinendo, in ea fuit animi dispositione, ut clientis sui iura tantum videret in iudicio sustinendo, et e contra ex parte. Ludovicae dumtaxat iniurias coercendas: unde nil mirum esse debet si hoc criterio motus ipse viderit omnimodam Antonii libertatem et independentiam a Ludovica, et hoc in sensu omnia dicta et facta eiusdem Antonii explicaverit. Et revera Doctor Wirtz citatis verbis opinionem suam retulit, quam ex Antonii responsione sibi efformaverat : quae opinio alia non est quam opinio Antonii, qui putata iura sua Advocato pandebat in iudicio tuenda. Ceterum quamvis Doctor Wirtz sit in foro civili valde peritus, in praesenti quaestione de eius competentia aliquo modo potest dubitari; non enim ipse sciebat matrimonium civile Londini celebratum naturam posse praeseferre veri matrimonii etiam coram Ecclesia, antequam ab Ecclesiastico viro in iure canonico Doctore hoc edoceretur: « Per quanto io « mi ricordo, io aveva allora 1* opinione, che il matrimonio concluso a « Londra non potesse essere considerato come matrimonio ecclesiastico. « Parlai però al sig. Canonico Dottor Steffens, e sentii dal medesimo, « che il matrimonio civile fatto a Londra si riguardava bensì come ma- « trimonio valido». Dubitare proinde licet an interrogationes, ab Advocato Wirtz factae, fuerint rectae : et cum responsiones analogae interrogationibus esse debeant, etiam de responsionum significatione est dubitationi locus: et consequenter opinio, quam Advocatus sibi efformavit, quanti valet? Pro certo haberi non potest.

Tandem Michael Euler, qui etiam ex testimonio Rev. Schmitz, Coadiutoris Parochi Coloniae Dentz, est *dignus cui credatur,* talia refert vel quae opinionem suam ostendunt circa matrimonii civilis naturam, vel quae ad rem praesentem non faciunt ; ait enim : « Ho cercato parecchie « volte di persuadere il mio vecchio amico Hospelt a sciogliere la rela- « zione con la Bernhardt, *perchè non ho mai ritenuto come vero matri- « monio la detta relazione;* un vero matrimonio non è avvenuto. Questo « lo rilevo dalle dichiarazioni del sig. Hospelt. Se tale poi ne fosse l'in- « tenzione, non lo so ». Euler ergo, qui ex Antonii affirmationibus matrimonium eius Londini celebratum ceu matrimonium verum non retinuit, quique tantum deponit quantum deposuit Antonius ipse, quaenam eius fuerit intentio, ex qua civilis ceremonia Londini celebrata *suum esse verum* acquisivit, penitus ignoravit. Ex eius ergo testimonio nihil Omnino exurgit, quod excludat consensum vere maritalem in celebratione matrimonii civilis initi inter Hospelt-Bernhardt.

Cum nullum aliud in actis testimonium existat, quod Antonio Hospelt faveat, RR. AA. retinuerunt, actorem intentionem suam non probasse

manifesta, concludenti et fortiori probatione; idque sufficere ad hoc ut illius- instantia reiiciatur; hoc enim posito, praesumptio manet integra favore matrimonii.

Verum RR. PP., actis consideratis, visum est, talia ex his exurgere argumenta, quae moralem certitudinem vere constituant, Antonium et Ludovicam contractum civilem consensu maritali inivisse. Unde praesumptio iuris conversa est in veritatem.

Cum in matrimonio contractus sit principale et sacramentum accessorium, omnia ex contractu debent aestimari. In genere contractus, essentia est in mutuo consensu, rite comparti expresso, in formale obiectum essentiale contractus ipsius. Matrimonium autem, ut contractus est coniunctio maris et feminae individuam vitae consuetudinem retinens *(§ 1, de Patr. Potest, cap. 11,* § *vero de praesumpt.) :* qua intelligitur tum huius societatis contractus *(cap. 4, de Bigam., L. 31, de B. Z),* tum societas ipsa coita, quae *cum primis* ad sobolem procreandam sit ordinata, ideo nisi inter marem et foeminam iniri non potest; et corporum *cum primis* initur *(Suppl. B. Th., 41, 1),* nam et animorum, et quodam modo omnium rerum *(L. 31, de ritu nupt.)* societas est perpetua. Inde Romanis: *consortium omnis vitae (L. 1, de ritu nupt.).* Cfr. D'Annibale, *Lib. III, Tract. VIII, n. 289.* Quare contractus matrimonialis obiectum formale essentiale est ius coeundi mutuum cum relativa obligatione, exclusivum et perpetuum, et per se ordinatum ad prolem generandam et postea educandam (Gasparri, i, *n. 7, 8).* Ex quo sequitur, matrimonialem contractum perfici cum contrahentes in huiusmodi coniunctione convenerint. Et hoc revera contingit in celebratione matrimonii civilis ministerio legis, quae, praecisione facta ab errore dogmatico, cui innititur, cum civilis auctoritas competentiam sibi usurpet in vinculum matrimoniale baptizatorum, eamque neget Ecclesiasticae auctoritati, virum et mulierem in matrimonii civilis celebratione ita et non aliter convenire considerat, et coniunctos retinet. Et revera, eo vix celebrato, coniunctio maris et feminae individuam vitae consuetudinem retinens instituta censetur, et ex tunc sive coniuges, sive liberi iuribus civilibus gaudent. Qui igitur coram civili magistratu matrimonium contrahunt, nisi aliud intendere manifestent, legi obsequuti in formale obiectum essentiale contractus matrimonialis conveniunt, seu matrimonium ineunt consensu maritali, quod nisi lex tridentina obstet, est matrimonium verum etiam coram Ecclesia.

Antonium Hospelt et Ludovicam Bernhardt ita egisse Londini coram civili magistratu, die 4 Novembris 1903, **PP.** AA. retinuerunt. Etenim ex tunc coniugalem vitam instituerunt: « Dopo il nostro matri-
« monio ci portammo da Londra a Karlsruhe, dove stemmo insieme

« fino all'estate 1904, dimorando in Kaiserstrasse. In quest'epoca avemmo « regolarmente commercio matrimoniale. Come viaggio di nozze si ritenne « quello fatto da Londra a Karlsruhe, dove prendemmo fissa dimora. Nei « primi mesi la vita comune fu molto buona; noi usavamo rapporti ses- « suali ». Quod factum satis ostendit quaenam eorum fuerit intentio in eo matrimonio ineundo: supponit scilicet eos vere consensisse in obiectum formale contractus matrimonialis.

Re enim vera Hospelt-Bernhardt Londini exequutioni mandarunt quod antea se facturos ad invicem spoponderant. Sed verum matrimonium spoponderunt, cum sponsalia praecessissent: « Diverso tempo prima « dei matrimonio noi ci siamo fidanzati non solo in segreto, ma anche « pubblicamente, ed abbiamo comunicato il nostro fidanzamento ad amici « e conoscenti per mezzo di biglietti. Questo fidanzamento ebbe luogo « in Marzo, ed il matrimonio nel Novembre dello stesso anno ». Et Hospelt ipse fatetur: « Ci siamo dati reciproca promessa di matrimonio « dopo che essa mi aveva a ciò spronato. Io ero allora molto innamo- « rato della Bernhardt, e questo era il motivo per cui aderii alla sua « insistenza. Mi richiese di fare il matrimonio ». Et hoc est adeo verum, ut testis Euler dicere potuerit, se ab amico suo Antonio audivisse, « *che « voleva sposare Luisa Bernhardt* », expleto militari servitio. Obligationis, vi sponsalium assumptae, implementum festinavit quidam Ludovicae propinquus: « Terminato il servizio militare andai a Basilea per potere « stare insieme con la Bernhardt; ed in questo tempo venne un parente « della Bernhardt di nome Hohuaner, allora fotografo a Strasburgo, e « ci dichiarò che era tempo di andare a Londra e di sposare »; cui morem gessit Antonius, qui, nulla interposita mora, procuratorem deputava cum facultate omnia parandi, quae pro celebratione matrimonii necessario requirebantur: « I preparativi a Londra furono fatti da un « mediatore a nome Funk. Questi ricevette per i suoi unici la somma « di 700 marchi, e seppe rendere possibile, che quando arrivammo a « Londra la Domenica °2 Novembre, si potette celebrare il matrimonio « il 4 Novembre ». Cum autem sponsalia sint *mutua promissio futurorum nuptiarum, (L. 1, de Spons.)* et ad matrimonium tendant, sequitur, Antonium et Ludovicam sponsalia contrahentes suscepisse obligationem mutuam matrimonium verum contrahendi; cumque actus civilis die 4 Novembris 1903 Londini celebratus huic implendae obligationi fuerit ordinatus, ambigi non potest quin matrimonium verum ab ipsis fuerit volitum. — Hinc est quod contractus, coram magistratu civili initiis, semper *matrimonium* fuerit nuncupatus sive antequam iniretur, sive post illum initum. « La Bernhardt mi richiese di fare il matrimonio. Ci portammo

« a Londra dove avremmo dovuto fare un matrimonio valido. Il matri« monio fu fatto a Londra ». Cum verba accipienda sint iuxta communem intelligentiam, ipsi coniuges usi verbo *matrimonium, sine addito* in designando contractu civili diei 4 Novembris 1903, eo ipso matrimonium verum a seipsis contractum designarunt. Hoc revera utrique semper fuit in votis. « L'idea (matrimonii) partì da mio marito. Egli mi disse « così un giorno : Ti voglio tanto bene, che senza di te non posso più « vivere. Come relazione tu sei troppo buona. Ti voglio sposare » et Hospelt ait: « Mio padre aveva fatto fare delle ricerche su di lei per « mezzo di un agente. Quando essa lo seppe mi parlò del matrimonio « perchè io la proteggessi contro queste ricerche. Io vi acconsentii ». Uter fuerit auctor propositionis matrimonii non liquet; at in re uterque conveniunt; matrimonium enim ab uno propositum acceptatum fuit ab altero, seu, quod idem est, placuit utrique. Hoc autem non solum cupierunt, sed etiam facto compleverunt: etenim coniunctionem, vi legis civilis sequutam Londini, individuam vitae consuetudinem futuram esse voluerunt adeo firmam, ut nulla unquam ratione dissolvi posset: « Noi ci « dovevamo appartenere per sempre come marito e moglie. Nel giorno « del matrimonio egli mi disse: Ecco moglietta, adesso siamo uniti per « la morte. Adesso nulla ci può più separare ». Ita fatetur Ludovica : sed etiam actoris mater hoc confirmat. « Mio figlio non ha mai espresso « verso di noi di sposare la Luisa Bernhardt, bensì però ci ha dichia« rato *che non V avrebbe lasciata* ». — Nec valet dicere, Antonium Hospelt, post initum cum Ludovica matrimonium, propositum manifestasse ducendi uxorem Mariam Asbach, quam ab adolescentia vehementi amore prosequebatur ; idque saltem dubium reddere an matrimonium Londini celebratum ea mente fuerit initum, ut societas, inde nata, vera et perpetua fuerit constituta. Etenim quaenam in facto Antonii agendi ratio fuerit erga Mariam Asbach, post initum matrimonium cum Ludovica usque ad separationem, et praesertim an ipse, hoc tempore volvente, suam voluntatem eam ducendi puellae ostenderit, non satis liquet ex actis. Aliunde depositio Mariae coram Tribunali laico in causa divortii, suppositionem huius tractatus, antequam causa divortii proponeretur, excludit omnino ; quamplures enim Antonii existunt epistolae, quae contrarium ostendunt, utpote quae integram fidelitatem eius Ludovicae manifestant: « mi assi« curava più volte, che mai avrebbe sposato altra donna, e che sarebbe « stato fedele a me ». — Accedit etiam, Antonii matrem valde desiderasse filii sui matrimonium cum Maria Asbach, et ad hanc amatorias litteras misisse ne matrem suam offenderet, cum eius interesset integro patrimonio illius non privari; qua motus intentione causam divortii propo-

suerat: « Mi dichiarò anche, che il secondo processo, come il primo, « non era da prendersi sul serio, ma solo per potere ottenere da sua « madre, dopo la fine del processo, la sua intera sostanza ». Demum quas Mariae Asbach declarationes fecit Antonius Hospelt huius manifestant animi levitatem et inconstantiam; et huius levitatis et inconstantiae non levia adsunt indicia. Etenim Antonius causam divortii coram Tribunali civili proponit, et Ludovicae declarat: « Che questo processo « non era da prendersi sul serio, ma perchè avesse egli potuto avere « così danaro dai suoi genitori, e che egli avrebbe ritirato a tempo il « processo di divorzio ». Processu divortii durante, amatorias litteras Mariae dedit; sed eas dedit etiam Ludovicae, cum qua quoque se commi- « scuit. Durante il corso del secondo processo di divorzio, non solo mi « scrisse un gran numero di tenerissime lettere, nelle quali mi assicurava « più volte, che mai avrebbe sposato un'altra donna, e che sarebbe stato « fedele a me, ma ebbe anche qualche volta rapporti sessuali con me ». Qui inter Ludovicam Bernhardt et Mariam Asbach suspensus haerebat, cum aliis etiam mulieribus conversabatur. « Ha mantenuto una rela- « zione amorosa con Elena Mulier, Kellerina di qui (Karlsruhe). È pro- « vato che il querelante (Hospelt) nel Febbraio 1905 visitò una casa « pubblica di qui in Spitalstrasse, e che non solo si trattenne nel " salone " « ma che andò anche su con una delle ragazze di quel luogo. Il suo « compagno, il teste Appio Cassonello, ha supposto, che egli sia andato « con la ragazza nella camera di lei, usando là rapporti sessuali ». Quibus positis, ex litteris ad Mariam Asbach missis nihil deducitur quod arguat Antonii intentionem contrariam perpetuitati coniugii cum Ludovica initi.

Alio etiam ex capite apparet, Antonium et Ludovicam die 4 Novembris 1903 matrimonium verum contrahere intendisse. Nam Londino discessi Karlsruhe adiverunt animo ita dispositi, ut cum civili etiam ecclesiasticum matrimonium contraherent iuxta Ecclesiae catholicae ritum; quod vere contraxissent si Antonii mater ad hoc impedimentum non apposuisset. Propositum nihilominus effectum habuit coram civili magistratu; et Antonius, ad ostendendam inefficaciam impedimenti a matre sua appositi, parentibus nunciavit, propositum matrimonium aeque fuisse celebratum: « Il matrimonio civile ebbe luogo a Lon- « dra il 4 Novembre 1903. Noi non volevamo fare un matrimonio eccle- « siastico da un parroco evangelico di Londra. Da Londra andammo a « Karlsruhe con l'intenzione di unirci anche ecclesiasticamente, e preci- « samente secondo la religione cattolica. Il matrimonio divisato già a « S. Bernhard fu reso impossibile da lettere di mia suocera. Mio marito « comunicò da Londra ai miei genitori che noi ci eravamo uniti in ma-

« trimonio ». Ubi notandum est, matrimonium coram ministro cultus, contractu civili praemisso, « *secondo la religione cattolica* », ubi tridentina lex non viget, eo sensu dicitur celebrari, ut sponsi teneantur benedictionem Sacerdotis recipere, non renovato consensu (Gasparri,i7,*1526):* « Si partes habiles sunt iuxta Ecclesiae leges, et actum civilem ponentes « ante matrimonium, intenderint verum matrimonium, actus civilis est « verum matrimonium, non quia lex civilis servata est, sed quia nihil « deest iuxta Ecclesiae legislationem necessarium ad matrimonii vali- « ditatem. Proinde partes hoc matrimonio licite utuntur, nec debitum « valent detrectare, et filii sunt legitimi : tenentur vero benedictionem « sacerdotis recipere, non renovato consensu ». Hoc sensu Hospelt-Bernhardt matrimonii celebrationem Londini initi coram sacerdote catholico benedictionis ope confirmare volebant; quod cum matris artibus impediti non obtinuissent, Antonius machinationes eius veluti exprobrando, se hisce non obstantibus matrimonium contraxisse gloriabatur. Nil ergo mirum videri debet si ipsi matrimonium verum se Londini inivisse apertis verbis declaraverint. Sciscitanti enim Iudici: « Quale « importanza dava Ella stessa al matrimonio civile? Doveva questo « secondo la di lei intenzione essere di base per una vera vita matri- « moniale? E per mezzo del quale, loro due, come marito e moglie « durevolmente si dovessero appartenere? o dovesse essere soltanto un « atto esterno senza ulteriore contenuto ? » Ludovica respondit : « Io natu- « ralmente l'ho ritenuto come un vero matrimonio, per mezzo del quale « noi ci dovevamo appartenere per sempre come marito e moglie ». Et ulterius: « Quale importanza dava Antonio Hospelt all'atto civile? Cre- « deva Ella allora che Egli avesse l'intenzione di unirsi con lei in vita « matrimoniale? Crede Ella ancor oggi che Egli avesse in quel tempo « intenzione di prenderla per moglie, e che questo fosse lo scopo del « matrimonio a Londra? » respondit: « A queste due ultime domande « io rispondo con un decisivo sì. Nel tempo stesso sono convinta che « Antonio Hospelt diede la stessa importanza all' atto civile come gli « diedi io. Nel giorno del matrimonio egli mi disse : Ecco moglietta, « adesso siamo uniti per la morte. Adesso nulla ci può più separare ». Nec odio mota ita Ludovica loquuta dicatur; quod enim ipsa in iudicio deposuit hoc Antonius Hospelt ausus non est denegare, sed immo confirmavit dicens: « La Bernhardt si ritenne (in base al matrimonio fatto « a Londra) come mia vera moglie, come anch' io mi ritenni per suo « vero e legale marito ». - Quid melius confessione utriusque coniugis desideratur? - Effectus iudicialis confessionis praecipuus est, quod non tantum plene probet, cum nulla sit maior probatio, quam propria oris

confessio, sed faciat etiam ut confitens contra se habeatur quodammodo pro iudicato, ita ut talis confessio habeat vim sententiae, et rei iudicatae quodammodo quoad ipsum confitendum (Piringh, *L. II, TU. 18 § 3).* Extra dubium ergo retinetur, Antonium Hospelt et Ludovicam Bernhardt coram civili magistratu Londini matrimonium verum contrahere intendisse, et revera contraxisse.

Neque dicatur, eam Antonii fuisse persuasionem, verum matrimonium, nisi coram ministro cultus, valide, contractum iri, ut inde deducatur, illum nonnisi ceremoniam civilem peregisse. Etenim falsa nostra opinio non mutat naturam rei: et cum matrimonium civile in themate omnia praesetulerit elementa, quibus matrimonialis contractus vere subsisteret, Antonii opinio, quaecumque ea fuerit, huius naturam non mutavit, sed contractus vere matrimonialis permansit. Etiam vir catholicus pro certo habet, matrimonia profana ab Ecclesia non admitti: et nihilominus civiliter contrahendo in loco, ubi Conc. Trid. non viget, potest matrimonialem consensum exprimere, et eius persuasio non impedit quominus matrimonium verum celebretur. Ita et Antonius falsam quidem habuit opinionem circa matrimonii civilis efficaciam; sed cum consensus in obiectum formale essentiale extiterit, eius opinio contractui matrimoniali non obfuit. Et revera quamvis generalis sit opinio in Germania, matrimonia mixta non valere nisi coram proprio religionis ministro celebrata, ea tamen *coram civili magistratu tantum inita,* S. C. S. Officii ad Archiepiscopum Coloniensem, *praesumptione iuris uti valida* declaravit, praecisione consequenter facta ab erronea et diversa populi opinione.

Neque refert, inter utrumque (Hospelt-Bernhardt) de matrimonio ecclesiastico ineundo sermonem numquam fuisse institutum nisi post contractum civilem initum, quem matrimonium verum Hospelt non retinuit. Etenim hic non attenditur quid ipsi agere debuissent vel potuissent, nec quale iudicium de actu civili postea tulerint, sed quid de facto egerint. Constat autem, contractum matrimonialem inivisse, quem subsequens iudicium erroneum nullimode mutavit. Quare matrimonium, de quo agitur, sacramentum etiam extitit. Inter christicolas enim contractus a sacramento separari non potest, quod indubitati iuris est, et fidei proximum (Pius IX, *Syll. 66, 67, 73);* ideo indubitati iuris est et fidei proximum, contractum sine sacramento, et sacramentum sine contractu constare non posse. Et cum in nostro themate contractus extiterit, sacramentum etiam extitit, quamvis de hoc coniuges ne quidem cogitaverint.

Demum quis forte obiiciet, omnia supra relata fundari in testimonio Ludovicae Bernhardt, cui mulieri inhonestae, quae etiam matrimo-

mum civile attentavit, fides haberi non debet, quemadmodum fides habita non fuit Antonio Hospelt ob easdem rationes. Sed ratio discriminis est observanda. Non enim Antonius a testificando repellitur tantum quia corruptus pravis moribus, et publicus peccator existit, sed etiam quia coniux contra proprium matrimonium testificans veluti suspectus non admittitur, maxime si accuset matrimonium tempore suspecto, ut accidit in casu. *(Instr. Austriaca n. 168-169,* Rota *dec. 264, n. 44, p. 5, T. I, recent.).* Quod non verificatur de Ludovica, quae contra matrimonium non deponit, quaeque hoc sub respectu suspecta non videtur. Sed insuper quamvis et ipsa sit mulier inhonesta, et publicis peccatoribus accenseri debeat cum in concubinatu vivat, tamen testes qui in processu fuerunt excussi, mater videlicet Antonii, et Advocatus Wirtz, nihil contra ipsam deponunt, quod eius naturalem probitatem impugnet. Denique, quae Ludovica Bernhardt in iudicio deposuit, falsitatis accusari non possunt; ea enim omnia Antonius Hospelt absque ulla dubitatione confirmavit. Ratio ergo non subest, quare ei fides praestari non debeat.

Procul dubio igitur RR. PP. censuerunt in casu, de quo agitur, matrimonium verum fuisse initum ad tramites antiqui iuris Decretalium,, quod quantumvis illicitum, validum retinetur.

Quibus omnibus perpensis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores, pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, matrimonium, de quo agitur in casu, rationibus concludentibus non fuisse subversum, seu proposito dubio respondemus: *Negative;* exinde sententiam appellatam infirmamus, et pro infirmata haberi decernimus et declaramus, condemnantes etiam Antonium Hospelt in expensas iudiciales, quarum taxationem cui de iure reservamus.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut executioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, et praesertim *cap. 3, sess. XXV, de Be form. Conc. Trid.;* iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis extitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 27 Augusti 1910.

Gustavus Persiani, *Ponens.*

L. £g S. Gulielmus Sebastianelli.

Ioseph Alberti.

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

IL

COLONIEN.-MONASTERIEN.

SUSPENSIONIS A DIVINIS AC IURISDICTIONIS.

Adversus sententiam, hac in causa, editam a S. R. Rota die 23 Maii 1910, et evulgatam, uti mos est, in Commentario Officiali n. 19 curr. anni, pag. 747 seq., Promotor Iustitiae huius S. Tribunalis tempore utili appellationem interposuit.

Romae, 9 Novembris 1910.

R. P. D. Franciscus Heiner, *Ponens.*
T. Tani, *Notarius.*

SECRETARIA STATUS

EPISTOLA

AD R. D. HENRICUM DELASSUS,
DE OPERE " LA CONJURATION ANTICHRÉTIENNE " BEATISSIMO PATRI EXHIBITO.

Monseigneur,

Le Saint Père, Pie X, a reçu avec un paternel intérêt l'ouvrage intitulé *La Conjuration Antichrétienne*, que vous m'avez prié de Lui remettre en votre nom.

Sa Sainteté vous félicite affectueusement d'avoir mené à bonne fin la composition de cet ouvrage important et suggestif, à la suite d'une longue série d'études qui font également honneur à votre zèle et à votre ardent désir de servir la cause de Dieu et de la Sainte Eglise.

Les idées directrices de votre beau travail sont celles qui ont inspiré les grands historiens catholiques : l'action de Dieu dans les événements de ce monde, le fait de la Révélation, l'établissement de l'ordre surnaturel, et la résistance que l'Esprit du mal oppose à l'œuvre de la Rédemption. Vous montrez l'abîme où conduit l'antagonisme entre la civilisation chrétienne et la prétendue civilisation, qui rétrograde vers le paganisme. Combien vous avez raison d'établir que la rénovation sociale ne se pourra faire que par la proclamation des droits de Dieu et de l'Eglise!

En vous exprimant sa gratitude, le Saint Père fait des vœux pour que vous puissiez, avec une santé toujours vigoureuse, réaliser entièrement le plan synthétique que vous vous êtes tracé, et comme gage de sa particulière bienveillance, Il vous envoie la Bénédiction Apostolique.

Avec mes remercîments personnels et mes félicitations, veuillez agréer, Monseigneur, l'assurance de mes sentiments bien dévoués, en Notre Seigneur.

Rome, le 22 Octobre 1910.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. ✠ S. *a Secretis Status.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

CONGREGAZIONE ANTIPREPARATORIA.

Il giorno 15 del corrente mese di Novembre, presso l'Emo e Rmo Signor Cardinale Girolamo Gotti, Ponente della Causa, ha avuto luogo la Congregazione Antipreparatoria dei Sacri Riti, per discutere il dubbio sopra i miracoli del Venerabile Servo di Dio, Giuseppe Anchieta, Sacerdote professo della Compagnia di Gesù.

11 giorno 29 del corrente mese di Novembre, nel Palazzo Apostolico Vaticano, all'augusta presenza del S. Padre, si è tenuta la Congregazione Generale dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali, i Rmi Prelati Officiali, ed i Consultori Teologi, componenti la medesima, discuteranno e daranno il loro voto sul dubbio delle virtù in grado eroico nella Causa di Beatificazione e Canonizzazione della Venerabile Suor Maria dell' Incarnazione, Fondatrice del Monastero delle Orsoline nella città di Quebec.

SACRA PENITENZIERIA

AVVISO DI CONCORSO.

Si notifica che nel *Sacro Tribunale della Penitenzieria Apostolica* avrà luogo il concorso ad un posto di Ufficiale, per esame orale e scritto. L'orale si terrà il 13 del prossimo Decembre alle ore 9, lo scritto il 15 successivo alle ore 8.

Coloro che desiderassero prendervi parte dovranno, entro un mese dalla data del presente, esibire nella Segreteria di detto Sacro Tribunale la domanda corredata dei titoli necessari per l'ammissione.

Roma, 10 Novembre 1910.

0. Giorgi, *Reggente.*

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE.

Sua Santità, con biglietto della Segreteria di Stato, si è degnata di nominare:

20 Novembre 1910. — L'Emo Signor Cardinale Pietro Gasparri, Protettore della Pia Unione dei SS. Benedetto e Scolastica di Norcia.

10 Novembre 1910. — Il Rev. Padre Giuseppe Brunelli, dei Frati Minori dell'Unione Leoniana, Consultore della Sacra Congregazione dei Religiosi.

12 Novembre 1910. — Il Rev. Padre Placido Lemos, dei Frati Minori dell'Unione Leoniana, Consultore della Sacra Congregazione di Propaganda Fide, per gli affari di rito orientale.

16 Novembre 1910. — Il Rev. Padre Giovanni Battista Frey, della Congregazione dello Spirito Santo, Consultore della Pontificia Commissione per gli studi biblici.

25 Novembre 1910. — Il Rev. Padre Enrico Buonpensiere, dei Predicatori, Consultore della Sacra Congregazione dell'Indice.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

La Santità di nostro Signore con biglietto di S. E. Rma Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari:

23 Ottobre 1910. — Mons. Giuseppe Corno, dell' archidiocesi di Torino,
— Mons. Agostino Berteu, della medesima archidiocesi.
— Mons. Antonio Martino vie, della diocesi di Sebenico.
— Mons. Giambattista Sisgorco, della medesima diocesi.
— Mons. Parmenio Angelini, della diocesi di Fossombrone.

Camerieri d'onore in abito paonazzo:

23 Ottobre 1910. — Mons. Vincenzo Karadjole, della diocesi di Sebenico.
— Mons. Giovanni Miric, della medesima diocesi.
— Mons. Carlo Straniak, dell'archidiocesi di Vienna.,
— Mons. Cirillo Zucchetti, della diocesi di Cremona.
— Mons. Gelasio Marinelli, della diocesi di Fossombrone.

Cameriere et onore di spada e cappa soprannumerario:

24 Ottobre 1910. — Il Sig. Gaetano de Bouvier Azula.

NECROLOGIO

13 Novembre 1910. — Mons. Ferdinando Maria Cieri, Vescovo di S. Agata de' Goti.

21 Novembre 1910. — Mons. Giovanni de Montel, Decano emerito della S. Romana Rota.

24 Novembre 1910. — L'Emo Signor Cardinale Alessandro Sanminiatelli, del Titolo dei SS. Marcellino e Pietro.

Novembre 1910. — Mons. Pasquale Buconjic, dei Frati Minori, Vescovo di Mostar.

Annus II. - Vol. II. Die 19 Decembris 1910. Num. 23.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. X

MOTU-PROPRIO

DE NOVIS QUARUNDAM BULLARUM FORMULIS
IN CANCELLARIA APOSTOLICA UTENDIS.

In Romanae Curiae ordinatione, per Constitutionem *Sapienti Consilio* decreta, Cancellariae Nostrae Apostolicae prospicientes, munus commisimus coetui trium purpuratorum Patrum, id est Cardinalibus Cancellano, Datario et a Secretis Congregationis Consistorialis, quamprimum reformandi « formulas *Bullarum* collationis beneficiorum sive consisto« rialium, sive aliorum ; itemque *Bullarum* constitutionis dioecesum et « capitulorum ; denique *Regularum,* quas *Cancellariae* vocant » *(Ordo servandus,* part. II, cap. **9,** art. I).

Memorati PP. Cardinales, quibus id negotii demandatum est, re mature perpensa adhibitisque in consilium aliquot adlectis viris, officii partem expleverunt et novas condiderunt formulas, quibus Cancellaria Apostolica uti debeat in conficiendis *Bullis,* hoc est apostolicis sub plumbo Litteris de beneficiis consistorialibus aliisve actis adnexis, easque formulas Nobis, ut par erat, probandas confirmandasque subiecerunt.

Quum vero easdem *Bullarum* formulas, prout in volumine typis •edito continentur, diligenter inspexerimus Nostraeque voluntati plane respondere agnoverimus, Nos ex plenitudine Apostolicae potestatis eas omnino approbamus et confirmamus, atque hoc Nostro Motu-Proprio approbatas et confirmatas edicimus ac declaramus, mandantes, ut, antiquis Bullarum formulis hae novae sufficiantur, eaedemque tantummodo, a die i mensis Ianuarii proximi anni MDCCCCXI ac deinceps, ab omnibus

ad quos spectat religiose recipiantur et inviolate serventur, non obstantibus quibusvis, etiam specialissima mentione aut derogatione dignis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die sacra Beatae Mariae Virgini ab origine labis experti, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

LITTERAE APOSTOLICAE

I.

TRANSLATIO IN DOMINICAM IMMEDIATE PRAECEDENTEM DIEM OCTOBRIS MENSIS VICESIMUM OCTAVUM FESTIVITATIS PATRONORUM PRO PAROECIA SEIFERSDORF, DIOECESIS LITOMERICENSIS.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam. — Romani Pontifices utpote supremi Ecclesiasticae disciplinae Moderatores, cum gravis momenti rationes id suadere viderentur, pro coelestium Patronorum festis solemni ritu habendis statos interdum dies mutare consueverunt, festivitates ipsas in alia tempora traducentes, quae christiani populi commoditati atque emolumento spirituali, melius responderent. Hoc ducti consilio cum hodiernus parochus oppidi *Seifersdorf*, dioecesis Litomericensis intra fines, Nos enixis precibus flagitaverit, ut ad servandas quasdam consuetudines legitimas in populo inditas, festum Patronorum Simonis et Iudae, quod in Ecclesia agitur die vicesima octava mensis Octobris pro memorata paroecia sua, in Dominicam immediate praecedentem transferre dignaremur; Nos, inspecta amplissima Litomericensis Antistitis commendatione, perpensisque peculiaribus adiunctis, et rei momentis attento seduloque studio consideratis cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. Ecclesiae Cardinalibus Congregationi praepositis Concilii Tridentini Interpreti, votis hisce annuendum quantum in Domino possumus existimavimus. Itaque Motu Proprio atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, Apostolica auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum edicimus ac mandamus, ut in posterum paroecia praedicta oppidi *Seifersdorf*, dioecesis Litomericensis intra fines, servatis servandis, ac sartis tectisque peculiaribus iis legibus quae pro coelestibus Patronis recolendis ab Ecclesiae ritibus praescribuntur, festivitas

Patronorum Sanctorum Simonis et Iudae Apostolorum rite celebretur quotannis Dominica, quae vicesimam octavam mensis Octobris diem immediate praecedit. Praesentium litterarum exsecutionem arbitrio et conscientiae committimus tum hodierni Litomericensis dioecesis Episcopi, cum eiusdem in Pastorali munere successorum; decernentes praesentes litteras firmas, validas atque efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII Octobris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. *f$* S. *a Secretis Status.*

IL

ERECTIO NOVI APOSTOLICI VICARIATUS KIENTCHANG IN SINIS.

PIUS PP. x.

Ad perpetuam rei memoriam. — Ex hac, quam divinitus• obtinemus B. Petri Principis Apostolorum Cathedra tanquam e sublimi specula, in omnes vel longo terrarum marisque spatio seiunctas Catholici orbis partes oculos Mentis Nostrae convertimus, et quae, rei Sacrae procurationi melius gerendae faciant, quaeque spirituali Christianae plebis emolumento benevertant, ea Suprema Nostra Auctoritate interposita praestare maturamus. Iamvero cum quartae Sinicae regionis Ordinarii, quorum solerti studio sanctum Evangelii lumen remotis illius Imperii gentibus latius in dies affulget, in tertia Se-ciuensi Synodo, quam superioris anni mense Novembri in Urbe Tchong-King celebrarunt, novi vicariatus erectionem, per divisionem ab illo Se-ciuensi meridionali, peropportunam iudicaverint, Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, hoc a Synodi Patribus postulatum benigne excipiendum esse existimavimus. Quare motu proprio ac certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine praesentium vi, vastissimam et longe dissitam regionem

Occiduo-Meridionalem Vicariatus Sutchuensis meridionalis, quam Sinenses « Kientchang » appellant, ab eodem Vicariatu seiungimus, eamque erigimus in separatum Vicariatum Apostolicum, quem curis committimus alumnorum optime meriti Seminarii Parisiensis pro Missionibus ad exteras gentes. Novo autem huic Vicariatui nomen Kientchang facimus, atque edicimus constet iuxta transmissam ad Urbem geographicam chartam, tota illa regione, quae civili Praefecturae Nin-yuen-fou subiicitur. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos ordinari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die xii Augusti MDCCCCX, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. £B S. *a Secretis Status.*

III.

VICARIATUS APOSTOLICUS GIBLATARIENSIS IN DIOECESIM IMMEDIATE SUBIECTAM ERIGITUR.

PIUS PP. x.

Ad futuram rei memoriam. — Quae ad spirituale fidelium bonum satius procurandum expedire in Domino videantur, ea Nos, in hac Sublimi Principis Apostolorum Cathedra collocati, libenti quidem animo pro re ac tempore largimur. Cum vero ut incremento et dignitati Christiani nominis propagandi in Apostolico Vicariatu Giblatariensi melius prospiceretur, de eius erectione in Dioecesim peropportune iudicatum sit; Nos omnibus rei momentis sedulo perspectis cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi Propagandae Fidei praepositis, huiusmodi votis censuimus obsecundandum. Quare motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris Vicariatum Apostolicum Giblatariensem in Dioecesim eiusdem nominis, huic Sanctae Sedi immediate subiectam, erigimus et constituimus, eamque curis alumnorum Congregationis Benedictinae Cassinensis a primaeva observantia

libentes committimus. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non aliis Constitutionibus Apostolicis in contrarium facientibus quibuscumque. Decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas, efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xix mensis Novembris MDCCCCX, Pontificatus Nostri anno octavo.

R. CARD. MERRY DEL VAL,

L. S. *a Secretis Status.*

EPISTOLA

AD R. P. D. THOMAM FENNELLY, CASELIENSIUM ARCHIEPISCOPUM, **EMEL1ENSIUM** ADMINISTRATOREM, CETEROSQUE HIBERNIAE EPISCOPOS, OB VENERATIONIS AC PIETATIS OBSEQUIUM BEATISSIMO PATRI, SOLAMINIS ERGO, EXHIBITUM.

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Omni sane laude cumulando pietatis certamine et ipsi vos, Venerabiles Fratres, quos ingens a Nobis terrae marisque seiungit spatium, Clerique populique vestri choro concinuistis omnium in universum christifidelium, immissa nuper, heic Romae, in Nos inque catholicum nomen convicia gravissima uno animo atque una voce expostulantium, vicemque dolentium Nostram. Recruduisse porro videntur eorum odia qui Ecclesiae perniciem iam diu moliuntur; iamque acriores belli impetus praecipimus adventantes. At vero Deo freti, cuius gerimus causam, nihil inde metuimus Ecclesiae, quam divina virtus tutam facit ab inferorum potestate. Id quidem Nos excruciat vehementer tot animas, Christi pretium Sanguinis, ab Ecclesiae matris amplexu misere avelli, atque in interitum ruere sempiternum. Quo inde gravius affligimur, eo instantius, Venerabiles Fratres, hortamur vos et obsecramus ut vigilando, docendo, monendo, in id toti sitis, ut catholicam fidem ac disciplinam

integram in gregibus vestris et cum Sedis Apostolicae obsequio arcte coniunctam perpetuo tueamini, atque adeo in laetiorem provehatis ubertatem. Adiumento vobis sint divinae gratiae opes, quas, delati memores officii, vobis, Venerabiles Fratres, iisque omnibus in quos vestrae evigilant curae, Apostolica, quam ex animo impertimus, Benedictione, suppliciter a Deo contendimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die i Novembris MCMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

SSmus D. N. Pius PP. X, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis, elegit:

3 octobris 1910. — R. P. D. Ioachimum Antonium d'Almeida, Episcopum Piahumensem, in episcopum cathedralis ecclesiae Natalensis in Brasilia.

8 novembris 1910. — R. P. D. Ioannem Bedam Cardinale, Archiepiscopum titularis ecclesiae Laodicenae, in archiepiscopum ecclesiae archiepiscopalis Perusinae.

— R. P. D. Barnabam Piedrabuena, Episcopum titularis ecclesiae Cestrensis, in episcopum cathedralis ecclesiae Catamarcensis.

17 novembris 1910. — R. P. D. Hermannum Zschokke, Protonotarium Apostolicum ad instar participantium, canonicum metropolitanae ecclesiae Viennensis, in episcopum titularem ecclesiae Caesareae Philippi et in auxiliarem Emi ac Revmi Domini Cardinalis Archiepiscopi Viennensis.

24 Novembris 1910.— R. D. Angelum Bartolomari, presbyterum archidioecesis Taurinensis, in episcopum titularis ecclesiae episcopalis Derbensis; eumdemque deputavit in Auxiliarem Emi ac Rmi Domini Cardinalis Archiepiscopi Taurinensis.

— R. D. Ioannem Ward, presbyterum dioecesis Leavenworthiensis, ibique rectorem ecclesiae sanctae Mariae Kansanopoli, in episcopum cathedralis ecclesiae Leavenworthiensis.

— R. P. D. Gulielmum Timotheum Cotter, Episcopum titularem Clazomensem, in episcopum cathedralis ecclesiae Portusmuthensis.

26 novembris 1910. — R. P. D. Emmanuelem Antonium Oliveira Lopes, Episcopum titularem Tabensem et Coadiutorem cum futura successione Episcopi Fortalexiensis, in episcopum cathedralis ecclesiae de Alagoas in Brasiliana Republica.

— R. P. D. Robertum Calai-Marioni, dioecesis Nucerinae, Protonotarium Apostolicum ad instar participantium, Vicarium Foraneum in loco vulgo *Gualdo Tadino,* in episcopum titularis ecclesiae episcopalis Hesbonensis.

6 decembris 1910. — R. P. Augustinum Zampini, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, provincialem Hetruriae et magistrum in suo Ordine, in episcopum titularis ecclesiae episcopalis Porphyreonensis.

9 decembris 1910. — R. D. Emygdium Trenta, presbyterum dioecesis Asculanae in Piceno, canonicum cathedralis ecclesiae, Cancellarium episcopalem, professorem in seminario et doctorem in iure canonico, in episcopum cathedralis ecclesiae Larinensis.

— R. P. D. Ubertum Mariam Fiodo, archidioecesis Neapolitanae, Romae degentem inde ab anno 1879, iam Vicarium Generalem et Capitularem Civitatis Plebis et administratorem apostolicum dioecesum Cornetanae et Centumcellarum, Antistitem Urbanum, doctorem in iure canonico, in episcopum cathedralis ecclesiae Bovinensis.

— R. D. Eduardum Dionysium Kelly, presbyterum dioecesis Detroitensis, parochum civitatis vulgo *Ann Arbon,* in episcopum titularis ecclesiae episcopalis Cestrensis et in Auxiliarem Episcopi Detroitensis.

ERECTIO DIOECESUM.

SSmus D. N. Pius Papa X decreto Sacrae huius Congregationis diei 5 Decembris 1910 erexit novam dioecesim *Florestensem* in Brasilia, dividendo dioecesim Olindensem in duas partes, et assignando novae dioecesi Florestensi partem occidentalem cis flumen *Maxató,* quae pars complectitur paroecias: *Exu, Ouricury, Petrolina, Granito, Leopoldina, Selgueiro, Bòa Vista, Cabrobó, Belem,* FLORESTA, *Villa Belha, Belmonte, S. José de Egypto, Triumpho, Flores, Afogados do Ingazeira, Alagoa do Baixo et Tacaratú.*

Eodemque decreto antiquam ecclesiam cathedralem Olindensem in Metropolitanam evexit eique assignavit suffraganeas ecclesias novam dioecesim Florestensem, Natalensem, Parahybensem et Fortalexiensem.

MUTATIO TITULI DIOECESIS.

SSmus D. N. Pius PP. X, ex Sacrae huius Congregationis decreto *diei 15 novembris 1910* ad quaslibet in posterum aequivocationes vitandas,, nomen dioecesis *Alexandrinae in America* mutavit in hoc aliud *Alexandrina in Ontario.*

Mandavit autem idem SSmus D. ut hac de re litterae apostolicae sub plumbo ad tramitem iuris expediantur.

S. CONGREGATIO CONCILII

I.

PISCIEN.

IURIUM.

14 Maii 1910.

FACTI SPECIES. — Parochus ecclesiae S. Marci Ev. seu S. Petri Ap. Plebis Nebulae *(Pieve a Nievole)* contendit cum parocho ecclesiae S. Petri Ap. de Monte Catino *(Montecatini)* et vi argumentorum exponendo rum rogat hanc S. C, ut ecclesiae suae adiudicetur ius matricitatis et patronatus super ecclesiam partis conventae, necnon et eiusdem integrum patrimonium, cum obligatione sane subministrandi necessaria ad honestam sustentationem praeposito conventae ecclesiae.

Dictae ecclesiae parochiales finitimae sunt, imo olim unicam efformaverant parochiam. Ex documentis historicis ab utroque contendente admissis constat iam a remotissimis temporibus exstitisse parochiam matricem *S. Petri Nebulae,* ex qua post decem fere saecula oriebatur ecclesia de Monte Catino, quae tamquam filialis eidem subiecta erat. Cursu temporis (saec. XIV) ob rationes impellentes populi multitudo ad Montem Catinum se contulit, unde et parochia sensim sine sensu ibidem transmigravit. In actis enim Pastoralis Visitationis ab episcopo Berengario a. 1354 peractae legitur: « Eiusdem plebis est plebanus D. Ubal- « dus de Monte Catino, qui propter *guerras* in dicta plebe residentiam « personalem ducere non potest, sed est ibi loco ipsius presbyter Bindus « de Monte Catino ipsius etiam Canonicus ». Clarius vero in Visitatione

anni 1575 dicitur: « Olim curam animarum Sacramentalis exercebat « (rector) in Ecclesia S. Petri ad Nebulam, quae distat ab oppido Montis « Catilinae circa unum milliare, sed inde fuit translata in oppidum « Montis Catilinae in quo erat maior populi multitudo ».

Iuvat etiam retulisse verba Alexandri Bicchierai, qui in suo libro, cui titulus *Trattato dei Bagni di Montecatini,* pag. 51, scribit: « Ma un « errore di pubblica economia fatto dal Governo di Firenze nell'anno « 1430 compì la disgrazia di questa provincia (Valdinievole) perchè fu « pensato di provvedere di copiosa pesca la capitale con ridurre a lago « questa vasta pianura, mediante un forte riparo delle acque al luogo « detto di Cappiano. Fu eseguito cinque anni dopo il progetto, e dal « rialzamento delle acque restò coperta tutta la bassa campagna, e reso « più tardo il corso a tutti gli influenti ed ineguale il fondo della pia- « nura; il che negli anni di siccità formò ben presto di questo bel paese « un *pestifero marazzo* ». Et inferius pag. 126: «I disastri di Valdinie- « vole durarono fino alla pace che fu conchiusa nel 1433. Questa, oltre ad « essere stata di breve durata, fu immediatamente succeduta da *epidemie «fatali* che maltrattarono la popolazione ».

Unde ecclesia de Monte Catino titulum S. Petri Ap. assumpsit matrixque ecclesia iam considerabatur ecclesiae Plebis Nebulae, cui titulus S. Marci Ev. adhaesit, cuiusque curatus evasit amovibilis ad nutum plebani de Monte Catino. Iam in S. Visitatione anni 1466 in calce scribitur: « Actum in Canonica Plebis Montis Catini in Castello « eiusdem nominis ». Et in Catalogo Cleri dioecesis pro Synodo anni 1694 legitur: « *Ecclesia* curata quae non confertur in titulum, seu Brachium « curae Plebaniae Montis Catini, S. Marci Plebis Nebulae. Curatus ad- « movibilis ad nutum Domini Plebani ». Et alibi anno 1643: « La Pieve « a Nievole sotto il titolo di S. Marco Evangelista in cui si ammini- « strano alcuni sacramenti per mera concessione che fa il Pievano di « Monte Catini, a quel sacerdote che egli determina per detta chiesa, « perchè vi sia più comodità per il popolo di piano... ».

Anno 1782 Franciscus Vincenti, episcopus Pisciensis melius eccle- siae et populi Plebis Nebulae utilitati consulere volens per divisionem hanc denuo parochialem declarat eamque iuribus respectivis donat, licet ius matricitatis praepositurae et praeposito Montis Catini reservetur. En integrum divisionis documentum: « Franciscus Vincenti Dei et « Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Pisciensis, eidem Sanctae Sedi « immediate subiectus. - Sollicitudo Ecclesiarum, quam officii Epi- « scopalis ratio nobis imponit urget nos, ut quae ad Divini honoris « gloriam augendam, populorum necessitatibus consulendum, et catho-

« licae Religionis maiestatem, veritatemque in omnium animis confir-
« mandam opportune conducunt, provideamus. Sane parochialis S. Marci
«Evangelistae, seu S. Petri Apostoli Plebis Nebulae nostrae Dioecesis
« (quae *olim* erat Matrix et Plebania, et in ea cura animarum *etiam*
«*prioribus annis exercebatur, et inde* in Oppidum Montis Catini trans-
« lata fuit, in quo manebat maior populi pars) longo annorum curriculo,
« et hactenus regebatur ab uno presbytero amovibili a nobis et a no-
« stris in ordinaria potestate Praedecessoribus adprobata et confirmato,
« qui eligebatur a Praeposito S. Petri Apostoli de Monte Catino, non
« adsignata tamen ei competenti congrua pro eius sustentatione, cum
« ipsa in stariis viginti quatuor tantum frumenti, quae a Praeposito
« praedicto suppeditabatur et in eleemosynis Parochianorum, quae ab
« ipso ostiatim colligebantur, consisteret. - Nos igitur meliores huius
« Ecclesiae et populi spirituali utilitati et Parochi honesta sustentatione
« consulere volentes, ne in futurum nulla alia controversia oriatur ad
« infrascripta procedimus, prout rerum temporum ac loci circumstantes
« attente id salubriter in Domino expedire cognoscimus. Atque hoc qui-
« dem eo libentius et propitius exequi censemus, quanto studiosius
« summa pietas, atque ardens erga commune bonum, amor et sollici-
« tudo Regiae Celsitudinis Petri Leopoldi Primi Magni Ducis Rescripto
« de die 20 Decemb. 1781 nobis benigne communicata per Illmum et
« Clarimum Donum Senatorem Stephanum Bertolini auditorem a Se-
« cretis Regalis Iurisdictionis in Fiorentina Civitate cum suis litteris de
« die 4 Ianuarii proxime praeteriti eruitur. Tanti Principis pro Bono
« Ecclesiae et populo Plebis Nebulae zelus tota nostra admiratione di-
« gnus. Quapropter invocato ad hoc SS. Domini N. Iesu Christi Nomine,
« et implorato **BB.** Virginis Mariae Eius Matris, nec non S. Marci Evan-
« gelistae et S. Dorotheae V. M. Patronae Principalis huius Nostrae
« Pisciensis Civitatis et Dioecesis atque aliorum sanctorum potenti
« auxilio, tenore praesentium et omni alio meliori modo, et forma Nobis
« de Iure et praesertim a Sacrosancto Concilio Tridentino tributis decre-
« vimus et declaramus totam spiritualem administrationem sive Curam
« Animarum Ecclesiae Parochialis S. Marci Evangelistae Plebis Ne-
« bulae instaurandam fore et esse ad meliorem formam noviter redu-
« cendam. Ideoque unum Presbyterum seu Parochum in ea creandum,
« qui sit deinceps inamovibilis et perpetuus nobis et successoribus No-
« stris, plene et absolute in omnibus subiectus, et cui plenum totius
« parochialis Ecclesiae ac populi regimen demandatum sit cum facul-
« tate Sacramenta Baptismi, Poenitentiae, Eucharistiae ac Extremae Un-
« ctionis infirmis ministrandi, nec non Parochianos suos in Matrimonium

« servatis quae de Iure servari debent, coniungendi ac caeteras fun-
« ctiones Parochiales libere exercendi, ipsisque iura omnia et privilegia
« quae aliis Parochis de iure competunt, concedimus, et reservamus et
« de illis frui debere decernimus. Quapropter Altare Maius dictae Eccle-
« siae in posterum in titulum concedendum esse uni tantum Parocho
« perpetuo praedicto, quem tamen per Nos Nostrosque in Episcopatu
« Successores adprobari, institui et confirmari eidemque, salvis Iuribus
« Episcopalibus, Bullas seu litteras in forma solita et consueta expediri
« mandamus cum facultate ipsimet Parocho, praevia nostra et Succes-
« sorum Nostrorum approbatione sibi eligendi unum vel plures presby-
« teros, prout spiritualis populi necessitas exiget, qui in munere Paro-
« chiali vices suas gerat vel gerant, ipsique tanquam Cappellani Curati
«habeantur, et nominentur reservato tamen Praeposituræ et Praepo-
« sito superius indicato *Iure Matricitatis* super dictam Ecclesiam Plebis
« Nebulae ita ut sibi ad solita festa celebranda, functionesque exer-
« cendas, quae ibi de more celebrari et exerceri solent, omnino inte-
« resse libere liceat ut hactenus consueverit. - Dos autem Ecclesiae
« illiusque Parochi pro tempore existentis sit scutorum nonaginta mo-
« netae Florentinae, emenda modo et forma ut infra praescribitur. Octua-
« ginta videlicet annuatim et libere eidem Parocho persolvantur ex in-
« troitibus Venerabilis Operae S. Margharitae, laicorum administrationi
« et iurisdictioni subiectae, iuxta mentem S. R. G. in suo benigno Re-
« scripto de die 5 Mensis Maii 1780 satis expressam, et alia decem scuta
« pro integra Congrua a supra praedicta Venerabili Opera ad formam
« alterius benigni Rescripti S. R. C. de die 30 Decemb. 1781 (dummodo
« fructus dictae Operae ad tale novum onus persolvendi Parocho Plebis
« Nebulae praedicta scuta decem satis sint) aliter a Domino Praeposito
« Montis Catini eidem Parocho tradantur. Insuper fructus, redditus et
« proventus ex aliquibus terrae petiis ad usum horti, siti prope domum
« Canonicalem dictae Ecclesiae S. Marci, ad mensuram Quartari unius
« circiter a dicto Praeposito in eumdem Parochum transferendis ac alias
« obventiones, et incerta Parochialia a Sacris Canonibus concessas et
« permissas ad eumdem spectare et pertinere volumus. Et quemad-
« modum supradicto Parocho Plebis Nebulae assignata est ut supra
« Congrua Parochialis pro sua honesta sustentatione ita praedictum
« Dominum Praepositum Montis Catini a supradicta annua praestatione
« staiorum viginti quatuor, quae quotannis per eumdem Praepositum
« eidem Parocho persolvebantur eximimus et liberamus pro decentiori
« praestando honorario Cappellanis Curatis Praepositurali Ecclesiae
« Montis Catini, attentis omnibus incommodis quae derivantur a populi

« multiplicitate. Et insuper Parocho Plebis Nebulae consuetudinem col-« ligendi eleemosynas a suis Parochianis ut hactenus consueverat, « omnino prohibemus.

« Porro quia numerus Parochianorum dictae Ecclesiae S. Marci « Evangelistae excrescit et ante oculos habentes distantias longitudinem « dictae Ecclesiae ad Praeposituram predictam, ob quam parochiani suos « infantes filios ad Ecclesiam Matricem Montis Catini pro Baptismo « suscipiendo sine maxima difficultate, ac evidenti illarum vitae periculo « differre omnino non possunt, maxime temporibus hiemalibus, quibus « cum inundatio vias diruit et difficiles reddit, attentis et consideratis « omnibus et singulis in supplicatione dictorum Parochianorum nobis « expositis et per informationem desuper captam verificatis, Fontem «Baptismalem in dicta Parochiali Ecclesia Sancti Marci Evangelistae « hoc praesenti nostro Decreto concedimus et fieri decernimus et ordi-« namus, ita ut in posterum neonati infantes, adulti aliique ibidem bapti-« zentur, et in eo renascantur.

« Ut dictus Parochus suam convenientem habitationem et non an-« gustam, ut hactenus habeat, praesentem domum Canonicalem in bonum « statum ea qua par est decentia, *expensis dicti Praepositi,* reduci vo-« lumus, eique duo Cubicula dictae domui Canonicali contigua, directi « dominii Venerabilis Societatis SS. Rosarii Nobis subiectae uniri et « incorporari mandamus, eiusque domus Canonicalis sic *noviter refecta* « unum cubiculum ad Concionatoris commoditatem tempore sacrae qua-« dragesimae dictus Parochus cedere teneatur, ut tollatur occasio sibi « hospitium mendicare.

« Cumque ipsius Ecclesiae Parochialis Fabricae satis providere con-« sultum sit, manutentionem Fabricae materialis dictae Ecclesiae, oleum « pro accensione lampadis ardendae ante SS. Eucharistiae Sacramentum, « Ceram et sacra supellectilia (quod onus ad annuam summam fixam, « sublatis casibus extraordinariis, et fortuitis reducendam) ad Venera-« bilem Societatem SS. Sacramenti pertinere et spectare praecipimus, et « in casu quod ipsa Societas dicto oneri satisfacere non possit, Praepo-« situs Montis Catini annuatim eidem Parocho scuta decem pro dicto « titulo persolvat, vel praestare teneatur, quod de facto dicta Societas « suppeditare nequit. - Si Praepositus praedictus in totum aut in par-« tem praefata onera annua subire costringatur, et ideo propriis sumpti-« bus sufficienter ambos supradictos Cappellanos Praepos iturae Cappel-« lanos Coadiutores sustinere non possit, tunc Venerabilis Opera S. Mi-« chaelis et S. Barbarae et S. Iacobi et Philippi nec non Societas « Sancti Sebastiani de Monte Catino dictis Coadiutoribus sumptus neces-

« sarios subministret ad mentem dicti Rescripti S. R. C. - Attenta
« autem huiusmodi Congruae adsignatione, incertorum Sacristiae et
« Baptismi ut supra erecti facta, et sublata manutentione fabricae Ec-
« clesiae, olei pro lampade, Cerae et Sacrarum Supellectilium in posterum
« ad Parochum Plebis Nebulae manutentionem tantum ad fabricae domus
« Canonicalis cum onere etiam erogandi in pauperes suae Paroeciae
« eleemosynas, spectare volumus et mandamus.

« Iuspatronatus vero dictae Ecclesiae Parochialis, et Ius eligendi,
« nominandi et praesentandi Parochum tum cum casus vacationis occur-
« rerit, primum ad Operarios supradictae Venerabilis Operae S. Mar-
« gharitae, coram Cancellano Communitatis Montis Catini in unum
« congregatos cum reservatione Collationis liberae ad suam Regalem
« Celsitudinem in casu paritatis votorum devolvendae et secundo ad
« Praepositum Parochialis Ecclesiae S. Petri de Monte Catino alterna-
« tive et per turnum reservamus, dummodo turnus seu alternativa in-
« cipiat a supradictis Operariis et quando ad praefatum Praepositum
« turnus vel alternativa praedicta spectabit, servetur methodus et ordo
« qui uti concessum est in Iurepatronatu privato etc. Datum Piscae ex
« Palatio Nostro Episcopali hac die 13 Februarii 1782.

« f FRANCISCUS, Episcopus Piscensis ».

Contra istud instrumentum excipit modernus parochus Plebis Nebulae, istud esse anticanonicum ideoque invalidum, quia episcopus Vincenti nemine, qui interesse haberet, audito, bonis ac iuribus suam ecclesiam iniuste exspoliavit; quia desunt documenta legitimae translationis parochiae ad ecclesiam Montis Catini; et quamvis contra decretum episcopi Plebis Nebulae parochiani non reclamaverint, praescriptio nihilominus nequit invocari, quia isti ob timorem reverentialem erga episcopum atque ob rationes politicas siluerunt. Unde suae ecclesiae repetit matricitatem et iuspatronatus necnon et integrum patrimonium ecclesiae conventae.

E contra secundum parochum hodiernum Montis Catini aderat iusta causa transferendi parochiam a Plebe Nebulae ad Montem Catinum, quia, ut supra expositum est, maior parochianorum pars ob perturbationes bellicas, et aerem insalubrem in Montem Catinum transmigraverat. Unde episcopus Vincenti non egit iniuste; caeterum ipse translationem parochiae a praedecessoribus suis factam vel saltem tacite approbatam tantummodo iterum atque expressis verbis confirmavit. Ergo non est opus praescriptione - quae tamen optime curreret. Ideoque rogat S. Congregationem, ut status quo relinquatur.

Hinc propositum fuit dubium:

An et quomodo petitiones parochi S. Marci seu S. Petri Ap. Plebis Nebulae admittendae vel potius reiiciendae sint in casu.

RESOLUTIO. - Emi Patres S. Congregationis Concilii in plenariis comitiis habitis die 14 Maii 1910 respondendum censuerunt:

Negative ad primam partem; affirmative ad secundam; et amplius.

Die autem 15 eiusdem mensis et anni SSmus Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii, Emorum Patrum resolutionem approbare dignatus est.

C. CARD. GENNARI, *Praefectus.*

L. S.

Basilius Pompili, *Secretarius.*

IL

BARCINONEN.

DUBIORUM CIRCA ABSTINENTIAE ET IEIUNII LEGEM.

Die 6 Augusti 1910.

Episcopus Barcinonensis ut consuleret fidelium sibi concreditorum tranquillitati, sequentia, circa abstinentiam et ieiunium, dubia enodanda proposuit:

«Nimirum, sciscitatus est Antistes Gerundensis: «An responsum « Sacrae Poenitentiariae sub die 28 Febr. 1826, quo fas est gaudenti « indulto carnis diebus ieiunii vesci in eadem comestione pulmento carnis « iure cocto et de caetero vesci piscibus et, iuxta opiniones auctorum, « vesci carnibus in eadem comestione simul cum iusculo piscium, etiam « valeat pro fidelibus Regni Hispaniae, ubi haec consuetudo non viget ». Et responsum, percontanti Praesuli datum, sic se habet: « In audientia « SSmi die 28 Augusti a Sacrae Poenitentiariae Regente Sanctitas Sua « rescribi mandavit: enunciatam commixtionem permitti contrariis qui- « buscumque non obstantibus ».

« Iam ita brevi temporis intervallo, diversimode non pauci sunt « opinati.

« Quidam enim docent, etiam in diebus abstinentiae et in serotina « collatione iusculum carnis adhiberi esse licitum, quia iusculum carnis

« rationem condimenti habet et vera caro non est; alii vero iusculum « carnis iri. refectione tantum et non in coenula permittant, utpote quod « iusculum carnis inter lacticinia recenseant; postremi denique iusculum « carnis et in refectione et in coenula diebus abstinentiae interdictum « reputant, siquidem illis diebus facultas edendi carnes vi indulti non « habetur.

« Insuper, occasione indictae resolutionis quaestiones exortae sunt « circa condimenta ex adipe et larido quoad cibos esuriales; nec non « controversia exagitata de piscibus in coenula comedendis.

« Ex his sententiis variis, non omnium locorum inveteratis consuetudinibus respondentibus, in re singulorum praxi subiecta, prove« niunt angores conscientiarum, quos praestat removere, ideoque quae« ritur:

« 1° Utrum diebus, quibus carnes vetitae sunt, etiamsi indultum « non existat, sicuti Feriis VI Quadragesimae, nihilominus iusculum « carnis una cum piscibus adhiberi liceat.

« 2° An quando usus lacticiniorum prohibetur, possit quis sumere « iusculum carnis.

« 3° Liceat necne inter Hispanos condire cibos esuriales et in refe« ctione et in serotina collatione cum adipe vel larido.

« 4° Si tandem possint sumi pisces in coenula diebus ieiunii, « dummodo servetur quantitas, etsi in Hispania talis consuetudo haud « vigeat ».

SYNOPSIS DISPUTATIONIS EX VOTO CONSULTORIS DESUMPTA.

Quattuor ista dubia non circa ipsum ieiunium ecclesiasticum: abstinentiam a cibis, sed potius circa partem eiusdem integralem: abstinentiam nempe a ciborum delectu versantur.

Duo priora manifesto ad legem Benedictinam « de non miscendis carnibus cum piscibus » referuntur. Unde operae pretium erit mentem istius doctissimi Legislatoris investigare.

Benedictus PP. XIV iam Bononiensis Ecclesiae praepositus de variis abusibus circa legem ieiunii conqueritur, cum ex parte plurimorum « huius apostolici instituti sacratissimique praecepti nulla habita ratione, « ieiuniorum tempore palam et impune agitentur convivia, et epulae « interdictae promiscue (cum licitis) inferantur ». Unde ad Cathedram Petri sublimatus iam primo Pontificatus sui anno in encyclica *Non ambigimus*, d. d. 30 Maii 1741, dictos abusus his verbis inculcat tollendos episcopis: « Nemini quidem sine legitima causa et de utriusque medici

« consilio, multitudini vero... nonnisi gravissima et urgente necessitate... « a quadragesimali ieiunio dispensationem esse concedendam; ... cum « huiusmodi autem necessitate servandam esse potissimum unicam come- « stionem... et licitas atque interdictas epulas promiscue minime esse « apponendas ».

Sed cum quidam istam dispensationem, in qua tamen semper adest duplex conditio, de *unica nempe comestione* et *de non miscendis epulis,* unice multitudini, non vero etiam singulis fidelibus applicari posse arbitrati sint, Summus Pontifex in altera encyclica *In Suprema,* d. d. 22 Augusti 1741, declarat: « Nos quibuscumque occasione sive multitudini « indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis « ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio, dummodo nulla « certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri « necessario exigat, in quadragesimae aliisque anni temporibus et diebus, << quibus carnium, ovorum et lacticiniorum esus est prohibitus, dispen- « sare contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam come- « stionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse « apponendas tenore praesentium declaramus et edicimus ».

In Hispania tamen etiam exinde « plures cavillationes excogitatae « sunt a nonnullis, et plures quaestiones propositae, exigui quidem pon- « deris ac momenti, cum ipsius legis verbis vel sensu penitus corruant ». Unde recte monet Pontifex : « Cavendum ne in expendendis Apostolicae « Sedis Constitutionibus pro nimia exhauriendi argumenti sollicitudine, « nullus fiat disserendi ambigendique modus... sedula opera conferenda « ut istiusmodi dubia penitus inter vos (Hispani theologi) dirimantur, ne « diuturna unquam dispensatione fluctuent animi », etc.

Quare plura eiusmodi dubia ab archiepiscopo Compostellano sibi proposita Bened. XIV in litteris *Si fraternitas tua,* d. d. 8 Iul. 1744, hoc sensu solvit. Cum vero archiepiscopus mox morte sit correptus, Summus Pontifex timens ne dictae litterae ad notitiam illorum non veniant, qui easdem cum suis dubiis provo caverant, die 10 Iun. a. 1745 novam publicavit encyclicam *Libentissime,* in qua quaestiones iuxta mentem supra patefactam solvit, litteras *Si fraternitas tua* ex integro inserit episcopisque Hispaniae verba Conc. Trid. (Sess. XXV *de ref.)* in memoriam revocat: « Curent, inquit, ut fideles obtemperent, iis praecipue quae ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus et ieiunia »; iterumque inculcat gravissimam esse prohibitionem miscendi carnes cum piscibus. Demum dubia sibi proposita in septem quaestiones dispescit singulisque breviter respondet.

Praecipue notandae hae responsiones:

« 1ª sub gravi legem urgere in encycl, an. 1741 de unica come-
« stione, et de non permiscendis epulis »;

« 2ª illos, quibus concessum vesci carnibus in vespertina refe-
« tiuncula, opus habere eo cibo eaque portione, quibus utuntur ieiu-
« nantes rectae meticulosae conscientiae »;

« 3ª epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes come-
« dere, esse carnes ipsas; epulas interdictas esse pisces »;

« 5ª praeceptum de utroque genere epularum non miscendo dies
« quoque dominicas quadragesimales complecti »;

« 7ª haec duo praecepta urgere extra Quadragesimam ».

Hispanis porro aliisque populis, qui bullae *Cruciatae* privilegiis gaudent ad sextam quaestionem: « Utrum haec Lex ad eos quoque «pertineat, qui ex Bulla *Cruciatae* edere possunt ova et lacticinia», respondit: « Nihil in praenuntiatis Apostolicis Litteris statutum esse, «quod respiciat gratiosum Cruciatae Diploma. Quare qui eo gaudent, « illius tenorem stricte et considerate perpendant, ex eiusque sententia « se gerant. Caveant autem ne inani quapiam excusatione sese solutos « esse arbitrentur praescriptis ibi legibus ».

Istis constitutionibus Bened. XIV longius immorabamur, cum optime ostendant intentionem Pontificis esse, ut lex gravissima ieiunii accuratissime servetur, abusus e medio tollantur, dispensationesque non ob futiles quasque rationes facile concedantur, sed dispensatio generalis ob gravissimam tantum et publicam necessitatem, cuius rei iudex erit loci Ordinarius, dispensatio vero specialis propter rationes a medico corporis et animae probatas. Porro etiam supposita dispensatione pro carnibus, servanda erit unica comestio, cum haec obligatio non tollatur per dispensationem indicatam. Neque dispensatis permiscere licebit carnes cum piscibus, dispensatio enim iure ideo petita supponitur, quia pisces petenti praevideantur nocituri.

Quibus principiis Benedictinis S. Poenitentiaria constanter adhaesit, ubi legem ieiunii authentice interpretari debuit. Unum ex primis dubiis circa ieiunii observationem huic S. Tribunali propositis invenitur in eiusdem archivio iam de die 26 Febr. 1826: « An qui dispensatus est pro « esu carnium salubrium [iuxta modum tunc distinguendi carnes salubres « et insalubres], ut cibos quadragesimales quantum potest adhibeat ad « observantiam, possit ad incommodum in sanitate vitandum pulmentum « ex iure confectum in unica comestione manducare? »; et responsum est: *Affirmative.*

Quod quidem decretum ab auctoribus minime citatur, qui tamen

(vide etiam *Acta S. Sedis,* vol. I, pag. 429) omnes referunt simile decretum d. d. 8 Febr. 1828, quod in Archivio S. Poenitentiariae notatum non invenitur. Tenor huius decreti est: « Ad quaesitum: Quelli che sono « dispensati dalla qualità de' cibi possono nei giorni di digiuno cibarsi « di sola minestra di brodo per provvedere alla lor salute, e nel resto « far uso di cibi esuriali per conservare quanto si può l'osservanza della « Legge dei cibi? - S. P. die 8 Febr. 1828 attentis consideratis expo- « sitis respondit: *Affirmative* ».

Utrum auctores erraverint quoad datum decreti ab ipsis relati, an S. Poenitentiaria istud decretum sibi notare omiserit, non nos nunc movet: unum animadvertimus, S. Poenitentiariam et in istis decretis adhaesisse principio a Bened.|XTV posito: ieiunium in quantum, poterit, servari debere. Si ergo fideles timoratae conscientiae ex observatione perfecta abstinentiae valetudinis iacturam timent, unde pro carnibus dispensationem obtinent, de caetero autem solo iusculo carnium iam contenti essent, ut abstinentiam pro viribus servare possint: Sacra Poenitentiaria permisit permixtionem iusculi carnium cum piscibus. Theologiae moralis doctores utique diversimode istud decretum interpretabantur. Inde deducebant alii iusculum [carnium stricte loquendo non esse carnem, unde legem carnium usum prohibentem minime prohibere usum iusculi carnium. Ita et S. Alphonsus *(Mor.*, 1. IV, n. 1015), quem ducem permulti sequuntur, ait: « ... prohibitio Pontificis non miscendi carnes et pisces stricte intelligenda est, nempe cum comeditur proprie ferculum carnium, sed ius carnium magis quam edulii condimenti rationem habet ».

Qua opinione nituntur sane et Theologi Barcinonenses, quorum quidam iuxta episcopi litteras responsum S. Poenitentiariae mense Augusto anni elapsi episcopo Gerundensi datum interpretantes iusculum carnium ad condimenta adipis vel laridi, quidam etiam ad lacticinia adnumerarunt !

Iam istis opinionibus breviter respondisse sufficiat. Adipem differre a iusculo docet Alberti, in libro, cui inscribitur: « De ieiunio Ecclesia- « stico » pag. 17: « adeps chimice distinguitur a iusculo; « illaesi sub- « stantiae levis, quae in vase supernatat; istud vero manet solutum in « aqua » (Cfr. et *Monit. Eccl.*, tom. 9, pag. 2, num. 144). Eodem sensu respondit et haec S. Poenitentiaria, prout refertur a Bucceroni *(Enchiridion Morale* num. 499): « An in diebus veneris et sabbati, quibus « indulgentur condimenta vulgo " di grasso " possit iusculum carnis « adhiberi ?, respondit: Sub terminis " condimenti di grasso " non com- « prehendi iusculum carnis coctae ». Iusculum porro non esse lacticinium

pariter constat. Ova enim et lac procedunt quidem ab animali vivo, at non sunt carnes, dum iusculum carnes ipsas, licet solutas continet: « il brodo contenendo per ogni litro soltanto da 7 a 9 grammi di sali d'origine minerale, e da 12 a 14 di principi organici tanto coagulabili che cristallizzabili... contenendo poi pochi principi assimilabili, non è nutritivo » Cfr. Littré e Robin, *Dizionario di Medicina,* v. « Brodo ». Quod etiam sensus communis Ecclesiae in catechismis expressus confirmat.

Unde recens responsum S. Poenitentiariae (mense Aug. anni elapsi), quod priorum responsorum confirmatio haberi debet, non ideo permisit permixtionem iusculi carnium cum piscibus, quia iusculum non est caro, sed quia mens eius est, ut abstinentia, in quantum fieri poterit, servetur. Sed cum ex discrepantibus decreti interpretationibus fidelium dioecesis Barcinonensis conscientiae merito turbarentur, episcopus duas S. H. O. posuit quaestiones solvendas: 1° «Utrum diebus, quibus carnes vetitae sunt, etiamsi indultum non existat, sicut Feriis VI. Quadragesimae, nihilominus iusculum carnis una cum piscibus adhiberi liceat ? » 2° « An quando usus lacticiniorum prohibetur, possit quis sumere iusculum carnis? ».

Iam ex dictis patet ad utramque quaestionem « *Negative* » esse respondendum. Tamen ad dubia penitus tollenda utiliter adderetur : « Sed iusculum carnis diebus ieiunii, in unica comestione, una cum piscibus, ab iis tantummodo adhiberi posse, qui indultum obtinuerint pro usu carnium ».

Tertium dubium agit de condimentis diebus ieiunii permissis. Condimentum antiquitus unice permissum erat oleum olivarum, at cursu temporis tum, quia istud in plurimis regionibus (praecipue septentrionalibus) minime inveniatur, speciale singulis annis renovandum permittebantur adipes suinae (Bucceroni, *Enchiridion Morale,* ed. 2ª, pag. 72), inde vero ab a. 1889 etiam adipes cuiuscumque animalis (S. Off. 1. Maii, 1889). Die 15. Maii 1896 etiam butyrum naturale permittebatur, die demum 6. febr. 1899 butyrum artificiale *(margarina)* ex adipibus animalium extractum. Non vero exinde permittitur usus lactis vel casei, tamquam condimenti. (Cf. *Monitore Eccl.,* 31. Maii 1902, pag. 138, n. 31). Cum ergo omnia ista condimenta oleo substituantur, quando oleum permittitur, et ista permissa sunt, nisi specialis addita sit limitatio. Unde S. Poenitentiaria die 16. Ian. 1834 circa laridum liquefactum interrogata:

« Utrum cum sive per Bullam *Cruciatae* sive aliam ob causam con-
« ceditur Indultum pro usu laridi liquefacti vulgo " strutto „ solo titulo
« condimenti, si qui ad ieiunium tenentur, eo condimento uti possent

« in serotina etiam refectione? » respondit: « Quoad eos qui ad ieiu- « nium tenentur, licite uti possunt, in serotina etiam refectione, condi- « mentis in Indulto permissis: quia illa in Indulto olei locum tenent: « dummodo in Indulto non sit posita restrictio quod ea adhiberi possint « in unica refectione ». Ideo ad tertiam questionem episcopo Barcino- nensi respondendum esset: «*Affirmative* etiam pro serotina refectione; « dummodo ex Bulla *Cruciatae* aut ex alio apostolico Indulto permissa << simpliciter constent pro diebus ieiunii condimenta ex adipe ».

In quarto demum *dubio,* licet in Hispania contraria sit firma con- suetudo, usus piscium pro *coenula* petitur, servata utique debita quan- titate.

Cum vero in ieiunii legibus maximam partem praecipue consue- tudo habeat, cui saepissime et legitimae auctoritatis confirmatio accedit: fideles sub gravi tenentur istis legibus, quamvis a consuetudine intro- ductis. Iam quando ieiunii diebus praeter unicam refectionem et *coenula* introducebatur, in hac minor quantitas pro cibis magis nutritivis per- missa est. Ita in Hispania Salmanticenses (cap. 2, num. 77) permittunt « panem, arborum fructus... herbas crudas et coctas et oleo aliquo im- « mixtas, dulciaria et bellaria », praecipue « tum quia praedicti cibi non « sunt ex his qui ordinantur ad sustentandam naturam et nutriendam, « tum etiam qua sic obtinuit consuetudo ». Quoad pisces autem, utpote magis nutritivos quantitatem minuit S. Alphonsus (lib. IV, num. 1028), D'Annibale (III, n. 134) etc. Iuxta disciplinam nunc vigentem pro *coenula* permittuntur omnia ge indultum pro unica refectione conceduntur (ut sunt ova et lacticinia). Unde et pisces qualescumque possunt adhiberi, ubi contraria consue- tudo non obstat.

In Hispania vero, ut ipse episcopus Barcinonensis fatetur, viget consuetudo non vescendi piscibus in « *coenula* ». Idem confirmat et Fer- reres, moralista Hispanus (cf. *Gury-Ferreres,* vol. I, n. 499). Ubi vero talis consuetudo habetur, illa usque ad dispensationem servari debet, ut docet *Génicot* (vol. I, n. 437): « Ubi tamen viget norma severior et « antiquae consuetudini conformior, ut plures cibi, e. g. grandiores pisces, « excludantur haec [servanda est-: non magna vis in determinatione « huius praecepti consuetudinibus etiam particularibus tribuenda est ». Et Lehmkuhl (vol. I, n. 1212) : « Quoad qualitatem ciborum qui in colla- « tione liciti sunt, multum a consuetudine pendet ». Idem concludit et Ferreres (vol. I, n. 496-6^) : « Regula generalis, cum haec coenula con- « suetudine inducta sit, consuetudine regitur tum quoad quantitatem « tum quoad ciborum qualitatem ».

Unde ad quartam quaestionem respondendum esset: *Negative,* attenta consuetudine contraria.

Resolutio. Emi Patres S. Congregationis Concilii in plenariis comitiis habitis die 6 Augusti 1910 propositis ab Episcopo dubiis respondendum censuerunt:

R. Ad 1um et 2um *Negative, sed iusculum carnis diebus ieiunii in unica comestione una cum piscibus ab iis tantummodo adhiberi posse qui indultum obtinuerint pro esu carnis.*

Ad 3um *Affirmative, etiam in serotina collatione, dummodo ex Apostolico Indulto ea condimento, permissa sint in diebus ieiunii.*

Ad 4um *Attenta contraria consuetudine, negative.*

Die autem 7 eiusdem mensis et anni SSmus Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii, Emorum Patrum resolutionem approbare dignatus est.

C. CARD. GENNARI, *Praefectus.*

L. © S.

Basilius Pompili, *Secretarius.*

III.

DECRETUM

DE CHORI DISCIPLINA IN URBE SERVANDA.

Decorem domus Dei studiose tuentes Romani Pontifices constantem in eo curam collocarunt, ut almae Urbis dignitati et sacrarum quae in ipsa sunt aedium splendori ac magnificentiae par chori disciplina responderet. Frequens enim conspectus offerentium Deo hostiam laudis, et sacra mysteria, qua decet amplitudine ac maiestate, tractantium, ad mentes in divina erigendas et ad excitandam caritatem plurimum valet. Huiusmodi quum fuerit atque esse non desinat supremae auctoritatis Ecclesiae sollicitudo, nihilominus novissimis hisce temporibus, eorumque maxime causa, factum est ut sensim sacri chori disciplina languescere!. Hinc quotidianae et graves ad hanc S. Congregationem perlatae voces conquerentium, in Ecclesiis Collegiatis Urbis, atque adeo in ipsis Patriarchalibus Basilicis, canonicos aliosque beneficiarios divino officio persolvendo ceterisque sacris obeundis interesse perpaucos. Quod quum et cultus divini decori adversetur, et offensioni adstantibus esse possit, advenis maxime, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, sacrae dignitatis in Urbe servandae custos et vindex, Decessorum vestigiis inhaerens, habentque prae oculis Decretum Sacrae huius Congregationis

editum, die XVII mensis Septembris MDCCCCII, et a s. m. Leone XIII con firmatum, haec statuit atque decrevit:

I. Contraria quavis consuetudine sublata et interdicta, a die I proximi mensis Ianuarii MDCCCCXI, universi fructus ad Capitula spectantes partiendi ex integro erunt in quotidianas distributiones pro diebus et horis.

II. Absens sine legitima causa fructus omnes amittet, et si quos forte perceperit, restituet, salvis peculiaribus Constitutionibus, quibus maior poena irrogetur.

III. Absens valetudinis causa, debita ratione ac forma recognitae, tamquam praesens in choro habeatur, eidemque sit ius ad quotidianas distributiones ex integro percipiendas.

IV. Servatis de speciali gratia indultis hactenus ab hac S. Congregatione concessis, cetera privilegia in favorem personae, sive institutorum piorumve operum causa, sive ratione munerum, praecipue in Sacris Congregationibus, quomodolibet et quovis titulo concessa, privilegiis quibuslibet non obstantibus, cessabunt, nullam vim habitura nec suffragatura cuiquam in posterum.

V. Absentes ex indulto duas quidem partes, quae locum obtinent praebendae, acquirent; tertiam tamen semper amittent, ad quam nullum sibi arrogent ius propter gratiam antea impetratam.

VI. Facultatem concedendi exemptiones a choro ob legitimam causam SS. D. N. omnino reservatam vult huic uni S. Congregationi; quae tamen, ante gratiam largiendam, Capituli votum per tacita suffragia semper exquiret.

VII. Qui exemptionis privilegio fruuntur pro diebus et horis, iidemque temporibus ab officio vacuis, cuius gratia exempti sunt, interesse choro negligunt, de SSmi D. N. mandato graviter commonentur, et meminerint, sese, non modo sanctitatem religionis violare, sed etiam iustitiae leges infringere, ideoque restitutionis obligatione teneri.

VIII. Ut sacerdotes ad Capitula pertinentes auxilio parochis institutisve religiosis esse possint ad sempiternam fidelium salutem procurandam, et componere, quoad liceat, adeundi chori obligationem cum aliis muneribus aut caritatis officiis, SS. D. N. potestatem facit Emis PP. Cardinalibus Basilicarum Patriarchalium Archipresbyteris, et iis qui Ecclesiis Collegiatis praepositi sunt, audito voto sui cuiusque Capituli, horarum ordinem sacris obeundis officiis constitutum pro opportunitate mutandi, et in pervigiliis dierum festorum de praecepto praeoccupandi vespere *Matutini* recitationem cum *Laudibus.*

Denique in iis omnibus, de quibus praesens decretum non cavet,

Sanctitas Sua vult et mandat, ut sacrosancti Concilii Tridentini praescripta et Sacrae huius Congregationis decreta et responsa, ad cleri disciplinam regendam edita, ad unguem ab omnibus ac religiose serventur.

Haec autem omnia praesenti eiusdem S. Congregationis Decreto evulgari atque inviolate custodiri iussit, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae ex Sacra Congregatione Concilii, die xxx Novembris MDCCCCX.

C. CARD. GENNARI, *Praefectus.*

L. © S.

B. Pompili, *Secretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

I.

CAMERACEN.

NULLITATIS MATRIMONII (CORDIER-NICOLLE).

Pio PP. X feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno octavo, BB. PP. DD. Michael Lega, Decanus, *Gustavus Persiani et Antonius Perathoner,* Ponens, *Auditores de turno, in causa* Cameracen. - Nullitatis Matrimonii, *inter Ioannem Cordier appellantem, repraesentatum per legitimum procuratorem Ioachim Antonelli Costaggini, advocatum, et Mariam Nicolle, interveniente et disceptante in causa Vinculi Defensore ex officio, die 11 Augusti 1910 sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

Ioannes Cordier, ex oppido Aubers dioecesis Cameracen, autunno anni 1903, proponente eius amico Iuliano Verschaeve, Mariam Nicolle, quae cum parentibus in urbe S. Audomari habitabat, uxorem ducere constituit. Sed iam in primis suis colloquiis cum sponsa et parentibus, odorem quemdam foetidum ex sponsae naribus emanantem percepit. Ioannes rem primo matri annunciavit, dein autem eadem matre suadente, quae et ipsa tetrum odorem persenserat, amico Huyghe, medico qui monuit caussam foetidi odoris forte posse esse morbum qui ozena dicitur et terribilis est atque contagiosus. Quare perterritus Ioannes tum matri tum amicis Iuliano Verschaeve et medico Huyghe declaravit se Mariam Nicolle nullatenus ducturum esse, si ipsa ozena laborasset. Voluit insuper ut hac de re medici consulerentur. Exquisitum

igitur fuit, et quidem per epistolam, consilium medici Bachelet cuius arte Nicolle familia iam utebatur. Qui tamen respondit Mariam perfecta gaudere sanitate. Quo responso accepto, Ioannes die vigesima prima Aprilis 1904 sponsalia contraxit. Illa autem occasione, tum ipse tum mater foetorem illum characteristicum iterum deprehenderunt; ideo Ioannes vespere matri declaravit: « Je n'épouserais pas Mlle. Nicolle si je n'avais « mon apaisement sur ce point ». Unde statutum est, dubia Ioannis familiae Nicolle aperire, quae familia Nicolle ut Ioannem tranquillum redderet medicarti inspectionem proposuit, quam mater Ioannis acceptavit. Inspectio Insulis peracta fuit a medico Lavrand, qui declaravit, se non invenire « au moment de 1'examen » ozenae signa characteristica. Qua declaratione, dubia actoris pro momento ablata esse videbantur. Nihilominus Ioannes usque ad matrimonii diem anxius et incertus mansit, ideoque tum matri et famulae, tum medico Huyghe voluntatem suam Mariam non ducendi nisi ozena expertem iterum iterumque manifestavit. Matrimonium tamen die 26 Aprilis celebratur, sed in ipso celebrationis actu dictam conditionem expresse in mente se renovasse actor tum amicis narravit, tum coram Iudicibus testatus est.

In itinere nuptiali Ioannes iam statim odorem illum foetidum persensit, qui odor mox adeo vehementer se manifestavit ut actor de suicidio cogitaret; statimque iter nuptiale abrumpit, et die 15 Maii Insulas revertitur. Ibi die sequenti uxorem ad medicum Lavrand duxit qui ozenae praesentiam recognoscens, medicinam praescribit quae pro oxena curanda adhibetur. Ad maiorem securitatem et hortante etiam medico Huyghe, die 20 Maii Ioannes uxorem ad medicum Valentin duxit, qui tamen ob secreti legem morbum non revelat, sed medicum Lermoyer consulendum suadet. Hic vero declarat se « pour le moment » non invenire symptomata ozenae, simulque addit causam foetidi odoris forte ex dentibus esse quaerendam, quare monet medicum a dentibus curandis adire, nomine Maret: qui tamen dentes sanos invenit. Rebus sic stantibus, vita coniugalis iam ab initio haud iucunda fuit; unde vir de ozenae existentia certus, iam post quinque hebdomadas a contracto matrimonio separationem thori peregit, et dein uxori quae apud parentes curationis causa morabatur, per epistolam de die 15 Octobris 1904 voluntatem suam nuntiavit vitae communionem omnino dissolvendi. Epistola accepta, mulier a Tribunali civili divortii sententiam petiit, eamque die 23 Februarii 1905 obtinuit. Ioannes vero Actor qui absentiam ozenae in uxore uti conditionem sine qua non, se apposuisse asserit, causam Curiae Cameracen, supplici libello de die 21 Februarii 1907 proposuit, ut suum matrimonium cum Maria Nicolle nullum declararetur,.

ob non impletam conditionem appositam. Dicta Curia die 21 Novembris 1908 sententiam tulit Actori favorabilem. Contra quam sententiam Vinculi Defensor Cameracen, appellavit ad S. C. Sacramentorum, quae causam ad S. R. Rotam remisit, quae tamen proposito dubio: « *An constet de nullitate matrimonii in casu?* » die 19 Iunii 1909 *negative* respondit. Cum haec sententia non fuerit confirmatoria sententiae Cameracensis, Actor suo iure utens, ad normam *Can. 33 n. 2 Legis Propriae S. R. Rotae,* ad proxime sequentem Turnum appellavit. Unde hodie quaestio dirimenda proponitur: « *An confirmanda vel infirmanda sit sententia rotalis in casu?* »

Quod factum attinet, DD. AA. ex universis tabulis processualibus omnino constare censuerunt:

o) Mariam Nicolle ozena, vel simili morbo, laborasse;

b) Ioannem Cordier infirmitatis absentiam tamquam conditionem sine qua non matrimonio apposuisse, et

c) hanc conditionem numquam fuisse revocatam.

Et sane, si valet illud principium « Medicis in re medica credendum est », in primis constat Mariam Nicolle iam. ante matrimonium morbo aliquo laborasse, foetorem causante. Septem enim medici, inter quos ipse Uberius Lavrand qui ante matrimonium ob morbi ozenae variabilitatem iudicium tulerat negativum, morbi ante matrimonium existentiam testati sunt. Medici vero adhibiti non modo medicae artis peritia, sed etiam vitae integritate et religione excellunt: ita ut de eorum veracitate dubitari nequeat.

Contra tot medicorum testimonia invocari nequit testimonium medici Bachelet et silentium medici Valentin. Bachelet enim sciscitanti medico Huyghe per epistolam, declaravit Mariam optima frui valetudine. Notandum autem est medicum Bachelet Mariam non explorasse, uti in praecedenti iudicio erronee retentum est, et medicum fuisse familiae Nicolle: quapropter, sub poena, secreti lege tenebatur. Eadem lege se detineri arbitratus est medicus Valentin, qui de Mariae valetudine post nuptias consultus, testimonium facere recusavit. Maria vero Nicolle medicum lege secreti eximere renuit, nec medicae inspectioni se subiicere voluit. Ex qua agendi ratione certe praesumptio pro ozenae existentia colligitur. Parvi faciendum est etiam testimonium medici Lermoyer, qui affirmat se Mariae nares explorasse et nullum « à ce moment là » ozenae vestigium invenisse, foetidum vero odorem a dentibus provenire posse. Parvi, inquam, faciendum est hoc testimonium: nam Lermoyer odorem aliquem percepit, remedia vero ab ipso praescripta, teste clarissime medico Guermoupres, ozenam evincunt.

Demum non unicus Ioannes foetorem percepit: ex nova enim inquisitione patuit eumdem foetorem percepisse Ioannis matrem et Blancam Lemerre, cum coniuges in itinere nuptiali comitaretur. Ipse quoque Iulianus Verschaeve qui se foetorem non percepisse deposuerat, hodie eum in Mariae patre persensiit.

Ioannem Cordier vero ante contractum nuptialem posuisse uti conditionem sine qua non, immunitatem sponsae ab ozena, in dubitationem adduci nequit. Ipse enim Actor sub iuramenti fide haec deponit: « J'ai « apposé une condition formelle et *sine qua non;* celle que Mlle. Nicolle « ne serait pas atteinte d'ozène. Cette condition est restée dans mon « intime non pas seulement comme un état dans lequel je persévérais « depuis longtemps, mais comme un acte spécialement voulu dans le « moment même ». Et rursus: « J'ai formellement voulu le jour de mon « mariage n'épouser Mlle. Marie Nicolle que sous la condition indiquée et « ceci, je me souviens l'avoir envisagé très froidement et très nettement ». Depositio haec utique non sufficit ad probationem conficiendam, cum Ioannes hoc in negotio maximum habeat interesse; magnae tamen est auctoritatis, quia, testibus parocho Halluin et praesule Debout, in Ioannem non cadit periurii suspicio.

De conditione apposita a Ioanne ante nuptias certiores facti sunt lulianus Verschaeve, medicus Huyghe et famula Blanca Lemerre. Iulianus Verschaeve, cuius opera potissimum Ioannes Mariam duxit, de conditione apposita non demum post divortium civile certior factus est; sed ille fuit, cui Ioannes confidit se litteras parasse ut amicos de revocatis nuptiis edoceret, si ex Lavrandii exploratione non constaret Mariam ozena non laborare « la soir de la consultation » inquit Verschaeve « Jean Cordier m'a dit: " Je tiens à être édifié, car *si Mie est malade,* «je ne me marie pas". C'est aussi alors qu'il m'a confié avoir écrit à « différents amis pour leur annoncer la rupture du mariage ».

Medicus vero Huyghe qui initio curabat ut angores Ioannis dispelleret, testatur: « Vers le mi-mars Mr. Jean Cordier commença de dire « ce qu'il n'a cessé de répéter dans la suite: *s'il y a pareille histoire «je ne veux rien savoir,* je ne me marie pas ». Clarius, si fieri posset, deponit Blanca Lemerre, dicens : « Avant le mariage j'ai entendu Mr. Cor« dier dire à sa mère et me dire à moi-même qu'il n'épouserait pas « Mlle. Nicolle si elle avait de l'ozène et qu'il n'épousait qu'à cette « condition qu'elle n'en ait pas ». Neque haec Blancae Lemerre depositio propter famulatum apud Ioannem exercitum suspecta censenda est. Nam Blanca fide dignissima describitur et, quamvis e famulatu dimissa, quae antea deposuerat, iterum confirmavit. Praeter hos testes qui ante nu-

ptias de conditione a Ioanne posita resciverunt, complures adsunt alii qui post nuptias sive ab ipso Ioanne, sive a Ioannis matre rem didicerunt. Tot tantaque testimonia simul sumpta certe probant Ioannem conditionem apposuisse.

Aeque certum est quod obiectum conditionis non fuit morbus specificus ozena, sed in genere morbus causa foetidi odoris. Ita testis B. Lemerre: « il s'est marié bien convaincu que la maladie n'existait « pas. Sans quoi il ne se serait pas marié ». Et testis medicus Carpentier: « Mr. Cordier a été rassuré pa

« il s'est marié parce que sa fiancée n'avait pas la maladie qu'il redou- « tait ». Id luce meridiana clarius eruitur ex testimonio medici Huyghe, qui narrat se ter cum Ioanne ante nuptias de morbi indiciis collocutum esse. Prima vice Ioannes Cordier, haud diu post primum colloquium cum sponsa, medico Huyghe inquietus manifestavit, sponsam putidum odorem exhalare. Medicus Huyghe Ioannem solari tentans monuit, odorem in puella ex diversis causis explicari posse, simul tamen ei iniunxit ut morbi indicia ulterius observaret. Ioannes consilia medici diligenter secutus post 15 circiter dies eidem refert morbi indicia semper eadem esse. Medicus iterum instat ut Ioannes rem ulterius experiatur. Quo facto, Ioannes mense Martio iterum medicum Huyghe adiit eique tristis annuntiat, se semper illum foetidum odorem in sponsa observasse. « Cette fois - prosequitur Huyghe - je lui dis que la chose pouvait être « très grave et qu'il ne devait marcher qu'après avoir son plein apai- « sèment sur la situation. Je prononçais le mot *d'ozène* et *de punaisie* « et sur sa demande lui laissai entendre que ces maladies se trans- « mettent, et que pour cette raison avant de contracter mariage dans « ces conditions, il faut penser aux petits malheureux qui en pourraient « naître. C'est alors que Mr. Jean Cordier commença de dire ce qu'il « n'a cessé de répéter dans la suite: " S'il y a *pereille histoire* je ne veux « rien savoir, je ne me marie pas " ». Ex qua medici Huyghe narratione sequitur Ioannem primum circa morbi existentiam dubitare, dein, indiciis morbi perseverantibus, in dubiis fuisse confirmatum et demum - post gravia monita ex parte medici Huyhe - conditionem formaliter concepisse et hisce generalibus verbis enunciasse : « S'il y a pareille histoire je ne « veux rien savoir, je ne me marie pas ». Obiectum igitur conditionis non fuit morbus specificus ozena, sed in genere morbus causans foetidum odorem. Quare est prorsus inutilis quaestio circa existentiam specifici morbi ozenae, cuius naturam periti physici subtiliter describunt et de qua inter se non bene concordant; sed sufficit quod in probatis

existat Mariam morbo affectam fuisse, foetidum odorem causante ex quadam causa permanente.

Verum intentio, quae pro obiecto habebat existentiam aut absentiam morbi nullimode innixa erat huic conditioni, nempe si existentia vel absentia probaretur ante nuptias et ab hac penderet consensus in easdem nuptias; sed intentio semper eadem perseveravit, cui alligatus erat consensus: « si elle est malade, je ne me marie pas ». Quod adeo verum est, ut non ipse actor expetierit explorationem physicam suae sponsae, sed eius mater adierit familiam Nicolle, ut significaret anxios timores filii, et exinde pater sponsae voluit periti physici consultum. Narrat Parochus Lesenne: « Mr. Nicolle qui n'entendait pas que sa fille « fut épousée avec une arrière-pensée, la fit examiner très soigneuse- « ment par le Dr. Bachelet... postérieurement, peut-être le même jour « Mr. Nicolle qui voulait apaiser absolument M. Cordier proposa de voir « un spécialiste qui fut Mr. Lavrand ». Idem eruitur ex depositione testis Huyghe; immo expressis verbis hoc fatetur ipsa sponsa, quae ait: « Quand Madame Cordier mère vint nous faire part des hésitations de « son fils, mon père décida de consulter immédiatement notre medicin « Bachelet... non content de cela mon père voulut me faire consulter ces « jours là un spécialiste de Lille Mr. le docteur Lavrand ». Quare exitus consulti medici non potuit dissipare animi intentionem seu conditionem, quae numquam pro obiecto habuit medicam explorationem. Revera animus Ioannis dubius haesit, anxius permansit et in actu nuptiarum et post nuptias. Ipsa sponsa percontata a iudice de conditione sui sponsi in actu nuptiarum reponit: « j'ai simplement remarqué que « Mr. Cordier montrait quelque froideur qui parût plutôt s'accentuer « par la suite ». Et medicus Huyghe, cuius honestatem et probitatem maximis laudibus omnes extollunt, testatur actorem mox post reditum ex itinere nuptiali sibi dixisse: « Ainsi... au moment de prononcer le " Oui " « sacramentel ce fut avec angoisse, me disant bien que s'il y avait de l'ozène « je ne me mariais pas ». Et testis Brisse, die matrimonii, conspiciens animi anxietates Ioannis, exclamavit: « Tu nous as fait venir; te maris-tu oui ou « non? » Equidem Ioannes visus est omnem deposuisse timorem, quum percepit consulti medici exitum, quia amore in sponsam ferebatur; sed animus qui non quaesierat peritiam sed morbi absentiam, relabatur in anxietates statim ac aliquod morbi indicium praesentiebat. Quamobrem de revocata conditione vel de completa, conditione absonum est quaerere vel aliquid asserere, nisi actis et probatis vim facere velimus. Animus idem semper permansit, etsi paullo ante nuptias laetitia et gaudio affectus fuerit (utique ad breve tempus) quum persuasio subiit animum de morbi absentia.

Hisce quoad factum positis, in iure in primis advertatur quod notatum fuit in *Decis. 161, n. 6, part. 19 1.1, recens.* « ad effectum inducendae conditionis magis inspicitur substantia dispositionis et mens disponentium, quam cortex verborum ». Et habetur conditio quoties habetur circumstantia « actui adiecta ex qua ipse artus pendet ». (D'Annib. i", *n. 14).* Posita autem conditione, nostra existimatio quae falso putet hanc fuisse adimpletam, nihil mutat in re. Docet idem D'Annibale *(I. c. nota 31)* « quamobrem sponsalibus initis sub ea conditione: si parentes consenserint.... his consentientibus, statim obligant et pariunt impedimentum publicae honestatis : his dissentientibus, illico evanescunt, sive sponsi sciant parentes consensisse, vel dissensisse, vel id ignorent. » Hinc est ludere verbis, si insistatur in attestatione sacerdotis Baileux ubi Ioannes asserit: « au moment je n'ai pas pensé à cette condition que j'avais « posée avant ». Siquidem tunc Ioannes credebat, sed falso credebat, morbum revera non adesse.

Pressius autem in re nostra ad diluendas oppositas difficultates haec RR. PP. considerarunt. Incidit praesens facti quaestio in difficillimam et maximi momenti controversiam iuris - uti appellat Sanchez *de matrim. VII, disp. 18* hanc quaestionem circa errorem qualitatis personalis redundantem in errorem personae - quam uti notat Clericatus *decis. 19, n. 27, apud D'Annib. III, n. 414, not. 14.* Doctores, dum student explicare, eam implicant magis. Quam ob rem non exigi potest ut in suis responsionibus Actor adamussim enunciaverit doctrinam canonicam de errore substantiali redundante in errorem personae. Sed attendendae sunt eius assertiones aliaeque attestationes, ut videatur an sit locus applicationi regulae quam ad difficultates doctrinales et practicas enodandas ita cocinne enuntiat Card. Gasparri *de matrim, n. 785* « est simplex error qualitatis dans causam contractui, qui non officit nisi qualitas apposita fuerit uti vera conditio sine qua non. Haec regula pro errore qualitatis redundante in errorem personae, verissima est: alii alia addunt; sed tu, si vis errorem vitare, eam tantum tene, et secundum eam casus occurrentes résolve ». At posita hac regula, illico difficultatem faciunt verba a sponso reddita iudici interrogant quibus negat se cognovisse naturam matrimonii conditionati; asseruit enim: « Mr. l'abbé « de Halluin finit par me préciser exactement ce qui était un mariage « conditionnel: ce que j'ignorais auparavant prévoyant plutôt une erreur « ou un vice de consentement ». Quare sententia appellata advertit: at, quaeso, an nesciens conditionis valorem nec etiam possibilitatem conditionem apponendi ad effectum qui deinde necessario consequitur potest dici quod matrimonium sub conditione contraxere? Sed, - uti

praedicat effatum - nostra existimatio rerum veritatem non mutat; quare actor ductus persuasione quod enuntiata conditio in contractu - si non verbis, re tamen suberat - eadem sinceritate et simplicitate qua conditionis appositae effectum et indolem se ignorasse fassus est, prosequitur: « aujourd'hui je demande à l'Eglise la nullité de mon mariage pour le « motif suivant: Je n'ai voulu me marier qu'à la condition qu'on me « prouverait que l'ozène n'existait pas chez ma femme. Or la condition « ne s'est pas vérifiée si bien qu'à trois semaines de distance le même « docteur niait d'abord et affirmait ensuite l'existence de ce mal ». Iamvero eae quas attulimus, quaeque undique in toto processu abundant, attestationes, huius assertionis veritatem confirmant, adeo ut ne defensor quidem Vinculi negare possit conditionis appositionem ante matrimonium, sed contendat omni procul dubio constare hanc fuisse completam utpote de praesenti ante nuptiarum celebrationem, et hinc fuisse revocatam ob conceptam persuasionem de non existentia morbi, ipso sponso fatente: « c'est ainsi que j'ai été rassuré, que j'ai été conduit à me marier « quand même » et ob factum quod, nonobstante eius proposito non ducendi Mariam, tamen illam de facto duxit, ita ab apposita conditione resiliens. Sed quia plura cumulata sunt verba sive testium sive ipsius actoris a Defensore Vinculi, unde deduxit conditionem appositam fuisse completam, quia explorate morbo, medicus Lavrand retulit sponsam morbo non esse affectam, quaestio huc recidit ut declaretur, quaenam fuerit intentio sponsi in apponenda conditione, et utrum haec intentio fuerit revocata.

De intentione prouti est actus voluntatis haec profunde disserit D'Annibale *I, n. 135.* « Porro voluntas dicitur tum finis tum eorum quae sunt ad finem ; sed cum in finem aliquid tendit (et maxime quum exterius tendit) intentionis nomen subiit. Est autem triplex nostris intentio: actualis, habitualis, virtualis; scilicet: intentio sine aliqua attentione (quae est actus intellectus) ne intelligi quidem potest ; nam qui possum velle quod nullatenus animadverto? Itaque intentio actualis est, cui attentio adest continuo ; ex diverso habitualis, cui nullatenus adest; inter utramque tenet virtualis; nam ea est cui attentio primo initio tantum operis inest, et post (quia mens ad alia divertit) exulat, quod difficile est. Et actualis recte prorsus dicitur intentio et vere est principium humani actus, et planum est; item virtualis quippe vere ab ipsa initium capit actus et subinde antegressae qua coeptus fuit intentionis veluti impulsu et virtute prosequitur. At habitualis in rebus agendis ne nomen quidem intentionis meretur; nam quae hac intentione (exterius) fiunt illa vi magis habitus quam voluntatis obimus ». Ad intentionem habi-

tualem in qua nullus motus voluntatis in finem habetur, reducitur voluntas interpretativa de qua D'Annibale *n. seq.* docet: « Cum praesumpta non est confundenda voluntas interpretativa (licet saepe promiscue penes Doctores immo et in iure accipiatur) ea nempe quam quis nec antea habuit, nec in praesens habet, quia illius obiectum numquam subiit animo habiturus, si subiisset aut subiret. Haec, ut patet, nihil est ideoque nihil praestat. » Exinde qui uxorem ducit, vult mulierem honestam, sanam sibi in uxorem copulare, sed matrimonium aeque valet etsi mulier hisce qualitatibus non praestat quia in has qualitates voluntas numquam intendit ut in suum obiectum.

Ast in themate RR. PP. visum est quaestionem non esse de voluntate interpretativa, quia Ioannes certe ante nuptias intentionem habuit actualem non ducendi uxorem Mariam, si ozenae morbo haec laboraret. Item quaestio non esse potest de intentione habituali, quia - uti explicat discursus iam relatus Card. D'Annibale - hanc intentionem non movet voluntas, sed magis habitus. Nam e contra animi dispositio in Ioanne secumferebat ante nuptias actualem intentionem non ducendi Mariam, si ozena laboraret: « je n'ai voulu me marier qu'à la condition qu'on « me prouverait que l'ozène n'existait pas chez ma femme ». Unde in hanc animi dispositionem non quadrat sententia Reiffenstuel *I. IV, t. 1 de clandestin, despon. n. 349,* quae affertur in defensionem vinculi matrimonialis et de eo loquitur, qui « animo ita dispositus est quod si sciret compartem hac qualitate quam inesse putat vel audit, carere, vel aliqua qualitate quam adesse putat vel audit affectam esse cum illa non contraheret. Et ratio huius limitationis patet ex dictis ubi docuimus matrimonium contractum ex errore circa qualitatem dante causam contractui (ita nempe ut ob eum quis contraxerit non contracturus si contrarium sciret) esse validum ».

Et iure meritoque, quia voluntas interpretativa, seu intentio habitualis, non innuit in obiectum consensus deliberati. Exclusa ex evidentia facti a Ioanne voluntate interpretativa, seu intentione habituali, sequitur duplex status animi in eodem : alter nempe ante factam medicam explorationem, alter post hanc expletam. Ex prima animi dispositione habita est intentio actualis ita matri significata : « je déclarai à ma mère « que jamais je ne me marierais dans cette incertitude, que j'ai été décidé « à rompre si on ne me prouvait par une visite médicale que l'ozène « n'existe pas chez Mlle. Nicolle ». Huic desiderio satisfactum fuit et Ioannes, rescita medici Lavrand sententia, exclamavit: « Tout est bien « puisqu'il n'y a rien »: unde, completa conditione de praesenti, visum est in praecedenti instantia omne conditionis vestigium disparaisse et reten-

tum est: « hinc cum Ioannis voluntas tota penderet a medica consultatione, ita ut eius propositum esset vel absolute non nubendi, si Maria Mcolle ozena affecta declarata fuisset, vel e contra pure et simpliciter nubendi, si a morbo immunis fuisset existimata, quamlibet conditionem si antea posita fuerat, a viro retractatam fuisse dicendum est ». Verum quod voluntas tota seu intentio actualis Ioannis penderet a medica consultatione non est veritati factorum conforme; nam intentio Ioannis eo tendebat, ut Maria incolumis esset ab eo foetore quem tantum fastidiebat Ioannes. En finis in quem tendebat quem tamen ut pertingeret media congrua abhibere oportebat. Ait D'Annibale, ***I. c.:*** « Porro voluntas dicitur tum finis tum eorum quae sunt ad finem; sed cum in finem tendit.... intentionis nomen subit ». Medium quod praesto erat in themate pro secure attingendo fine, habebatur in medica consultatione, Narrat Ioannes in responsionibus ad primum interrogatorium: « Mais le jour du « contrat le jeudi précédant mon mariage du mardi suivant, ma mère « et moi constatâmes dès l'arrivée la présence de l'odeur caractéristique « Néanmoins il fut procédé au contrat, mais dès le soir je dis à ma « mère que je n'épouserais pas Mlle. Nicolle, si je n'avais mon apaise- « ment sur ce point ». Exinde Ioannis mater se contulit apud familiam sponsae, cumque significasset timores qui a matrimonio ineundo sponsum repellebant, consilium captum fuit submittendi sponsam examini et explorationi Dñi Lavrand periti physici, quod etiam factum est. Exitus consultationis fuit, ut Ioannes, depulso timore, contractum iniret matrimonialem. Quae prima animi dispositio in Ioanne seu ante nuptias •et in ipso actu nuptiarum significatur adamussim per ea verba « c'est « ainsi que j'ai été assuré, que j'ai été conduit à me marier quand « même ». Id est non obstante timore morbi, non obstante proposito non ducendi Mariam si eo morbo afficeretur: hoc sonat illud adverbium « quand même ». Equidem obiectum intentionis seu finis voluntatis usque idem perseverabat ducere uxorem eo morbo immunem, sed ex medici attestatione, animum subierat persuasio morbum abesse: « ma « mère revint et me déclara qu'il n'y avait pas d'inquiétude à avoir, qu'il « n'y avait là rien de sérieux »: unde dimissa actuali intentione seu proposito non ineundi contractum nisi sub certo modo, successit intentio virtualis quae « ea est - ait D'Annibale, ***I.*** c. - cui attentio primo initio tantum operis inest, et post (quia mens ad alia divertit) exulat.... et -actualis.... vere est principium humani actus.... item virtualis quippe vere ab ipsa initium capit actus, et subinde antegressae qua coeptus fuit intentionis veluti impulsu et virtute prosequitur ». Virtualis autem intentionis vim esse irritum reddere matrimonium docet cum communi

sententia Card. Gasparri, *I. c, n. 1023:* « Omnes admittunt matrimonium esse nullum si conditio fuit actualis, nempe posita in ipso matrimonii actu, et deinde appareat non existere. Idem affirmamus tamquam certum si conditio fuit tantum virtualis, scilicet quando in actu matrimonii de ea ne verbum quidem factum est, sed apposita antea fuerat, nec revocata ». Et paullo post idem Auctor prosequitur: « evidens est matrimonium esse nullum ex defectu consensus si supponatur et conditionem veram ac proprie dictam sine qua non appositam fuisse et hanc conditionem quae de facto non fuisse revocatam: esse nullum inquam etiam in foro externo, si illa duo clare argumentis et indiciis moralem certitudinem parientibus probentur » *(I. c, n. 1024).* Idem docet Reiffenstuel ***(I.** VI, t. 1, n. 346 et seq.)* dicens: « Matrimonium contractum ex errore circa qualitatem validum est nisi talis qualitas actualiter vel virtualiter, interne vel externe, in conditionem esset deducta ut si quis interne ita cogitaret aut externe diceret: si es virgo, aut dives etc. volo' seu intendo tecum contrahere, alias non; quia etiam tunc error circa qualitatem matrimonium invalidaret . . . ratio est quia omnis contractus sub conditione honesta de praesenti initus conditione non subsistente nullus est . . . coeterum ut ex defectu huius qualitatis matrimonium sit nullum requiritur, quod contrahens talem voluntatem aut intentionem conditionatam actualem vel saltem virtualem habeat: nimirum ut vel tunc quando contrahit actu habeat illam intentionem, non contrahendi, nisi hanc qualitatem habeat, vel saltem prius eam intentionem actu habuerit et per actum contrarium non revocaverit, sed virtute seu virtualiter, adhuc retineat ».

Equidem virtuali intentioni locus non est si actualis fuerit revocata; sed hoc quomodo probatur? Sapientissime Pitonius, a Patronis citatus, ait voluntatem iam manifestatam et aliquam conditionem contractui apponentem non praesumi mutatam fuisse sed continuari » *(Discept, eccle., disp. 52, § 39).* Lege enim cautum est « quod quis semel voluit aut noluit, illud semper deinceps velle aut nolle intelligitur quamdiu non retractaverit voluntatem *(ex., 11-22, de probat., 1, 4, de matrim, vind., c. 3, de Bapt.)* « et qui ait mutatam fuisse voluntatem docere id debet ». *L. 241, de probat., I. 3, § 3, de Usucap.* Neque revocasse dicendus est Ioannes conditionem quia de facto coniugium iniit quamvis adhuc anxius de sponsae valetudine; nam hic status animi non excludit nec revocat appositam conditionem, sed significat Ioannem tunc dubitasse de veritate facti in conditione appositi. Ioannes amabat, sperabat, timebat; animum in diversa trahebatur; proposuerat uxorem ducere sed hanc non ducere si ozena affectam; medicus, eius familia et sponsae

parentes impellebant ut omnem depelleret timorem; hinc sponsi fidem iuravit; sed arrepto nuptiali itinere, statim ac percepit Mariam revera morbum laborare, iter abrupit, omnis affectus maritalis extinctus est.

Denique RR. PP. visum est, nonnisi sophistice posse argumentari ex valore contractuum civilium qui penes nos ineuntur, ad contractum matrimonialem. Nam contractus - matrimonium - uti docet D'Annibale, ***UT,*** *n. 4.25 :* « qua est contractus naturalis regitur tum iure naturae tum iure evangelico, ubique gentium ». Et in *nota 17* explicat: « Huic autem iuri nulli humanae potestati derogare, subrogare, abrogare datum est ». Ex adverso contractus civiles penes nos vigent potissimum ex iure civili quoad formam adeo ut sine scriptura nihil valeant et eatenus valent quatenus scriptura significantur. Quare conditiones si apponantur antequam contractus scripti ineantur, curatur ut sint completae et cum pure contrahitur in scriptis quaecumque conditio censetur revocata : si vero probatur, quod ex errore vel fraude maxima seu enormis adfuerit laesio, datur rescissio. Quae in matrimonio ne fìngi quidem potest; sed hic contractus cum regatur* tantummodo iure naturae, si conditio subsit, quomodocumque expressa eademque deinceps probetur, matrimonium nullum declarandum est.

Hisce omnibus perpensis :

Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, decernimus, declaramus et definitive sententiamus constare de nullitate matrimonii inter Ioannem Cordier et Mariam Nicolle, seu proposito dubio respondemus: « Infirmandam esse sententiam rotalem in casu; exinde sententiam appellatam infirmamus et pro infirmata haberi decernimus et declaramus ».

In expensas vero iudiciales Ioannem Cordier condemnamus.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et Ministris Tribunalium ad quos spectat, ut executioni mandent hanc nostram sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum Canonum, et praesertim *Cap. 3, Sess. 25. De Reform.* Conc. Trid. iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae magis opportuna et efficacia pro rerum adiunctis extitura sint.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 11 Augusti 1910.

Michael Lega, *Decanus*
L. £8 S. Gustavus Persiani.
Antonius Perathoner, *Ponens.*

Sac. Tancredes Tani, *Notarius.*

IL

CITATIO EDICTALIS

CONSTANTIEN.

NULLITATIS MATRIMONII.

Cum ex Ordinarii Constantien. informatione constet Eugeniam Berhaut, mulierem in Causa conventam, reperiri non posse, per praesens Edictum eamdem citamus ad comparendum sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 17 Ianuarii an. 1911 hora undecima, ad videndum subscribi infrascriptum dubium, nec non destinari diem, in qua habebitur turnus rotalis pro tractatione Causae.

Dubium: « *An constet de nullitate Matrimonii in casu* ».

Ordinarii locorum et fideles quicumque notitiam habentes de domicilio aut commorationis loco dominae conventae, curare debent, si et quatenus fieri possit, ut de hac edictali citatione moneatur.

Romae, die 28 Nov. 1910.

Ioannes Prior, *Ponens.*

Sac. Tancredes,

L. g* s. *Notarius S. R. Motae.*

TRIBUNAL DE LA SACRÉE ROTE ROMAINE.

Citation par Édit.

CONSTANTIEN. - NULLITÉ DE MARIAGE.

Comme, d'après l'information du Révérendissime Ordinaire de Coutances, il conste que Eugénie Berhaut, défenderesse en cette cause matrimoniale, ne peut être trouvée, Nous citous, par le présent edit, la même dame Eugénie Berhaut à comparaître par propre personne où par un procureur légitimement constitué au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine, le 17 Janvier, à 11 heures du matin; pour voir souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la proposition de la cause devant la Rote.

Doute: « *Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas présent ?* »

Les Ordinaires des lieux et les fidèles ayant connaissance du domicile ou du lieu de la résidence de la dite défenderesse, doivent, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

Rome, 28 Novembre 1910.

Ioannes Prior, *Ponent.*

Sac. Tancredes Tani,

L. % S. *Notaire de la S. Bote.*

SECRETARIA STATUS

EPISTOLAE.

L

AD D. ERNESTUM BEGNI, OB PRIORA DUO VOLUMINA OPERIS " LA CHIESA NEGLI STATI UNITI D'AMERICA " BEATISSIMO PATRI OBSEQUENTER EXHIBITA.

Pregmo Signor Begni,

Quanto gradito sia stato al Santo Padre, Pio X, l'omaggio dei due primi volumi dell'opera *La Chiesa negli Stati Uniti d'America,* ben Ella 10 può arguire dalla lieta accoglienza che il Medesimo, quattro anni or sono, faceva al progetto che dell' importante lavoro storico Ella stessa aveva l'onore di esporGli a viva voce. Nè poteva essere altrimenti, trattandosi di una pubblicazione che, intesa ad illustrare lo sviluppo della religione cattolica negli Stati Uniti d'America, offre ai cattolici tutti, ed in particolar modo all'Augusto loro Capo, così grande argomento di consolazione e di speranza, mostrando loro l'avvenire nel passato fecondo di una Chiesa che, come il piccolo grano di senapa del Vangelo, umile nella sua origine, è oggi addivenuta albero gigantesco, sul cui tronco, mercè Io zelo operoso dei cattolici americani, ogni anno che passa, fa germogliare nuovi rami, colla erezione di nuove diocesi e nuove parrocchie: ed ogni nuova stagione fa maturare nuovi fratti, in una più intensa e vigorosa esplicazione di vita cristiana.

La sollecita ed elegante edizione dei due primi volumi, che hanno già riscosso le più larghe simpatie ed approvazioni dell' Episcopato d'America, fa in vero onore alla studiosa attività ed all'arte squisita dei collaboratori, ai quali si deve la dovizia dei documenti riprodotti e delle artistiche illustrazioni: ed i criteri a cui, nel suo complesso, è informato 11 lavoro, promettono che tutta intiera la grande opera sia per rispondere pienamente all'aspettativa che di essa fa concepire la larga e generosa cooperazione d'ingegni e capitali, a cui è affidato l'arduo compito. Sua Santità pertanto, mentre, per mio mezzo, Le esprime il sovrano Suo compiacimento e le Sue congratulazioni, fa i migliori auguri per la felice riuscita della interessante pubblicazione, la quale nel tempo istesso che porrà sott'occhio ai lettori gli amorosi disegni della Provvidenza su i popoli d'America e la volonterosa loro corrispondenza, servirà ai me-

desimi di nobile sprone ad emularne cotanto luminosi esempi di religiosa attività.

Aggiungo ben volentieri i personali miei ringraziamenti per l'esemplare di detti volumi a me cortesemente destinato, mentre anch'io con Lei mi congratulo del ben riuscito lavoro, e passo al piacere di raffermarmi con sensi di alta stima

Della S. V. Illma

Roma, 25 Novembre 1910.

Servitore

L. ✠ S. R. CARD. MERRY DEL VAL.

II.

AD V. E. LUDOVICUM HENRICUM S. R. E. CARDINALEM LUÇON, ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM, DE CONVENTU CATHOLICORUM IN SEPTENTRIONALI GALLIA ET AD FRETUM GALLICUM FELICITER EXPLETO, GRATULATIONIS CAUSA.

Eminentissime Seigneur,

En tête des signataires de la très noble Adresse des Catholiques du Nord et du Pas-de-Calais, réunis à Lille du 7 au 13 Novembre dernier pour leur xxxvii[e] Congrès, le Souverain Pontife a remarqué avec une vive satisfaction le nom de Votre Eminence et ceux de plusieurs membres de l'Episcopat français, faisant cortège aux Vénérables Archevêques et Evêques de la Province de Cambrai. Le Saint Père a l'intime persuasion que, sous une présidence si auguste et si autorisée, les travaux du Congrès se sont une fois de plus accomplis dans la Vérité et la Charité, et que de ces assises solennelles de chrétiens zélés et convaincus seront sorties des résolutions viriles et fécondes, destinées à promouvoir efficacement les œuvres multiples, religieuses et sociales, qui font la gloire des Catholiques du Nord et la consolation de leurs Pasteurs.

Instaurare omnia in Christo : tel a été dès l'origine, et tel est plus que jamais le but que se sont proposé les hommes de cœur et de foi, dont Votre Eminence vient de saisir sur le vif l'action persévérante et infatigable.

Le Saint Père applaudit de tout cœur à des dispositions et à des actes si conformes à ses propres désirs. Heureux d'apprendre que ses enseignements et ses recommandations sont accueillis avec un empressement si joyeux et une obéissance si entière par ses fils de la Flandre et de l'Artois, Il fait les vœux les plus ardents pour que le Dieu de

toute Bonté donne à leurs efforts le succès qu'ils ambitionnent, à savoir de faire régner en tout et en tous Notre Divin Sauveur. - *Omnia in omnibus Christus.*

A cette fin, Sa Sainteté accorde avec effusion à Votre Eminence Illme et Rme, ainsi qu'à ses Vénérés Collègues et à tous les membres du Congrès la Bénédiction apostolique.

Pour ma part, je profite bien volontiers d'une circonstance si favorable pour présenter à Votre Eminence mes respectueux hommages de profonde vénération, et, en La priant de transmettre aux Prélats et aux fidèles qui ont pris part au Congrès l'expression de mes meilleures sympathies, je baise respectueusement vos mains et j'aime à me redire

De Votre Eminence

le très humble Serviteur

R. CARD. MERRY DEL VAL.

Rome, 3 Décembre 1910.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

CONGREGAZIONE ANTIPREPARATORIA.

Il giorno 13 del corrente mese di Dicembre, presso l'Emo e Rmo Signor Cardinale Girolamo Gotti, Ponente della Causa, ha avuto luogo la Congregazione Antipreparatoria dei Sacri Riti, per discutere il dubbio sopra i miracoli della Venerabile Serva di Dio, Teresa Margarita Redi, Monaca professa dell'Ordine dei Carmelitani Scalzi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Il Santo Padre, con biglietto della Segreteria di Stato, si è degnato di nominare:

2 ***Dicembre*** *1910.* — Il Rmo P. Maestro Agostino Zampini, dell'Ordine dei Romitani di S. Agostino, Provinciale per la Toscana, Suo Sacrista e Parroco dei SS. PP. AA.

La stessa Santità Sua, con biglietto e con Breve della Segreteria di Stato, si è degnata di nominare:

Prelati domestici di 8. S.:

24 Ottobre 1910. — Don Raffaele Chimenti, Canonico di S. Maria in Trastevere e Cancelliere Ecclesiastico del Vicariato, della diocesi di Roma.

5 Novembre 1910. — Don Giuseppe Maria Bueno de Rosa, Canonico Cantore della Chiesa Metropolitana, della diocesi Rio Ianeiro.

10 Novembre. — Don Giuseppe Scartata, Parroco di Vallalba, della diocesi di Caltanisetta.

14 Novembre. — Don Giovanni I. Aylward, della diocesi di London (Canada).

— Don Alberto Palotta, Rettore del Seminario della diocesi di Rimini'

17 Novembre. — Don Edoardo Stefano Fitzgerald, Parroco del SS. Rosario in Holiske, della diocesi di Springfield.

25 Novembre. — Mons. Luigi Costante Prieur, Vicario Generale della diocesi di Meaux.

— Don Alfredo Dumont, Decano del Capitolo della medesima diocesi.

26 Novembre. — Don Luigi Daelli, Direttore del giornale « L'Ordine », della diocesi di Como.

— Don Giacomo T. Saunders, Vicario Generale della diocesi di Sioux-City.

ONORIFICENZE

11 Santo Padre, con biglietto e con breve della Segreteria di Stato, si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

Ordine della Milizia Aurata:

8 Novembre 1910. — A. S. E. il Signor Enrico Fitzalan-Howard, Duca di Norfolk.

La Commenda dell'Ordine di 8. Gregorio Magno, con placca:

16 Novembre 1910. — Al Sig. Leonardo Jankowski, di Kijowiae.

La placca dell'Orarne di S. Gregorio Magno:

28 Novembre 1910. — Al Sig. Clemente Reitmayer, dell'archidiocesi di Malines.

La Commenda con placca dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

22 Novembre 1910. — Al Sig. Guglielmo de Meinel, Consigliere presso il Ministero degli affari Esteri, dell'archidiocesi di Monaco (Baviera).

La Commenda dell' Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile :

3 Novembre 1910. — Al Sig. Giacomo F. Me. Mullen, Magistrato e membro dell'Istituto Ingegneri Civili, della diocesi di Cork (Irlanda).

8 Novembre. — Al Sig. Conte Ottocaro de Westphalen, della diocesi Leitmeritz.

21 Novembre. — Al Sig. Marcello Guillet, della diocesi di Parigi.

28 Novembre. — Al Sig. Guglielmo Marx, Consigliere presso il Tribunale superiore di Dusseldorf e Deputato al Parlamento, dell' archidiocesi di Colonia.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

21 Novembre 1910. — Al Sig. Giuliano Lacour, dell' archidiocesi di Parigi.

22 Novembre. —- Al Sig. Avv. Prof. Giuseppe Fornari, di Roma.

26 Novembre. — Al Sig. Giuseppe Gros, medico, della diocesi di Arras.

— Al Sig. Carlo Fichaux, di Oisy-le-Verger.

30 Novembre. — Al Sig. Pietro Pedace, di Reggio Calabria.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

4 Novembre 1910. — Al Sig. Marchese Lodovico Rigaud, Luogotenente del reggimento degli Zuavi Pontifici.

Il ***Cavalierato dell' Ordine di S. Silvestro Papa:***

4 Novembre 1910. — Al Sig. Federico van Soest, degli Zuavi Pontifici.

14 Novembre. — Al Sig. Luigi Zaccaria, Consigliere ed Economo dell'Opera Pia delle cucine economiche, della diocesi di Padova.

22 Novembre. — Al Sig. Enrico Derix, dell'archidiocesi di Monaco (Baviera).

23 Novembre. — Al Sig. Rag. Svetonio Petrocini, dell'archidiocesi di Pisa.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE '

La Santità di nostro Signore, con biglietto di S. E. Rina Mons. Maggiordomo, si è degnata di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari:

11 Novembre 1910. — Mons. Carlo Mangold, dell' archidiocesi di Monaco. (Baviera).

18 Novembre. — Mons. Paolo Albera, della diocesi di Bagnorea.

30 Novembre 1910. — Mons. Arturo Filippo Jackman, dell'archidiocesi di Westminster.

Cameriere d'onore m abito paonazzo :

11 Novembre 1910. — Mons. Bonaventura Bullich y Gasset, della diocesi di Barcellona.

Cameriere segreto di spada e cappa soprannumerario:

24 Novembre 1910. — Il Sig. Conte Carlo Olivieri di Vernier, della diocesi di Torino.

NECROLOGIO

Novembre 1910. — Mons. Ippolito Bazin, Vesc. tit. di Tacia e Vicario Apostolico del Sahara (Sudan francese).

Dicembre 1910. — Mons. Filippo Allegro, Vescovo di Albenga.

» » — Mons. Angelo Balzano, Vesc. tit. di Sura.

I.

INDEX GENERALIS RERUM

t

I

II.

INDEX DOCUMENTORUM

CHRONOLOGICE ORDINE DIGESTUS

ANNO MENSE DIE

ACTA PII PP. X.

I. - CONSTITUTIO APOSTOLICA.

APPENDIX.

IL - LITTERAE ENCYCLICAE.

III. - MOTU PROPRIO.

Appendix.

V. - COMMISSIO DE RE BIBLICA.

III.

INDEX ANALYTICUS RERUM NOTABILIUM

E

K

L

S

T

U

V

W

Z

IV.

INDEX PERSONARUM

A

B

C

H

I

Q

R

S

T

U

V

X

W

SECUNDUM VOLUMEN COMMENTARII OFFICIALIS « *Acta Apostolicae Sedis* »

ABSOLVITUR DIE 31 DEC. 1910. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.